
ERVM
RMANI
140432

140.432


mm
xrite
MSCCPPPE0616
MSCCPPCC0616
colorchecker


P. BERTII
COMMENTARIORVM
RERVM GERMANICARVM
Libri Tres.
Primus est Germaniæ veteris.
Secundus, Germaniæ posterioris, a KAROLO MAGNO
ad nostra vsq; tempora, cum Principum Genealogijs.
Tertius est præcipuarum Germaniæ vrbium cum earum
Iconismis et Descriptionibus.
Amstelodami
apud Joannem Janssonium
Anno 1616.
RHENVS
DANVBIVS


P. BERTII
COMMENTARIORVM
RERVM GERMANICARVM
Libri Tres.
Primus est Germaniæ veteris.
Secundus, Germaniæ posterioris, a KAROLO MAGNO
ad nostra vsq; tempora, cum Principum Genealogijs.
Tertius est præcipuarum Germaniæ vrbium cum earum
Iconismis et Descriptionibus.
RHENVS
DANVBIVS
Amstelodami
apud Ioannem Janssonium
Anno 1616.

Lib. xxx vii. Cap. 2. niam itinere proficiſci. Adſcribam Plinij verba; *Pytheas autor eſt, Guttonibus Germaniæ genti accoli æſtuarium Mentonomon nomine, ſpatio ſtadiorum ſex millium: Ab hoc dici nauigatione inſulam abeſſe Abalum: illo verò fluctibus aduehi electrum; incolaſque id proximis Teutonis vendere. Gignitur autem in inſulis Septentrionalis Oceani, & a Germanis appellatur gleſſum: itaque & a noſtris vna inſularum ob id Gleſſaria appellata eſt, Germanico Cæſare ibi claſſibus rem gerente, Auſtrauia a barbaris dicta. Adfertur autem in Pannoniam maximè prouinciam: inde Veneti primùm, quos Græci Henetos vocant, rei famam fecere, proximi Pannoniæ, id accipientes ab iis circa mare Adriaticum. Pado verò adnexa, fabulæ videtur fuiſſe cauſſa. Porrò,* DC *fere m. p. a Carnunto Pannoniæ abeſt littus id Germaniæ ex quo inuehitur, percognitum nuper: vidit enim eques Romanus, miſſus ad id comparandum a Iuliano curante gladiatorium munus Neronis principis, qui hæc commercia & littora peragrauit.* Ex his perſpicuum eſt electrum, quod in Eridano gigni creditum, apud Græcos & Romanos in pretio fuit, ex Germania allatum fuiſſe; quumq; illud multis ante Cæſarem ſæculis Græci & Romani habuerint, debuiſſe multis quoque ante Cæſarem ſæculis ex illa Germaniæ parte, quæ propemodum remotiſſima eſt, in Pannoniam & Venetiam mercatores tranſitum aliquem habuiſſe. Præterea, poſt bellum Cimbricum conſtat tumultu ſeruili magnam Germanorum manum ſumptis armis ſeſe libertati adſerere voluiſſe, quos Romana virtus confecit. Teſtatur id Cæſar commentario primo de bello Gallico, vbi milites ſuos animans aduerſus Germanorum copias quas ducebat Arioviſtus, *Factum*, inquit, *eius hoſtis periculum patrum noſtrorum memoria, quum Cimbris & Teutonis a C. Mario pulſis non minorem laudem exercitus, quam ipſe Imperator meruiſſet. Factum etiam nuper in Italia ſeruili tumultu, quos tamen aliquis vſus ac diſciplina, quam a nobis acceperant, ſubleuauit.* Hi ergo quum bello capti fuerint, inque Italia vixerint, non poteſt fieri vt omninò Germanos Itali etiam ante Cæſaris tempora ignorarint. Quod autem Vlyſſem quidam opinantur longo illo & incerto errore in Oceanum Germanicum delatum adiſſe has terras, Aſciburgiumque ab eo inſtitutum; aram quinetiam Vlyſſi conſecratam adiecto Laërtæ patris nomine eodem loco repertam, monumentumque & tumulos quoſdam Græcis litteris inſcriptos in confinio Germaniæ Rhætiæque Taciti æuo exſtitiſſe, id refutare hoc loco accuratius non libet, vtpote fabulis propius quum vero. Vlyſſem enim in Oceano erraſſe, neque id ab Homero vſpiam indicatum eſſe, non fit veriſimile. Polybius certè autor grauiſſimus id falſum tradidit. Exſtitiſſe tamen in Rhætia atque inferioribus etiam Germaniæ partibus inſcriptiones forte Græcis littreis formatas, mirum non videbitur, cogitanti, litteras ab Ionibus primum ad Græcos, inde ad Latinos, Gallos, reliquoſque Europæ incolas deriuatas; Gallos quoque in publicis priuatiſque rationibus Græcis vti litteris ſolitos æuo Cæſaris. Et Germanos vſque ad Caroli Magni tempora non niſi Græcis litteris vſos eſſe, quum perdiu nullas habuiſſent: ſed & Græcas Latinaſque origines in multis Germanicis vocibus etiamnunc deprehendi, & in Heluetiorum caſtris tabulas Græcis litteris conſcriptas repertas fuiſſe a C. Iulio Cæſare quum illic ageret, qui id ipſum quoque in ſua Commentaria retulit. Sed quid hæc omnia ad euertendum id quod ante diximus, Exactam Germaniæ notitiam, qualem quidem Geographia requirit & pollicetur, Græcis & Romanis, omnibuſque adeo ad C. vſque Iulij Cæſaris tempora ignotam fuiſſe? Ratum igitur hoc eſto, Germaniam non niſi Romanorum imperio cœptam cognoſci, luſtrari, accuratiuſque deſcribi. Non quod negaverim Italicos aut etiam Græcos mercatores priuatas

Tacit. de Morb. Germ.

Villichius, Cõm. in Tacit. Germ.

140.432
b21121096

ob caussas suas vt reliqua totius orbis, ita etiam inuia istius regionis penetrasse, compendij sui studio; scribit enim C. Iulius, Sueuos etiam suo sæculo mercatoribus Italis aditum concessisse, magis eo vt quæ bello ceperant quibus venderent haberent, quam quod vllam rem ad se importari desiderarent: neque etiam negare ausim, Germanos ipsos cum vicinis Gallis Rheno transmisso, aut cum Rhætis, Vindelicis, Noricis, Pannonijs traiecto Danubio merces suas commutasse, aut è tota gente vnum forte aliquem in Italiam aut Græciam aliquando delatum, aut denique vllam eius populi famam ad Romanos aut alias gentes peruenisse: sed quod non putem regionem distinctè cognitam descriptamque Græcis vel Romanis autoribus, priusquam C. Cæsaris armis aperiretur. Non debet autem casus aliquis, vel paucorum quorundam priuata sollertia hoc efficere, vt si pars aliqua Germaniæ alicui serò admodum visa fuit, credatur vniuersa scriptoribus publicis semper fuisse percognita. Describere enim regiones totas eius fere est, qui non eas vagabundus pererret, sed qui ad bellicam victoriarum laudem litterarum quoque studia adiunxerit: nam neque superari possunt sine armis, neque describi sine litteris. Etsi ergo fieri possit, vt ante C. Cæsarem Galli in Germaniam irruperint, transmisso amne, tamen quum destituti fuerint gloria litterarum, non potuerunt ea quæ viderunt monumentis librorum consecrare. Eadem aliarum gentium ratio est. Et quid mirum si Germaniam Romani minus nouerint, quum ne Galliæ quidem partem maximam habuerint ante C. Cæsaris tempora exactè cognitam? Quapropter Ariouistus rex Germanorum in Gallia agens, non est veritus C. Cæsari obijcere, *Se prius in Galliam venisse quam Pop. Romanum. Nunquam ante illud tempus exercitum Pop. Romani Galliæ prouinciæ* (quæ quidem minima eius pars erat) *finibus egressum. Quid igitur sibi vellet, cur in suas possessiones veniret? Prouinciam suam esse hanc Galliam, sicut illam, Romanorum. Vt ipsi concedi non oporteret, si in Romanorum fines impetum faceret, sic item Romanos esse iniquos, qui in suo iure ipsum interpellarent.* Durauitque hæc Germanorum regionis ignorantia diu admodum apud Romanos; imò & semper: Nunquam enim eam totam bello vicerunt: nunquam in prouinciæ formam redegerunt, vix imò vsque ad Albim victricia signa vnquam protulerunt. Itaque in vetere Notitia Imperij non deprehendes Germaniã magnam. Quocircà verè Strabo, *Alexander*, inquit, *magnam nobis Asiæ partem aperuit, Borealia quoque Europæ vsque ad Istrum,* οἱ δὲ Ῥωμαῖοι τὰ ἑσπέρια τῆς εὐρώπης ἅπαντα μέχρις Ἄλβιος ποταμοῦ τοῦ τὴν Γερμανίαν δίχα διαιροῦντος: *Romani verò occidentalem omnem Europæ partem aperuere vsque ad Albim, qui Germaniam mediam intersecat.* Ex quibus apparet, etiam Strabonis æuo (vixit autem ille sub Augusto & Tiberio) ab Albi orientem versus incognitas adhuc Romanis fuisse plerasque Germaniæ terras, vtpote nondum a victore exercitu perlustratas: quod ipsum quoque alibi apertius profitetur, τὰ δὲ πέραν τοῦ Ἄλβιος τὰ πρὸς τῷ Ὠκεανῷ παντάπασιν ἄγνωστα ἡμῖν ἐστιν. οὔτε γὰρ τῶν προτέρων οὐδένας ἴσμεν τὸν παραπλοῦν τοῦτον ποιουμένους, πρὸς τὰ ἑωθινὰ μέρη, τὰ μέχρι τοῦ στόματος τῆς Κασπίας θαλάττης, οὐθ' οἱ Ῥωμαῖοι προῆλθον πω εἰς τὰ περαιτέρα τοῦ Ἄλβιος, ὡς δ' οὕτως οὐδὲ πεζοὶ παρωδεύκασιν οὐδένες. *Quæ vltra Albim sunt*, inquit, *obiecta Oceano, ea nobis omninò sunt incognita: neque enim eorum qui ante nos fuerunt quenquam nouimus qui Eoas partes nauigauerit vsque ad ostium maris Caspij: sed & Romani vltrà Albim nunquam progressi sunt, neque vlli similiter pedestre illud iter confecerunt.* Cœpit ergo Germania Romanis nosci sub Cæsare: quibus autem initijs atque incrementis id factum fuerit,

Cæsar Commentar. 2.

Lib.

Lib. VII.

rit, operæ est pretium cognoscere. Anno ab vrbe condita DCXCIII, C. CÆSARE & M. CALPVRNIO BIBVLO COSS. qui annus fuit quinquagesimus septimus ante natalem Domini, lege Vatinia Cæsari tres prouinciæ cum legionibus septem in quinquennium datæ sunt, Gallia Transalpina, & Cisalpina, & Illyricus. Galliam Comatam posteà Senatus adiecit. Sequente ergo anno in prouinciam profectus Cæsar, Heluetios, quibus iuncti erant Tulingi, Latobrigij, Rauraci, & Boij, ad CCC LXVIII millia hominum vtriusque sexus apud Rhodanum amnem bello magno & difficili vicit, victosque ad deditionem coëgit. Ex his quadraginta & septem millia in bello ceciderunt; cæteri in terras proprias remissi sunt: Hoc ergo rerum suarum successu animatus, quod vidisset Romanis armis nihil ibi esse inuium, partim armorum gloriæ, & imperij extendendi flugrans cupiditate, partim sociorum precibus, & Germanorum iniurijs prouocatus, statuit Germanos quacumque occasione adgredi. Diuisa autem erat tunc temporis factionibus tota Gallia; Harum alterius principatum tenebant Hedui, alterius Aruerni. Aruerni cum Sequanis partibus suis firmandis aduersisq; opprimendis Germanos mercede accersiuerant, quorum quum primò circiter millia tantum XV Rhenum transiuissent, postea siue loci illecebra, siue Germanorum dolo plures inuocati venerunt, adeo vt tunc in Gallia essent ad C & XX millium numerum. Præerat autem copijs istis Ariouistus, rex Germanorum, qui victis Hæduis ipsorum quoque Sequanorum agri partem tertiam, qui erat optimus totius Galliæ, occupauerat; & tunc de altera etiam parte tertia Sequanos decedere iusserat, propterea quod paucis mensibus ante Harudum millia viginti quatuor ad se venissent. Atque hæc quidem tunc Hedui per Diuitiacum Cæsari exposuere præsentibus Sequanis. Erant autem Hedui socij & hospites Pop. Romani, deque ijs triennio ante decreuerat Senatus, res tunc adhuc in Hispanijs gerente Cæsare, vti quicumque Galliam Prouinciam obtineret, quod commodo, Reip. facere posset, Heduos cæterosque amicos Pop. Romani defenderet. Cæsar missis ad Ariouistum legatis postulabat colloquij locum, addens, suo ipsum cõsulatu regem atque amicum a Senatu appellatum fuisse, neque irritandum temere victorem terrarum populum, cuius ipse amicitiam prior appetijsset. Quibus Ariouistus Germano ore respondit. Si quid mihi opus esset Cæsare, venirem ad ipsum; si quid ille a me velit, oportet ipse ad me veniat. Quid autem est Cæsar? & quid in mea Gallia quam ego bello vici, aut Cæsari aut omnino populo Romano negotij est? Si quid vult, veniat ad me. Quid ad illum quid agat nostra Germania? num ego me interpono Romanis? Erant apud Ariouistum Harudes, Marcomanni, Triboci, Vangiones, Nemetes, Edures, & Sueui; omnes armis apti. Hi se inuictos iactitabant, & exercitatissimos in armis, vt qui intra annos XIV tectum non subissent. Intereà nunciatur, pagos centum Sueuorum ad ripam Rheni consedisse, qui Rhenum transire conarentur, ijsque præesse Nasuam & Cimberium fratres: quibus ex rebus commotus Cæsar, maturandũ sibi existimauit, ne si noua manus Sueuorum cum veteribus copijs Ariouisti sese coniunxisset, minus facilè resisti posset. Concursum est tandem in ampla planitie, quinquaginta, vt ait Orosius, millibus passuum a Rheno. Difficilis ea Cæsari victoria ob phalangem Germanorum fuit, quam ex consuetudine, coacto in vnum agmine, scutisque supra capita elatis, testudinis instar communierant, vt se aduersus impetus gladiorum defenderent. Sed fuere Romani complures, qui in phalangas illas insilirent, & scuta in modum squamarum compacta, manibus reuellerent, & inde in iugulos gladijs descenderent. Germani in fugam versi Rhenum petiuerunt. Ibi perpauci aut viribus confisi

tranare contenderunt; aut lintribus inuentis salutem sibi petiuerunt. In his fuit Ariouistus, qui nauiculam deligatam ad ripam nactus, ea profugit; reliquos omnes equites Romanorum consecuti interfecerunt. Duæ vxores Ariouisti, vna Sueua natione, quam secum domo abduxerat; altera Norica regis Vocionis soror, quam in Gallia duxerat a fratre missam, in ea fuga periere. Duæ filiæ harum, altera occisa, altera capta est. Sequente anno Cæsar non minus difficile bellum aduersus Belgas, sed pari fortuna gessit; nam quum in exercitu hostili fuissent CCLXXII milia armatorum, inque ijs quadraginta Germanorum millia, constat ex Orosio omnes penè ad internecionem fuisse deletos. Et hæc quidem hactenus extra Germaniam. Biennio post, CN. POMPEIO II, M. CRASSO II COSS. Vsipetes Germani, & item Tenchteri, magna cum multitudine hominum flumen Rhenum transierunt non longè a mari quò Rhenus influit: seque in Galliam effuderunt. Caussa transeundi fuit, quod a Sueuis complures annos exagitati, bello premebantur, & agricultura prohibebantur. Sed Cæsar non esse ipsos in agro sociorũ ferendos ratus, bello eos adortus est, & ad internecionem vsque deleuit. Ferunt fuisse numerum ad CCCCXL milia: multi eorum gladijs interempti sunt, multos fuga contriuit; reliqui ad confluentem Mosæ & Rheni, quo se receperant, quum in flumen sese præcipitassent, ibi timore, lassitudine, & vi fluminis oppressi perierunt. Tum primum Cæsar in Germaniam facto ponte transgrediens Sicambros vltus est; Vbios qui ipsius opem implorauerant obsidione liberauit: Sueuos, maximam & ferocissimam gentem, quorum esse centum pagos & populos ferebatur, totamque Germaniam terruit. Inuitabant eum ad interiora Vbij, deterrebant Sicambri, dicentes, Populi Romani imperium Rheno finiri. Si se inuito Germanos in Galliam transire non æquum existimaret, cur sui quicquam esse imperij aut potestatis trans Rhenum postularet? Per pontem in Germaniam vt venit Cæsar, intellexit, Sicambros & Sueuos sese in solitudinem ac siluas abdidisse. Itaque omnino XVIII diebus trans Rhenum consumptis quum nullus offerretur hostis, se in Gallam recepit, pontemque rescidit. Post deuictos Britannos Cæsar, Treuiros iterum domuit: quumque intellexisset, Germanos contra se Treuiris auxilia misisse, secundo facere pontem instituit, paullum supra eum locum quo anteà exercitum traduxerat, ex aduerso Vbiorum: Ac tunc quidem maior fuit Germanorum trepidatio; quippe quum Rhenum suum sic ponte quasi iugo captum viderent. Rursus igitur se in siluas ac paludes abdiderunt: fuga dilapsi ne vincerentur. Nec multo post Sicambri qui Rheno transmisso Eburonum agros depopulabantur, sola fama aduentus Cæsaris diffugerunt. Atque ista sub Iulio, de quo merito M. Cicero, *Cæsar*, inquit, *cum acerbissimis nationibus & maximis Germanorum & Heluetiorum multis prælijs felicissimè decertauit; cæteras gentes contriuit; compulit, domuit, imperio populi Romani parere adsuefecit; & quas regiones quasq; gentes nullæ nobis ante litteræ, nulla vox, nulla fama notas fecerat, has noster Imperator nosterque exercitus & Pop. Romani arma perdomuerunt.* Ex eo igitur semper Germani in militiam Romanam adscripti sunt: adeo vt Commentario septimo de bello Gallico scribat Cæsar se in prælio aduersus Vercingetorigem laborantibus suis Germanos equites circiter CCCC submisisse, quos ab initio habere secum instituerat: quod quidem ita interpretatur Orosius, vt intelligat Germanos iamdudum amicos, tunc etiam in auxilium adscitos fuisse. Ipse quoque in bello ciuili Germanis militibus leuis armaturæ quos sub suis signis habebat, feliciter se vsum fatetur. Et in campis Philippicis refert Florus Germanorum cohortes tantum in effusos Pompeij equites fecisse impetum, vt illi esse pedites, hi venire

Lib VI. Cap. 7.

De Prouin. Consular.

Lib VI. Cap. 11. Comm. 1.

Lib. IV. Cap. 2.

venire in equis viderentur; quam quidem impressionem primum fuga, mox strages Pompeianorum sequuta est. Lucanus etiam in exercitu Cæsaris Batauos recenset, eosque adnatam sibi ferociam tubis quoque exacuisse docet, quum scribit, Lib. I.

Vangiones, Batauique truces, quos ære recuruo
Stridentes acuere tubæ.

Germanorum quoque militum in bello Alexandrino opera lego vsum Cæsarem, & Scipionem posteà in bello Africano. Sed hos ego mercenarios fuisse ac sponte sua in militiam dilapsos reor, neque præter Vbios gentem vllam Germanam Romanis addictam tunc temporis fuisse. Batauos certe constat nunquam a Romanis bello victos, amicitiæ tantum specie socia semper arma iunxisse.

CAP. III.

Breuiarium rerum a Romanis in GERMANIA *gestarum sub Augusto; ex Dione, Floro, Tacito, Velleio.*

POst excessum Iulij imperium totius orbis terrarum animo suo meditans Augustus, Prouincias sibi decerni petijt in decennium, Hispaniam, Galliamque, cum populis confinibus, ac nominatim Germaniæ parte Cisrhenana. Ab his enim in Transrhenanos ire decreuerat, sicut transmisso Danubio parabat ex ea quoq; parte vexare Germaniam: hosce enim duos aditus habebat tantùm, cæteris vijs omnibus Oceano & vastis montibus obseptis. Principio autē missus est in ipsos transmisso Rheno amne paullo ante Ianum clausum M. Vinicius, eo iuris prætextu, quod ipsi Romanos quosdam in ipsorum regionem commercij gratia ingressos, obtruncassent. Post illum M. Vipsanius Agrippa quod Gallos Germani infestassent: qui etim eo tempore tantum in Germania lustranda adhibuisse videtur diligentiæ, vt eam totam dimensus sit. Ipse quoque Augustus profectus est in Sicambros, Vsipetes, Tenchteros, quod Romanos quosdam in suo solo deprehensos incertum qua de caussa, in crucem egissent, Rhenoque transmisso in Gallia prædas egissent: neque erat id ipsi difficile, quum iam Vbios Romani Rhenum transgressos in suam fidem recepissent. Fertur quoque L. Domitius Neronis Imperatoris auus circà hæc tempore Germaniam infestasse, atque Albim exercitu transcendisse, longius penetrata Germania quam quisquam priorum, qui eas quoque ob res insignia triumphi adeptus est. Eundem quoque refert Tacitus pontes longos in Bructeris & Cheruscis inter vastas paludes excitasse, quibus exercitus iter posset facere, cæteris locis limo, & graui cœno, ac profunda vligine inaccessis. Eodem quoque temporis tractu Batauī in populi Romani non societatem tantum, sed etiam fraternitatem admissi, parsque, vt ait Tacitus, imperij facti sunt. Sicambri etiam in deditionem accepti. Sueui pace obstricti cum rege Maroboduo. Sed Batauis hoc singulariter indultum, vt exempti oneribus & collationibus nec tributis contunderentur, nec publicanis atterrerentur, sed in vsum prælio-rum sepositi, velut tela atque arma bellis seruarentur, neque a Romanis, sed a nobilissimo popularium in eam rem delecto regerentur. Itaque ex eo Imperatores quoties milite opus erat, facto protinus per insulam delectu optimū quemque ac robustissimum conquirebant, eumque in castra euocabant, & vel legionibus adscribebant, vel ad corporis sui custodiam adhibebant. Cæterum Batauorum maxima laus fuit equestris, quam illi sub Iulio partam

perpetua postea fidei virtutisque continuatione etiam auxere. Sed superandis Germanis nihil iudicauit Augustus accommodatius, quam si ipsorum quasdam gentes in societatem pelliceret, easque in ripâ Gallica collocaret, horum namque opera sperabat reliquam Germaniam posse superari. Itaque Suetonius bella ab Augusto facta enumerans, *Suevos, & Sicambros se dedentes*, ait *in Galliam ab ipso fuisse traductos.* Parum tamen promouit. Iam enim Germani Romanos nosse minusque timere cœperant; tanto maiore illorum virtute, quanto honestius est, sua armis tueri, quam aliena appetere: Accessit & alia caussa; quod quos Romani vel armis vicerant, vel blanditijs in suam societatem fidemque pellexerant, eos non ferendis exactionibus grauarent, aut ad suam libidinem cogerent. Oppositerunt igitur se ipsis Germani, quoque molestius pressi sunt, eo acrius libertati suæ institerunt, adeò quidem animosè, vt de vincenda Germania non Augustus tantum, sed posteriores quoque Imperatores sæpenumero desperarint, plusque splendoris habuerit in ipsorum titulis nomen GERMANICI, quam veræ & solidæ laudis: nunquam enim Germania omnis a Romanis victa est: & vt prœlijs forte aliquot Germani interdum succubuerint, bello tamen toto semper victores fuerunt. Notauit id Tacitus libello de moribus Germanorum: *Sexcentesimum*, inquit, *& quadragesimum annum vrbs nostra agebat, quum primùm Cimbrorum audita sunt arma, Cæcilio Metello & Papirio Carbone Coss. Ex quo si ad alterum Imperatoris Trajani consulatum computemus, ducenti fermè & decem anni colliguntur.* Postea addit, *Tamdiu Germania vincitur. Medio tam longi aui spacio multa inuicem damna. Non Samnis, non Pœni, non Hispaniæ Galliæue, non Parthi quidem sæpius admonuere. Quippe regno Arsacis acrior Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis quam cædem Crassi amisso & ipso Pacoro infra Ventidium deiectus Oriens obiecerit? At Germani Carbone, & Cassio, & Scauro Aurelio, & Seruilio Cepione, M. quoque Manlio fusis vel captis, quinque simul consulareis exercitus populo Romano, Varum, tresque cum eo legiones etiam Cæsari abstulerunt: nec impune C. Marius in Italia, diuus Iulius in Gallia, Drusus, ac Nero, & Germanicus in suis eos sedibus perculerunt. Mox ingentes C. Cæsaris minæ in ludibrium versæ. Inde otium: donec occasione discordiæ nostræ & ciuilium armorum, expugnatis legionum hibernis, etiam Gallias adfectauere; ac rursus pulsi inde, proximis temporibus triumphati magis quam victi sunt.* Neque veriora hæc tunc fuere quam posteà. Nunquam enim non aduersus Romanorum arma studio libertatis inuicti fuerunt Germani; Sed nos ad Augustum redeamus, cui nescio an glorioſum fuerit Germanos bello petere, gentemque Martiam sibi velle subijcere. *Germaniam*, inquit Florus, *vtinam Augustus vincere tanti non putasset! magis enim turpiter amissa est, quam gloriosè acquisita: Sed quia sciebat, patrem suum Cæsarem bis traiecto ponte Rheno quæsisse bellum, in illius honorem concupiit facere prouinciam. Et factum erat, si barbari tam vitia nostra quam imperia ferre potuissent.* Mirifica sanè confessio. Quid enim opus erat Germanis vitia exterorum ferre, quum liberis ipsis viuere liceret? quid opus erat generosam animi simplicitatē cum fraudibus Transalpinæ gentis commutare? An idcircò vinci optandum erat, vt etiam fierent vitiosiores? Quantum autem quamque pertinax studium Augusto fuerit vincendi Germanos, ex eo cognosci potest, quod senex, fessa iam ætate toties ipse in Germaniam ab vrbe profectus sit; quod Tiberium nouies eodem miserit, quemadmodum id ipse Tiberius in epistola quadam ad Germanicum scribit: quodque Septentrionalem Oceanū iusserit nauigari, *classe Germaniam*, vt ait Plinius, *circumuecta, ad Cimbrorum vsque promontorium, & inde immenso mari prospecto aut fama cognito, ad Scythicam vsque plagam, & maria frigore nimio rigentia*; quæ res vt imma-

Cap. xxii.

Lib. IV. Cap. 12

Lib. II. Cap. 67.

immanis periculi, ita excelsi animi fuit : debuere enim naues, quas ego non alibi quam in Batauia exstructas puto, egressæ Rheno Frisiorum omne & Chaucorum littus vsque ad Albim præternauigare, inde Septentrionem petentes, Cimbrorum promontorium Scandinauiamque post se rrlinquere, & Cronio mari ferri sub altitudine minimum graduum LXXV, posteà orientem petere & Scytharum littora perpetua glacie inaccessa; hisque omnibus ita peractis eo vnde digressæ fuerant, reuerti, ad quam rem & tempore, & commeatu, & naucleris idoneis, & animosis vectoribus, in ea nauigandi quæ tum erat imperiria opus fuit. Videtur quoque frequentibus suorum cladibus Augustus non tantum non absterritus ab hoc proposito fuisse, sed etiam irritatus magis, adeò vt exhausta tot cladibus Italia, etiam *seruos viris feminisque pecuniosioribus*, teste Suetonio, *indictos ad tutelam Rheni conquisierit, eosque sine mora manumissos sub vexillis habuerit, diuerso ab ingenuis modo armatos.* Ipso vero in Gallia res gerente missus est in Germaniam Drusus; qui primus fertur domuisse Vsipetes, inde Tenchteros percurrisse & Cattos: quum ante ad Danubium Rhætos idem & Vindelicos & Noricos debellasset, quam quidem victoriam carmine suo ita Horatius celebrauit,

Cap. 25.

Lib. IV. Ode 4.

Videre Rhæti bella sub Alpibus
Drusum gerentem, & Vindelici, quibus
Mos vnde deductus per omne
Tempus Amazonia securi
Dextras obarment, quærere distuli.

Et alibi ad Augustum de Druso & Tiberio Neronibus.

Lib. IV. Ode 14.

Vindelici didicere nuper
Quid Marte posses: milite nam tuo
Drusus Genaunos, implacidum genus
Brennosque veloceis ad arma
Alpibus impositos tremendis
Deiecit acer plus vice simplici.
Maior Neronum mox graue prælium
Commisit, immanesque Rhætos
Auspicijs pepulit secundis.

Sed quæ de Vsipetibus Tenchterisque & Cattis dixi, ea distinctè ita describit Dio libro LIV. *Drusus*, inquit, *Germanis intentus qui Rhenum transmiserant, eos repulit, atque ipse postea in Vsipetarum regionem iuxta insulam Batauorum, & deinde in Sicambrorum terram progressus, magnam agri partem vastauit. Inde secundo Rheno in Oceanum deuectus, Frisios subegit, ac per paludem in Chaucorum fines profectus in discrimen venit, nauibus ob maris defluxum in sicco destitutis. tamen Frisiorum opera, qui pedestri militia se ei iunxerant superato discrimine, inde digressus, iam enim hyems appetebat, Romam peruenit. Sequenti anno Q. Ælio Tuberone, Paulo Fabio Maximo Consulibus, initio veris rursum in bellum profectus Rhenum traiecit, Vsipetes subiugauit, Lupiæque fluminis ripis ponte iunctis, in Sicambros irrupit, perque eos in Cheruscorum regionem vsque ad Visurgim processit. Visurgim etiam ipsum transiturus, ni eum inopia alimentorum, ac hyemis propinquitas, præterea etiam examen apum in castris visum deterruisset.* Ob quæ honores ei triumphales decreti sunt, permissumque, vt ouans vrbem inueheretur, ac peracta ea quam tunc agebat Prætura, proconsulari imperio in Germania esset. Memorabile est id quod refert Florus, Cheruscos & Sicambros, quibus ille Sueuos coniungit, viginti centurionibus crematis hoc veluti auctoramento sumpsisse bellum; adeo quidé certa victoriæ spe, vt prædam in anteceſſum pactione diuiderent. Cheruſci quippe equos, Sueui aurum & argentum, Sicambri captiuos elegerant. Sed longè res secus euenit, quam ipsi sibi fuerant

fuerant pollitici. Victor namque Druſus, equos, pecora, torques eorum, ipſoſque etiam præda diuiſit & vendidit; ac præterea in tutelam locorum præſidia atque cuſtodes vbique diſpoſuit, per Moſam flumen, per Albim, perque Viſurgim, vbi & trophæa fixit, loco quem Ptolemæus Tabula quarta Europæ vocat ΤΡΟΠΑΙΑ ΔΡΟΥΣΟΥ. Ac per Rheni quidem ripam quinquaginta amplius caſtella direxit, vſque ad Oceanum, quæ ego *Burgos* vocata fuiſſe a Belgis crediderim, & creuiſſe paullatim ædificiorum hominumque frequentia, atque in magnum etiam populum coaluiſſe, qui poſteà nomen acceperit Burgundionum. Hunc populum conſtat ex eo auctum potentia cum vicinis etiam gentibus bella geſſiſſe, vtilemque fuiſſe Imperatori Valentiniano, quod ſe Romanorum progeniem eſſe iactarent. Talia ego caſtella fuiſſe ſuſpicor, Roombugi, Rhenoburgi, Valkoburgi, Voorburgi, Lugduni & in oſtio Fleuo ipſum illud caſtellũ Fleuum de quo in Tiberio fiet mentio. Neque aliam originem putat Lipſius eſſe tot inſignium vrbium quibus Rheni ripa ornata eſt. Caſtella autem iſta pacatis rebus in horreorum vſum poſteà ceſſiſſe, teſtatur Auſonius in Moſella,

Latius Arctoi præconia perſequar amnis,
Addam vrbes, tacite quas ſubterlaberis alueo,
Mœniaque antiquis te proſpectantia muris,
Addam præſidijs dubiarum condita rerum,
Sed modo ſecuris non caſtra, ſed horrea Belgis.
Addam felices ripa ex vtraque colonos.

Fecit quoque Druſus foſſam admittendo in Salam Rheno, qui duobus a Sala miliaribus rectò curſu Batauiam inter Germaniãq; voluitur: Hæc ab ipſo vocata eſt FOSSA DRVSIANA. Molem præterea, qua Rhenum prono alueo in Galliam ruentem circa principiũ agri Batui coëgit in oram Germanię ferri, vt ita maior aquę vis foſſæ illi Druſianæ incumberet, profundiorq; fluminis inter Batauiã & Germaniã alueus munimentò eſſet Romanis in Gallica ripa aut Batauorũ inſula agentibus. Sed molẽ iſtam poſtea rerum potiente Veſpaſiano diſiecit Ciuilis, effecitque vt amnis vetere curſu ſeruato ſeſe iterum in Galliam effunderet Vahalimque aquis augeret. Sic ergo veluti abacto Rheno Batauiam omnem adſeruit Germaniæ, viſuſque eſt inſulam inter & Germaniam tractus omnis continentis habere ſpeciem, qui Druſi opera diſiunctus a Germania, Galliæ factus fuerat penè conterminus. Sed præter alias commoditates conſilium ego Druſo fuiſſe puto, ex Vbijs quæ ſedes belli erat, militem, ſi quãdo id vſus exigeret, per Vahalim nauibus in Oceanum tutò deducere: Nam quum videret nõ poſſe Chaucos & Cheruſcos, terra, ob ſiluas & paludes inuias ſuperari, ſtatuit eos a tergo petere. Dextero autem Rheni alueo ferri illuc naues non poterant; quod & minor is eſſet, & Germanis nondum domitis vicinior, a quibus periculum ipſi erat. Ducta autem ea quam dixi, foſſa, id conſequutus eſt, vt nouo alueo naues per paludes ferri poſſent in Oceanum: Iniecta vero ſub initium agri Batui mole ea qua Rhenum a Gallica ripa abegit, hoc effecit amplius, vt Vahali vectæ naues inter ſocias gentes Batauorum, ſine vllo periculo in Oceanum agi poſſent. Caſtellum quoque idem contra Barbaros ad Lupiæ & Aliſonis confluenteis, aliudque in Cattis ad ipſum Rhenum exſtruxit. Inuium præterea & inacceſſum in id tempus Hercynium ſaltum patefecit. Atque hæc omnia Druſus: cuius tantus Germanos terror inuaſit, vt matres liberos ſuos ſolo illiderent, mallentque ipſos vita quam libertate priuari. Perrupit ergo Druſus vſque ad interiora Germaniæ, & Viſurgim tranſgreſſus omnia populando ad Albim vſque perrexit. Cur autẽ Albim non tranſmiſerit, putat Strabo, qui illis temporibus vixit, in cauſſa fuiſſe Auguſtum: qui exercitus incolumitatem

mitatem famæ postponens maluit cis Albim tutò rem gerere, quam traiecto amni famam ex periculo quærere.

Lib. VII. Καὶ πλείω δὲ γνώσεσθαι ὑπῆρξεν, εἰ ἐπέτρεπε τοῖς στρατηγοῖς ὁ σεβαστὸς διαβαίνειν τὸν Ἄλβιν, μετιόντας ἐκεῖσε ἐπανισάμενος. νυνὶ δ' εὐπορώτερον ὑπέλαβε στρατηγεῖν τὸν ἐν χερσὶ πόλεμον, εἰ τῶν ἔξω τὸ Ἄλβι καθ' ἡσυχίαν ὄντων ἀπέχοιτο, καὶ μὴ παροξύνοιτο πρὸς τὴν κοινωνίαν τῆς ἔχθρας. Sequuta est Drusi in Cattos expeditio, qui desertis suis sedibus, in Sicambrorum, forte etiam Batauorum agrum sese effuderant. Postremum idem anno ab V C. DCCXLV, se & T. Quintio Crispino Consulibus Cattorum fines ingressus, obuia quæque sternendo vsque in Sueuos peruenit: atque inde in Cheruscos conuerso itinere Visurgim iterum est transgressus. Cæterum ipsi illic agenti, multaque meditanti, ac de transmittendo flumine cogitanti, fertur se obtulisse conspiciendam mulier qnædam supra humanam formam excelsa, vetans, ne vlterius imperij cupiditate progrederetur, quod iam & operum & vitæ ipsi terminus instaret. Perculsum ostento Drusum aiunt dum parat abitum prius extinctum esse, idque ex fractura, equo super crus eius collapso, trigesimo die quum id acciderat, quam ad Rhenum peruenisset. Strabo eum obijsse scribit inter Salam & Rhenum.

Epitome Liuij.

Lib. VII. ἐστι inquit καὶ Σάλας ποταμὸς, ὃς μεταξὺ καὶ τοῦ Ῥήνου πολεμιῶν Δρούσου ὁ Γερμανικὸς, ἐτελεύτησεν. Mortuo Romæ inter honores delatum est, vt GERMANICVS diceretur; quem titulum postea Imperatores cæteri insanis votis periculisque petiuerunt. Ab hoc ergo moles eius belli translata est in Tiberium Neronem, qui peragratis Germaniæ partibus a Druso victis, etsi vix aliud quicquam præclare gesserit, quam quod Sicambros in Galliam traiecit, neque eos in Germania diutius stabulari permisit, tamen a Velleio Paterculo, impensius ipsius laudibus fauente, dicitur *sic totam perdomuisse Germaniam, vt in formam panè stipendiariæ redegerit prouincia.* Hic ergo S. Ælio Cato & C. Sentio Coss. qui annus fuit quartus a natiuitate Domini, adoptatus ab Augusto, protinus missus est in Germaniam. Refert autem is quem dixi Paterculus, qui per annos nouem continuos præfectus sub Tiberio operum fuit, aut legatus, subactos ab eo Caninefates, Attuarios, Bructeros; receptos Cheruscos, transitum Visurgim, ac penetrata etiam vlteriora. Addit quoque supra fidem ista; *Perlustrata armis tota Germania est: Victæ gentes panè nominibus incognitæ. Receptæ Chaucorum nationes. Omnis eorum iuuentus, infinita numero, immensa corporibus, situ locorum tutissima, traditis armis, vnà cum ducibus suis septa fulgenti armatoque militum nostrorum agmine ante Imperatoris procubuit tribunal. Fracti Longobardi, gens etiam Germana feritate ferocior, quod nunquam anteà spe conceptum, nedum opere tentatum erat, ad quadringentesimum milliarium a Rheno vsque ad flumen Albim, qui Senonum Hermundurorumque fines præterfluit, Romanus cum signis perductus exercitus, & eodem classis quæ Oceani circumnauigauerat sinus ab inaudito atque incognito ante mari, flumine Albi subuecta, cum abundantissima rerum omnium copia exercitui Cæsaris se iunxit.* Quibus ista protinus subijcit. *Nihil erat iam in Germania quod vinci posset præter gentem Marcomannorum, quæ Maroboduo duce exita sedibus suis atque in interiora refugiens, cinctos Hercynia silua saltus incolebat. Is exercitum, quem* LXX *millium peditum, quatuor equitum fecerat, assiduis aduersus finitimos bellis exercendo, maiori quam quod habebat, operi præparabat. Eratque etiam eo timendus, quod quum Germaniam ad lauam & in fronte, Pannoniam ad dexteram, a tergo sedium suarum haberet Noricos, tanquam in omnes semper venturus, ab omnibus timebatur. Hunc ergo virum, & hanc regionem adgredi quum statuisset, Sentio Saturnino,*

Lib. II.

nino, qui aliàs legatus patris eius fuerat in Germania, mandauit, vt per Cattos, excisis continentibus Hercyniæ siluis, legiones Boiohæmum, id regioni (inquit) *quam incolebat Maroboduus nomen est, duceret, ipse a Carnunto, qui locus Norici regni proximus ab Italiæ parte erat, exercitum qui in Illyrico merebat, ducere in Marcomannos orsus est; quum subita defectione Pannoniorum & Dalmatarum reuocatus, quum non videretur vacua tam vicino hosti Italia relinquenda, prætulit necessaria gloriosis.* Sed dum ille Pannonas & Dalmatas subigit, concitati ab Arminio Cherusci rebellant. Relictus enim in Germania Quinctilius Varus Consul libidine sua, superbia, exactionibus, & sæuitia, commouit gentem fidelem quidem æquis rectoribus, sed iugi seruilis, imprimis sub exteris, impatientissimam. Solemne autem hoc fuit Romanis, vt quos in societatem amicitiamque pertraxerant, eos non ferendis hominibus liberis exactionibus, superbis imperijs, atque immani crudelitate per suos procuratores paterentur grauari: quæ res tot tamque variarum defectionum causa fuit in Germania. Præfuerat Varus ante Syriæ, eamque pauper diuitem ingressus, diues pauperem reliquerat. Ausus ergo conuentus agere, pecunias a Germanis, tanquam bello subactis deuictisque populis exigebat, immani ferocia, tanta verò securitate, vt in foro Prætorem vrbanum agere, non in Germaniæ finibus exercitui præsse, & populum iniuriarum minimè oblitum conciliare sibi humanitate velle videretur. Eum ergo ita agentem ad interiora Germaniæ in Cheruscorum vsq; fines ad Visurgim pertraxit Arminius Sigimeri principis eius gentis filius, qui superioribus bellis Tiberium in militia comitatus fuerat, & iampridem ciuitatis Romanæ iure & equestris dignitatis gradu ornatus, dux ipse fuerat popularium suorum. Pertraxit autem ea specie, vt qui gemitus & querelas oppressorum varijs exactionibus Germanorum lictoris virgis & præconis voce esset inhibiturus. At illi, qui iampridem rubigine oblitos enses gestabant, & inertes trahebant equos, vt primum togas, & sæuiora ipsis etiam armis iura viderunt, duce Arminio arma corripiunt. Tanta interim Varo pacis erat fiducia, vt ne prædicta quidem & prodita per Segestem coniuratione moueretur. Itaque improuidum & nihil tale metuentem eximprouiso adorti, quum ille potentissimum quemque Germanorum ad tribunal citaret, vndique inuadunt, castra rapiunt, tres legiones totidemque alas & sex cohortes siluarum & noctis vsi opportunitate opprimunt circà saltũ Teutoburgensem, qui est in finibus Bructerorum: Varus perditas res eodem quo Cannensem diem Paulus & fato & animo sequutus est, ac proximos quosque ad mortem exemplo suo inuitans, sibi ipsi manus intulit, paterni, vt ait Velleius, auitique exempli successor, tutius ratus sua quam hostili manu perire. Nihil ea cæde per siluas montesque & paludes cruentius, neque enim post Crassi in Parthis damnum vlla in externis gentibus calamitas Romanis accidit funestior. L. Asprenatis, qui legatus sub auunculo suo Varo militabat, consilio atque opera, seruatos multos narrat Dio Cassius: quibus ille maturè ad inferiora hiberna deductis, simul copias perituras seruauit, & vacillantium etiam cis Rhenum gentium animos confirmauit. Victores iniuriarum efferati memoria, alijs oculos effoderunt, alijs manus amputarunt. Fuit qui capite militi abscisso linguam quoque extraxit, eamque dextra tenens, *Tandem*, inquit, *vipera, sibilare desiste.* Ipsius quoque Consulis corpus quod militum pietas festinante officio humi abdiderat, effossum est atque dissectum, delusum quoque a filio Segimeri. Caput abscissum, atumque ad Maroboduum, a quo ad Cæsarem missum est. Signa & aquilæ duæ in Germanorum venerunt potestatem; tertiam signifer hastili reuulsam abditamque intra balthei sui latebras, seruauit. Clades ista Variana vsque adeo Romanis grauis fuit,

fuit, vt cum Cannensi possit conferri; Obseruatumque est, post quadragesimum etiam annum milites quosdam seruitio exemptos ad suos tandem redijsse sub Claudio. Augustum sane tantopere eius fama consternatum ferunt, vt & Germanos Batauosque corporis sui custodes protinus dimiserit, & per continuos menses barba capilloque submisso, caput interdum foribus illideret, vociferans, *Quinctili Vare, redde legiones*, diemque cladis quotannis mœstum habuerit ac lugubrem. Moderando tamen dolori hoc fuit, quod eodem tempore Tiberius ad Danubium vsque a sinu maris Hadriatici, Pannoniam, Noricum, Illyricum, Thraciamque perdomuit. Atque Sueuorum & Sicambrorum cccc millia ex Germania transtulit, & supra ripam Rheni in Gallia collocauit. Atque hæc quidem Augustus spatio annorum quinquaginta sex, tamdiu enim imperauit. Ex quibus apparet, quam irritus fuerit Romanorum in vincendis perdomandisque Germanis labor. Offendo in Fastis Capitolinis de triumpho Tiberij verba ista, TI. CLAVDIVS TI. F. NERO COS. II. ANN. DCCXLVII, EX GERMANIA K. IAN. qui fuit annus quinctus ante natum Christum.

CAP. IV.

Continuatio rerum in GERMANIA *sub Tiberio gestarum, ex Dione, Tacito, Tranquillo.*

POst obitum Augusti, Cæsar Germanicus Drusi filius, sed adoptatus Augusti jussu a TIBERIO res in Germania gessit, quum ante viuo Augusto octo apud Rhenum legionibus fuisset impositus. Porrò legiones quas Augustus Rhenum juxta, commune in Gallos, Germanosque subsidium collocauerat, & quibus hactenus Tiberius & Drusus fœlicitet vsi fuerant, sunt istæ. *Prima*, cuius sedes initio ad opidum Vbiorum, quod posteà Colonia Agrippinensis; sub Vitellio verò Bonnæ. *Secunda. Quincta*, cuius hiberna ad Vetera. *Tertiadecima, Quartadecima, Sextadecima, Vndeuicesima, & Vicesima.* Harum legionum exercitus alij in inferiore Germania excubabant, primani scilicet, quintani, vicesimani, & vndeuicesimani, reliqui verò in superiore, dicebanturque idcirco exercitus superior & inferior; ac modo tumultuando malâ, modo obsequendo fortiterque pugnando bonam atque vtilem Reip. Romanæ operam præstabant. Fuere quidem insuper & Hispanicæ legiones tres, & Africanæ duæ, & Ægyptiæ totidem, & Syræ quatuor, & Pannonicæ duæ, & Mœsicæ duæ, & Dalmaticæ duæ, præter vrbanas cohortes tres, & Prætorias novem, sed nos istas potissimùm commemorauimus, quia illarum in bellis Germanicis præcipuus vsus fuit: quæ siquando non sufficerent, euocabantur ex Hispania, Italia, Britannia, Pannoniâ subsidia aliarum legionum. Erant etiam præter ordinarios istos legionum exercitus, auxilia Nemetum, Vangionumque, & cohortes ex aliis nationibus. Alæ quoque Caninefatum, & Batauorum. Cæterum Germanorum militum singularis semper fuit in Principes suos fides, adeo ut etiam corporum ipsorum custodiæ adhiberentur: In pugnis quoque eximia fuit illorum promptitudo, in natando vero tanta dexteritas, vt rapidissima flumina facilè in armis tranarent, quam artem etiam in vorticibus superandis magno suo malo interdum ostentarunt. Sed nos ad Tiberium reuertamur. Germanico igitur censum in Gallia agenti, simul adfertur, excesisse Augustum, & tumultuari ad ripam Rheni legiones exercitus inferioris; quibus ægrè compositis, iuncto ponte tramittit duodecim millia e legioni-

Tacit. XII. Annal.

gionibus, sex & viginti socias cohortes, octo equitum alas, quarum ea seditione intemerata fuerat modestia. Læti, neque procul Germani agitabant, dum iustitio, ob amissum Augustum, post discordiis Romani attinentur. Germanicus agmine propero siluam Cæsiam limitemque a Tiberio captum superat; castra in limite locat: inde saltus obscuros permeat, consultatque ex duobus itineribus, breuene & solitum sequatur, an impeditius & intentatum, eoque hostibus incautum. Delecta longiore via cætera accelerantur. Incedentes via per siluas aperta, iuuit nox sideribus illustris. Ventumque ad vicos Marsorum, quibus Germani strati per cubilia propter mensas jacebant, nullo metu, non antepositis vigilijs. Cæsar auidas legiones in quatuor cuneos dispertit, quinquaginta millium spatium ferro flammisque peruastat, non sexus, non ætas miserationem attulit. Templum Tanfanæ celeberrimum illis gentibus solo æquat. Exciuit ea cædes Bructeros, Tubantes, Vsipetes, qui manu facta saltus eos per quos exercitui regressus erat, insedere. Sed perrupere Romani, inque hiberna superatis periculis concessere. Sequenti anno Druso Cæsare, C. Norbano Coss. decernitur Germanico triumphus, manente bello. Accendit impetum rumor dissidentis dudum ab Arminio Segestis, partim ambitione publica, partim priuatas ob caussas, quod Arminius filiam eius alteri pactam rapuisset. Hic ille Segestes est, qui coniurationem Varo imminentem mature prodidit, spretusque mansit apud suos, licet faueret animo Romanis. Igitur Germanicus quatuor legiones, quinque auxiliariorum millia, & tumultuarias cateruas Germanorum cis Rhenum colentium Cæcinæ tradit; totidem ipse legiones, duplicem sociorum numerum ducit, positoque castello super vestigia paterni præsidij in monte Tauno, expeditum exercitum in Cattos rapit, L. Apronio ad munitiones viarum & fluminum relicto. Cattis Cæsar adeo improuisus aduenit, vt quod imbecillum ætate ac sexu, statim captum aut trucidatum sit; Iuuentus flumen Adranam nando transmisit, quæ Romanos pontem cœptantes arcens, dein tormentis sagittisque pulsa, omissis pagis vicisque in siluas dispersa est. Cæsar incenso Mattio, aperta populatus, vertit ad Rhenum; frustra nitentibus Cheruscis iuuare Cattos; nam exterruit eos Cæcina, huc illuc ferens arma; qui idem quoque Marsos cõgredi ausos prospero prœlio cohibuit. Nec multo post legati a Segeste venerunt, auxilium postulantes aduersus Arminium, qui ipsum circumsederat, adiutus vi populariũ bellum paci præferentium. Addiderat Segestes legatis filiũ nomine Segimundum, qui Romanos sequutus, tempore cladis Varianæ sacerdos apud aram Vbiorum creatus, ruperat vittas, profugusq; ad suos, ductor factus fuerat Cheruscorum. Germanicus Segimundo in Gallicã ripam misso conuertit agmen, & in obsidentes pugnauit. Ereptus est Segestes magna cum propinquorum & clientiũ manu. Inerãt & fœminæ nobiles, inter quas vxor Arminij, eademq; filia Segestis, compressis intra sinum manibus grauidũ vterũ intuens. Post reductũ exercitum, auctus est Germanicus a Tiberio nomine Imperatoris. Arminij vxor, virilis sexus stirpẽ edidit; cui nomen datũ Tumelico. Puer educatus est Rauennæ, ac post triennium in triumphũ ductus; ordine quem sic Strabo describit. *In triumpho*, inquit Germanici iunioris, *ducta sunt illustrium virorũ capita simul & fœminarum. Semiguntus Segestis filius Cheruscorum ductor, & soror eius, vxor Arminij, cuius caussa in Cheruscis conflatum bellum fuit: ei nomen est Thusnelda. Cum ipsa erat filius trimulus Tumelicus nomine: item Sesithacus Segimeri filius, Cheruscorum ductoris, eiusque vxor Ramis, Vcromiri filia, Batauorum Principis, Deudorixque Bætoriis Melonis fratris Sicambri filius. Segestes quoque socer Arminij ab eo dissentiens: Libys quoque Cattorum sacerdos, aliique.* Ex quibus, si conferan- *Lib. VII.*

feranatur ea quæ alibi ex Velleio & Tacito diximus, haud fuerit difficile ſtemma colligere Arminij.



Cæterum Arminius tot malis amens cõcitare Cheruſcos, ac conterminas quoque gentes in Segeſtem & Cæſarem accendere: Tractus etiam in partes Inguiomerus, haud ſatis in Arminium æquus. Cæſar diſtrahendo hoſti Cæcinam cum quadraginta cohortibus Romanis per Bructeros ad flumen Amiſiam mittit: Equitem Pedo præfectus finibus Friſiorum inducit: Ipſe impoſitas nauibus, incertum an in Rheno ipſo aut eius oſtiis exſtructis, an vero e Gallia aut Britannia in Batauiam, ob faciles appulſus ei rei opportunam adactis, quatuor legiones per lacus vexit, læuo, neque dubium, Rheni alueo, qui Vahalis vocatur: ſimulque pedes, eques, claſſis apud prædictum amnem conuenere. Chauci quum auxilia pollicerentur, in commilitium adſciti ſunt. Bructeros ſua vrentes fudit L. Stertinius, quantumque Amiſiam & Lupiam amnes inter, vaſtatum, haud procul Teutoburgenſi ſaltu, in quo reliquiæ Vari, legionumque inſepultæ jacebant. His ſexto poſt cladem anno ritè conditis, tendit in Arminium, qui ipſum ſiluarum & paludium Romanis ignotarum opportunitate vſus eo adegit, vt reducto ad Amiſiã exercitu, legiones claſſe, vti aduenerãt, coactus fuerit reportare. Pedo cum parte equitum littore Oceani Rhenum petere juſſus eſt: Cæcina cum cohortibus ſuis difficili itinere per rùptos vetuſtate pontes longos, limoſamque & tenacem cæno viam, fœdaque vligine profundam, vix tandem magno cum diſcrimine ob intercurſantem Arminium eluctatus, in caſtra peruenit. Tantum autem cohortium fuit periculum, vt fama circumuenti ab Arminio exercitus jamque infeſto agmine Gallias petentis ipſa quoque Romanorum apud Vbios caſtra abſente Germanico Cæſare conturbarit: ac ni Agrippina impoſitum Rheno pontem ſolui prohibuiſſet, fuerint, qui id flagitium formidine auderent. Germanicus, legionum quas nauibus vexerat ſecundam & quartam decimam terreſtri

Forte ad Nanalia.

itinere P. Vitellio ducendas tradit: quò leuior classis vel vadoso mari innaret, vel reciproco sideret, qui ægrè admodum superato littore, ad Rhenum, quo Cæsar classe contenderat, peruenit. Vbi impositæ classibus legiones reductæ sunt in castra haud minus miserabiles, quã si eas hostis fugasset. Cæsar supplero ex Gallia, Hispania, & Italia exercitus damno, celerandæ victoriæ intentus, iterum in Cherucos classem parat; sed alio, ob pericula Oceani, itinere: Naues igitur mille exstructæ angusta puppi proraque, & lato vtero, quo facilius fluctus tolerarent: quædam planæ carinis, vt sine noxa siderent, plures appositis vtrimque gubernaculis, vt hinc vel illinc adpellerent: multæ pontibus stratæ, super quæ tormenta veherentur; simul aptæ ferendis equis, aut commeatui: Hæ varijs locis exstructæ, ad insulam Batauorum conuenire iussæ sunt. Interea Cæsar sex legiones in Cattos ducit, soluturus obsidione castellum Lupiæ flumini adpositum: sed obsessoribus ad famam aduentus eius dilapsis, aliud nihil ipse fecit memorabile, quam quod cuncta inter castellum, Alisonem, & Rhenum nouis limitibus aggeribusque permuniuerit. Vbi aduenit, statim distributis in legiones ac socios nauibus, fossam Drusianam primus post patrem, cum classe ingressus, secundo amni in lacus, tum in Oceanum vsque ad Amisiam flumen peruenit: Expositus est miles ea in ripa, quæ proximè Visurgim spectabat. Angriuarij, quod defeciissent, misso Stertinio, perfidiæ pœnas dedere. Flauius in castris Romanorum agens Arminium fratrem ad defectionem frustra sollicitat. Ipsæ quoque Germanorum acies trans Visurgim sese postridie ostentantes, prolectant Romanos ad pugnam, in qua Carioualda dux Batauorum cum multis nobilibus circumuentus a Cheruscis interijt. Concurritur posteà pleno vtrimque exercitu in campo cui nomen Idistauiso, qui medius inter Visurgim & vicinos colles inæqualiter curuatur, prout vel amnis vel montes cedunt. Penes Romanos stetit victoria: Arminius nisu corporis & impetu equi euasit, oblitus faciem cruore, ne noscceretur; eadé virtute seu fraude elapsum aiunt Inguiomerum. Romani in loco prælij aggerem, & in modum trophæorum arma struxere, subscriptis victarum gentium nominibus. Qua contumelia irritati Cherusci iterum prœlium parant, sed vincuntur. Ergo Germanicus Cæsar (quod iam ante ad Albim fecerat pater) tropæum ibi cum superbo titulo erexit, DEBELLATIS INTER RHENVM ALBIMQVE NATIONIBVS EXERCITVM TIBERII CÆSARIS EA MONVMENTA MARTI ET IOVI ET AVGVSTO SACRAVISSE. Mox mandatum Stertinio bellum in Angriuarios. At illi supplices nihil eorum quæ exigebantur abnuendo, veniam omnium accepere. Itaque æstate iam adulta, legionũ aliæ itinere terrestri in hibernacula remissæ, plures Cæsar classi impositas, perque flumen Amisiam Oceano inuectas, per fossam Drusianam eo vnde abierant reducere conatus est; sed incumbens è terris Auster, immenso nubium tractu validus, rapuit disiecitque naues littus stringentes in aperta Oceani, aut insulas saxis asperas, sola Germanici triremi in terram Chaucorum delata: Tandem tamen relabente æstu & secundante vento, claudæ naues, raro remigio, aut intentis vestibus, quædam a validioribus tractæ reuertere; quas raptim refectas misit vt scrutarentur insulas quæ littori longa serie prætexuntur; eaque cura pleraſque collegit. Milites multos naufragio in littora Cheruscorum delatos, & interioribus Germanis venditos, redemere. Angriuarij nuper in fidem accepti, & Imperatori suo reddidere. Neque adhuc ventum in hiberna, quum Cæsaris animum incessit cupiditas coercendi Germanos iam clade Romanorum ferocientes. Ergo C. Silio cum triginta peditum, tribus equitum millibus ire in Cattos imperat: ipse maioribus

tibus copijs Marsos irrumpit. Vtrique feliciter cessit expeditio: exsciſi hostes non ausi congredi, aut si qui restiterant, statim pulsi. Reductus in hiberna miles, lætus animi quod aduersa maris prospera expeditione pensauisset. Et creditum est, potuisse bellum patrari, Germaniamque omnem in prouinciam redigi, si proxima modo æstas præclaris conatibus Germanici fuisset adiecta: sed reuocauit instantem Tiberius. Reduci propter ædem Saturni ob recepta signa cum Varo amissa arcus triumphalis erecta est: Eidem quoque concessum, vt a. d. VII. Kal. Iunias triumpharet de Cheruscis, Cattis & Angriuarijs, quæque aliæ nationes vsque ad Albim colunt. Vecta spolia, captiui, simulacra montium, fluminum, præliorum: Bellum, vt ait Tacitus, quia conficere prohibitus est, pro confecto accipiebatur. Triumphi illius meminit quoque Strabo, qui illo tempore vixit: Sed & Fasti Capitolini, GERMANICVS CÆSAR TI. AVG. F. DIVI AVG. N. PRO. COS. ANN. DCCLXIX DE CHERVSCEIS CATTEIS ANGRIVARIEISQVE VII KAL. IVN. Germanico vero in Orientem missō, destinatur rebus in Germania gerundis Drusus Tiberij filius ex Agrippina. Causſa belli erant Sueui auxilium aduersus Cheruscos orantes. Arminius namque & Maroboduus dissentientes inter se, magnam Germaniæ partem in bella traxerant. Maroboduus, vt refert Strabo, iuuenis Romæ vixerat sub Augusto, beneficijsq; adfectus quum ad Marcomannos redijsset populares suos, occupauit dominationem priuatus, finitimosque omnes aut bello domuit, aut conditionibus suos fecit. Militem quoque perpetuis exercitijs pænè ad Romanæ disciplinæ formam redactum, breui in eminens & Romano quoque imperio timendum perduxerat fastigium: Sed Maroboduum partim inuisum apud populares regis nomen, partim Arminij pro libertate bellantis gratia & victoriæ exosum fecerant. Igitur non modo Cherusci socijque eorum, vetus Arminij miles, sumpsere bellum; sed e regno etiam Marobodui Sueuæ gentes, Semnones, & Longobardi defecerunt ad eum. A Maroboduo vero steterunt Marcomanni & qui præterea e Sueuis in fide perstiterant: Iuguiomerus Arminij patruus ad Maroboduum cum manu clientium defecit. Sed Maroboduus fusus fugatusque auxilium rebus desperatis petebat a Tiberio: cui quum responsum esset, non iure illum Romanorum auxilia aduersus Arminium inuocare, qui pugnantes in eundem hostem Romanos nulla ope iuuisset, non destitere Marcomanni, & Sueui flagitare nihilominus ipsorum opem. Missus ergo est Drusus, qui illiciens Germanos ad discordias, in eo erat, vt ipsorum in ipsos arma verteret, vtque fracto iam Maroboduo vsque in exitium insisteretur. Forte eodem tempore Catualda, nobilis inter Gothones iuuenis, qui iam olim Marobodui vim timens profugerat, dubijs tunc rebus animos sumpserat, & valida manu fines Marcomannorum ingressus, Boiohæmum regiam ipsorū cepit, castellumque iuxta situ, in quo præter veteres Sueuorū prædas, lixæ quoque e prouincijs Romanorum ac negotiatores Itali reperti. Maroboduus pulsus exutusque regno ad misericordiam Tiberij confugit: receptusque in gratiam, missus est Rauennam, vbi per duodeviginti annos egit inglorius, in id tantum, vt si quando insolescerent Sueui, quasi rediturus, ipsis ostenderetur: erat enim ipsis Marobodui nomen multo Romanorum nomine terribilius. Similis quoque Catualdæ casus fuit: is enim pulsus haud multo post Hermundurorum opibus, receptusque a Tiberio, Forum Iulium Narbonensis Galliæ coloniam missus est. Sueuis rex datus a Druso Vannius ex gente Quadorum, de quo plura in Claudio. Nec diu superuixit Arminius: Is enim quum pulso Maroboduo regnum adfectaret, libertatem popularium aduersam habuit, petitusque armis, postquam varia

fortuna

fortuna certauisset, cecidit tandem dolo propinquorum. Ejus virtutibus hoc elegium merito dedit Tacitus. *Liberatorem eum haud dubiè fuisse Germaniæ, neque primordia ipsa populi Romani, sicut alij reges ducesque, sed florentissimum imperium lacessiuisse; pralijs ambiguum, bello non victum.* Septem ille tantum & trigenta annos vitæ, duodecim potentiæ expleuit. Druso ob res benè in Germania gestas concessa est ouatio. Testantur id etiam Fasti Capitolini his verbis, DRVSVS CÆSAR TI. AVG. F. DIVI AVGVSTI N. ANNO DCCLXXII OVANS EX GERMANIA: Eo posteà per nefas fraudesque Tiberij extincto, defecere, ducibus Sacrouiro & Iulio Floro, Galliarum ciuitates quatuor & sexaginta, adsumtis etiam in societatem Germanis: sed repressi sunt a C. Silio, iuuante Visellio Varrone inferioris Germaniæ legato. Sexennio post, qui annus fuit a nato Domino XXVIII Iulio Silano & Silio Nerua Cósulibus, Frisij, Transrhenanus populus, pacem exuere, Romanorum magis auaritia, fatente Tacito, quam obsequij impatientia. Tributum enim ijs Drusus jusserat modicum, pro angustia rerum, vt in vsus militares coria boum penderent, non intenta cuiusquam cura, quæ firmitudo, quæ mensura: donec Olennius e primipilaribus regendis Frisijs impositus, terga vrorum delegit quorum in formam acciperentur. Ac primo boues ipsos, mox agros, postremo corpora coniugum aut liberorum seruitio tradebaut. Hinc ira & questus, & postquam conatus istos irritos deprehenderunt, remedium ex bello: Rapti qui tributo aderant milites, & quod sub Augusto quoque factum, patibulo adfixi. Olennius eos fugiens receptus est castello cui nomen Fleuum, vbi haud spernenda ciuium sociorumque manus littori Oceani præsidebat. Quod vbi resciuit L. Apronius inferioris Germaniæ Proprætor, protinus vexilla legionum e superiore prouincia, peditumque & equitum auxiliarium dilectos acciuit, ac simul vtrumque exercitum Rheno deuectum Frisijs intulit: Sed iam fama eius exercitus soluto castello obsidio, ad sua tutanda diffluxerant Frisij. Quocirca ille proxima æstuaria aggeribus & pontibus traducendo grauiori agmini firmat, atque interim repertis vadis, alam Caninefatum, & quod peditum Germanorum inter Romanos merebat circumgredi terga hostium iubet: At illi iam ante compositi pellunt turmas sociales equitesque legionum subsidio missos. Cohortes per interualla submissæ, ipsique posteà equites pauore fugientium abrepti sunt; satis validi futuri, si simul facta impressione incubuissent. Accurrere tempestiuè quintani, & acri pugna hoste pulso receperunt cohortes alasque fessas vulneribus. L. Apronium ea clade oppressum ferunt. Mox compertum a transfugis, nongentos Romanorum apud lucum qui Baduhennæ accolis dicebatur, pugna in posterum extracta, confectos, & aliam quadringentorum manum occupata Cruptoricis quondam stipendiarij villa, postquam proditio metuebatur, mutuis ictibus procubuisse. Ex ea victoria inclaruit inter Germanos Frisiorum nomen; cœperuntque & ipsi de sua, sociæ verò gentes de communi libertate agitare consilia. Quæ dum geruntur, obijt dehonestamentum illius sæculi Tiberius, quum imperasset annos XXII, menses septem. Ex hoc autem res Romanæ siue Imperatorum ignauia & vincendi desperatione amissis tot exercitibus, siue Germanorũ industria coeperunt in Germania relabi. Hactenus igitur totis annis nonagita nihil a Iulio, Augusto, Tiberio aliud effectum est, quam quod malis suis didicerint Romani libertatem Germanicam Romanis armis expugnari non posse: tantum enim temporis elapsum est inter primam C. Cæsaris in Germanos expeditionem & obitum Tiberij.

2. Annal.

An. Chr. XXVIII.

CAP. V.

CAP. V.

Gesta in GERMANIA *sub Caio* CALIGVLA, CLAVDIO, NERONE, *ex Dione, Tacito, & Suetonio.*

SVb CALIGVLA nihil egregie a Romanis in Germania gestũ est, nisi quod ipse consumtis pecunijs omnibus suscepit iter in Gallias, obtẽtu quidem belli Germanici, sed spe expilandæ Galliæ & Hispaniæ. Atque ita quidem Dio: sed si Tranquillo est fides, dubitandum videtur, an in hominem tam stolidum potuerit cadere consilium istiusmodi. Ille ergo narrat, admonitum de supplendo numero Batauorum quos circa se ad corporis sui custodiam habebat, subito expeditionis Germanicæ impetum cepisse: neque distulisse; sed legionibus & auxilijs vndique excitis, delectibus actis, contracto commeatu, iter ingressum esse. Postquam castra ad Rhenum attigit, deficiente belli materia Cæsar, paucos de custodia Germanos traijci, occulique trans Rhenum jussit, ac sibi post prandium quam tumultuosissime adesse hostem nunciari: Quo facto proripuit se cum amicis & parte equitum prætorianorum in proximam siluam, truncatisque arboribus, & in modum tropæorum adornatis, ad lumina reuersus, eorum quidem qui secuti non essent, timiditatem & ignauiam corripuit; comites autem & participes victoriæ nouo genere & nomine coronarum donauit, quas destinctas Solis ac Lunæ siderumque specie exploratorias appellauit. Rursus obsides quosdam abductos e ludo litterario, clamque præmissos deserto repente conuiuio cum equitatu insecutus, veluti profugos ac deprehensos in catenis reduxit. Postremo quum ad Oceanum venisset, quasi perpetraturus bellum, directa acię in littore Oceani, ac ballistis machinisque dispositis, nemine gnaro ac opinante quidnam coepturus esset, repente vt conchas legerent, galeasque & sinus replerent imperauit, spolia Oceani vocans, Capitolio Palatioque debita, pronunciatoque militi donatiuo centenis viritim denarijs, quasi omne exemplum liberalitatis supergressus, Abite, inquit, læti, abite locupletes. Conuersus hinc ad curam triumphi, præter captiuos & transfugas barbaros, Gallorum quoque procerissimum quemque, & vt ipse dicebat ἀξιοθριάμβητον, ac nonuullos ex principibus legit ac seposuit ad pompam; coëgitque non tantùm rutilare & submittere comam, sed & sermonem Germanicum addiscere, & nomina barbarica ferre. Præcepit etiam, triremes, quibus Oceanum introierat, magna ex parte itinere terrestri Romam deuehi. Scripsit & procuratoribus, Triumphum appararenr quam minima summa, sed quantus nunquam alius fuisset: quando in omnium hominum bona ius haberent. Priusquam prouincia decederet, consilium inijt legiones quæ post excessum Augusti seditionem in Germania mouerant, contrucidandi, quod & patrem suum Germanicum ducem, & se infantem cum matre Agrippina obsedissent, sicut in Tiberio narratum est. Sed destitit ab eo incepto metu imminentis seditionis, Hic tamen etiam ouans vrbem ingressus est. Fasti Capitolini, C. CÆSAR GERMANICI F. TI. AVG. N. ANN. DCCXCII AVGVSTVS GERMANICVS PROCOS. OVANS EX GERMANIA PRID. KAL. SEPT. Sed is quartum intra mensem perijt, confossus a Cassio Chærea, magna ausus, maiora moliens, postquam imperasset annos tres menses septẽ, dies tredecim. Sequutus est CLAVDIVS sub quo anno ab vrbe condita DCCXCIX C. Valerio Asiatico, M. Valerio Messalla Consulibus Cheruscorum gens regem Roma petiuit, amissis per interna

An. Chr. XL.

An. Chr. XLVI.

terna bella nobilibus, & vno reliquo stirpis regiæ, qui apud vrbem habebatur, nomine Italus. Paternum huic genus e Flauio fratre Arminij, sicut ante ostensum est, mater ex Catumero principe Cattorum erat. Ipse forma decorus & armis equisque in Romanum morem exercitus. Igitur Cæsar auctum pecunia, additis stipatoribus ad suos gentiles misit, hortatus, transmissum a maioribus decus magno animo capesseret: Illum primum Romæ ortum, nec obsidem, sed ciuem ire externum ad imperium. Ac primo lætus Germanis aduentus, atque eò magis, quod nullis discordijs imbutus, pari in omnes studio ageret. mox vt creuit potentia, cœpit suspectus haberi ijs qui factionibus hactenus floruerant: Nec potuit res nisi prœlio componi. Victor rex, dehinc secunda fortuna ad superbiam prolapsus, pulsusque, ac rursus Langobardorum opibus refectus, per læta, per aduersa, res Cheruscorum adflictabat. Per idem tempus Chauci nulla dissensione domi, & Imperatoris socordia alacres, dum Corbulo aduentat, inferiorem Germaniam, cui præfuerat Sanquinius, incursauere, duce Gannasco, qui natione Caninefas, auxiliaris & diu meritus, post transfuga, leuibus nauigijs prædabundus, Gallorum maximè oram infestabat, non ignarus, dites illos & imbelles esse. At Corbulo prouinciam ingressus triremibus ex Oceano, ad cuius defensionem excubabant, alueo Rheni, cæteris nauibus per æstuaria & fossas in Vahalem adactis, lintres hostium magna cura & gloria, cui principium illa militia fuit, depressit, Gannasco etiam exturbato. Posteà legiones operum & laboris ob dissuetudinem ignaras, ac populationibus tantum lætantes veterem ad morem reduxit; ne quis agmine decederet, nec pugnam nisi iussus iniret. Stationes, vigiliæ, diurna nocturnaq; munia in armis prisco more agitabãtur. Qua disciplina Romanis virtus aucta, Germanis ferocia infracta est: Circa hæc tempora suspicor legatum in Germania legionis fuisse Vespasianum, qui postea Imperator factus est: Notat hoc in ipsius vita Tranquillus. *Claudio*, inquit, *principe, Narcissi gratia, legatus legionis in Germaniam Vespasianus missus est, inde in Britannia translatus.* Et natio Frisiorum post rebellionem clade L. Apronij ceptã, infensa suis, aut male fide, datis obsidibus consedit apud agros a Corbulone descriptos. Idem senatum ipsis, magistratus, leges imposuit. Ac ne iussa exuerent, præsidium muniuit, missis etiam qui maiores Chaucos ad deditionem pellicerent, simulque Gannascum dolo adgrederentur, transfugam & violatorem fidei. Cæde eius motæ sunt Chaucorum gentes, creditusque est Corbulo semina vel occasionem rebellioni præbuisse. Claudius sanè vsque adeo istud factum improbauit, vt referri præsidia cis Rhenum iusserit. Paruit, tametsi inuitus, Corbulo; ac ne miles otium indueret, inter Mosam Rhenumque trium & viginti millium spatio, siue, vt Dio scribit, stadiorum CLXX fossam produxit, qua vt ille vult, incerta maris vetarentur, vt hic, amnium æstuante oceano refluentium stagnatio prohiberetur. Habent enim hoc incommodi Rheni ostia, vt pronæ in Oceanum aquæ obstantibus marinis æstibus, suaque altitudine exonerationẽ Rheni impedientibus, præsertim plenilunio, attollantur, haud sine aggerum periculo; quo tempore, si Caurus quoq; ex Oceano delatus vehemẽtius, incumbat Rheni ostio occidentali, aquisque in alueo suo detentis, salsos insuper ex Oceano fluctus superfundat, necesse est periculum illud augeri magis; adeò vt non alia credatur ingentis illius inundationis fuisse causa, qua olim narratur omnis subuersa fuisse Batauia. Conata est tamen natura etiam hoc leuare malum, molitaque est æstuaria, quibus, si vno ostio attollantur ab Oceano fluctus, possint per transuersam Batauiam aquæ in alterum Rheni alueum, atque inde in Oceanum porrò exonerari. neque enim vnquam fit aut fieri potest, vt simul omnia Rheni ostia

An Chr. XLVII.

ostia præcludant venti. Quod quum deprehendisset Corbulo, putauit sua quoque industria iuuandos naturæ conatus: itaque ab alueo Rheni dextero, ad sinistrum illud, quo se Rhenus ingenti Mosæ ostio in Oceanum exonerat, fossam transuersam molitus est, qua prohiberentur incerta ista Oceani discrimina, & ex alueo vno superstagnaturæ aquæ in alterum deriuarentur: quæ vtrumne hodie extet, an hausta dudum Oceano sit, nunc non disputo. Corbuloni a Claudio indulta triumphi insignia. Anno ab vrbe condita DCCCIII Agrippina Imperatoris vxor, Caligulę soror, Germanico genita, quo vim suam socijs quoque nationibus ostentaret, in opidum Vbiorum, in quo genita erat, veteranos mitti, coloniamque deduci imperat, cui nomen inditum ex vocabulo ipsius. Hæc fuere vrbis iampridem conditæ incrementa; Vbios enim C. Iulius Cæsar nondum Rhenum transgressos, postea transgressos Agrippa in fidem acceperat. Iisdem temporibus in superiore Germania trepidatum, aduentu Cattorum prædas a Romanis agentium. Deinde L. Pomponius legatus auxiliares Vangiones ac Nemetes addito equite alario monuit, vt anteirent populatores, vel delapsis improuisi circumfunderentur: Fecere; ac alij quidem recens reuersos, prædaque per luxum vsos & somno graues circumuenere: liberatis etiam quibusdam, qui iam ante annos quadraginta Variana clade Cattis fuerant venundati: alij obuio hosti occurrentes plus etiam cladis attulere: Omnes ad montem Taunum reuertuntur, vbi eos Pomponius cum legionibus operiebatur. At illi metu ne hinc Romanus, inde Cherusci, cum quibus æterna ipsis discordia, circumgrederentur, legatos in vrbem & obsides misere: decretusque Pomponio triumphalis honos. Per idem tempus Vannius Sueuis a Druso iam ante annos triginta datus rex, pellitur suo regno, auctoribus domesticis Iubillio Hermundurorum rege, & Vangione ac Sidone fratribus, sorore Vannij genitis, quorum iste etiam sub Vespasiano vixit. Ligij quippe fama ditis regni, quod Vannius iam multos annos prædationibus & vectigalibns auxerat, aduentabant; quibus ille, quum præter exiguam suorum manum, non haberet nisi equitem è Sarmatis Iazygibus, impar, castellis sese defensare & bellum ducere statuerat. Sed ijs digressus funditur prœlio, exceptusque a classe Romana ipsum in Danubio operiente, saluus euasit: regnum Vangio & Sido inter se partiti sunt, egregia semper in Romanos fide. Sub NERONE L. Vetus Mosellam atque Ararim facta inter vtrumque fossa connectere parabat, vt copiæ per mare, dein Rhodano & Arare subuectæ per eam fossam, mox fluuio Mosella in Rhenum, exin in Oceanum decurrerent, sublatisque itinerum difficultatibus, nauigabilia inter se occidentis septentrionisque littora fierent: sed inuidit operi Ælius Gracilis Belgicæ legatus, deterrendo Veterem, ne legiones alienæ prouinciæ inferret, studiaque Galliarum adfectaret: eoque intermissum est. Nec multo post Curtius Rufus in agro Mattiaco reclusit specus quærendis venis argenti, vnde tenuis fructus, nec in longum fuit. Huic & Veteri indulsit Cæsar insignia triumphi. Paullinus quoque Pompeius aggerem coercendo Rheno ante tres & LX annos a Druso inchoatum absoluit, qui mea opinione is agger est, qui medio Rheni alueo in ripa Gallica obiectus iacet. Eadē tempestate Frisij limitaneos agros militum vsui sepositos inuaserant, auctoribus Verrito & Malorige, qui nationem illam regebant. Iamque fixerant domos, semina aruis intulerant, vtque patrium solum exercebant, quum Didius Auitus minitando vim Romanam ni abscederent in veteres locos, aut nouam sedem impetrarent, perpulit Verritum & Malorigem cum precibus Romam proficisci. Qui dum Neronem alijs curis intentum opperiuntur, inter ea quæ exteris ostentantur, intrauere Pompeij theatrum, quo magnitudinem

An. Chr. L.

populi Romani viſerent. Illic per otium (neque enim ludicris ignari oblectabantur) dum conſeſſum caueæ, diſcrimina ordinum, quis eques, vbi Senatus, percontantur, aduertere quoſdam cultu externo in ſedibus Senatorum: & quinam forent rogitantes, poſtquam audiuerunt, earum gentium legatis id honoris datum quæ virtute & amicitia Romana præcellerent, exclamant, NVLLOS MORTALIVM ARMIS AVT FIDE ANTE GERMANOS ESSE, digregiunturq; & inter Patres cõſidunt. Nero ciuitate Romana ambos donauit, Friſios decedere agris iuſſit: At illis aſpernantibus, auxiliaris eques repente immiſſus neceſſitatem attulit, captis cæſiſue qui peruicacius reſtiterant. Eoſdem agros poſteà Anſibarij occupauere, validior gens, non modo ſua copia, ſed adiacentium populorum miſeratione, quia pulſi a Chaucis & ſedis inopes, tutum exſilium orabant. Chamauorum quondam ea arua, mox Tubantum, poſt Vſipiorum fuiſſe, poſtremum occupata fuiſſe a Friſijs, nunc maxima parte eſſe vacua: Aderatque ijs clarus per illas gentes, & Romanis quoque fidus nomine Boiocalus, vinctum ſe rebellione Cheruſca iuſſu Arminij referens, mox Tiberio & Germanico ducibus, ſtipendia meruiſſe, quinquaginta annorum obſequio. Sed nihil promouit. Auitus inferioris exercitus legatus in publicum Anſibarijs reſpondit, Patienda meliorum imperia, Arbitrium rerum penes Romanos eſſe, quid darent, quid adimerent. At Boiocalo ipſi promiſit daturum ſe agros: Quod ille vt proditionis pretium aſpernatus, addidit, Deeſſe nobis terra in qua viuamus poteſt, in qua moriamur non poteſt: Atque ita infenſis vtrimque animis diſceſſum. Illi Bructeros, Tencteros, vlteriores etiam nationes ſocias bello vocabant. Auitus monito per litteras Curtilio Mancia ſuperioris exercitus legato, vt Rhenum tranſgreſſus arma a tergo oſtenderet, ipſe legiones in agrum Tenctherûm induxit, excidiũ minitans, niſi cauſſam ſuam diſſociarent. Igitur abſiſtentibus his, pari metu exterritis Bructeris, & cæteris quoque aliena pericula deſerentibus, ſola Anſibariorum gens retrò ad Vſipios & Tubantes conceſſit, quorum terris exacti, quum Cattos, dein Cheruſcos petiſſent, errore longo hoſpites, egeni, hoſtes, in alieno quod iuuentutis erat, cæduntur; imbellis ætas in prædam diuiſa eſt. Hic exitus fuit non infimæ inter Germanos gentis, cuius tamen reliquias deprehendo apud Ammianum in Iuliano, inter Francos. Eadem æſtate inter Hermunduros Cattoſque certatum magno prœlio, dum flumen gignendo ſale ſecundum & conterminum, vi trahunt: ſuper libidinem cuncta armis agendi, religione inſita, eos maximè locos propinquare cælo, preceſque mortalium a dijs nuſquam propius audiri. Inde indulgentiá numinum illo in amne illiſque ſiluis ſalem prouenire, non vt alias apud gentes eluuie maris areſcente vnda, ſed ſuper ardentem arborum ſtruem fuſa, contrarijs inter ſe elementis, igne atque aquis concreta. Sed bellum Hermunduris proſperum; Cattis exitio fuit. Iuhonum quoq; ciuitas ingens damnũ paſſa eſt ab igne, qui terra editus villas, arua, vicos paſſim corripuit, ipſa quoq; conditæ nuper inter ipſos Coloniæ mœnia abſumpſit.

CAP. VI.

Sequentia hiſtoriæ GERMANICAE *ſub* GALBA OTHONE, VITELLIO, VESPASIANO *ex Tacito, Suetonio, Dione.*

POſt obitum Neronis conturbata omnia in imperio. Turbandi materiam tum exercitibus ad Rhenum, tum ipſis quoque Germanis dedere Romani. Superior exercitus Hordeonium Flaccum ſpernebat, ſenecta & debilitate pedum inualidum: Inferioris exerci-

exercitus legati Cornelius Aquinas & Fabius Valerius, Capitonem qui illic præerat interfecerant, fictone crimine, an turbas cœptantem incertum. At Galli quod duce C. Iulio Vindice proprætore Galbæ quem Nero proscripserat, sese ei iunxissent, donati sunt protinus ciuitate & in posterum tributi leuamento: Quæ res male habuit Treueros, Lingonas, aliasque ciuitates Germanicis exercitibus proximas; creuitque ex eo dolor, quod etiam quibusdam fines adempti sunt. Exercitus verò partim solliciti & irati fama recentis aduersus Vindicem victoriæ, partim metu, quod alias partes fouisse crederentur, sese adhuc continebant. Tarde a Nerone desciuerunt; nec statim pro GALBA Virginius; qui volueritne imperare dubiũ: ferunt tamen oblatum ei a milite imperium. Euocato in Vrbem Virginio dux deerat audenibus, & contemni se quod tam diu sine consulari legiones essent coaquerentibus: donec tandem missu Galbæ Vitellius adfuit, censoris Vitellij ac ter consulis filius: quod quidem pacandis legionibus sufficere videbatur. Paucis post Kal. Ian. diebus, adferuntur è Belgica litteræ, superioris Germaniæ legiones rupta sacramenti reuerentia imperatorem alium flagitare, & quo seditio mollius acciperetur senatui ac Po. Ro. arbitrium eligendi permittere. Mouit ea res Galbam, qui idcircò Germanorum cohortem a Cæsaribus olim ad custodiam corpotis institutam, multisque experimentis fidelissimam dissoluit, ac sine vllo commodo remisit in patriam: statuit quoque increbrescentibus Germanicæ defectionis nuncijs mittere ad exercitũ legatos, sed oppressus ab OTHONE occubuit die xv Ianuarij: Interea inferioris Germaniæ legiones solemni Kal. Ian. sacramento pro Galba adactæ sunt, adeo quidem inuitæ, ut primani quintanique saxa in Galbæ imagines jacerent; quintadecima & sextadecima legiones nihil ultrà fremitum & minas ausæ, initium erumpendi circumspexerint. At in superiore exercitu quarta & duodeuicesima legiones ijsdem hibernis tendentes, dirumpunt imagines Galbæ; illa protinus, hæc cunctanter, & in Senatum populumque Romanum sacramento sese obstringunt. Nocte quæ Kalendas sequuta est, Coloniam Agrippinensem excurrens aquilifer quartæ legionis epulanti Vitellio nunciat, quid in superiore gestum esset. Subornantur ita a Vitellio res, vt postero die è proximæ legionis primæ hibernis legatus Fabius Valerius Coloniam Agrippinensem cum equitibus legionis auxiliariorumque ingressus, Imperatorem VITELLIVM consalutauerit. Exemplum illius secutæ sunt eiusdem prouinciæ legiones, & superior exercitus: ardorem exercitus, Agrippinenses, Treueri, Lingones. Post varia discrimina proficiscitur tandem in Italiam Vitellius cum lecto ex Germanicis legionibus exercitu, nam Rheni ripam planè deserere consilium non erat, irrupturis in Galliam Germanorum nationibus. Succumbit ad Bedriacum Otho. Victor Vitellius cohortes Batauorum ne quid truculentius auderent in Germaniam remisit. Germanorum auxiliariorum corpora fluida Romæ fluminis auiditas & æstus impatientia labefecit. Interea in Oriente VESPASIANVS imperio quod audenti noua expositum videbat, se parat. Ac ita Italia tandem victis Vitellianis rerum potitur. In hisce verò motibus Batani, Catti, Germani deficiunt, nacti opportunitatem vindicandi se in libertatem. Quum ego historiam quoniam præ cæteris Taciti ad res Germanicas cognoscendas illustris est, statui maxima parte ipsius verbis descriptam huic operi inserere. Notari autem in ea velim, Germanias in Belgica duas pro totidem prouincijs fuisse, dictasque superiorem prouinciam & inferiorem. Batauiam non desertam atque incultam fuisse, sed ciuium copia, opibus, robore, virtute insigniter exornatam, quum & reges suos jam ante illa tempora habuerit, & egregiam tunc nobilitatem;

An Chr. LXIX.

An. Chr. LXX.



ESCALA GRAFICA

10 0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

quumque iuuentus Batana non tantum auxilijs cohortibusque peditum atque equitum, sed etiam custodiæ corporis Imperatoris fuerit adhibita. Mirum sane expendenti cuncta ista videbitur, quomodo tam exiguus terræ tractus tot militum examina effuderit, & adhuc suffecerit ipse sibi ad cultum agrorum, nauigationes, mercimonia; etiam, si res ita exigeret, ad tumultus. Et commemorantur quidem ab historicis Romanis loca a legionibus suis cohortibusque aut alis ad Rheni ripam insessa, cæteris præteritis, vel quia sua potissimum nouerunt, vel tædio barbarorum nominum: sed lectoris est præter illa concipere animo sedes indigenarum in agris, municipijs, pagis, villis, nauibns, siluis. Cogitare Caninefatum gentem partem agri Bataui possedisse. Insulæ partes duas fuisse, inferiorem vnam atque Oceano vicinorem: alteram superiorem; & in vtraque cohortes Romanas. In inferiore Batauia fuisse

Duarum cohortium hiberna haud procul Oceano.

Castra Romanorum.

Castella plura. Quæ quidem omnia sublimioribus locis, & congestu terræ ad experimentum altissimi Oceani æstus exaggeratis, structa fuisse, etiam hodie testantur ruinæ.

In superiore verò Batauia, quæ ob viciniam legionum Germanicarum tutior habita fuit, fuere

Batauodurum, vbi castra secundæ legionis.

Grinnes, vbi cohortium alarumque castra.

Vada.

Arenatium, vbi hiberna decimæ legionis.

Naualia, ad naues exstruendas.

Et extra insulam *Opidum Batauorum.*

Iam in GERMANIA INFERIORE occurrunt,

Vetera castra, hiberna legionum quartæ & quintæ.

Gelduba.

Nouesium, vbi sita legio XIII.

Asciburgium, vbi hiberna vnius alæ.

Colonia Agrippinensis; & non procul ab ea vicus *Marcodurum.*

Tolbiacum.

Ara Vbiorum.

Bonna, siue castra Bonnensia, in quibus hiberna primæ legionis.

In SVPERIORE GERMANIA imprimis occurrit,

Moguntiacum.

Atque hæc quidem ex sola ista Taciti narratione; cui idcirco etiam pinacem adiunximus: Leguntur & *pagi* quidam *Germanorum*, & loca alia innuuntur haud obscurè, sed nos ea, quia situs non designabatur, omisimus. Batavi ergo, donec trans Rhenum agebant, pars Cattorum fuere; cuius rei argumentum hodieque sunt, *Batenhusen*, *Baddenfeldum*, & *Batoberga*, ad Adranam flumen; posteà seditione domestica pulsi, extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus, simulque insulam inter vada sitam occupauere, quam mare Oceanum a fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit; nec opibus Romanis nec societate validiorum attriti, viros tantum armaque imperio ministrabant, diu Germanicis bellis exerciti, mox aucta per Britanniam gloria, transmissis illuc cohortibus, quas vetere instituto nobilissimi popularium regebant. Erat & domi delectus eques, præcipuo nandi studio, arma equosque retinens, integris turmis Rhenum sueta perrumpere. In his Iulius Paullus & Claudius Ciuilis, regia stripe multò cæteros anteibant. Sed Paullum Fonteius Capito falso rebellionis crimine interfecit. Iniectæ Ciuili post quinque & viginti annorum in castris Romanis militiam, catenæ: missusque ad Neronem, & a Galba absolutus, sub Vitellio rursus discrimen adijt, flagitante supplicium ejus Romanorum exercitu. Inde caussæ irarum, spesque rei

rei bene gerendæ ex turbato Romano imperio.

STEMMA CL. CIVILIS.



Sed Ciuilis, vltrà quam barbaris solitum, ingenio sollers, & Sertorium se aut Hannibalem ferens, simili oris dehonestamento, veritus ne sibi obuiam iretur, si a populo Romano palàm desciuisset, Vespasiani amicitiam, studiumque partium prætendit. Igitur discidij certus, occultato interim altiore consilio, certa ex euentu judicaturus, notare res hoc modo cœpit. Iussu Vitellij Batauorum inuentus ad delectum vocabatur; quem suapte natura grauem, onerabant ministri auaritia ac luxu, senes aut inualidos conquirendo, quos pretio dimitterent: rursus impuberes, sed forma conspicui (& est plerisque procera pueritia) ad stuprum trahebantur. Hinc inuidia, & compositi seditionis auctores perpulere vt delectum abnuerent. Ciuilis primores gentis & promptissimos vulgi specie epularum sacrum in nemus vocatos, vbi nocte & vino incaluisse videt, a laude gloriaque gentis orsus, iniurias & raptus, & cætera seruitij mala, composita ad mouendos animos oratione enumerat, ostenditque, dum alij Vespasianum, alij Vitellium fouent, patere Batauis locum aduersus vtrumq;. Magno cum adsensu auditus, patrio ritu, & diris exsecrationibus vniuersos sacramento adigit. Missi ad Caninefates qui consilia sociarent. Ea gens partem insulæ colebat, origine, lingua, virtute, par Batauis; numero solo inferior. Mox occultis nuntijs pellexit Britannica auxilia, Batauorum cohortes, missas in Germaniã, ac tum Moguntiaci agentes. Erat autem in Caninefatibus stolidæ audaciæ Brinio, claritate natalium insigni. Pater eius multa hostilia ausus, Caij Caligulæ expeditionum Germanicarum ludibria impune spreuerat. Hic ipso rebellis familiæ nomine placuit, impositusque scuto, more gentis, & sustinentium humeris vibratus, dux deligitur. Statim vero accitis Frisijs (Transrhenana gens est) duarum cohortium hiberna ad Rhenum, vti opinor, sita, proximo Oceano occupato irrumpit. Nec præuiderant impetum hostium milites; nec si præuidissent, satis virium ad arcendum erat. Capta igitur, direpta, & incensa castra: Dein vagos & pacis modo effusos lixas negotiatoresque Romanos inuadunt. Simul excidijs castellorum imminebant; quæ a præfectis cohortium incensa sunt, quia defendi nequibant. Signa vexillaque, & quod militum erat, in superiorem insulæ partem congregantur, duce Aquilio primipilari; nomen magis exercitus, quam robur. Quippe viribus vt ante deximus cohortium abductis, Vitellius e proximis Neruiorum Germanorumque pagis segnem numerum armis onerauerat. Ciuilis dolo grassandum ratus, incusauit vltrò præfectos, quod castella deseruissent; se cum cohorte cui præerat, Caninefatem tumultum compressurum: illi sua quisque hiberna repeterent.

Subesse

Subesse fraudem consilio, & dispersas cohortes facilius opprimi, nec Brinionem ducem eius belli, sed Ciuilem esse patuit; erumpentibus paullatim indicijs, quæ Germani, læta bello gens, non diu occultauerant. Vbi insidiæ patefactæ sunt, ad vim transgressus, Caninefates, Frisios, Batauos proprijs cuneis componit. Directa ex aduerso acies, haud procul flumine Rheno, & obuersis in hostem nauibus, quas incensis castellis illuc appulerant. Nec diu certato, Tungrorum cohors signa ad Ciuilem transtulit, perculsique milites improuisa proditione a socijs hostibusque promiscuè cædebantur. Eadem etiam nauium ratio fuit. Pars remigum è Batauis, tanquam imperitia, officia nautarum propugnatorumque impediebant. mox contra tendere, & puppes hostili ripæ obijcere; ad postremum gubernatores centurioneſque, nisi eadem volenteis trucidare: donec vniuersa quatuor & viginti nauium classis transfugeret ad Ciuilem, aut caperetur. Clara ea victoria in præsens; in posterum vsui: armaque & naues quibus indigebant, adepti, magna per Germanias Galliasque fama, LIBERTATIS AVCTORES VINDICESQVE celebrabantur. Germaniæ iugi Romani pertæsæ misere statim legatos, auxilia offerentes. Ciuilis verò Galliarum societatem arte dolisque adfectabat, captos cohortium præfectos suas in ciuitates remittendo; cohortibus abire an manere mallent, data potestate. Manentibus, honorata militia, digredientibus, spolia Romanorum offerebantur. Simul secretis sermonibus admonebat malorum quæ tot annis perpessi fuerant. Miseram seruitutem falso pacem vocari: Batauos quanquam tributorum expertes, arma contra communes dominos cepisse. Sic ille in Gallias Germaniasque intentus, si destinata proueniissent, validissimarum ditissimarumque nationum regno imminebat. At Flaccus Hordeonius, primos Ciuilis conatus per dissimulationem aluit: Vbi autem expugnata castra, deletas cohortes, pulsum Batauorum insula Romanum nomen trepidi nuntij adferebant, Mumium Lupercum legatum (is duarum legionum hibernis præerat) egredi aduersus hostem jubet. Lupercus legionarios e præsentibus, Vbios e proximis, Treuerorum equites haud longè agentes raptim transmisit, addita Batauorum ala, quæ jampridem corrupta, fidem simulabat, vt proditis in ipsa acie Romanis, majore pretio fugeret. Captarum igitur cohortium signis circumdatus Ciuilis, vt suo militi recens gloria ante oculos, & hostes memoria cladis terrerentut, matrem suam sororesque, simul omnium conjuges paruosque liberos consistere a tergo jubet, hortamenta victoriæ, vel pulsis pudorem. Vt virorum conatu, feminarum vlulatu sonuit acies, nequaquam par a legionibus cohortibusque redditus clamor. Nudauerat sinistrum cornu Batauorum ala transfugiens, statimque se in legiones Romanas verterat: sed legionarius miles quanquam rebus trepidis, arma ordinesque retinebat. Vbiorum Treuirorumque auxilia fœda fuga dispersa totis campis palabunda aufugiunt. Illuc ergo incubuere Germani. Et fuit interim effugium legionibus in castra quibus Veterum nomen est. Præfectus alæ Batauorum Claudius Labeo opidano certamine æmulus Ciuili, ne interfectus inuidiam apud populares, vel si retineretur semina discordiæ præberet, in Frisios auehitur. Iisdem diebus Batauorum & Caninefatium cohortes quum a Vitellio reuocatæ in vrbem pergerent, missus a Ciuile nuntius medio fere itinere adsequitur; exponit patriæ statum, monetque vt communem popularium caussam agant. Illæ re intellecta, protinus a Flacco legato & pretium itineris donatiuum, & duplex stipendium, & augeri equitum numerum, promissa a Vitellio, postulabant; non tamen vt adsequerentur, sed caussam seditioni. Et Flaccus multa cõcedendo nihil aliud effecerat, quã vt acrius exposcerent

scerent quæ sciebant negaturum. Spreto Flacco inferiorem Germaniam petiuere, vt Ciuili iungerentur. Hordeonius, qui Moguntiaci agebat, adhibitis tribunis centurionibusque, consultauit, num obsequium abnuentes vi coerceret. Mox ignauia & trepidis ministris, quos ambiguus recentium auxiliariorum animus, & subito delectu suppletæ legiones augebant, statuebat continere intra castra militem. Dein pœnitentia & arguentibus ipsis qui suaserant, tanquam secuturus, scripsit Herennio Gallo legionis primæ legato qui Bonnam obtinebat, vt arceret transitu Batauos, se cum exercitu tergis eorum hæsurum. Et opprimi poterant, si hinc Hordeonius, inde Gallus, motis vtrimque copijs medios clausissent. Flaccus omisit inceptum, alijsque litteris Gallum monuit, ne teneret abeuntes. Vnde suspicio, sponte legatorum excitatum bellum, cunctaque quæ acciderant, non inertia militis neque hostium vi, sed fraude ducum eueniſſe. Batui equites quum castris Bonnensibus propinquarent, præmisere qui Herennio Gallo mandata cohortium exponerent, Nullum sibi bellum aduersus Romanos, pro quibus toties bellassent: longa atque irrita militia fessis, patriæ atque otij cupidinem esse: Si nemo obsisteret, innoxium iter fore; sin arma occurrant, ferro viam inuenturos. Contantem legatum milites perpulerant, fortunam prælij experiretur. Tria millia legionariorum, & tumultuariæ Belgarum cohortes, simul paganorum lixarumque ignaua sed procax ante periculum manus omnibus portis erumpunt, vt Batauos numero impares circumfundant. Illi veteris militiæ memores, in cuneis congregantur, densi vndique, & frontem tergaque ac latus tuti. Sic tenuem Romanorum aciem perfringunt. Cedentibus Belgis, pellitur legio, & vallum portasque trepidi petebant: Ibi plurimum cladis, cumulatæque corporibus fossæ: nec cede tantùm & vulneribus, sed ruina, & suis plerique telis interiere. Victores Colonia Agrippinensium vitata, nihil cætero in itinere hostile ausi, Bonnense prœlium excusabant, tanquam petita pace, postquam negabatur, sibimet ipsi consuluissent. Ciuilis aduentu veteranorum cohortium iusti iam exercitus ductor, sed consilij ambiguus, & vim Romanam reputans, cunctos qui aderant in verba Vespasiani adigit. Mittitque legatos ad duas legiones, quæ priore acie pulsæ in Vetera castra concesserant, vt idem sacramentum acciperent. Sed responsum ei redditur, Romanos neque proditoris neque hostium consilijs vti: esse sibi Vitellium principem, pro eo se fidem & arma vsque ad supremum spiritum retenturos, proinde perfuga Batauus arbitrum rerum Romanarum ne ageret, sed meritas sceleris pœnas exspectaret. Quæ vbi relata Ciuili, incensus ira, vniuersam Batauorum gentem in arma rapit. Iunguntur Bructeri Tencterique, & excita nuntijs Germania, ad prædam & famam. Aduersus has belli concurrentis minas legati legionum Mumius Lupercus & Numisius Rufus vallum murosque firmabant. Procestria quoque & quæ præterea longæ pacis opera, haud procul castris in modum municipij exstructa fuerant, subuersa, ne hostibus vsui forent. Sed parum prouisum, vt annona, aliæque copiæ in castra conueherētur: rapi illa permisere. Ita paucis diebus absumta sunt, quæ aduersus necessitates in longum suffecissent. Ciuilis medium agmen cum robore Batauorum obtinens, vtramque Rheni ripam quo truculentior visu foret, Germanorum cateruis complet, adsultante per campos equite. Simul naues in aduersum agmen agebantur. Hinc Veteranarum cohortium signa, inde depromtæ siluis luciſque ferarum imagines, vt cuique mos est, iuxta belli ciuilis externique facie obstupefecerant obsessos. Spem quoque oppugnantium augebat amplitudo valli, quod duabus legionibus situm, vix quinque armatorum millia tuebantur. Pars castrorum leuiter adsurgens,

pars

pars æquo adibatur, quippe illis hibernis obsideri Germanias Augustus quũ castra metaretur, satis crediderat, neque vnquam id malorum futurũ duxerat, vt oppugnatum legiones Romanas vltrò venirent Germani. Bataui Transrhenanique quo discreta virtus manifestius spectaretur, sibi quæque gens consistunt, eminus lacessentes. Admotæ etiam machinæ. Frustra: Desperata ergo vi vertere oppugnatores consilium ad moras, haud ignari, paucorum inesse dierum alimenta, & multum imbellis turbæ. Flaccus interim cognito castrorum obsidio, & missis per Gallias qui auxilia concirent, lectos Moguntiaci legionibus Dillio Voculæ duodeuicesimæ legionis legato tradit, vt quam maximis per ripam itineribus celeraret. Illi Bonnam, hiberna primæ legionis, inde in Coloniam Agrippinensem, posteà Noueſium venerunt, vbi tertiadecima legio ipsis coniungitur: Neque ausi ad hostem pergere, Geldubæ castra fecere. Pars in proximos Gugernorum pagos, qui societatem Ciuilis acceperant, prædatum ducti a Vocula; pars cum Herennio Gallo permansit, eademque leui certamine ob nauem frumentariam, quam vado hærentem ad se Romani Germanique trahere studebant, inferior, iram indignationemque in legatum vertit. At Ciuilem immensum vniuersa Germania extollebat, societate nobilissimis obsidum firmata. Ille vt cuiq; proximum, vastari Vbios Treuerosque, & alia manu Mosam amnem transiri iubet, vt Menapios & Morinos, & extrema Galliarum quaterent. Actæ vtrobique prædæ: infestius in Vbijs, quod Germanicæ originis, eiurata patria Romano nomine se Agrippinenses vocarent. Cæsæ cohortes eorum in vico Marcoduro incuriosius agentes, quia procul ripa aberant. Nec quieuere Vbij quo minus prædas è Germania peterent, primo impune; dein circumuenti sunt. Contusis Vbijs grauior & successu rerum ferocior Ciuilis obsidium legionum vrgebat, intentis custodijs ne quis occultus nuntius venientis auxilij penetraret. Obsessi strenuè se defendere, Batauis officere. Ciuilis omissa expugnandi spe ad blanditias conuersus, nuntijs & promissis fidem legionum conuellere instituit. Intereà auxilia e Gallia a Vitellio apertè desciscunt. Veteranus Hordeonio Flacco instantibus tribunis inuitus iurat in verba Vespasiani. Mittitur Alpinus Montanus ad Ciuilem, vt absisteret bello, neue externa armis falsis velaret: Si Vespasianum iuuare adgressus foret, satisfactum iam cœptis. Ad quæ Ciuilis primo callide: post vt vidit Montanum præferocem ingenio, paratumque ad res nouas, oratione flexum sed meliora referre iussum, dimittit. Ille vt irritus legationis redijt, cætera dissimulans, quæ mox erupere; posteà enim cum Tutore & Classico & CXIII Treuirorum Senatoribus transmisso Rheno ad Germanos defecit. Ciuilis parte copiarum retenta, veteranas cohortes & quod e Germanis maximè promptum aduersus Voculam exercitumque eius mittit, Iulio Maximo & Claudio Victore sororis suæ filio ducibus. Rapiunt isti in transitu hiberna alæ Asciburgij sita; Tentauit interim Ciuilis legionum ad Vetera obsessarum animos, tanquam perditæ apud Romanos res, & suis victoria proueniſſet. Irritati obsessi, erumpunt. Ac forte Ciuilis lapsu equi prostratus, dicta per vtrumque exercitum fama vulneratum aut interfectum, immane quantum suis pauoris, hostibus alacritatis indiderit. Obsessi impedimenta legionum cum imbelli turba Noueſium mittunt, vt inde terrestri itinere frumentum, cuius summa in castris penuria, adueherent, nam flumine hostes potiebantur. Ciuilis Geldubam capit. Mox haud procul Noueſio equestri prælio prosperè certat. Legionarij Hordeonium protractum e cubili etiam post donatiuum acceptum nomine Vespasiani, interficiunt. Interfecto Hordeonio, commeauere nuntij inter Ciuilem Classicumque, præfectum alæ Treuirorum. Nec multo post

deficiunt a Romanis Iulius Tutor & Iulius Sabinus, ille Treuir, hic Lingon; Tutor ripæ Rheni a Vitellio præfectus, Sabinus super insitam vanitatem, falsa stirpis gloria incensus, frustra eos reuocante Vocula: qui irrita consilia sua videns, Nouesium concedit. Quo per Longinum Classici iussu occiso, legatisque vinctis, eo flagitij ventum est, vt exercitus Romani pro imperio Galliarum iurarent. Obsessi ad Vetera post longam & fœdam famem missis ad Ciuilem legatis vitam orant: neque aliter preces admissæ, quam si in verba Galliarum jurarent. Iurauere: sed Ciuilis, neque se neque quenquam Batauum in verba Galliarum adegit, fisus Germanorum opibus, &, si certandum de possessione rerum foret, inclytus fama, & potior. Mumius Lupercus legatus legionis inter dona missus Velledæ virgini nationis Bructeræ quæ late ea tempestate populis imperitabat. Sed ille in itinere interfectus. Cohortium, alarum, legionum hiberna, submersa crematque, ijs tantùm relictis quæ Moguntiaci ac Vindonissæ sita erant. Legio XI cum auxilijs simul deditis a Nouesio in Coloniam Treuirorum transgredi jubetur, præfinita die intra quam castris excederet: Eam ducit Claudius Sanctus effossus oculo, dirus ore, ingeniodebilior. Miscet se ei altera legio, desertis castris Bonnensibus. Quacumque iter faciebant, procurrentes ex agris tectisque homines, & vndique effusi, insolito spectaculo fruebantur captarum legionum. Moguntiacum jam pridem, Colonia Agrippinensis nuper in belli societatem venerant, conulsis signis Romanorum. Quorum societate auctus Ciuilis proximas ciuitates adfectare, aut aduersantibus bellum inferre statuit. Occupatis ergo Sunicis & iuventute eorum per cohortes composita, Tungros & Neruios inuasit, frustrà obsistente Labeone, qui pontem Mosæ fluminis antecesserat. Dedunt se Bethasij & Neruii. Interea Iulius Sabinus Cæsarē se salutari per Gallias jubet. Rhemi obsistunt, & missis legatis in commune consultant, libertas an pax placeat? Nec desunt ab vrbe vires, Legiones victrices VI & XVIII, Vitellianarum vna & vicesima: E recens conscriptis secunda, Peninis Coctianisque Alpibus, pars monte Graio Petilio Ceriali traducuntur: XIV legio è Britannia, Tertia & Prima ex Hispania accitæ. Huius venientis exercitus fama Galli suopte ingenio ad mitiora inclinantes, frustra instigante Tullio Valentino, scripsere ad Treueros, vt abstinerent armis, impetrabili venia, & paratis deprecatoribus si poeniteret. Neque inter rebelles pro periculo consilia, dissidentibus inrer se ducibus. Ciuilis auia Belgarum circuibat, dum Claudium Labeonem capere aut exturbare nititur. Classicus segne otium trahens velut parto jam imperio fruebatur. Sabinus latebat. Tutor in eo segnis, quod non maturauit superiorem Germaniæ ripam & ardua Alpium præsidijs claudere, legionesque transitu prohibere. Atque interim vna & vicesima legio Vindonissa per Heluetiam, cohortes auxiliariæ duce Sextilio Felice per Rhætiam irrupere. Accessit & ala Singularium, cui præerat Iulius Briganticus sorore Ciuilis genitus, inuisus auunculo infensusque. Tutor Treuirorum copias recenti Vangionum, Caracatium, Tribocorum lectu auctas, veterano pedite atque equite firmauit, atque ita vitato Moguntiaco Bingium concessit, fidens loco, quia pontem Nauæ fluminis abruperat: sed incursu cohortium quas Sextilius ducebat, & reperto vado proditus fugatusque est. Petilius Cerialis Moguntiacum cum exercitu vt venit, erexit spes Galliarum, tanta animositate, vt delectus per Galliam habitos in ciuitates remiserit, ac nuntiare jusserit, sufficere imperio legiones. At Ciuilis & Classicus vbi pulsum Tutorem, cæsos Treueros, cuncta hostibus prospera accepere, mouent Valentinum crebris nuntijs ne summæ rei periculum faceret. Cerialis contrà missis in Mediomatricos qui breuiore itinere legiones in

hostem

hostem verterent, contracto quod erat militum Moguntiaci quantumque secum transuexerat, tertijs castris Rigodulum venit, quem locum magna Treuerorum manu Valentinus insederat, montibus ac Mosella amne septum, & addiderat fossas obicesque saxorum. Nec deterruere ea munimenta Romanum ducem, quo minus peditem perrumpere iuberet: Felix ea pugna Cerialí fuit: qui Valentiaiano cum nobilissimis Belgarũ capto, postridie Coloniam Treuirorum ingreditur; vbi legiones nuper deditas veniam lacrymis & silentio poscentes recipit, edicitque per manipulos, nequis in certamine iurgioue seditionem commilitoni obiectaret. Mox Treuerorum & Lingonum animos oratione componit. Eum nihilo secius Ciuilis & Classicus sollicitant in partes suas, oblato etiam, si vellet, Galliarum imperio: addentes, si prælium mallet, ne id quidem se abnuere. Placuit rem armis committere. Classicus media acie Vbijs Lingonibusque data, dextro cornu cohortes Batauorum locat, siniſtro Bructeros Tencterosque: ita in Cerialem ducit Treuiris agentem. Perrupta ex improuiso legionum castra, fusi equites; medius Mosellæ pons qui vlteriora Treuirorum Coloniæ nectit a Classico insessus. Sed collecto mox animo ac milite Cerialis fugat hostes, castraque ipsorum eodem die capit exscinditque. Moti hac victoria Agrippinenses orabant auxilium, offerebantque vxorem & sororem Ciuilis, & filiam Classici, relicta sibi pignora societatis: dispersos quoque in domibus Germanos trucidauere, & Ciuili cum cohorte integra ex Chaucis Frisijsque Tolbiaci agente in finibus Agrippinensium, ipsi nihilo secius largis epulis vinoque sopitos Germanos clausis foribus igne iniecto cremauere. Intereà classis Britannica quæ Batauis imminebat, maxima parte depressa est a Caninefatibus, aut capta. Iidem Neruiorum multitudinem sponte commotam vt pro Romanis bellum capesseret, fudere. Classicus quoque aduersus equites Nouesium a Cerialí præmissos, secundum prælium fecit. At Ciuilis post malam in Treuiris pugnam reparato per Germaniam exercitu apud Vetera consedit, tutus loco, & vt memoria prosperarum illic rerum augescerent Barbarorum animi. Secutus est eodem Cerialis duplicatis copijs, aduentu secundæ & XVI & XIV legionum: cohortesque & alæ jampridem accitæ post victoriam properauerant. Ciuilis aggerum moliendorum fluuiorumque coërcendorum gnarus, obliquam in Rhenum molem obijcit, vt ejus oppositu reuolutus amnis Romanis superfunderetur. Ea loci forma incertis vndis subdola Romanis aduersa fuit, onustis lorica & armis, nandique pauidis. At Germanos fluminibus suetos leuitas armorum & proceritas corporum attollebat. Pugnatum tamen, sed iniquo certamine; Postera luce iterum ad arma itum: compositæ acies. Pugnantes Romanos Bructeri e mole quæ in Rhenum educta fuerat transnatantes initio turbauere; sed suggestione perfugæ cuiusdam Batauí restituti, Germanos Rhenum fuga petere coegere. Ac debellatum eo die fuisset, si Romana classis sequi maturasset. Ciuilis Chaucorum auxiliariorum aduentu confirmatus, deseruit Vetera castra, neque ausus opidum Batauorum armis tueri, raptis quæ ferri poterant, cæteris iniecto igni, in insulam, transmisso Vahali concessit, quod sciret, deesse Cerialí naues efficiendo ponti, neq; exercitum Romanum aliter transmissurum. Vtque tutior esset in insula, protinus molem a Druso Germanico factam, qua ille Rheni aquas vno continuoque alueo volutas, ac sub initium agri Batauí prono cursu in Galliam ruentes coegerat in dexterum alueum inque fossam à se actam decurrere, diruit. Disiectis autem hoc modo ijs quæ morabantur, redijt ad veterem suum cursum amnis, & Vahalis profundiore tunc alueo volutus, insulam Batauorum reddidit munitiorem: Ac dexter alueus abactis

aquis ita extenuatus est, vt insulam inter Germanosq; continentium ferè terrarum species apparuerit, visusque sit reddere Batauiam Germaniæ partem, quæ antea Gallijs adiudicabatur. Transiere Vahalim Tutor quoq; & Classicus, & centum tredecim Treuerorum Senatores. Ita deserta ripa Gallica quæ erat vltra Vahalim, Ciuilis præsidia cohortium, alarum, legionum, modicis vicis ad dexterum Rheni alueum quadripertita inuasit; Decimæ legionis præsidum erat Arenaci; secundæ Batauoduri; Grinnibus, Vadæque cohortium alarumque castra erant. Sed Ciuilem initio omnia tentantem omnia fefellerunt. Nitebatur ille missa Germanorum manu inchoatum Batauoduri pontem irrumpere; repulsus est. Plus discriminis apud Grinnes Vadamque fuit. Vadam Ciuilis, Grinnes Classicus oppugnabant, nec sisti poterant, interfecto fortissimo quoque, in quis Britannicus, auunculus Ciuilis, præfectus alæ. Sed vbi Cerialis cum delecta equitum manu subuenit, versæ sunt vices; præcipitesque Germani in amnem acti sunt. Ciuilis dum fugientes retentat, agnitus, petitusque telis, relicto equo transnatauit: Idem Germanis effugium, Tutorem Classicumque appulsæ lintres vexere. Ne tum quidem classis Romana pugnæ adfuit; obstante formidine. Paucos post dies Cerialis Nouesium Bonnamque ad visenda castra quæ hiematuris legionibus erigebantur profectus, nauibus remeabat. Animaduersum id Germanis, & insidias composuere. Electa nox atra nubibus, & prono amne raptis, nullo prohibente, vallum ineunt. Prima cædes astu adiuta: incisis enim tabernaculorum funibus, suismet corijs coopertos trucidabant. Aliud agmen turbare classem, inijcere vincula, trahere puppes. Prætoriam quoque nauem vexillo insignem, in ea ducem rati, abripuere, eamque donum Velledæ flumine Luppia misere. Ciuilis nihil vltra ausus, trans Rhenum in insulam concessit. Cerialis eum insecutus insulam Batauorum populatur, sed agros villasque Ciuilis intactos sinebat. Mouit ea victoria Germanos, & quanquam castra Romanorum in plano sita crebris pluuialibus imbribus palustri in insula vi fluminis differrentur, possentque ea occasione opprimi nullo negotio legiones, tamen abstinuere, & inuitante Ceriali ad pacem inclinauere. Ipse etiam Ciuilis ab ea non abhorruit, veritus ne a suis popolaribus socijsque desertus veniret in potestatem eorum quos hactenus oppugnarat. Atque hæc sub VITELLIO & VESPASIANO, quo in bello, vt & cæteris omnibus, quantus fuerit Batauorum metus apud Romanos, indicat Martialis epigramma, quo loquentem introducit personam Germani testaceam,

Sum figuli lusus, ruffi persona Batani,
Quæ tu derides, hæc timet ora pater. *Lib. XIV. Epist. 17.*

CAP. VII.

Gesta in GERMANIA *sub* DOMITIANO, NERVA, TRAIANO, HADRIANO, M. AVRELIO ANTONINO, COMMODO, PERTINACE, DIDIO IVLIANO, *&* SEVERO, *ex Suetonio, Martiali, Spartiano, Capitolino, Orosio, Xiphilino, Plinio, cuius tamen libros viginti bellorum Germanicorum, quibus omnia quæ Romani cum Germanis gesserunt bella collegit, desideramus.* *C. Plin. lib. III. Epistol.*

DOMI-

DOMITIANVS & ante imperium & posteà imperator summo studio GERMANICI nomen appetijt. Cæsar factus viuo patre creditus est occultis ad Cerealem litteris, qui tunc ad Rhenum res agebat, fidem eius tentasse, an præsenti sibi exercitum imperiumque traditurus foret: qua conditione vtrumne bellum aduersus patrem cogitauerit, an opes viresque aduersus fratrem, in incerto est: sed prudenti Cerealis fide ac constantia delusus, nihil potuit. Post vtriusque obitum sponte suscepit expeditionem in Cattos, quos etiam domuisse dicitur. Victoriam illam celebrauit Martialis Epigrammate assentatorio,

An. Chr. LVIII. Sueton. cap. 6.

Creta dedit magnum, maius dedit Africa nomen,
Scipio quod victor, quodque Metellus habet:
Nobilius domito tribuit Germania Rheno,
Et puer hoc dignus nomine Cæsar eras.
Frater Idumæos meruit cum patre triumphos;
Quæ datur ex Cattis laurea, tota tua est.

Lib II. Epig. 2.

Idem quoque in spem reditus eius sic adulatur,

Si desiderium Cæsar populique patrumque
Respicis, & Latiæ gaudia vera togæ,
Redde Deum votis poscentibus; inuidet hosti
Roma suo: veniat laurea multa licet.
Terrarum dominum propius videt ille; tuoque
Tenetur vultu Barbarus, & fruitur.

Et in reditum eius,

Peruenisse tuam iam te scit Rhenus in vrbem,
Nam populi voces audit & ille tui.

Posteà etiam L. Antonium Primum, cuius crebra apud Tacitum mentio est in libris historiarum compressit. Suetonius. *Bellum ciuile motum a L. Antonio superioris Germaniæ præside confecit absens, felicitate mirâ, quum ipsa dimicationis hora resolutus repente Rhenus, transituras ad Antonium Barbarorum copias cohibuisset.* Eam victoriam celebrauit Martialis hoc Epigrammate,

Lib. IV. Epig. 11.

Dum nimium vano tumefactus nomine gaudes
Et Saturninum te, miser esse pudet:
Impia Parrhasia monuisti bella sub Vrsa
Qualia qui Pharia coniugis arma tulit:
Excideratne adeò fatum tibi nominis huius,
Obruit Actiaci quod grauis ira freti?
An tibi promisit Rhenus, quod non dedit illi,
Nilus & Arctois plus licuisset aquis?
Ille etiam nostris Antonius occidit armis,
Qui tibi collatus, perfide, Cæsar erat.

Obtinuit ergo GERMANICI nomen Domitianus, quo quidem vsque eò delectatus est, vt etiam in certaminibus præsederit amictus toga Germanica, & menses Septembrem atque Octobrem appellationibus suis Germanicum Domitianumq; transnominauerit, quod altero suscepisset imperium, altero natus esset: & in numis ipsius sæpissime hoc sit vsurpatum, IMP. CÆS. DOMIT. AVG. GERM. cum typo Germaniæ captæ in terra sedentis, cui circumscriptum, GERMANIA CAPTA S. C. Sub eodem cohors Vsipiorum per Germanias conscripta in Britanniam transmissa est, agente illic res Romanas Iulio Agricola: cui Batauorum cohortes tres tam fidam operam præstiterunt, vt ipsorum potissimum virtuti debellatæ ab Agricola Britanniæ laus adscripta sit. NERVAM quoque exercuit Germania. Etsi enim annum vnum & menses qui excurrunt quatuor tantum regnauerit, tamen illo tempore non remisit proferendi imperij curam. Missis igitur insignibus imperij ad Traianum agentem in Colonia Agrippinensi, sponte imperio cessit:

Sueton. cap. 14.

An Chr. XCVI.

Offendo

Offendo etiam ei tributum Germanici titulum in numis compluribus : Vnus Græcus est talis, AYTOKPATOPOC NEPOYA KAICAPOC CEBACTOY ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΥ ΕΤΟΥC Γ. Post Neruam igitur TRAIANVS Imperator expeditionem susceptit Germanicam. *An. Chr. CII.* Testatur id numus habens in anteriore parte effigiem viri, cum titulo, DIVO NERVÆ TRAIANO AVG. P. M. TR. P. COS. III. P. P. in auersa, PROFECTIO AVG. GERMANIÆ S. C. cum Imperatore laureato insidente equo, dextra pilum tenente, præeunte legionario, & tribus ordine sequentibus. Eandem significauit Martialis Epigrammate ad Rhenum,

Lib. X. Epig. 7.

Nympharum pater, amniumque Rhene,
Quicumque Othrysias bibunt pruinas,
Sic semper liquidis fruaris vndis
Nec te barbara contumelioſi
Calcatum rota conterat bubulci,
Sic & cornibus aureis receptis
Et Romanus eas vtraque ripa,
Traianum populis suis & vrbi
Thybris te dominus rogat, remittas.

Nisi quis hæc referre malit ad ea tempora quæ ipsius imperium præcesserunt, quò etiam illud pertinet *In Paneg.* Plinij, *Iam Cæsar, iam Imperator, iam Germanicus, absens & ignarus, & post tanta nomina quantum ad te attinet, priuatus.* Vtrumque etiam limitem Imperij ad Rhenum & Danubium exstructis castris muninentisque firmauit; quod & nomina quoque indicant locorum, *Legio tricesima Vlpia* & *Legio Traiana* Ptolemæo, ad Rhenum : ad Danubium verò *Ala Flauiana.* Fertur quoque victis Dacis & Mysis in signum victoriæ *Nicopolim* vrbem exstruxisse ad Danubium, & *Colonias* duas duxisse *Vlpias*, postquam deuictis Marcomannis & Pannonijs Romam Victor redijsset : Bructerorum quoque Regem armis restituit per Spurinnam. HADRIANVS verò iam sub Nerua ab exercitu Mysiaco in Germaniam missus ad gratulandum Traiano recens designato imperatori, posteà ipse imperator factus eo transijt; sed pacis magis quam belli cupidus, militem, quasi bellum immineret, exercuit, tolerantiæ documentis eum imbuens, cibisq; castrensibus in propatulo libenter vtens, hoc est, larido, caseo, & posca, exemplo Scipionis Æmiliani, & Metelli, & autoris sui Traiani : Germanis quoque regem constituit. Quantus autem Germanorum virtutis fuerit admirator, apparet ex elogio quod ipse Sorano Batauo defuncto posuit; legitur autem Græce apud Suidam; sed nos illud prout ab Hadriano Iunio Latine redditum est, hic ponemus. *An. Chr. CXX.*

Ille ego Pannonijs olim notissimus oris,
Inter mille viros primus fortisque Batauos
Hadriano potui qui iudice vasta profundi
Æquora Danubij cunctis tranare sub armis,
Emissumque arcu dum pendet in aere telum,
Ac redit, ex alia fixi fregique sagitta;
Quem neque Romanus potuit, nec Barbarus vnquam
Non iaculo miles, non arcu vincere Parthus,
Hic situs, hic memori saxo mea facta sacraui,
Viderit an ne aliquis post me mea fata sequatur.
Exemplo mihi sum primus qui talia gessi.

Hic tamen Germanici nomen non retulit. Sub M. AVREL. ANTON. PHILOSOPHO mouerunt se primũ Catti : posteà etiam Marcomanni : cuius belli tantus ardor fuit, vt vndique Imperator sacerdotes acciuerit, peregrinos ritus impieuerit, Romam omni genere lustrauerit, retardatusque hoc modo a bellica profectione sit. Sed contra Germanos rem gessit feliciter : nominatim verò *An. Chr. CXXXIX.*

bellum

bellum Marcomannicum ipse, quantum nulla vnquam memoria fuit, tum virtute, tum etiam euentu transegit, & eo quidem tempore, quo pestilentia grauis multa millia & popularium & militum interemit. Ab hac victoria dictus est GERMANICVS, & numi cusi in rei memoriam: Exstant hodieque complures, quorum in parte aduersa effigies cum hac inscriptione, M. AVREL. ANTONINVS AVG. ARM. PARTH. Et in auersa, GERMANIA SVBACTA IMP. VI. COSS. III. S. C. typus habet Trophæum cum captiuo humi desidente, cui additum, GER. DEVICTA. vel VICTORIA GERMANICA. Ad huius autem belli reliquias persequendas exhausto omni ærario suo, vendidit ipse aurea pocula & crystallina & myrrhina, vasa etiam regia & vestem vxoriam sericam & auratam, cum gemmis. Emit quoq; Germanorum auxilia aduersus Germanos. Conspirauerant enim gentes ab Illyrici limite vsque Galliam, Marcomanni, Narisci, Hermunduri, Quadi, Sueui; Atque hoc tempore reportata est Christianorum precibus victoria illa quam M. Aurelius litteris ad Senatum missis vsque eò celebrauit, vt etiam in delatores & accusatores Christianos animaduerti iusserit. De hac Tertullianus ad Scapulã. *Marcus quoque Aurelius in Germanica expeditione Christianorum militum orationibus ad Deum factis, imbres in siti sua impetrauit.* Et in Apologetico. *Requirantur litteræ M. Aurelij grauissimi Imperatoris, quibus illam Germanicam sitim, Christianorum militum* (Fulminatricis puta legionis, quæ maximè constabat ex Christianis, erat autem duodecima) *precationibus impetrato imbri discussam contestatur. Qui sicut palam ab hostusmodi hominibus pœnam dimouit, ita alio modo palam dispersit, adiecta etiam accusatoribus damnatione, & quidem tetriore.* Sed accuratè historiam retulit Orosius. *Exercitum*, inquit, *Romanorum cunctasque legiones per longinqua late hiberna dispositas, ita pestilentia consumtas ferunt, vt Marcomannicum bellum non nisi nouo delectu militum quem triennio iugiter apud Carnuntum* (Pannoniæ opidum) *M. Antonius habuit, gestum fuisse referatur. Hoc quidem bellum prouidentia Dei administratum esse, cum plurimis argumentis, tum præcipuè epistola grauissimi ac modestissimi Imperatoris apertissimè declaratum est. Nam quum insurrexissent gentes innumerabiles, hoc est, Marcomanni, Quadi, Vandali, Sarmatæ, Sueui, atque omnis penè Germania, & in Quadorum vsque fines progressus exercitus, circumuentusque ab hostibus, propter aquarum penuriam, præsentius sitis quam hostis periculum sustineret; ad inuocationem nominis Christi, quam subito magna fidei constantia quidam milites effusi in preces palàm fecerant, tanta vis pluuiæ effusa est, vt Romanos quidem largissimè ac sine iniuria affecerit, barbaros autem crebris flaminum ictibus perterritos, præsertim quum plurimi eorum occiderentur, in fugam coegerit. Quorum terga Romani vsque ad internecionem cædentes, glorioſissimam victoriam, & omnibus pene antiquorum titulis præferendam, rudi paruoque militum numero, sed potentissimo Christi auxilio, reportarunt. Exstare etiam nunc apud plerosque dicuntur litteræ Imperatoris Antonini, vbi inuocatione nominis Christi per milites Christianos & sitim illam depulsam, & collatam fatetur fuisse victoriam.* Earum litterarum exemplum è Latino sermone in Græcum translatum exstat apud Iustinum Martyrem Apologia ad Antoninum Pium. Meminere eiusdem facti cum multi alij, tum etiã Eusebius in suo Chronico, sic scribens. *Imperator Antoninus, multis aduersum se nascentibus bellis sæpè ipse intererat, sæpè duces nobilissimos destinabat; in quibus semel perniciter exercitui, qui cum eo in Quadorum regione pugnabat, siti oppresso, pluuia diuinitus missa est, quum è contrario Germanos & Sarmatas fulmina persequerentur, & plurimos eorum interficerent. Exstant litteræ M. Aurelij, grauissimi Imperatoris, quibus illam Germa-*

Ad An. Christ. clxxiv.

Lib. VII. Cap. 15.

manicam sitim Christianorum forte militum precationibus impetrato imbri discussam testatur. Vicit ergo, hoc est, legiones suas seruauit M. Aurelius eo tempore, nam bello toto victores fuere Germani: Estque huius rei locuples testis Capitolinus, qui ait, eum si superfuisset, bello profligato Prouincias ex regionibus Marcomannorum, Hermundurorum, & Quadorum facturum fuisse; & Herodianus, qui M. Aurelium narrat sub finem vitæ quum mortem ob oculos videret, sollicitum fuisse de Germanis, quos ille oppugnatos nondum subiecerat, sed partim in societatem adsumpserat, alios armis terruerat, nonnulli etiam ex ijs effugerant, ac metu principis tunc quidem continebantur. Neque verò prætèrendum est, sub M. Aurelio Antonino Gothos e patrijs suis sedibus per Sarmatiam vtramque longe vagatos, tandem in Dacia consedisse, atq; hanc caussam esse, cur, quum Getæ, gens Scythica, eadem loca habitarint, vno a Græcis & Romanis nomine Getæ & Gothi censeantur, quum hi sint origine Sueui & Germani, illi Sarmatici. Neque hoc omittendum, sub Antonino Ptolemæum Geographiam suam condidisse, & Itinerariũ
An. Chr. CLXXX. Antonini nomine scriptum; COMMODVS patrem secutus, nihil ipse in Germania gessit, sed per legatos res Germaniæ cæsis aliquot millibus composuit: ob quod factum spreto Germanici nomine, mille se gladiatorum victorem colosseo subscripsit. Eundem quoque Frisios opera Clodij Albini domuisse, testis est Capitolinus. Orosius de ipso.
An. Chr. CXCIII. Bellum aduersus Germanos feliciter gessit. PERTINAX verò ante imperium classem fertur rexisse Germanicam, imperator nihil gessit quod huc referri possit. DIDIVS IVLIANVS sub M. Antonino legioni præfuit in Germania secundæ vicesimæ Primigeniæ: inde Belgicam diu rexit. Ibi Cauchis Germaniæ populis, vt ait Lampridius, qui Albim fluuium accolebant, erumpentibus, restitit, adhibito aduersus eos tumultuario auxilio prouincialiũ. Cattos etiam debellauit. Post, Germaniam inferiorem rexit: Imperator factus, nihil gessit eximij aduersus illam gentem. SEVERVS in Germaniam missus legatus ad legiones, ab illisipsis legionibus audita morte Commodi, & odio cunctorum in Iulianum, Imperator appellatus est: ac posteà in Britannia agens, vicinas Galliam Germaniamque permuniuit. Huius opus fuit Armamentarium illud cuius reliquiæ arenis obrutæ ad veteris Rheni ostium conspiciuntur interdum in littore Batauiæ Britannico. Sicut testatur inscriptio lapidis inde extracti anno cIↃ IↃ xx & in ædes VVassenarias Hagam Comitis translati, *An. Chr. CXCIV.*

IMP. CÆS. L. SEPTIMIVS SEVERVS AVG. ET M. AVRELIVS ANTONINVS CÆS. COH. VOL. ARMAMENTARIVM VETVSTATE CONLAPSVM RESTITVERVNT, SVB VAL. PVDENTE LEG. AVG. PR. PR. CVRANTE CÆCIL. BATONE PRÆF.

Castra enim illic ante fuere, vti ego existimo, exstructa olim a Druso, in quibus hiberna cohortes habebant. Ac expendenti accuratè singula, videtur hicipse locus ille esse, quem post defectionem suam Brinio Caninefas statim maturauit occupare euocatis in partem belli Frisijs, prout ante narratum est: neque enim primus hoc opus exstruxit Seuerus, sed tantum conlapsum vetustate restaurauit. Fuisse eodem loci quoque ara creditur Claudio sacra, quam tunc quoque restituit Seuerus: Ei hanc posteà inscriptionem fecit M. Antoninus Caracallus, *Cap. VI.*

Imperator Cæsar M. Aurel. Antoninus
*Brit*ANNIC. GERMANIC. PIVS. FELIX. AVGVSTVS.
Pont. MAX. TRIB. POT. XVIII. COS. IIII. P. P. IMP. III.
ARAM A DIVO CLAVDIO ET POSTEA *a Diuo*
*Seu*ERO PATRE SVO RESTITVTAM.

Ac profectionis quidem Seueri cum filio Geta in Britanniam mentionem facit votiua, vt videtur, inscriptio Batauorum.

FORTV-

FORTVNÆ AVGVSTI SAC.
PRO SALVTE ITV AC
REDITV DD. NN.
M. AVRELI ANTONINI PII
AVG. ET P. SEPTIMII
GETÆ NOBILISS. CÆSS.
CIV. BATAVI
FRATRES ET AMICI P. R.
V. S. L. M.

Neque verò omittendum nobis; Germanos hoc ipso tempore, incertum quo docente, Christianam disciplinam admisisse, vt & plerasque alias orbis gentes. Testatur id Tertullianus libro aduersus Iudæos. *Cui*, inquit, *dexteram tenet pater Deus, nisi Christo filio suo? quem exaudierunt omnes gentes, id est, cui omnes gentes crediderunt? cuius prædicatores & Apostoli in Psalmis Dauid ostenduntur, In vniuersa, inquit, terra exyt sonus eorum & vsque ad terminos terræ verba eorum? In quem enim alium vniuersæ gentes crediderunt, nisi in Christum qui iam venit? cui & aliæ gentes crediderunt, Parthi, Elamitæ, & qui inhabitant Mesopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam, & incolentes Pontum & Asiam, & Pamphyliam, immorantes Ægyptum, & regionem Africæ quæ est trans Cyrenen inhabitantes, Romani, & incolæ tunc in Ierusalem Iudæi, & cæteræ gentes: vt iam & Getulorum varietates, & Maurorum inculti fines, & Hispaniarum omnes termini, & Galliarũ diuersæ nationes, & Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo verò subdita, & Sarmatarum & Dacorum, & GERMANORVM, & Scytharum, & abditarum multarum gentium, & prouinciarum & insularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare minus possumus? In quibus omnibus locis Christi nomen, qui iam venit, regnat: Vtpote ante quem omnium ciuitatum portæ sunt apertæ, & cui nullæ sunt clausæ.* Cæterum *Cap VII.*

de CARACALLO narrat Spartianus, illum viuo adhuc patre GERMANICVM dictum fuisse, posteà verò gentem populosam, ex equo mirificè pugnantem, prope Mœnum amnem deuicisse, ac præter priorem Germanici titulum, nomen quoque *Allemannici* adsumpsisse. Estque hæc antiquissima huius gentis in historia mentio; neque enim vsquam ante hæc tempora fuisse leguntur: Eundem refert Herodianus ex Germanis validissimum quemque & pulcherrimum sibi adsciuisse ad corporis custodiam. Equitibus quoque Germanis imprimis delectatum. *An. Chr. CCXV.* *Lib. IV.*

CAP. VIII.

Gesta sub ALEXANDRO, SEVERO, MAXIMINO, GORDIANO, VALERIANO, GALLIENO, SALONINO, POSTVMO; *deq; Alemannis, & Francis: ex Herodiano, Lampridio, Aurelio, Victore, Iul. Capitolino, Zosimo, Eutropio.*

ALexandro igitur SEVERO aduersus Persas res gerente, Germani Rhenum Danubiumq; transgressi, Romanorum fines hostiliter intrauerunt, castraque ipsorum ripæ imposita oppugnarunt, exercitus obsederunt, in vrbes & vicos magnis copijs excurrerunt, ipsi etiam Galliæ atque Italiæ imminentes: qua re audita Alexander reuersus Romam cum matre Mammæa parauit se ad bellum Germanicum: erat enim grauissimum Reip. atque ipsi, quod Germanorum vastationibus Gallia diripiebatur; pudoremque augebat, quod jam ea natio incumberet Reip. Romanæ ceruicibus. Edi- *An. Chr. CCXXII.*

xit ergo profectionem, sperantibus victoriam cunctis, & per centum quinquaginta millia deducentibus. Relictis verò ad Danubium copijs quantas fore satis tuendis Romanis ripis arbitrabatur, castrisque & castellis diligenter communitis ac præsidio firmatis, ipse ad Rhenum contendit magnis itineribus. Sed quum ibi seditiosas legiones comperisset, abijci eas præcepit. Verum Gallicanæ mentes, vt se habent duræ, inquit Lampridius, ac rettogradæ, & sæpe imperatoribus graues, seueritatem viri nimiam non tulerunt; quæ res ipsi posteà deficientibus ad Macrinum legionibus exitio fuit. At ille nihilo secius res ad bellum Germanicum necessarias comparans, pontem Moguntiaci jnnctis inter se nauigijs fecit in Rheno, vt per eum exercitus transgrederetur, quod priorem metu Germanorum milites discieissent. Pugnatum est sæpius a Romanis, neque vnquam fœlicius, quam quum Mauros longa jacula vibrantes, & quos ex Oriente adduxerat Osdroënos sagittarios aduersus Germanos palantes temerè errantesque instruxerat: nam si collata acie res gerenda esset, rarò Germani inferiores discessere. Omnibus frustrà tentatis, statuit Seuerus ingenti pecuuia, cuius auidi credebantur Germani, sed falsò, pacem redimere: sed oppressus a Maximino, quem per seditionem milites Imperatorem delegerant, vitam cum imperio finijt Moguntiaci, eodem quo mater Mammæa loco & tempore, quam quidem Christianam atq; in Oriente Antiochiæ edoctam autor est Nicephorus. Eusebius ad Annum Christi CCXXXVII. *Alexander occiditur Moguntiaci tumultu militari*; MAXIMINVS strato super Rhenum ponte Germaniam ingressus Transrhenanam, per trecenta vel quadringenta millia barbarici soli, vicos, vt ait Capitolinus, incendit, greges abegit, prædas sustulit, barbarorum plurimos interemit, militem diuitem reduxit; cepit innumeros; Et nisi Germani per amnes, & paludes, & siluas aufugissent, omnem Germaniam in Romanam ditionem redegisset. Erant autem tunc oppida ipsorum ædificiaque maximè incendijs obnoxia: raræ structuræ e lapide aut lateribus coctilibus; sed ex lignis trabibusque inter se confixis ac coagmentatis tabernacula quædam incolebant. In eam igitur regionem Maximinus longe lateque grassatus, populatis segetibus, omnique pecore captiuo militibus permisso, reuersus est tandem ad suos, postquam paludem ingressus inque capitis discrimen coniectus vix tandem liberatus esset. De hac expeditione sua litteras ipse Romam ad Senatum populumque misit, quarum hæc sententia fuit, *Non possumus tantum P. C. loqui, quantum fecimus. Per* CCCC *millia Germanorum vicos incendimus, greges abduximus, captiuos abstraximus, armatos occidimus, in palude pugnauimus. Peruenissemus ad syluas, nisi altitudo paludum nos transire non permisisset.* Adiecit litteris tabulam, pictis imaginibus totius rei historiam continentem, vt non tam audire quæ gesta erant, quam oculis suis subijcere Romani possent. Citat Capitolinus fragmentum quoddam orationis eius missæ ad Senatum, ita sonans, *Breui tempore P. C. tot bella gessi, quot nemo veterum. Tantum prædæ in Romanum solum attuli quantum sperari non potuit. Tantum captiuorum adduxi, vt vix sola Romana sufficiant.* Post eum GORDIANVS etiam Victor Germaniarum appellatus est, vano titulo. Sub VALERIANO Marcomanni irruptiones in finitima Romana Imperio loca fecere Rauennam vsq; teste Eutropio, depopulantes obuia quæq; aduersus quos missus GALLIENVS traiectus tantum Rheni custodiuisse dicitur, ac transitu hostes arcuisse, obiectu legionum, vt refert Zosimus, qui etiam hoc addit, ipsum cum principe quodam eius gentis fœdus pacis inijsse; dum Scythæ, Gothique Italiã pererrant; Huius exstant numi, habentes effigiem Imperatoris, cum inscriptione, GALLIENVS P. F. AVGVSTVS: & in

An. Chr. CCXXVIII.

An. Chr. CCXLII.
An Chr. CCLIII.
An. Chr. CCLXV.

& in auersa parte Victoriam gradientem inter duos captiuos, ac dextero pede conterentem virum prostratum, sinistro insistentem globo, cum inscriptione, VICT. GERMANICA. In triginta tyrannis qui sub Gallieno orbem turbarunt, fuere quoque VICTORINI DVO, de quibus Trebellius Pollio. *Exstant sepulchra circa Agrippinam breui marmore impressa, humilia, in quibus vnum est inscriptum*, HIC DVO VICTORINI TYRANNI SITI SVNT. Eadem tempestate narrat Aurelius Victor, Allemannorum equites Italiam, Francorum gentes Galliam Hispaniamque possedisse, vastato ac pene direpto Tarraconensium oppido, ac SALONINVM Gallieni filium Pipam filiam Attali Germanorum, vel vt alij volunt Marcomannorum regis vxorem habuisse. VICTORINVM Agrippinæ occisum. Alemannorum aciem haud procul a lacu Benaco fusam a CLAVDIO. Incubuere igitur tunc temporis Romano imperio Germanorum variæ gentes diuersis nominibus, dolendumque est, res tantas tamque varias tam alto historiæ silentio oppressas esse: Videntur enim conspirasse nationes omnes ad imperij euersionem, vel potius ad sumendam vindictam ab ea gente quæ reliquum orbem eousque indignis modis vexauerat. Notauit hoc de illo tempore Orosius, cuius verba adscribam. *Soluuntur repente vndique permissu Dei ad hoc compositæ relictaque gentes, laxatisque habenis, in omnes Romanorum fines inuehuntur, Germani Alpibus, Rhætia, totaque Italia penetrata Rauennam vsque perueniunt. Græcia, Macedonia, Pontus, Asia, Gothorum inundatione deletur. Dacia verò trâns Danubium in perpetuum auferetur. Quadi & Sarmatæ Pannonias depopulantur. Germani vlteriores*, (Francos intelligit, qui ad Rheni ostia habitabant) *abrasa potiuntur Hispania. Exstant adhuc per diuersas prouincias in magnarum vrbium ruinis paruæ & pauperes ædes, signa miseriarum & nominum iudicia seruantes, ex quibus nos quoque in Hispania Tarraconem nostram ad consolationem miseriæ recentis ostendimus.*

Lib. VII. Cap. 22.

Est autem prima ea quam paullo ante fecimus Francorum in monumentis antiquis memoria, gentis rerum postea gestarum gloria clarissimæ, quæ a libertate nomen accepit; *Franck* enim populari Germanorum lingua liberum significat, manetque ea in Gallorum sermone significatio. Vnde & francisia pro asylo, & francisare pro in libertatem adserere. Eorum originē a Troianis petere, aut Cimmerijs Scandinauiæ populis, aut a Gallis, aut regione alia aliqua omninò fabulosum est. Est enim populi nomen regionis nomine antiquius; factumque eius populi migratione est, vt quas terras Franci incolerent, eæ alibi Franconia, alibi Francia dicerentur. Initio autem videntur conuenæ nationes plures Germanicæ in parte Transrhenana inferiore, pertæsæ dominationis exteræ, quum nollent diutius vectigalibus atteri, aut tributis Romanorum vexari, labente imperio conspirasse inter se, & indito sibi a libertate nomine Francos sese appellasse, sicut iam olim Frisij eadem de caussa ita vocati sunt: idem enim valent *Vry* & *Franc.* Itaque Ammianus distinctè, *Franci quos Salios vocant, Franci quo: Attuarios vocant*; neque enim vult significare, idem plane esse, Francos & Salios aut Attuarios, sed Francorum gentem quandam esse Salios, quandam Attuarios: potuisseque eodem modo de cæteris seorsim dicere, Franci, quos Chaucos, Bructeros, Tencteros, Chamauos, vocant. Iamque aliquot ante annis in superiore Germaniæ tractu idem quoque fecerat gens collectitia Allemannorum, de quibus Agathias verissimè, *οἱ Ἀλαμανοὶ, εἴγε χρὴ Ἀσινίῳ Κυαδράτῳ ἔστεργε, αὐδρὶ Ἰταλιώτῃ καὶ τὰ Γερμανικὰ ἐς τὸ ἀκριβὲς ἀναγραψαμένῳ, ξυνέλιδες εἰσὶν αὖθρωποι καὶ μιγάδες, καὶ τοῦτο δείκνυται αὐτοῖς ἡ ἐπωνυμία. Alamani, si Asinio Quadrato, homini Italico, qui res Germanorū diligenter perscripsit, fides adhiben-*

hibenda est, conuena sunt, & ex varia hominum colluuione, Atque hoc appellatio quoque ipsa illorum lingua declarat. Nam Allemannos iam tunc a Germanis distinctos fuisse, apparet ex Marij Vecturij verbis apud Trebellium Pollionem, *Ars mihi obyciatur ferraria, dum me & exteræ gentes ferrum attrectasse suis agnoscant cladibus in Italia. Denique vt omnis Allemannia omnisque Germania cum cæteris quæ adiacent gentibus Romanum populum ferratam putent gentem.* Et Vopiscus in Proculo. *Allemannos qui tunc adhuc Germani dicebantur, non sine gloriæ splendore contriuit.* & rursum, *Testes Germani & Allemanni, longè a Rheni submoti littoribus.* Et Eustathius ad Dionysij periegesin notat, τοῖς Γερμανοῖς, τὰς Ἀλαμανὰς προσχώρας. *Germanis conterminos esse Allemannos.* Sicut ergo Allemanni ex alijs Germaniæ populis, ita Franci ex mutua Frisiorũ Tencterorum, Tubantum, Chaucorum, Bructerorum societate & ad libertatem sibi semel parandam conspiratione nomen istud sibi fecere. Atque hæc causa est, cur ante Gallieni tempora nulla exstet illius populi memoria; curque ita subito idem innotuerit. Repente enim & nomen sumpsit, & facto agmine Galliam diripuit, Hispanias occupauit, Tarraconensium opidum vastauit; quæ quidem facinora sunt non nascentis initio populi, sed longo bellorum vsu confirmati. Neq; verò tumultuariè societatem istam Franci iniuerunt, sed existimandum, Principes, Senatores, procereſque nationũ, auditis suorum ciuium querelis, de communi sententia, post longa seruitutis tædia simul & nomen istud induisse, & memorabile hoc facinus aggressos esse. Plane sicut in Ciuili & Brinione fecere Caninefates: idque tanta animositate, vt *Francis* Romani dixerint *familiare esse, videndo fidem frangere.* Nam quod Turnebus eos a Ptolemæo in Scandia locari putat, error est viri longè dictissimi manifestus, vt suo loco ostendemus. Posthac igitur Allemannorum & Francorum nomina quum occurrẽt, quod quidem fiet in progressu frequentius, sciet studiosus rerum Germanicarum lector quonam hi populi referendi sint.

Vopiscus in Proculo.

Lib. xxiv Cap. 37.

CAP. IX.

Gesta sub AVRELIANO, TACITO, PROBO, DIOCLETIANO, MAXIMIANO *ex Vopisco, Zosimo, Orosio, Eutropio, Panegyristis.*

AVRELIANVS domitis Persis profectus in Italiam, vrbes complures quæ Allemannorum direptionibus adfligebantur, liberauit, simul Germanos Gallia dimouit. Iam ante etiam tribunus legionis sextæ Gallicanæ apud Moguntiacum Francos irruentes quum vagarentur per totam Galliam sic adflixit, vt trecentos ex ijs captos, septingentis interemptis, sub corona vendiderit. Vnde de ipso factam cantilenam militarem refert Vopiscus, *An. Chr. cclxxi.*

Mille Francos, mille Sarmatas semel occidimus,
Mille, mille, mille, mille, mille Persas quærimus.

Missus quoque fuerat idem aduersus Gothos Thraciam vastantes, à Claudio Valerio: Sed & contra Sueuos ac Sarmatas, ijsdẽ temporibus vehementissimè dimicauit, ac florentissimam victoriam retulit: Sed aduersus Marcomannos infeliciter pugnauit, eoque factum, vt circa Mediolanum grauiter omnia vastata fuerint, ac posteà apud Placentiam tanta clades accepta sit, vt Romanum penè imperium solutum fuerit. Ejus de Zenobia & Tetrico, hoc

hoc est de Oriente & Occidente triumphum describit accuratè Vopiscus. Currus in eo fuit quatuor ceruis junctus, qui fuisse dicebatur regis Gothorum: hoc ille Capitolium inuectus est. Præcedebant antè eum Gothi, Alani, Roxolani, Sarmatæ, Franci, Sueui, Vandali, Germani, religatis manibus captiui. Ductæ sunt & decem mulieres, quas ille virili habitu pugnantes inter Gothos ceperat. Quibus rebus gestis ad Gallias profectus est, Vindelicosque obsidione Barbarica liberauit; deinde ad Illyricum redijt, paratoque magno potius quam ingenti exercitu, in Asiam profectus, in via interemptus est. Statim ab eius obitu, allatus est in vrbem rumor, limitem trans Rhenum a Germanis ruptum occupatasque vrbes validas, nobiles, diuites, & potentes; quod quum ad Senatum a Consule relatum esset, protinus delectus
An Chr. cclxxiii. est imperator TACITVS. Nec multo post PROBVS, cui acclamatum, *Tu Francicus, Tu Gothicus, Tu Sarmaticus, Tu Parthicus, Tu omnia, & prius fuisti semper dignus imperio, dignus triumphis.* Manlius quoque Statianus dixit, *Testes tuarum virtutum sunt Franci, inuijs strati paludibus, testes Germani & Allemanni, longe a Rheni submoti littoribus. Iam vero quid Sarmatas loquar, quid Gothos & Parthos ac Persas atque omnem Ponticum tractum?* Rebus autem compositis, statim cum ingenti exercitu Gallias petijt, quæ omnes occiso Posthumio turbatæ fuerant, interfecto verò Aureliano a Germanis possessæ. Tanta autem illic prælia feliciter gessisse illum autor est Vopiscus Syracusius, vt a Germanis sexaginta per Gallias nobilissimas receperit ciuitates, prædam deinde omnem, qua illi præter diuitias etiam efferebantur in gloriam. Et quum iam illi in ripa Gallica, imò per omnes Gallias securi vagarentur, cæsis prope CCCC millibus qui Romanum occupauerant solum, reliquias ille vltra Nicrum fluuium & Albim remouit, tantumque de his prædæ barbaricæ retulit, quantum ipsi Romanis abstulerant. Contrà verò vrbes Romanas & castra in solo barbarico posuit, atque illic milites collocauit: nec cessatum est vnquam pugnari, quum quotidie ad eum barbarorum capita deferrentur ad singulos aureos singula: quamdiu reguli nouem ex diuersis gentibus venirent atque ad pedes Probi jacerent; quibus ille primùm obsides imperauit, qui statim dati sunt, deinde frumenta, postremò etiam vaccas atque oues. Conatus est & limitem Romanum extendere, vt fieret Germania tota prouincia. Accepit præterea è Germanis sedecim millia tyronum, quos omnes per diuersas prouincias sparsit, ita vt numeris vel limitaneis militibus quinquagenos & sexagenos interseret, dicens, sentiendum esse, non videndum, quam auxiliaribus barbaris Romanus miles inuaretur. Compositis ita rebus in Gallia, litteras ad Senatum dedit, quibus significauit, subactam a se esse omnem, quam latè tenditur, Germaniam. *Nouem*, inquit, *reges gentium diuersarum ad meos pedes, imò ad vestros supplices stratique iacuerunt. Omnes iam barbari vobis arant, vobis jam serunt, & contra interiores gentes militant. Quadringenta millia hostium cæsa sunt: Sedecim millia armatorum nobis oblata. Septuaginta vrbes nobilissimæ captiuitate hostium vindicatæ, & omnes penitus Galliæ liberatæ. Arantur Gallicana rura barbaris bobus, & iuga Germanica captiua præbent nostris colla cultoribus. Pascuntur ad nostram alimoniam gentium pecora diuersarum. Equinum pecus nostro iam fœcundatur equitatui: Frumento barbarico plena sunt horrea. Quid plura? Illis sola reliquimus sola; nos eorum omnia possidemus. Volueramus P. C. Germaniæ nouum præsidem facere, sed hoc ad pleniora vota distulimus.* Vtinam verò accuratam illorum bellorum historiam nobis ea tempora non inuidissent! haberemus hauddubiè distinctam multarum rerum notitiam, quas nunc cogimur ignorare.

ignorare. Hoc quidem præ alijs narrat Zosimus, Occepto bello, quum fames exercitum premeret, immensum imbrem delapsum, vna cum aquis frumentum quoque detulisse, adeò quidem copiosè, vt eius acerui quibusdam in locis construerentur. Acres quoque Imperatori pugnas commissas primum contra Logiones (suspicor esse Lygios) nationem Germanicam, ijsque deuictis Semnonem quoque ipsorum ducem cum filio viuum in potestatem venisse, ac supplices factos, tandem restitutos esse. Narrat præterea pugnasse ipsum aduersus Francos, ac posteà cum Burgundis etiam & Vandalis, captumque ipsorum ducem Igillum; captiuosque omnes ab ipso in Britanniam missos, adsignatis etiam illic sedibus, vt quum opus esset inde peterentur. Memorabile est autem, & ad Francorum egregiam belli gloriam illustre, quod Rhetor in suo Panegyrico commemorat, exiguas Francorum copias, quos Imperator Probus bello superatos in Pontum captiuos abduxerat, nauibus aliquot interceptis vsque in Græciam & Asiam vagatos esse, atque inde Siciliam inuasisse, Syracusas cepisse, & onustos præda ac spolijs per fretum Herculeum in Oceanum reuertisse. Verba illius hæc sunt. *Recursabat*, inquit, *in animos, sub Diuo Probo, paucorum ex Francis captiuorum incredibilis audacia, & indigna felicitas; qui a Ponto vsque correptis nauibus, Græciam Asiamque populati, nec impune plerisque Lybiæ littoribus appulsi, ipsas postremo naualibus quondam victorijs nobiles ceperant Syracusas, & immenso itinere permenso, Oceanum, qua terras rupit intrauerant, atq; ita euentu temeritatis ostenderant, nihil esse clausum piraticæ desperationi, quò nauigijs pateret accessus.* Græci narrant Francos quum ad Imperatorem accessissent, & ab eo sedes obtinuissent, defectionem molitos, magnamque nauium copiam nactos, totam Græciam conturbauisse, in Siciliam quoque delatos, & vrbem Syracusanam adortos, magnam in ea cædem edidisse. Tandem quum & in Africam adpulissent, ac rejecti fuissent, abductis Carthagine copijs nihilo minus domum redijsse, nullum passos detrimentū. Qua in narratione (Zosimi autem ea est) accuratam ego profectionis totius seriem desidero, ingentem historiæ lucem, si exstaret, allaturam. Gepidæ quoque & Gautunni, & Vandali à Probo in solum Romanum translati sunt, sed non multo post diffluxerunt, ac per totum penè orbem pedibus & nauigando vagati sunt, nec parum molestiæ Romanorum gloriæ intulerunt. Posteà, quum Proculus & Bonosus apud Agrippinum in Gallia imperium arripuissent, omnesque sibi Britannias, Hispanias, & braccatæ Galliæ prouincias vindicarent, vicit ipsos Probus iuuantibus Germanis. In cujus fidei præmium permisit Gallis omnibus, & Hispanis, ac Britannijs, vt vites haberent, vinumque conficerent, quod quidem jam inde a Domitiani æuo, qui id lege prohibuerat, intermissum fuit. Ipse etiam Almam montem in Illyrico circa Sirmium militari manu fossum, lecta vite consevit. Aureum quoque montem prouincialibus colendum dedit, teste Eusebio in Chronicis. Atque hæc quidem origo in Gallia Germaniaque vitium. *Ad An. Christ. cclxxx.*

Oppositi se autem Imperatori huic PROCVLVS, qui etiam Francos ad bellum contra ipsum mouendum concitauit, a quibus ille se originem trahere dicebat, sed victus & interemptus ab ipso est, ipsis quoque Francis prodentibus. Orosius Proculum & Bonosum apud Agrippinam superatos scribit. Anno ab vrbe condita MXL DIOCLETIANVS ab exercitu electus imperator interfecto Apro superatoque Carino, ad motus in Gallia cohibendos MAXIMIANVM Cæsarem fecit, seruato sibi Oriente. Rusticana enim manus Gallorum pressa exactionibus, vt videtur, desperationem in arma verterat ducibus Amando & Æliano: Christianorum quoque per Gallias Germaniasque crescens Ecclesia, Cæsarem juratissimum *An. Chr. cclxxxvi.*

tissimum illius religionis hostem non alia de caussa offenderet, quam quod Gentilium sacris desertis vnum Deum insigni vitæ innocentia coleret, & filium eius Iesum Christum ante annos CCLXXXVII natum sub Augusto, & sub Tiberio postea crucifixum. Ac Bagaudarum quidem imbellem turbam Maximianus leuibus aliquot prœlijs domuit. Sed quum ad supplementa exercitus missa esset à Diocletiano legio Thebæa ex Oriente, quæ ab Episcopo Ierosolymitano Zambda Christianorum sacris initiata, postea etiam in Italia in eadem confirmata fuerat, iamque superatis Alpibus Octoduri (opidum est ad Rhodanum in Veragris) lustrandus esset exercitus, protinus eum Maximianus voluit Gentili more sacramentum sibi dicere, quæ res cum Christianitatis abnegatione coniuncta erat. Secessit ergo Thebæa legio ad octo millia passuum longius, substititque Agauni, medio inter Octodurum & lacum Lemannum spatio. Euocati a Maximiano quũ pertenderent, tandem eorum decimus quisque sorte ductus fuste necatus est: cæteri Octodurum rediere, qui quum post primam decimationem nihilominus constarent, decimati sunt iterũ, ac tandem omnes deleti, missis in ipsos reliquis legionibus: gesta hæc XI Kal. Octobris. Eadem tempestate Carausius gente Menapius littori Belgico præfectus in suspicionem rebellionis apud Maximinum venit; quam historiam ita describit Orosius. *Carausius quidam, genere quidem infimus, sed consilio & manu promptus, quum ad obseruanda Oceani littora quæ tum Franci & Saxones infestabant, positus, plus in perniciem quam in prouectum Reip. ageret, ereptam prædonibus prædam nulla ex parte restituendo dominis, sed sibiipsi vindicando, accendit suspicionem, quasi ipsos quoque hostes ad incursandos fines artifici negligentia permitteret, quamobrem a Maximiano iussus occidi, purpuram sumpsit, ac Britannias occupauit.* Sed interest audire Helinandum. *Comperto*, inquit, *quod Carausius quidam nobilis insidias contra Romani regni fines moliretur, qui tamen procurator constitutus erat prouincia quæ est iuxta Oceanum, vbi Franci iam secundo suis sedibus expulsi iuxta Gallorum & Saxonum confinia consederant: misit illuc per Rheni fluminis alueum partem sui exercitus Maximianus, cuius militari virtute nefarius cassaretur inceptus: in quo itinere Gereonem, Victorem, Cassium, & Florentium felices turmæ Christianorum sequebantur.* Ac post multa, *Repererunt Romani primarios milites, Cassium & Florentium cum septem alijs similis constantiæ viris iuxta Veronam ciuitatem in ripa Rheni fluminis considentes, alioſque cum eis eiusdem agminis. Hos quum agnouissent de Orientali fuisse præsidio, sæuientes contra eos peremerunt.* Posteà addit, eosdem persecutores in campis Agrippinæ magnæ ciuitatis Gereonem cum socijs CCCXVIII interemisse, locoque inditum ab accolis nomen *Ad martyres*. Inde profectos eos Troiam. Baronius putat Veronam esse Bonnam, vultque in Actis martyrum nomen illud reponi, parum gnarus loca illa distincta esse; Verona enim est Buringum *Woeringen*; *Ad martyres*, quod etiam *Ad sanctos* dictum fuit, est *Santen*. *Troia*, quam quidam *Cleyn Troyen* vocant, est *Castra* vel *Col. Traiana*; vel *Castra Vlpia*. Sed hæc obiter. Haud multo post, Maximo iterum & Aquilino Coss. pleræque Germaniæ nationes, quod sæpè ante fecerant, inter se conspirarunt, vltimum excidium Gallijs intentantes, nihil etiam Maximiani præsentiam reueriti. Hi fuere, non solùm Burgundiones & Allemanni, sed etiam Chaibones, & Heruli, qui traiecto Rheno quum in prouincias proximas irrupissent, omnia cæde, vastatione, atque incendio miscuerunt. Quo tumultu excitatus Maximianus castra aduersus eos mouit; sed vbi Burgundiones & Allemannos fame & pestilentia, duobus extremis malis laborare intellexit, relictis ijs cõtulit se in Chaibonas & Herulos, ipsosque protinus profligauit. Audiamus Panegyristem Belgam, *Quum omnes barbaræ nationes ex-*

An. Chr. CCLXXXVI.

nes excidium vniuersæ Galliæ minarentur, neque solum Burgundiones & Allemanni, sed etiam Chaibones Heruliquevi-ribus primi, locis vltimi præcipiti impetu in has prouincias irruissent, quis Deus tam insperatam salutem nobis attulisset nisi tu adfuisses? Tu enim diuinæ prouidentiæ imperator, consilio prius quam vi bellum gerendum ratus, cæteros quidem perduelles, quibus ipsa pestifera erat multitudo, ire passus es in profundam famem, & ex fame in pestilentiam: Chaibonas autem Heruloſque non dignatus es pariter perdere. Atque vt interim diuina virtus tua exercitatione solita non careret, aperto Marte atque vno impetu eos perculisti, non vniuerso ad id prælium vsus exercitu, sed paucis cohortibus. Ita cuncti Chaibones, Herulique cuncti, tanta internecione cæsi interfectique sunt, vt extinctos eos relictis domi coniugibus ac matribus non profugus aliquis e prælio, sed victoriæ tuæ gloria nuntiaret. Transeo innumerabiles tuas tota Gallia pugnas atque victorias. Quod autem maius euenire potuit illa tua in Germaniam transgressione, qua tu primus omnium probasti, Rom. imperij nullum esse terminum nisi qui tuorum esset arbitriorum? Atqui Rhenum antea videbatur ipsa sic natura duxisse, vt eo limite Romanæ prouinciæ ab immanitate barbarica vindicarentur. Et quis vnquam ante vos princeps non gratulatus est, Gallias illorum amne muniri? Quando non sine metu nostro Rheni alueum minuit diu serena tempestas? Quando non cum securitate nostra illius dilauia creuerunt? Exinde igitur soluto animo ac libero sumus, licet Rhenus arescat, tenuique lapsu vix leues calculos perspicuo vado pellat; Nullus inde metus est. Quicquid vltra Rhenum prospicio Romanum est. Et interiectis pauculis. *Ingressus es nuper illam quæ Rhætis est obiecta Germaniam, similique virtute Romanum limitem victoria protulit.* Ponte enim super Rhenum strato exercituque transmisso Maximianus Allemanniam inijt, ac rege eius inter ipsas quas moliebatur insidias capto, ab ipso ponte vsque ad Danubij caput continenter Allemannos prælijs prosperè factis edomuit, ac totam regionem ferro atque igne vastatam opibus exhausit. In Scythia verò, Vittungi & Carpi, quorum illi e Gothis profecti in Grutungos ac Teruingos erāt distributi, trans Istrum a Diocletiano compulsi sunt. Interea Batauorum regio a Francis occupata dudum & recta, nunciabatur ad Carausium vel nouitatis studio, vel prædæ auiditate, vel quietis tædio, vel vicinæ gentis societate, erat enim Carausius Menapius, pellecta, defeciſſe: quæ res Maximianum impulit, vt omnes belli curas apparatusque conuerteret in Batauos & Britannos. Ac Batauorum quidem solum ita describit Panegyristes. *Regio illa, quam obliquis meatibus Vahalis interfluit, quamque diuortio sui Rhenus amplectitur, penè, vt cum verbi periculo loquar, terra non est; ita penitus aquis imbuta permaduit, vt non solum qua manifestè palustris est, cedat ad nixum, & hauriat pressa vestigium, sed etiam vbi paullo videtur firmior, pedum pulsu tẽtata quatiatur, & sentire se procul mota testetur: ita vt res est, subiacentibus innatat, & suspensa late vacillat, vt meritò quis dixerit, exercendum fuisse tali solo militem ad nauale certamen.* In hac regione Francos deuicit, ita vt eos neque fraudes locorum, neque perfugia siluarum tegere potuerint, quo minus omnes se dedere cogerentur, & cum coniugibus ac liberis cæteroque examine necessitudinum ac rerum suarum ad loca olim deserta transirent, eaque colendo exornarent. Atque huc spectant ista eiusdem Panegyristæ. *Arat ergo nunc mihi Chaucus & Frisius, & ille vagus, ille prædator exercitus mihi operatur, & frequẽtat nundinas meas, mihi ille cultor barbarus laxat annonam. Quinetiam si ad delectum vocetur, adcurrit, & obsequijs teritur, & tergo coercetur, & seruire se militiæ gratulatur.* Bratannicam vero expeditionem propter nauium infrequentiam differendam duxit. Gerabon Francorum rex in pacem admissus est,

multæ

multæ Franeorum familiæ in fines Galliæ traductæ sunt, atque in agris Neruiorum & Treuirorum locatæ. Anno a Christo nato CCXC natalitia sua Maximianus Treuiris celebrauit; In ea pompa Mamertinus Rhetor Belgicus oratione habuit, in qua præter Diocletiani res aduersus Scythas feliciter gestas, recensuit etiam quæ a Maximiano prosperè gesta erant in Gallijs, vtque Burgundiones Allemannorum agros occupauerint, Allemanni vero sua clade quæsitas terras amiserint, ac posteà repetiuerint. Eopse anno CONSTANTIVS Chlorus iam a Maximiano adoptatus compositis in littore Gallico rebus Batauos oppugnare instituit, qui Britannico tumultu sollicitantibus Francis quum defecissent, tumultuabantur. Quibus compressis, multos illeFrancos in agros HæduorumLingonum, Rhemorum, Tricassiorum, & Ambianorum excolendos atque a solitudine vindicandos transtulit. Itaque sequenti anno Panegyrista post exaggeratam victoriam quam a Britannis Cæsar reportarat, sic tandem concludit, *Sicut tuo, Maximiane nutu Neruiorum & Treuirorum arua iacentia receptus in leges Francus excoluit, ita nunc per victorias tuas, Constanti Cæsar inuicte, quicquid infrequens Ambiano & Bellouaco & Tricassino solo Lingonicoque restabat, Batauo cultore reuirescit; quinetiam illa, cuius nomine mihi peculiariter gratulandum, deuotissima vobis Hæduorum ciuitas ex hac Britannicæ facultate victoriæ plurimos quibus illa prouincia redundabat, accepit artifices, & nunc exstructione veterum domorum & refectione operum publicorum & templorum restauratione consurgit.* Nec multo post Allemanni Rhenum glacie concretum hieme transmittentes, Lingonas infestarunt. Constantius eos repressurus in campis Vindonensium, vno eodemque die aduersam pariter & secundam fortunam expertus est. Nam fugato ab Allemannis exercitu vix ipse reste e mœnibus dimisso in vrbem attractus seruatusque est. Sed repetito post quinque horarum spatium certamine iterum cum illis congressus LX ipsorum milla prostauit, cæteri quum per glaciem Rhenum transmisissent, in deditionem accepti sunt. Porro Constantio huic acceptum ferendum est beneficium scholæ Menianæ in Augustodunensium oppido; de quo nos suo loco. *Lib. III. in Cliuia.*

An. Chr. 292.

Anno 296.

CAP. X.

Sequentia, sub CONSTANTINO & CRISPO, *ex Zosimo, & Panegyristis.*

CONSTANTINVS post obitum Constantij patris (obijt is Eboraci in Britannia) nondum tamen Augustus duos reges barbaros Asaricum & Gaisonem cepit, qui violata pace quã cum Constantio patre pepigerant, Galliam absente illo innaserant. Testatur id Panegyristes oratione in Maximianũ & Constant. Nam quum de patre dixisset: *Multa ille Francorum millia qui Batauiam aliasque eis Rhenum terras inuaserant, interfecit, depulit, abduxit*; posteà ad Constantinum conuersa oratione hęc subdit. *Tu iam ab ipsis eorum regibus auspicatus es, simulque & præterita illorum scelera punisti, & totius gentis lubricam fidem timore vinxisti.* Et Nazarius. *Tu ferocissimis regibus Asarico & Comite Gaiso captis, tanta laude res bellicas auspicatus es, vt iam inauditæ magnitudinis obsidem teneamus. Vt Herculem ferunt tenerum adhuc atque lactantem duos angues manu elisisse; vt iam infantulo indoles futuri roboris immicaret: sic tu Imperator in ipsis Imperij tui cunabulis, quasi geminos dracones necares, per sauissimorum regum famosa supplicia ludebas.* Sequente anno illatum est bellum Bructeris, Francorum populis, qui regum suorum efferati supplicijs, tumultuabantur. Eos Constantinus transmisso Rheno subito inuasit nihil tale cogitantes, vi-

An. Chr. CCVII.

An. Chr. CCCVIII

cos incendit, mares post triumphum edito magnifico spectaculo belluis dilaniandos dedit. Vtque Francos magis terreret inopinati aduentus formidine, exstruxit etiam ad Coloniam Agrippinę pontem, quà amnis est impetuosissimus; cum castro in ipso Francorum solo: quo facto perculsi Franci missis legatis datisque obsidibus pacem impetrauere. Huc puto referendam inscriptionem eam quam in cœnobio Diuitensi contra Agrippinam quum murus quidam dirueretur, tepertam esse in tabula lapidea testatur B. Rhenanus DIVITENSE MVNIMENTVM IN TERRA FRANCORVM AB IMP. CÆS. FL. VAL. CONSTANTINO PRO MILITIBVS IN TVTELAM GALLIARVM COLLOCANDIS. Eodem anno etiam Bructeri, Chamaui, Cherusci, Vangiones, Allemanni, & Tubantes, qui Constantino aduersus Maximianum, dominandi libidine imperium quod deposuerat reposcentem, profecti rebellarant, blanditijs potius & benignis verbis quam armorum vi ad societatem redacti sunt. Huc refero ista Nazarij Rhetoris. *Quid memorem Bructeros, quid Chamauos? quid Cheruscos, Vangiones, Allemannos, Tubantes? bellicum strepunt nomina, & immanitas barbariæ in ipsis vocabulis adhibet horrorem. Hi omnes sigillatim, dein pariter armati, conspiratione fœderatæ societatis exarserant. Tu tamen, Imperator, quum tantam belli molem videres, nihil magis timuisti, quam ne timereris. Adis barbaros, & dissimulato Principis habitu quam proxime poteras cum duobus accedis. Facis verba: Spem illorum agitas & versas, crudelitatem negas esse præsentem.* Post confectum Romæ Maxentium audiens rursus Constantinus Francos fœdus violasse, ac delectis irruptionis autoribus ad Rhenum tendere, eadem festinatione qua redierat in Galliam, ad inferiorem Germaniæ limitem properauit. Coerciti sunt eius præsentia Franci; At ille periculum ipsorum fidei facturus, simulat discessum ad superiorem exercitum: Reuersi igitur Franci, subito oppressi sunt. Quam rem Gallicanus Orator hisce verbis descripsit. *Illicò tu Francis obuius fuisti, & præsentia tua ne auderent transitum Rheni, terruisti. Etiam videbaris rem votis tuis feciſſe contrariam, quod inhibita eruptione non foret materia victoriæ. Sed inopinato consilio vsus (abijsti enim simulato nuncio maioris in superiore limite tumultus) occasionem stolidis ac ferinis mentibus obtuliſti in nostra veniendi, relictis in occulto ducibus, qui securos adorirentur. Quò quum venisses, consilium tuum sequitur fortuna; Toto Rheni alueo oppleto nauibus deuectus, terras eorum ac domos mœstas lugentesque populatus es; tantamque cladem vastitatemque perituræ genti intuliſti, vt vix post illud nomen habitura sit.* Circa idem tempus ad petitionem Cæciliani Cathaginensis dati sunt qui causam Ecclesiasticam aduersus Donatum accusatorem cognoscerent ex Italia x v, ex Gallia tres, Maternus Agrippinensis, Rhæticus Augostodunensis, & Marinus Arelatensis, quos magnæ fuisse & autoritatis & eruditionis necesse est. Hi Romæ Cæcilianum absoluerunt, Donatum condemnarunt, confitentem se rebaptizasse, & Episcopis lapsis manus imposuisse. Eosdem offendo sequenti etiam anno in Concilio Arelatensi. Porro Constantino dum Arelate esset, puer natus est è Fausta, quem a se Constantinũ appellauit. Inde Treuiros concessit in hiberna, vbi ludos ob victoriam Francicam edidit, regia quidem magnificentia, sed crudelitate inhumana. Seruatos enim è prælio in arena occidendos curauit, spectaculum sibi & ciuibus. Et tamen hocipsum celebrat orator Gallus. *Quid*, inquit, *hoc triumpho pulcrius, quod cædibus hostium vtitur etiam ad nostram omnium voluptatem, & pompam munerum de reliquijs barbaricæ cladis exaggerat? ac tantam captiuorum multitudinem bestijs obijcit, qui quum exitium differre liceat, perire festinant, seseque letalibus vulneribus & mortibus offerunt. Ex quo apparet, trucem Francum ferina sola carne distentum,*

Rer. Ger. Lib. I.

An. Chr. cccxii.

An. Chr. cccxiii.

tentum, qui vitam contemnat, quantæ molis sit superare vel capere; quod tu Imperator in ipso conspectu barbariæ paullo ante feciſti. Haud multo poſt, CRISPVS Cæſar, Conſtantini filius ad tutandam aduerſus Germanos Galliam a patre relictus Treuiris, limites imperij egregie defendit, cæſis Francis, quod etiam Nazarius in Quinquennalibus Conſtantini indicauit his verbis, *Francorum natio fœcunda malis ſuis ita raptim adoleuit ad gloriam veſtram, vt fortiſſimo Cæſari primitias ingentis victoriæ daret, quum memoria acceptæ cladis non infracta ſed aſperata pugnaret.* Sed & Allemannos ab eo victos teſtantur numi, in quorum aduerſa parte legitur FL. IVL. CRISPVS NOB. CÆS. in auerſa conſpicitur figura nuda & radiata, dexteram eleuans, ſiniſtra globum tenens, cum litteris, ALEMANNIA DEVICTA SIRMI. Alius habet, ALEMANNIA CAPTA. Poſthæc Conſtantinus exſtructa vrbe in Oriente, cui a ſe nomen dedit, Sarmatas Vandaloſque a Gothis pulſos in Pannoniam recepit, primuſque vt refert Zoſimus, barbaros Romanæ militiæ adſcripſit; Qua quidem in re iudicio fallitur; ſed quod addit, veriſſimum eſt, rem iſtam magnarum poſteà in imperio mutationũ cauſſam dediſſe: nam quod cum ratione & modo fecerant hactenus priores Imperatores, id promiſcue ille, ſine delectu & modo permiſit, vt inopes, & vagæ, ſediumque expertes gentes intra limitem Romani imperij reciperentur. Conſtantini ergo ſiue conſilium ſiue neceſſitatem imitati poſteriores imperatores, Conſtantius, Valens, Theodoſius, integras nationes trans Danubium, inque Romanis prouincijs manſionem quærentes, admiſere, ac poſteà fortiſſimum quemque ex ijs & prudentiſſimum ad honores militares euexere, exhauſta iam & fracta Romanorum, vt videtur, virtute, nihilque priſtinum ſpirante. Ita ſuperato vtrimque imperij termino, Rheno, inquam, & Danubio, incubuere ipſis, hinc Alamanni, Franci, Sueui, Saxones; illinc Gothi, Alani, Gepidæ, Vandali, Hunni, Germaniamque ipſam in Gallias, Hiſpaniam, Italiam, Africamque effudere.

An. Chr. cccxvi.

An. Chr. cccxxviii

CAP. XI.

Quænam fuerit ratio militiæ Romanæ & ordinationum per Gallias & Germanias poſt diuiſum imperium, ex Notitia Imperij.

QVia verò Romani imperij tanquam corporis ſenio ac morbis confecti, ab hoc inde tempore potiſſimum cepit decreſcere potentia, efferentibus imprimis ſe Germanorum copijs, ſiue libertatis ſtudio, ſeu tædio alieni dominij, non videbor forte abs re facturus, ſi oſtendero hoc loco ex Notitia Imperij quænam fuerint Populi Romani vires, & quæ ipſorum ad debellandam Germaniam copiæ. Occurrunt igitur inter officia,

Dux & Præſes Germaniæ primæ, in qua Moguntiacum, Argentoratum, Nemetes, & Vangiones.

Dux & Præſes Germaniæ ſecundæ, in qua Colonia Agrippinenſis: Hunc nullum ponit Notitia:

Dux & Præſes Belgicæ primæ, cujus metropolis Treuirorum Colonia. Neque hunc ponit Notitia; duæ tamen in ea dicuntur fuiſſe Legiones, vna Lætorum Lingonenſium, altera Lætorum Actorum Epuſo.

Dux Belgicæ ſecundæ, quæ ſe a Moſa ad Sequanam vſque extendit. Huius ditio omnis dicitur littus Saxonicum. Sub hujus vero ducis diſpoſitione fuere equites Dalmatæ *Marcis*, in littore Saxonico, quod oppidum fuit ex aduerſo Britanniæ. Præfectus claſſis *Samarobri-*

gæ, in loco Quartensi siue Hornensi. Tribunus militum Neruiorum, *Portuo patiaci.*

Comes Argentoratensis, cuius quæ ratio fuerit, ignoratur, neque enim id refert Notitia.

Dux Moguntiacensis, sub quo ponuntur in Notitia, Saletio, Tabernæ, Vicus Iulius, Nemetes, Alta ripa, Vangiones, Moguntiacum, Bingium, Bodobrica, Confluentes, Autunnacum; habuit sub dispositione sua. Præfectum militum Pacensium *Saletione*; Præfectum militum Menapiorum, *Tabernis*: Præfectum militum Anderenicianorum, *Vico Iulio*: Præfectū militum Vindicum, in *Nemetibus*. Præfectum militum Martensium, ad *Altam ripam*. Præfectum militum secundæ Flauiæ in *Vangionibus*. Præfectum militum armigerorum *Moguntiaci*. Præfectum militum Bingensium, *Bingij*, Præfectum militum balistariorum *Bodobricæ*. Præfectum militum defensorum *Confluentibus*: Præfectum militum Acinnensium, *Autucnaci*.

Fuere præterea Thesauri, *Remis*, *Augustæ Vindelicorum*, *Lugduni*, *Arelati*, *Nemausi*, *Treuiris*.

Argentariæ, *Remis* & *Treuiris*, *Arelati*, quibus præerat Præpositus Brambaricariorum.

Monetæ, *Treuiris*, *Lugduni*, & *Arelati*.

Cynegium, *Rhemis*, *Tornaci*, *Treueris*, *Lugduni*, *Arelati*, *Augustoduni*, quod posteà translatum est *Metas*:

Fuere & Fabricæ, *Argenteratensis*, armorum omnium.

Matisconensis, sagittaria.

Augustodunensis, loricaria,

Suessionensis, scutaria, balistaria, clibanaria.

Remensis, Spataria.

De clar. urbib. *Treuirensis* scutaria, Quocircà de Treuiris Ausonius,

Imperij vires hæc alit, hæc vestit, & armat,

Eadem balistaria.

Ambianensis spataria & scutaria.

Et linificium *Viennense*.

Suspicor quoque ad *Naualia* fuisse fabricam nauium, ob Rheni & lignorum ex siluis Arduenna & Hercynia opportunitatem, nomenque loco inditum ex re.

Iam in duodecim legionibus Palatinis fuere etiã legiones hæ, TVNGRIANI *seniores*, lecti ex Tungris. Horum mentio est apud Marcellinum. CIMBRIANI lecti ex Cimbris, quos sub Comite Africæ militasse constat. *Lib. xxvi. & xxvii.*

In sexaginta auxilijs Palatinis fuere, BATAVI SENIORES, quos lego Comiti Italiæ interdũ obsecutos; interdum inter auxilia Palatina primi magistri militum præsentalis. Ammianus eos Herulis jungit quia simul militabant, vocatque eos auxilium velitare. *Herulorum*, inquit, *Batauorumque vexillum direptum*: & rursum, *Moto ergo velitari auxilio*, Herulis scilicet Batauisque, *& numeris Mœsicorum*, *Dux Bononiam venit*. *Lib. xx. & xxvii.*

MATTIACI SENIORES: Hi sub comite Italiæ merebant, reperiuntur verò etiam in Oriente sub primo magistro militum præsentali.

SAGITTARII NERVII: qui sub Comite Hispaniarum stipendia faciebant:

SAGITTARII TVNGRI.

TVBANTES: qui sub Comite Hispaniarum merebant: Fuerunt etiam qui inter XVII auxilia Palatina in Oriente militarent.

SALII; Pars fuere Francorum. Hi in Galijs magistrum Equitum sequuntur: recensentur quoque iidem inter XVIII auxilia Palatina in Oriente.

BATAVI SENIORES.

BRVCTERI: Hi in Galliis cum magistro Equitum militabant.

AMPSIVARII. Et hi quoque magistrum Equitum in Galliis sequuntur.

SEQVA-

SEQVANI cum Comite Illyrici militant.
HONORIANI ATECOTTI.
HONORIANI MARCOMANNI seniores.
BRISGAVI SENIORES, merebant sub Comite Hispaniarum.
BRISGAVI IVNIORES militabant in Italia.
BATAVI IVNIORES erant sub magistro equitum Galliarum.
MATTIACI IVNIORES Gallicani Comitem Illyrici sequebantur.
SALII GALLICANI juniores.
SAGITTARII NERVII Gallicani, cum magistro equitum Gallias tuebantur.
TVNGRI sub Comite Illyrici.
In legionibus Comitatensibus Magistri peditum per Orientem fuere
MENAPII SENIORES.
VESONTES.
MATTIARII IVNIORES.
GERMANICIANI.
CORTORIACENSES, sub magistro equitum in Galliis.
Inter octodecim verò legiones Pseudocomitatenses fuit PRIMA FLAVIA Metis.
Præterea, sub dispositione Comitis & magistri equitum præsentalis fuere inter vexillationes nouem Palatinas
EQVITES BATAVI SENIORES.
EQVITES BATAVI IVNIORES.

Inter vexillataiones Comitatenses, EQVITES MARCOMANNI. Erant igitur in ITALIA *Tungricani* Seniores, *Batani* Seniores, *Mattiaci* Seniores, *Brisgaui* Iuniores, *Mattiaci* juniores, *Marcomanni*. In ILLYRICO Sagittarij *Tungri*, *Sequani*, *Rhæti*, *Tungri*, *Mattiaci*. In GALLIA *Mattiaci* juniores, *Salij* Seniores, *Bructeri*, *Ampsiuarij*, *Batani*, *Batani* juniores, *Mattiaci* juniores Gallicani, *Menapij* Seniores, *Cortoriacenses*, *Auderenicani*, *Tornacenses*. IN HISPANIA Sagittarij *Nerulj*, *Tubantes*, *Brisgaui* Seniores, *Salij* juniores Gallicani, *Vesontes*. In AFRICA *Celtæ* juniores, *Cimbriani*. Et cum Comite magistro Equitum Galliarum, Equites *Batani* Seniores, Equites *Batani* iuniores.

Atque hac tam ordinatâ tamque instructâ legionibus, opibus, animis, consilio militia, videtur exiguo tempore expugnari potuisse Germania, ipsis præsertim operam suam accommodantibus Germaniæ superioris atque inferioris prouincijs jam in societatem Romanam adsumtis, ac præterea à Transrhenanis perfugis aut mercenarijs, nisi plus valuisset Romanorum armis ingenitus plerorumque animis patriæ libertatis amor. Fatetur id de Chaucis Plinius: qui post descriptas ipsorum miserabiles sedes, *Et hæ gentes*, inquit, *si vincantur hodie a populo Romana, seruire se dicunt*. Malebant scilicet vitam vtcumque tolerare in patria, quam extrà eam amissa libertate delicatius viuere. Neque vero vnquam tantum profecissent Romani in illis debellandis, nisi mutuis plerumque irritatos dissidijs inuasissent, aut vocati ad oppressæ partis restitutionem, vtriusque oppressioni incubuissent. Hac discordia Bructeri iam olim exciti penitus sub Nerone a Chaumauis & Angriuarijs; Eodem consilio aluerunt Romani gentium inter se odia, neque minus incrementi rebus suis sperauerunt ex intestinis Germanorum motibus, quam ex ingenti illo quem retulimus armorum apparatu. Itaque hac mente optans Tacitus, *Maneat*, inquit, *quæso duretque gentibus si non amor nostri, at certè odium sui; quando vrgentibus imperij fatis nihil iam præstare fortuna maius potest, quam hostium discordiam*. Euocati ergo Romani ad componendas partes, vel ad iuuandos aduersus potentiorum arma infirmos atque oppressos, irritabant multo magis

Lib. xvi. Cap. 1.

De moribus Germani.

gis dissentientes, ad mutuam perniciem: vel, si ita opportunum videretur, inuadebant ipsi regiones pulsis incolis, easque vel desertas relinquebant, vel suis militibus dabant colendas: Argumento est Boiocalus Ansibariorum dux, qui post peracta quinquaginta annorum stipendia sub Tiberio & Germanico, agros desertos incultosque occupauerat, adserens, sicut cælum dijs, ita terras generi mortalium datas; quæque sint vacuæ, eas publicas esse; neque esse humanitatis aut prudentiæ Romanorum, vastitatem & solitudinem malle, quam amicos populos. Cui ab Auito responsum est, Non alios judices Romanos quam seipsos pati. Ita factum, vt quibus patria in qua vinerent defuit, non defuerit terra qua honeste morerentur. Excisi enim sunt omnes. Nec fuit posterioribus seculis vel maior Romanorum comitas, vel minor Germanorum animus: indignum enim suis moribus judicabant, seruire alijs, in triumphum duci, spectaculum fieri alienæ libidinis, alterius arbitrio mori debere, suo non posse viuere; virtutem quam in patria colere atque exercere licebat, extra eam colere non posse. Sed imprimis obfuit Germanis disciplinæ militaris ignorantia; impetum enim animi, quo præcipuè supra cæteras gentes valent, sine ratione initio secuti, ruebant in arma, & inermia corpora hostium gladijs plerumque exponebant. Postquam verò cœperunt ipsi quoque arma tractare, & disciplinæ militari adsuescere, ausi sunt, non tantum fines suos tutari confidentius, quod sempet fecerant; & limitibus imperij transmissis vicinos populos longe lateque infestare; sed & de ipsa quoq; imperij sede Italia & Roma inuadenda consilia agitare. Merito igitur Seneca, *Quid Cimbrorum Teutonorumque tot milla superfusa Alpibus ita sustulit, vt tantæ cladis notitiam ad suos non nuntius, sed fama pertulerit, nisi quod erat illis ira pro virtute? quæ vt aliquando perculit strauitque obuia, ita sæpius sibi exitio est. Germanis quid est animosius? quid ad incursum acrius? quid armorum cupidius? quibus innascuntur innutriunturque, quorum vnica illis cura est, in alia negligentibus? Quid induratius ad omnem patientiam? vt quibus magna ex parte non tegumenta corporum prouisa sunt, non suffugia aduersus perpetuum cœli rigorem; Hos tamen Hispani Gallique & Asiæ Syriæque molles bello viri, antequam legio visatur, cædunt; ob nullam rem aliam opportunos, quam ob iracundiam. Agedum, illis corporibus, illis animis, delicias, luxum, opesque ignorantibus da rationem, da disciplinam, vt nihil amplius dicam, necesse erit nobis certè mores Romanos repetere.* Hisce igitur de caussis paullatim cœpit decrescere vasta illa imperij Romani moles, Germanique in suis ipsi terris inque suis populis Allemannos & Francos fouerunt, ingentem suo tempore Romanis cladem perniciemque allaturos. Nam in Occidente quidem Allemanni ex superiore Germaniæ Transrhenanæ parte, & Franci ex inferione transmissis imperij limitibus orbem Romanum postea infestauerunt; ac torrentis in morem omnia prostrauerũt: In Oriente verò Gothi, Alani, Vandali, Hunni, traiecto Danubio, incubuere Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, Africæ.

De Clem.

CAP. XII.

Gesta sub CONSTANTIO *Constantini maioris filio,* IVLIANO, VALENTINIANO, *Ex Ammiano Marcellino, Eutropio, Paulo Diacono, Aurelio Victore.*

POst Constantini patris obitum, rerum potiti sunt, in Italia CONSTANS, in Gallia CONSTANTINVS, in Oriente CONSTANTIVS: Ac Athanasium quidem Treueris exsulantem restituit Constanti- *An. Chr. cccxxxvii*

stantinus, litteris ad populum Alexandrinum datis Treuiris XV Kal. Iulias. Idem quoque Transrhenanos summa ope inhibuit: Atque huius quidem victoriæ testis est numus, inscriptionem hanc habens, ALEMANNIA DEVICTA, cum typo victoriæ alatæ & palmatæ, victum subiectumque hominem læuo pede calcantis; & in parte aduersa cum effigie Constantini iunioris. Post eius obitum Franci occasione illecti Rhenum violato fœdere transiuerunt, & fœdè Galliam populari inceperunt: sed repressi a Constante ad fines suos rediere. Constante verò ab Magnentio occiso, Constantius in Galliam profectus est vt Gundomado & Vadomario fratribus, Allemannorum regibus, obuiam iret, qui infestis incursionibus proximos Rheni limites diuexabant: ad cuius aduentum dilapsi barbari, occasionem ipsi præbuere exstruendæ ad lacum Brigantinum Constantiæ, atque ita Mediolanum in hiberna concessit. Syluanus tyrannidem quam in Gallia inuaserat, subito perdidit, confossus a militibus Braccatis & Cornutis. Post hæc audita Germanorum in Gallias excursione, Iulianum Galli fratrem Cæsarem sibi cooptauit, iuuenem tunc quidem litterarum gloria & Christianæ pietatis laude florentem. Huc referenda est historia militis cuiusdam abreptitij quam in vita Hilarionis refert B. Hieronymus. *Candidatus quidam Constantij imperatoris, ritila coma & candore corporis indicans prouinciam, (inter Saxones quippe & Allemannos gens eius non tam lata quam valida, apud historicos Germania, nunc verò Francia vocatur) antiquo, hoc est, ab infantia possessus a damone, qui noctibus eum vlulare, ingemiscere, fremere dentibus compellebat, secreto ab imperatore euectionem petijt, causam ei simpliciter indicans. Et acceptis ad Consularem quoque Palæstinum litteris, cum ingenti honore & comitatu Gazam deductus est. Quum ad Hilarionem venisset, videres de ore barbaro & qui Francam tantum & Latinam linguam nouerat, Syra ad purum verba resonare; vt non stridor, non aspiratio, non idioma aliquando Palæstini deesset eloquij. Confessus est damon quo in eum intrasset ordine. Et vt interpretes eius intelligerent, qui Græcam tantum & Latinam linguam nouerant, Græcè quoque eum interrogauit. Qui similiter & in verba eadem respondit.* Memorabile & illud, quod inter Germanos tunc fuerint, qui non tantum Christianitatis leges admitterent, sed etiam diligenter libros sacros voluerent. In his eximij Sunia & Fretela, ad quos scribens B. Hieronymus, sic orditur. *Vere in vobis Apostolicus & Propheticus sermo completus est, In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Quis hoc crederet, vt Barbara Getarum lingua Hebraicum quæreret veritatem, & dormitantibus, imò contendentibus Græcis, ipsa Germania spiritus Sancti eloquia scrutaretur. Dudum callosa tenendo capulum manus, & digiti tractandis sagittis aptiores, ad stilum calamumque mollescunt, & bellicosa pectora reuertuntur in mansuetudinem Christianam.* Sed nos hoc agamus. Iulianus igitur tendens in Gallias, Tauruni audiuit famam captæ ac deletæ Coloniæ Agrippinæ. Post ea per Decem pagos proficiscens, audiensque Argentoratum, Brotomagum, Tabernas, Salisonem, Nemetas, Vangionas & Moguntiacum ciuitatem barbaros possidentes, nam oppida vtpote validiora firmioraque studio vitauerant, ante omnia statuit Brotomagum occupare: Et fecit. Apud Vangionas S. Martinus militiam exuit. Inde per deserta loca, nulla enim per eos tractus ciuitas erat, neque castellum, nisi quod apud confluentes Mosellæ & Rheni Rigodulum (si recta est apud Ammianum lectio) erat oppidum, & vna propter Coloniam turris, Agrippinam tandem venit Iulianus, ac tamdiu illic commoratus est, donec Franci reges furore mitescente pacem firmauerunt, vrbemque deseruerunt munitissimam. Haud multò post Iulianus tumultu Germanorum excitus, Senonibus Rhemisque relictis properauit ad Barbaros. Interea An. Chr. cccLvi.

tereà Allemanni in arctum coacti, premente eos hinc Seuero, inde Barbatione cum xxv millibus armatorum, inter vtriusque exercitus castra dilapsi inuasere Lugdunũ incautam, eamque populatam etiam exussissent, nisi portis exclusi, iram in suburbia vertissent, quæ illi funditus vastauere. Qua re cognita Iulianus protinus itineribus omnibus ingenti militum manu insessis, cunctos oppressit. Tres Tabernas ab Allemannis dirutas (munimentum id erat Rheno vicinum) restaurauit. Allemannorum intereà reges Chonodamarius, Vestralpus, Vrius & Vrsicinus, cum Serapione, Sinomario, & Hortario consedere prope Argentoratum, rati Cæsarem quem iam Barbatio Romam profectus apud Constantium falsis criminibus accusabat, extrema metuentem retrocessisse: Sed Iulianus instructa acie cum ijs congressus, ope imprimis Cornutorum & Bracatorum, quibus se iunxerunt Bataui, victor fuit. Ceciderunt e barbaris sex mille. Plerosque fugientium hausit Rhenus: Chonodomarius in potestatem viuus venit. Iulianus compacto ponte ad Moguntiacum, amnem traiecit, agroque hostium incenso, castellum quod a Traiano exstructum Allemanni euerterant, restaurauit. Seuerus magister equitum Rhemos per Agrippinam & Iuliacũ petens, Francos offendit vacua præsidia vastantes. Horum ille partem fugauit, partem Iuliano Cæsari vincendam reliquit. Confecta Parisijs hyeme Cæsar, etiam ante Iulium mensem, a quo Gallicæ expeditiones incipiunt, iter in Germaniam inferiorem suscepit, non exspectata anni maturitate. Ac primum Francos petijt quos Salios vocant, iampridem ausos in Romano solo apud Toxandriam sibi domicilia exstruere. Tungri vltro deditionem fecere. Chamaui magna ex parte fracti bello sunt. Tria quoque castella ad ripam Mosæ sita, quæ hostis vastauerat, restituit. Inde contexto ponte nauali, Rhenum transiuit, inque Allemannorum fines ingressus, reges ipsorum aliquot in fidem recepit. Posthæc refecit euersa bellis oppida, horrea incensa restituit, eademque annona repleuit: occupauit quoque Castra Herculis, Quadriburgum, Tricesimas, Nouesium, Bonnam, Antunnacum, Bingium, & aliquantisper Moguntiaci moratus statuit per pontem ibi constitutum in Germanorum terras excurrere: sed mutata sententia alibi pontem strauit; perque illum Allemannos ferro ac flamma insecutus, omnia vastauit. Vbi verò ad fines Allemannorum & Burgundionum venit, subsedit, & cum ipsorum regulis Macriano, Hariobaude, Vadomario, cuius sedes erat cõtra Rauracos, pro Vrio atque Vrsicio pacem inijt, ea lege, vt captiuos redderent, prioribus incursionibus in ipsorum potestatem redactos. Sequente anno Iulianus in Britanniam profectus ad sedandos eius insulæ motus, Batauos Herulosque velites secum abduxit, quos protinus Constantius reuocauit, misso in eam rem Decentio tribuno, qui etiam plerosque è Celtis Petulantibus ei abstulit. Eodem anno Iulianus transmisso Rheno Francorum regionem inuasit eam quam colebant Attuarij: inde ad Rauracos festinans, per Vesontionem Viennam venit. Audita verò Allemannorum in Rhætiam irruptione, misso aduersus eos Comite Libinione ipsos ad deditionem coegit, Vadomari Francorum regis qui Constantio impensius fauebat proditione detecta. Constantium sequutus in imperio est is de quo iam multa narrauimus FL. CL. IVLIANVS; dictus ob fidei Christianæ quam professus fuerat desertionem, Apostata & Parabates. Hic biennio illo quo imperauit, nihil in Germania fecisse legitur. Sub VALENTINIANO Allemanni iampridem a Iuliano pacati, rursus ad arma se contulerunt. Gallias Rhætiasque simul Allemanni populabantur, Sarmatæ & Quadi Pannonias, Picti, Saxones, Scoti, & Attacotti Britannias. Allemanni conquerebantur, legatos suos missos in Comitatum ad munera certa & præstituta

Ammia. Lib. xvi.

An. Chr. ccclix.

An. Chr. ccclxi.

An. Chr. ccclxv.

Ammia. Lib. xxvi.

ſtituta ex more recipienda (quod argumentum eſt redemptam hactenus ab ipſis pacem fuiſſe) minorum & viliorum oblatione, ac prætereà verbis iniquioribus parum ex ſua dignitate exceptos fuiſſe, tractatos imò ab Vrſacio tunc magiſtro officiorum iracundo & ſæuo, inhoneſtius; Quam illi ignominiam genti ſuæ illatam, exaggerantibus faſtum legatis, pro ingenti contumelia reputantes, armis vltum ibant. Superato igitur Romani imperij limite, proxima quæque effuſiſſimè depopulabantur. Oppoſuit ſe ipſis Carietto, Comes per vtramque Germaniam datus, adſumpto in ſocietatem Seueriano cum legionibus Diuitenſibus Tungricanis. Hi ponte in flumen iniecto audacter fines hoſtium ſed infeliciter inuaſerunt: Seuerianus enim grauiter vulneratus eſt, Carietto interfectus, Herulorum Batauorumque vexillum direptum, cæteri in fugam cum maximæ partis interitu acti ſunt. Sed reparauit hoc damnum miſſus a Valentiniano Iouius, tribus prælijs commiſſis. Sequenti anno Valentinianus apud Ambianos conſtitutus adeò periculoſo morbo iactatus eſt, vt quidam illius vitæ diffidentes, occulta agitarent de ſucceſſore conſilia: qua re cognita ipſe ſtatim vt conualuit Gratianum filium ſuum Auguſtali dignitate ornauit. Eodem tempore Saxones, ijſque finitimi Franci, prædis incendijſque faciendis atque hominibus in ſeruitutem abſtrahendis omnia inuia faciebant. Valentinianus ea re cognita, auditoque Nectaridium Comitem maritimi tractus occiſum, Bulchobaudem ducem ab ijs circumuentum, protinus Theodoſium, eius Theodoſij qui poſteà imperauit patrem in Britanniam deſtinauit. Is ergo accepto exercitu quum ad Bononienſe littus veniſſet, ſecundo æſtu traiecit, ſtationemque habuit ad Rutupias, Batauis, Herulis, Iouijs, Victoribus ſequi iuſſis, alio, vt videtur, itinere. In hac expedione narrat Latinus Pacatus oratione ea qua Theodoſium laudauit attritam ab ipſo pedeſtribus prælijs Batauiam, Saxoneſque bellis naualibus conſumptos; quod argumentum eſt, non ſolam ipſum tunc temporis tenuiſſe Britanniam. At Germani traiecto cum expeditis militibus Rheno, Moguntiacum præſidijs vacuum clam acceſſere, duce Raudo, & Chriſtianos ſolemni ſacro Paſchatis occupatos ita turbarunt, vt multis occiſis, cæteros vtriuſque ſexus, cum ingenti ſupellectile inde abduxerint. Qua re incenſi Romani, Vitichabium regem Allemannorum qui omnium tumultuum autor credebatur, per miniſtrum mercede corruptum, parum laudabili facto interemerunt. Poſteà verò adulto iam vere Valentinianus ipſe Rhenum vna cum Gratiano Auguſto tranſmiſit: progreſſuſque ad interiora peruenit Solicinium, vnde poſt acrem cum Allemannis pugnam, amiſſo optimo quoque exercitus ſui duce, vix ipſe e periculo eluctatus, Treuiros reuerſus eſt. At Imperator vt infeſtas Germanorum in Galliam excurſiones cohiberet, Rhenum a Rhætijs vſque ad Oceanum magnis munire molibus aggreſſus eſt, Caſtella igitur & moles excelſas, per habiles vt loquitur Ammianus locos & opportunos qua Galliarum extenditur longitudo exſtruxit; vetera communiuit, collapſa reſtituit, nonnunquam etiam vltrà flumen ædificijs poſitis ſubradens barbaros fines. Vnum vero inſigne munimentum, celſum pariter & tutum exſtruxit ad Nicrum amnem; ſed quum metueret, ne illud vndarum appulſu paullatim ſubuerti poſſet, ſtatuit impetum fluminis aliorſum abducere. Itaque effoſſo nouo alueo, & vetere non ſine ingenti moleſtia obſtructo, tandem id quod voluit conſecutus eſt. Excitauit quoque ad montem Piri trans Rhenum inſigne munimentum, præter pacta cum Allemannis inita; Videntur enim ſtudioſe hoc cauiſſe Germani, ne quas in ſuo ſolo Romani arces aut caſtella exſtruerent. Itaque hac re non leuiter offenſi Allemanni premebant iram. Saxones vero Oceano quem accolebant ſuperato limitem Romanum

An. Chr. cccl.xvii.

An. Chr. cccl.xviii.

An. Chr. cccl.xix. Lib. 28.

inuecti in Gallias penetrauerunt : sed repulsi quum eo quo venerant itinere in patriam redirent, a Romanis ad vnum omnes cæsi sunt. Orosius eam victoriam sic describit. Valentinianus, inquit, Saxones gentem in Oceani littoribus & paludibus inuijs sitam, virtute atque agilitate terribilem, periculosam Romanis finibus, eruptionem magna mole meditantem, in ipsis Francorum finibus oppressit. Quibus protinus ea subiungit, quæ ipsius malo verbis, quam nostris referre. *Burgundionum quoque nouorum hostium nouum nomen, plusquam octoginta millia ripæ Rheni fluminis insederunt. Hos quondam subacta inferiore Germania a Druso & Tiberio adoptiuis filijs Cæsaris, per castra dispositos, aiunt in magnam coaluisse gentem, atque ita etiam nomen ex opere præsumpsisse, quia crebra per limitem habitacula constituta, Burgos vulgò vocabant. Eorum esse prævalidam & perniciosam manum, Galliæ, inquit, hodieque testes sunt, in quibus præsumpta possessione consistunt; quamuis prouidentia Dei omnes Christiani modo facti Catholica fide, nostrisque clericis quibus obedirent receptis, blandè, mansuetè, innocenterq; viuant, non quasi cum subiectis Gallis, sed vt verè cum fratribus Christianis.* Hæc ille sub Arcadio & Honorio. Alij narrant, Valentinianum missis clam ad Burgundos nuncijs, ipsos originis suæ admonuisse, cumque eorum regibus pepigisse, vt ipsi constituto die ab vna parte Allemannos inuaderent; se transmisso Rheno ab altera ipsos adgressurum. Burgundiones autem memoria ortus sui, & quod cum Allemannis assiduè de salinis contenderent, Valentiniano libenter obsequutos, octoginta milla armatorum collegisse; easque copias maturè ad Rhenum misisse. Quum verò Valentinianus constituto die non adesset, neque promissis suis reliquis stetisset, Burgundiones missis ad Comitem superioris Germaniæ legatis, petijsse, vt sibi domum repetentibus manus auxiliaris daretur, quæ terga ipsorum ad sedes suas properantium aduersus Allemannos protegeret: vbi verò neq; diserte negari sibi, neque promptè concedi viderunt, ipsos indignatione accensos discessisse. Suspicor omninò Burgundiones eo tempore partem illam insedisse Hassiæ, quam præterfluit fluuius Sala, qui in Mœnum sese exonerat. Posthæc Valentinianus transmisso Rheno Macrianum Allemannorum regem bello petijt, eiusque regionem ad LXX millia passuum vsque flammis vastauit; regemque Bucinobantibus (quæ gens erat Allemanna) dedit Fraomarium, quem postea Germanicis militibus in Britannia agentibus præfecit. Atque hæc hactenus sub Valentiniano seniore & Gratiano filio : de quibus exstat Epigramma Ausonij sub persona Danubij loquentis,

An. Chr. cccLxxiii.

Lib. VII. Cap. 32.

Saluere Augustos iubeo, natumque patremque
Armiferis alui quos ego Pannonijs.
Nuncius Euxino iamnunc volo currere Ponto,
Vt sciat hoc superum cura secunda VALENS.
Cade, fuga, flammis, stratos periisse Suenos,
Nec Rhenum Gallis limitis esse loco.
Quod si lege magis refluus mihi curreret amnis,
Huc possem victos inde referre Gothos.

Fuit autem Gratiani, qui post patris obitum cum fratre imperium suscepit, præceptor Ausonius, qui illum in epigrammate sic compellat,

Bellandi fandique potens Augustus, honorem
Bis meret vt geminet titulos qui prælia Musis
Temperat, & Geticum moderatur Apolline Martem,
Armainter, Chunnosque truces, furtoque nocentes
Sauromatas, quantum cessat de tempore belli,
Indulget Clarijs tantum inter castra Camœnis.

STEMMA

STEMMA GRATIANI.



Ac dicti sunt Valentinianus, Valens, Gratianus (simul enim aliquamdiu rexerunt) Germanici, Allemannici, Francici. Testatur id inscriptio quæ exstat Romæ in ponte Cæstio ad insulam Tiberinam,

DOMINI NOSTRI IMPERATORES CÆSARES FL. VALENTINIANVS PIVS FELIX MAXIMVS VICTOR AC TRIVMF. SEMPER AVG. PONTIF. MAX. TRIB. POT. VII. IMP. VI. CONS. II. P. P. P.

ET FL. VALENS PIVS FELIX. MAX. VICTOR. AC TRIVMF. SEMPER AVG. PONTIF. MAXIMVS. GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. VII. IMP. VI. CONS. II. P. P. P.

ET FL. GRATIANVS PIVS FELIX MAX. VICTOR AC TRIVMF. SEMPER AVG. PONTIF. MAXIMVS. GERMANICVS MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. III. IMP. II. CONS. PRIMVM P. P. P.

PONTEM FELICIS NOMINIS GRATIANI IN. VSVM. SENATVS AC POPVLI ROM. CONSTITVI DEDICARIQVE IVSSERVNT.

Sub his Lentienses, Allemannicus populus, tractui Rhætiarum confinis, vt loquitur Ammianus, Februario mense Rhenum glacie concretum traiecerunt. Sed repressi sunt, apud Argentuariam; pugnatum verò est tanta virtute, vt & rex Germanorum occisus sit, & præter paucos omnes occubuerint. Qua victoria parta Gratianus Rheno transmisso in ipsam Lentiensium regionem irrupit, multisque prælijs feliciter confectis, ad suos redijt, data Germanis pace.

CAP. XIII.

De HVNNIS GOTHIS, VANDALIS, *eorumque in Italiam, Germaniam, Galliam, Hispaniam, Africam irruptione ex Ammiano, Oroſio, Paulo Diacono, Procopio, Jornande.*

ATQVE hactenus in Germania habuimus Allemannos, Francos, Burgundos, & Gothos, quibus potius vicinæ gentes Gallicæ Pannonicæque quam ipsa Germania cõcussa fuit: Sequentur nunc illa tempora, quibus totum Romanum imperium in discrimen venit. Sub Valentiniano enim Valente & Gratiano Augustis anno a Christo nato CCCLXXVI ingens imperio Romano euenit mutatio. Gothi quippe & Alani exagitati ab Hunnis in Thraciam irrupere adsumtis in societatem vicinis gentibus, quæ res immanem toti orbi vastitiem posteà intulit. Ac gentes istas pleraſque Germanas fuisse ex iis quæ ad Septentrionem & Ortum maximè vergunt, indicant tum locorum descriptiones tum nominum origines: Sed errant sæpe in Gothis autores boni, confuduntque hos cum Getis & Gothinis, quum diuersæ gentes hæ sint. Hunni, ergo Scythiæ vltra Tanaim vltraque Mæotim gens, transmissa palude in Scythiam Europæam traiecere, atq; Alanorum regiorem primum sibi obuiam inuasere, magnaque strage edita ipsos ad belli societatem adegere. Hunnos istos prolixè describit Ammianus, ac post eum Sidonius: nos ex Claudiano in Rufinum hæc paucula describemus, *Lib. xxxi.*

Est

Est genus extremos Scythiæ vergentis in ortus
Transgelidum Tanaim, quo non deformius vllum
Arctos alit, tristes habitus, ob scœnaque visu
Corpora, mens duro nunquam cessura labori,
Præda cibus: vitanda Ceres: fratresque secare
Ludus, & occisos pulchrum jurare parentes.

Hæc igitur gens, Moeotide palude superioribus annis transmissa in Scythiam Europæam sese effuderat, atque Alanorum regionem occurrentem inuaserat, ipsosque sibi ad commilitium adsumpserat. Erant autem jampridem in Scythia Getæ Gothis permixti; quorum nominis adfinitas gentes duas origine diuersas confudit, vt vel vtrique è Scythis, vel vtrique è Germanis, vel Gothi è Scythis, Getæ è Germanis profecti crederentur. Ac Gothorum alij Visigothi, alij Ostrogothi dicebantur: quasi dicas Gothos occidentales & orientales. Visigothi verò qui & Vittungi appellati sunt, quidam fuere Grutungi, alij verò Teruingi. Alani igitur ab Hunnis pressi, iisdem adiuuantibus Hunnis, Grutungos adorti sunt, tanta belli mole, vt Hermenerichus ipsorum rex sibi mortem consciuerit: & Vithimaris qui ei successit, prælio occubuerit, paruique ipsius filij Viderichi tutores, Alatheus & Saphrax spe resistendi abiecta, occultè ad Danastum amnem qui inter Danubium & Borysthenem fluit, recesserint. Quod vbi sensit Athanaricus rex Teruingorum, positis & ipse ad flumen castris, consedit. Sed ipsum Hunni & Alani vado superato præter exspectationem adorti, compulerunt ad maximos montes. Athanaricum plerique Teruingij, pertæsi perpetuorum cum Hunnis bellorum, atque inopia coacti, deseruere, ac ducibus Alauino & Fritigerno ad ripas Istri consedere, Thracia potissimum ad mansionem approbata. Misere quoque ad Valentem Antiochiæ agentem, rogatum vt se reciperet, pollicentes fidelem ipsi in bellis operam, & fidei Christianæ susceptionem. Admisit ipsos Valens; *Petentibus verò Gothis* (Verba sunt Pauli Diaconi) *vt eis Episcopos mitteret, à quibus fidei rudimenta susciperent, Valens doctores ad eos misit Arianos,* qui eos in nomine Patris per Filium, in Sp. sancto baptizarunt; *Atque ita vniuersa illa gens effecta est Ariana.* Nec multò post Viderichus rex Grutungorum, qui & ipsi Gothi erant, cum Alatheo & Saphrace & Farnabo ad Istrum, gentilium suorum secuti exemplum, venere, orantes, vt & ipsi reciperentur: Sed repudiati sunt à Lupiceno Thraciæ Comite, & Maximo Duce, hominibus summæ temeritatis, crudelitatis, & auaritiæ; Tumultuantibus verò Teruingiis, eo quod seruiliter admodum a Comite haberentur, neque ipsis subministrarent ad victum necessaria, aduenit cum Grutingis Viderichus, traiecto amne; Ibi, aliquoties cum Romanis exercitibus certarunt, necessitatem vltimam pro stimulo fortitudinis admouentibns ipsorum ducibus, donec tandem ipsum quoque Valentem superarunt atque in casulam deportatum, quod saucius esset, admoto igni concremarunt. Hieron. in Appendice ad Chronicon Eusebij. *Gens Hunnorum Gothos vastat; qui a Romanis sine depositione armorum susceptí, per auaritiam Maximi ducis ad rebellandum fame coacti sunt.* Idem ad annum CCCLXXIX. *Superatis in congressione Romanis, Gothi funduntur in Thraciam.* Et rursum: *Lacrimabile bellum in Thracia; in quo, deserente equitum præsidio Romanæ legiones à Gothis cinctæ vsque ad internecionem cæsæ sunt: Ipse Imperator Valens, quum sagitta sancius fugeret; & ob dolorem nimium sæpè equo laberetur, ad cujusdam villulæ casam deportatus est. Quo persequentibus barbaris & incensa domo, sepultura quoque caruit.* Inde per latissimos Thraciæ, Mœsiæ, Daciæ, & primos Pannoniæ campos diffusi, omnia obuia vastarunt. Eodem tempe-

Lib. XI.

tempestate etiam Longobardi Vandalos, incertum qua caussa, bello petierunt. Autor ejus rei est Prosper Aquitanicus in Chronico, ad annum CCCLXXX. *Longobardi* inquit *ab extremis Germaniæ finibus, Oceanique protinus littore, Scandiaque insula magna egressi, & nouarum sedium auidi, Iborea & Aione ducibus Vandalos primum vicerunt.*

An. Chr. CCCLXXXVI. Sed nos ad Gothos redeamus. Theodosius igitur post fœlicem cum ipsis pugnam eos belli socios adsciuit, ciuitate donauit, honores ipsis communicauit, & partem ipsis Romani agri attribuit; quod etiam Latinus Pacatus innuit, *Dicamne receptos ad seruitium Gothos castris tuis militem, terris sufficere cultorem?* Et rursum. *Tua benignitate pellectæ omnes Scythicæ nationes tantis examinibus confluunt, vt quem remisisti tuis barbaris, videaris imperasse delectum.* Etsi verò Grutungos Theodosius transeuntes Istrum postea dicatur debellasse, tamen tanta fuit reliquorum Gothorum in prosequendo suo proposito peruicacia, vt Græciam omnem & Pannonias, posteà etiam Italiam inuaserint. Hieronymus epistola tertia. *Viginti & amplius anni sunt, quum inter Constantinopolim & Alpes Iulias quotidie Romanus sanguis effunditur, Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Thessaliam, Achaiam, Epirum, Dalmatiam, cunctasque Pannonias, Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Vandali, Marcomanni, infestant, capiunt. Quid putas nunc habere animi Corinthios, Athenienses, Lacedæmonios, Arcadas, totamque Græciam, quibus imperitant Barbari?* Hæc ille ante occupatam ab ipsis Italiam. Sed non multò post sub Honorio Alaricus Gothos, Alanos, Hunnosque ex inferiore Pannonia in superionem deduxit, vsque ad Alpes Noricas, quibus superatis, Noricum ipsum frustra, obnitente Aetio irrupit, atque inde per Tridentinum saltum in Venetiam descendit XIV Kal. Septembri. Oppositit se illis Stilico,

An. Chr. CCC. qui detecta Ruffini proditione, Germanos in societatem belli pretio emptos adsumpsit; Atque hoc est quod Claudianus etiam supra fidem versibus suis celebrauit,

Ante ducem nostrum flauam sparsere Sicambri
Casariem, pauidoque orantes murmure Franci
Procubere solo. Iuratur Honorius absens
Imploratque tuum supplex Alemannia nomen.
Bastarnæ venere truces, venit accola siluæ
Bructerus Hercyniæ, latisque paludibus exit
Cimbrus, & ingentes Albim liquere Chresci.

Redemit a Germanis pretio pacem militiamque Stilico; ipse, quod postea patuit, imperio inhians. Eius tamen hoc factum non aliter celebrat poëta, quam si ipsos bello deuicisset. Hinc ista Gnathonica,

Miramur rapidis hostem succumbere bellis
Quum solo terrore ruant. Non classica Francis
Intulimus, iacuere tamen. Non Marte Sueuos
Contudimus, queis iura damus; Quis credere possit?
Ante tubam nobis audax Germania seruit.
Cedant Druse tui, cedant Traiane labores,
Vestra manus dubio quicquid discrimine gessit
Transcurrens egit Stilico, totidemque diebus
Edomuit Rhenum, quot vos potuistis in annis,
Quem ferro; aBoquijs: quem vos cum milite, solus.
Impiger a primo descendens fluminis ortu
Ad bifidos tractus, & iuncta paludibus ora
Flumineum perstrinxit iter; Ducis impetus vndas
Vincebat celeres, & pax a fonte profecta
Cum Rheni crescebat aquis. Ingentia quondam
Nomina, Crinigero flauentes vertice reges
Qui nec principibus, donis, precibusque vocati
Paruerant, iussi properant, segnique verentur

Offen-

Offendisse mora: transuecti lintribus amnem
Occurrant vbicumque velis.

Et ista non tantum prætet fidem, sed plane contra verum.

Illi terribiles, quibus ocia vendere semper
Mos erat, & fœda requiem mercede pacisci,
Natis obsidibus patem tam supplice vultu
Captinoque rogant, quam si post terga reuincti
Tarpeias pressis subeant cernicibus arces.

Sed vario euentu cum ipsis congressus, tandem etiam pacem cum Alarico inijt. Post hunc Radaguisus, omnium, vt inquit Orosius, antiquorum præsentiumque hostium longe immanissimus, collecta Gothorum, Sarmatarum
An. Chr. cccv. & Germanorum manu Italiam inuadit. Ducenta millia in exercitu ipsius fuisse tradidit Paulus Diaconus. Zosimus quadringenta: qui tamen omnes in ipsa Italia partim a Stilicone cæsi, partim subductis cibarijs omnique commeatu, fame & peste extincti sunt. Godigisilus rex Vandalorum siue hortatu Stiliconis siue exemplo Radaguisi prouocatus, non Italiam vt Gothi, sed Galliam sibi proposuit. Erat enim Stilico ipse Vandalorum genere editus. Itaque ex Scythia cum Vandalis & Alanis egressus Godigisilus, simul Quados ex Sarmatia, Vandalos, Pannonios, ex ea prouincia adsumpsit, & traiecto Danubio sese effudit in Germaniam, adscitis in societatem qua ibat, Marcomannis, Herulis, Turcilingis, Sueuis, Allemannis, Saxonibus, Burgundis. Cum his ad Rhenum progressus, frustrà sese opponentibus Francis amnem transmisit, pridie Kal. Ianuarij, Honorio VII, Theodosio
An. Chr. cccvii. iterum consulibus. Effusi hoc modo in Germaniam primam Belgicamquei secundam barbari latè omnia vastarunt. Moguntiacum euerterunt, multis hominum millibus in Ecclesia trudidatis. Vangiones diu obsessi, ad deditionem acti sunt. Rhemi, Ambiani, Atrebates, Morini, Tornacum, Nemetes, Argentoratum direpta. Inde in Aquitaniam progressi, ipsam vnà cum Nouempopulonia, Lugdunensi, & Narbonensi prouincia, attriuerunt, Hispaniam quoque protinus inuasuri. Huc pertinet querela Hieronymi quæ legitur epistola vndecima. *Innumerabiles & ferocissimæ nationes vniuersas Gallias occuparunt: quicquid inter Alpes & Pyrenæum est quod Oceano & Rhodano includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gepides, Heruli, Saxones, Burgundiones, Allemanni, & hostes Pannonij vastarunt. Moguntiacum capta atque subuersa est, & in Ecclesia multa hominum millia trucidata. Vangiones longa obsidione deleti. Rhemorum vrbs præpotens, Ambiani, Atrebates, Morini, Tornacus, Nemetes, Argentoratus translati in Germaniam. Aquitania, Nouemque populonia, Lugdunensis, & Narbonensis prouincia, præter paucas vrbes, populata sunt cuncta. Non posum absque lacrymis Tholosæ facere mentionem, quæ vt hucusque non ruerit, sancti Episcopi Exuperij merita præstiterunt. Ipsæ Hispaniæ iam iamque perituræ contremiscunt: Roma vitam auro redimit.* Nec multo post Alari- *An. Chr.*
cus irruptione in Italiam cum Teruingis & Grutingis *cccix.*
Gothis facta Romam cepit, cum stupore eorum qui æternam vrbem, & inuictam, orbis totius caput, & epitomam vniuersi esse crediderunt: ingressus est eam cum exercitu Kal. Aprilis, Anno ab vrbe condita M. C. LXIV, a Christo vero nato CCCCX. B. Hieronymus ad Demetriadem rem ita describit. *Ad stridulæ buccinæ sonum, Gothorumque clamorem lugubri oppressa metu domina orbis Roma contremuit. Vbi tunc nobilitatis ordo? Vbi certi & distincti nobilitatis gradus? Permixta omnia, & timore confusa. Omnia domui planctus, & æqualis fuit per cunctos pauor. Vnum erant seruus & nobilis.* Et alibi. *Capitur vrbs quæ totum cepit orbem: imo fame perit ante quam gladio, & vix pauci qui caperentur inuenti sunt. Ad nefandos cibos erupit esurientium rabies,*

bies, & sua inuicem membra laniarunt, dum mater non parcit lactenti filio, & suo recipit vtero quem male ante effuderat. Nocte Moab capta est: nocte cecidit murus eius. Quis cladem illius noctis, quis funera fando Explicet? Eodem fere tempore, Franci in Galliam superato Rheno irrumpentes, Treuirorum vrbē imperij caput diripuere, Vandalorumq; viginti millia cecidere. Qua clade fracti Vandali cum Alanis & Sueuis duce Gunderico superatis Pyreneis in Hispaniam profecti sunt, adiuncto sibi præsidio Honorianorum. Francis verò ad sedes suas reuersis, soli in Gallia remansere Burgundiones cum parte aliqua Alanorum.

CAP. XIV.

Gesta in GERMANIA *sub* HONORIO, PLACIDIA, VALENTINIANO, *ex Iornande, Sidonio Apollinari, Cassiodoro, Paulo Diacono.*

An. Chr. cccxix. ANno a Christo nato CCCCXIX post multas quas iam commemorauimus orbis & imperij Romani mutationes rerum adhuc potiente HONORIO in Occidente, Vallia rex Gothorum superatis ad Calpen Vandalis, Alanis, & Sueuis sedes in Gallia postulauit. Data est ipsi Aquitania secunda cum aliquot vicinis ciuitatibus; Eaque postea Vasconia appellata est. Ita Galliam eodem tempore Romani, Burgundi, Gothi tenuere. Romani a Rheno ad Ligerim amnem. Gothi cis Ligerim habitarunt, Bungundiones vltra Rhodanum. Franci verò rege Marcomero mortuo Faramundum sibi regem delegerunt. Post excessum Honorij Bonifacius, is ad quem plura exstant B. Augustini scripta artibus Aetij apud PLACIDIAM Augustam subuersus, quum se videret non posse tutò Africam tenere, Vandalorum, Alanorumque gentem cum Genserico suo rege ex Hispania euocatos in Africam admisit. Eandem, vt scribit Victor, cum Valentiniano posteà partitus est Genzericus: *ac post eius obitum idem totius Africæ ambitum obtinuit, nec non & insulas maximas Sardiniam, Siciliam, Corsicam, Maioricam, Minoricam cum multa superbia sibi consueta defendit.* Rex Visigothorum, quos Sidonius Virtungos vocat, Theudericus Archillas Galliæ vrbem oppugnauit: mox pace cum Aetio facta, secundo bello Gothico finis impositus est. Sed Franci Clodio rege, qui Faramundo successit, ac trans Rhenum in Thuringia castrū Dispergum tenebat, irrumpentes in Belgicam secundam Cameracum Romanis eripuerunt: Atrebatum quoque & reliqua vsque ad Suminam amnem Francus occupauit, plura inuasurus, nisi tempestiue accurrens Aetius cum Maiorano victoriarum impetum repressisset. Sidonius id voluit, quum scriberet,

An. Chr. cccxxvi. *Lib. I. de persec. Vandal.* *An. Chr. cccxxviii*

----- *post tempore paruo*
Pugnastis pariter Francis, qua Cloio patentes
Atrebatum terras peruaserat. Hinc coeuntes
Claudebant angusta vias, arcuque subactum
Vicum Helenam, flumenque simul sub tramite longo
Artus suppositis trabibus submiserat agger,
Illic te posito pugnabat ponte sub ipso
Maioranus eques.

Itaque Prosper ad annum CCCCXXVIII sub VALENTINIANO. *Pars Galliarum propinqua Rheno, quam Franci possidendam occupauerunt, Aetij Comitis armis recepta.* Eodem anno narrat Socrates Burgudiones illos qui in Germania remanserant, quotidianis impressionibus

bus ab Hunnis exagitatos sponte sua ad Christianam religionem suscipiendam inclinasse, & petito e Gallia episcopo, post dierum septem ieiunium, initiatos fuisse sacris salutaribus, congressosque ita cum Hunnis, exigua suorum
An. Chr. cccxxxx. manu decem Hunnorum millia occidisse. Saxones quoque & Angli euocati in Britanniam contra Pictos & Scotos quum relictis suis sedibus per Chaucorum & Frisiorum terras ad Rheni vsque ostia vagarentur, traiecerunt mare, & sedes in Britannia posuerunt. Haud multo post
An. Chr. cccxxxiii Gundicarius rex Burgundionum Belgicam incursauit, sed pulsus ab Aetio ad suos fines redijt. Idacius autor est, cæsa fuisse Burgundionum xx millia; Gothorum octo. Sidonius de Aetio,

---- post Vittungos & Norica bella subacto
Victor Vindelico, Belgam Burgundio quem trux
Presserat, absoluit.

An. Chr. cccxlvii. Paucis post annis impetante Valentiniano functus est vita Clodio Francorum rex, cui Meroueus suffectus est. Hic, quod Burgundionibus nuper bene cesserat, statuit Galliam cum exercitu petere ibique Francis suis sedes parare, tametsi non ignoraret id a maioribus suis frustra tentatum aliquoties fuisse. Inuitabant ipsum Romani imperij iam labascentis status, aliorum Gallias inuadentium exemplum, loci vicinitas; Paruum enim erat amnem superare, & societatem cum vicina gente comiter inire, quam alij miserè vexabant. Fieri etiam potest, vt aduersus Attilam in commilitium vltrò euocati sint. Traiecto ergo Rheno sedes ad Axonam amnem locauere, ac paullatim ita inualuere, vt ex pluribus populis vnum mixtione sermonis & conuictus facilitate, & legum moderatione effecerint: Mirum sane in Francorum gente videri debet, quod quum regnum illud annos ferè mille ducentos durauerit, tres tantum ad hoc vsque tempus familiæ fuerint, ad quas longa serie annorum sceptrum hæreditate deuolutum sit, lege etiam non nisi masculam prolem admittente, videlicet, Merouingiorum, Carlouingiorum, & Capeuingiorum. Sed de migratione Francorum in Galliam audiendus est Otho Fris. *Franci*, inquit, *Rheno transmisso* Lib. IV. Cap. penult. *Romanos qui ibi habitabant primo fugant, post captis Tornaco & Cameraco Galliæ vrbibus, ac inde paullatim progredientes, Rhemos, Suessionem, Aurelianum, Agrippinam, Treuerim subiugant.* Et Hunibaldus. *Merouei tempore Franci penè totum Galliam suo regno adiecerunt, Romanorum iam viribus imminutis ac deficientibus, præsertim post Aetij mortem, quem Valentinianus ex inuidia occiderat. Franci ergo Gallis commixti de ipsorum filiabus sibi acceperunt vxores, genueruntque filios & filias, qui omnes didicerunt linguam eorum, simul & mores, cum quibus sunt deinceps conuersati vsque in præsentem diem.* Eadem tempestate Angli Saxones a Britannis euocati aduersus Pictos & Scotos in insulam venere, ac superatis hostibus quum stipendia ipsis negarentur, hostili animo eam inuasere, sibique adseruere. Nec An. Chr. cccl. multo post Attila Hunnorum rex omnium ferè nationum quæ sub Septentrione degũt victor, coacto immani quingentorum millium virorum exercitu Scythiam, Daciam, Pannonias, Germaniam vexare instituit. Euocatus autem aduersus Theudericum Gothorum regem a Genserico Vandalorum rege occasionem ex eo cepit, deceptis frustratisque ambobus res suas gerendi. Valentinianus vetus regnandi, rerumq; istarũ gnarus aduersus illum concitauit Gundicarum Burgundionum, Sangibanum Alanorum, & Meroueum Francorum reges, præter Theodoricum Gothum satis sua sponte ardentem. Exciti sunt etiam Saxones, Riparioli, Labrones, Sarmatæ, Armoriciani, Liticiani. Contra Attila non solum vim innumerabilem Hunnorum coegit, sed etiam ingentem numerum Ostrogothprum, qui adhuc in Scythia relicti fuerant,

exciuit, ductoribus Theudomiro, Valamiro, & Vindomiro; quibus se iunxere Gepidæ, Sarmatæ, Geloni, Neuri, Rugij, Bastarnæ, cum Scythia omni, omnique fere Germania. Totus annus insumptus est contrahēdis vtrimque auxilijs; E Germanis adscripti sint, Quadi, Marcomanni, Heruli, Turcilingi, Burgundiones, Thuringi, Bructeri, Saxones, & qui in Germania adhuc reliqui erant, Franci. Pleroſque complexus est vesiculo Sidonius,

Panegyr. Auiti.

Chunnus, Bellonotus, Neurus, Bastarna, Thuringus,
Bructerus, vluosa quem vel Nicer abluit vnda
Prorumpit Francus.

Septingenta hominum millia conuenisse ad Attilam dicuntur: Ipsam quoque Hercyniam siluam in lintres bipennibus dissectam abijsse narrat Sidonius. Traiecto Rheno euertit Tungros, Coloniam Agrippinensem, aliaque Germaniæ secundæ oppida. Inde in Belgicam primam ingressus, Metas diripuit & succendit, ipso Paschatis peruigilio. In Belgica secunda Atrebatum exscidit: postea Aurelianum obsedit, & in vicinis Catalaunicis campis congressus cum Aetio magnam exercitus sui partem amisit. Centum octoginto millia hominum cæsa eo prælio dicuntur, præter nonaginta millia Gepidarum & Francorum, qui nocte ea quæ prælium antecessit inter se armis congressi, mutuis vulneribus concidere. Perijt inter alios Theudericus Gothus, cui successit filius Thorismundus. Attila non multo post subacta Italia, domum reuersus inter nuptiarum gaudia occubuit. Nec diu superuixit in Gallia Thorismundus Gothorum rex, relicto hærede fratre Theuderico, cuius mores describuntur a Sidonio. Obijt quoque Pulcheria Augusta, & Aetius. Filij Attilæ dum de regno inter se contendunt, inuadente ipsos Ardarico Gepidarum rege victi, deserta Pannonia ad veteres sedes littoris Pontici abiere.

CAP. XV.

Gesta sub MAXIMO & AVGVSTVLO; *finisque affectati a Romanis in Germanos imperij: ex quo noua rerum castatrophe, Germanis orbem Romanum longe lateque inuadentibus.*

POst obitum Valentiniani imperante MAXIMO Saxones piratæ tractum Aremoricum infestarunt, Franci quoque & Allemanni transmisso Rheno in Gallia prædas egerunt: testante id Sidonio, *An. Chr. cccclv.*

Quin & Aremoricus piratam Saxona tractus *Carm. vii*
Sperabat, cui pelle salum sulcare Britannum *Panegyr. Auiti.*
Ludus, & adsuto glaucum mare scindere lembo.
Francus Germanum primum Belgamque secundum
Spernebat, Rhenumque ferox Alemanne bibebas
Romanis ripis, & vtroque superbus in agro
Vel ciuis vel victor eras.

Vtebantur enim Saxones myoparonibus ex vimine factis & crudo corio tectis. Isidorus eos ita vt dixi describit, additque, *vsos illis Germanos piratas in Oceani littoribus, vel paludibus ob agilitatem:* citat etiam historici cuiusdam ignoti verba, *Gens Saxonum myoparonibus non viribus nituntur; fuga potius quam bello parati.* Euentus expeditionis Germanorum is fuit, vt Auito aduersus ipsos misso arma posuerint; quodipsum quoque significauit Sidonius, de Auito sic scribens,

Vt primum ingesti pondus suscepit honoris,
Legas qui veniam poscant Alemanne furori,

Saxo-

Saxonis incursus cessat, Chattumque palustri
Alligat Albis aqua: vixque hoc ter menstrua totum
Luna videt.

Gesta hæc sunt regis Francorum Hilderici anno primo, statim post Merouei, huic enim successit, obitum.
An. Chr. cccclxi. Gensericus ex Africa ab Eudoxia euocatus, Romam capit quadragesimo post Alaricum anno: Allemanni Rhætiam depopulantur. Childericus Francorum rex a ciuibus suis è Gallia pulsus in Thuringiam concedit, ejusque in locum sufficitur Ægidius qui pro Romanis Suessione magister militum sedebat, sub quo Colonia Agrippinensis a Francis capta est; sed post annos octo restitutus,
An Chr cccclxxiii. multos posteà annos regno illi præfuit. Tertium deinde
An. Chr. cccclxxvi. Roma capta est a Ricimere. Nec multo post Odoacer Herulorum & Turcilingorum potitus regno, adscitis in commilitum Scyris & Rugis Germanorum populis consilium cepit inuadendæ Italiæ. Finibus ergo suis egressus Danubium traiecit, atque in Noricum penetrauit, ipsamque etiam post multas victorias vrbem Romam cepit, imperante AVGVSTVLO, Romanorum in Occidente vltimo: Hic enim imperium ab Augusto cœptum, parum decore clausit: Deo per Germanos justas tyrannidis tam multos per annos exercitæ pœnas reposcente. Atque hactenus quidam pertexuimus quam breuissimè historiam rerum Germanicarum sub Imperio Romano, aut aliqua eius facie. Sequuntur nunc illa tempora, quibus subuersa imperij maiestate gentes variæ è Germania (quam Iornandes meritò officinam & vaginam populorum nationumque multarum dixit) in Romanũ solum sese effuderunt, ipsa etiam vrbe capta atque direpta. Habuit enim Gothos Longobardosque Italia: Vandalos Africa: Francos Burgundos, Gothos, Gallia: Sueuos, Alanos, Gothos, Vandalos Hispania; Saxones Anglos, Danos, Britannia. Horum velle acta rebus Germanicis immiscere, esset omnia confundere: Relinquenda sunt singula ijs qui ex singulis seorsim describendis laudem juuandæ Reipublicæ quærunt, suntque jam pridem pleraque istorum a clarissimis ingeniis consignata. Noster hic labor potissimum eo spectat, vt Germaniæ Veteris descriptionem illustremus, observatis locorum discriminibus; ad quam rem nihil possunt ea conferre quæ à victoribus tot gentium extra patriam gesta sunt. Satis fuerit hoc notasse semel, Germanicas gentes ab Aquilone erumpentes ingenti populorum eluuie Italiam, Galliam, Hispaniam, Britanniam, Africam, Asiam inuasisse, vt nunc Pannonias omittam, & Noricum, & Vindeliciam, aliasque Prouincias. Ita mutatis vicibus qui spoliarant, spoliati sunt. Optarim, quam operam Cassiodorus, Iornandes, Paullus Diaconus, Procopius adhibuerunt describendis rebus extra Germaniam gestis, eam quoque adhibuissent adnotandis ijs quæ propriè pertinent ad terram Germaniam. Hinc ergo cæca illa historiæ nox; & post altum silentium mirabilis rerum mutaturum facies. Non jam Chauci occurrunt legentibus historias, aut Bructeri, aut Cherusci: non Batani, Hermunduri, Marcomanni, Caninefates; sed quasi istorum jam acta sit fabula prodeunt in theatrum Hollandi, Zelandi, Emdani, Oldenburgici, VVestfali, nomina partim a Vandalis Gothisque, quos Iornandes vno nomine Danos vocat, nata, partim ob alias eo tempore causas indita. Eadem tempestas Brabantos & Flandros fecit, qui antea antiquis nominibus vocabantur. Interea non fuerit abs re notare seriem quorundam Germanorum regum quos obliuioni eripuit scribentium industria. Ordiar a Sueuis, ac posteà distinctè subiungam, FRANCOS in Gallia. VANDALOS in Africa: VISIGOTHOS in Hispania. OSTROGOTHOS in Italia.

REGES SVEVI in Hiſpania.

SVEVORVM ſedes latiſſimè patuiſſe, non poteſt ignorare, qui Tacitum legerit de moribus Germanorum. Horum ingens multitudo Godigiſilo rege Vandalorum per Germanias in Galliam proficiſcenti ſeſe iunxit, adlectis in commilitium Marcomannis, Herulis, Turcilingis, Allemannis, Saxonibus & Burgundis: eamque biennium totum vaſtarunt, atque inde in Hiſpaniam penetrarunt, Gallæciamque occuparunt.

Sub Theodoſ.

418 HERMENRICVS Sueuorum in Hiſpania Rex, aduerſus Gundericum regem Vandalorum in Gallæcia pugnauit.

438 RICHILA aduerſus Gothos in Hiſpania certans fugatur, ſed poſt biennium collecto iterum exercitu inuadit Bæticam, & in Tarraconenſi Hiſpania adimit Gothis Carthaginem.

447 Obijt Richila: ſuccedit ei filius RICIARIVS.

456 Theudericus Gothus Riciarium regem Sueuorum ex Gallæcia & Luſitania in prouinciam Romanorum irrumpentem profectus e Gallia ſuperatiſque Pyrenæis vincit ad amnem Vrbium qui non longe ab Aſturica fluit.

457 ADVLFVS a Theuderico Sueuis rex datur: quo non contemti Sueui adſciſcunt ſibi regem MALDRAM.

459 ADVLFVS deficit a Theuderico. Sueui permiſſu Theuderici regem ſibi creant ROSIMVNDVM.

460 MALDRA & ROSIMVNDVS inter ſe armis conſerunt: Maldra amiſſo, pacem Sueui petunt a Theuderico.

REGES HVNNI.

HVNNORVM ſedes trans Tanaim & Moeotim fuit in Aſia. Hi ſub Valentiniano & Valente in Europam traiecerunt, & Viſigothos Alanoſque ſuis ſedibus eiecerunt. Moratique aliquot annos trans Iſtrum, cumque Oſtrogothis & Gepidis ac Baſtarnis aliquoties congreſſi, fugatis tandem Viſigothis & Vandalis Iſtrum traiecere & Pannoniam inuaſere.

428 OPTARVS Hunnorum rex a Burgundionibus in Germania funditur: Decem Hunnorum millia eo prælio perierunt,
ATTILA & BLEDA fratres poſt Optari obitum Hunnorum reges in Germania deliguntur.

444 Attila Bledam fratrem occidit.

450 Coacta ex Hunnis Oſtrogottis, Quadis, Marcomannis, Thuringis, Bructeris totaque Germania exercitu, Attila irruit in Galliam.

451 Vincitur in campis Catalaunicis ab Aetio.

452 Inuehitur in Italiam.

453 Mouet in Galliam aduerſus Thoriſmundum Gothorum regem, ſed ab eo pellitur.

454 Moritur. Eius filij de regno contendentes, regnum perdiderunt.

FRANCI

FRANCI IN GALLIA.

FRANCI Germaniæ populi sub Gallieno demum cœperunt esse & innotescere orbi; Origo ipsis ex multarũ gentium Germanicarum sese in libertatem adserere volentium confluge, vnde & nomen. Sedes inter Chaucos, Bructeros, Salios, Frisios, & penitissimas paludes.

Anno Christi 287. Francorum reges Batauiam Galliæ regionem occupauere, facta ad Carausium defectione.

287 A Maximiano victi transferuntur in agros Neruiorum, Treuirorum, Lingonum, Rhemorum, Tricassiorum, Ambianorum, regibus ipsorum ASARICO & GAISO pace concessa.

292 Bello Britannico cæduntur a Maximiano A. & Constantio Cæsare, multæque ipsorum familiæ iterum in Galliam traducuntur.

307 ASARICVS & GAISO Francorum reges vincuntur a Constantio Imperatore.

308 Bructeri Francorum populi bello petuntur a Constantio Imp. & debellantur.

341 Iterum mouent, iterumque vincuntur a Constante A.

358 Superantur a Cæsare Iuliano.

388 GENOBALDO, MARCOMERE, & SVNONE ducibus Germaniam inferiorem superato Rheno inuadunt: sed sistuntur a ducibus Maximiani Imperatoris: pacantur verò ab Arbogaste duce Valentiniani.

395 Iterum mouent; iterum pacantur a Stilicone, duce Honorij.

406 Franci Romanorum socij se obijciunt Vandalis ad Rhenum vt transitum ipsorum in Galliam impediant, sed frustrà.

409 In Galliam inde transuecti Vandalos adgrediuntur & Treuiros diripiunt.

313 Iterum reuersi Treuiros capiunt, fuganturque a Constantino, & vltra Rhenum pelluntur ad suas sedes.

418 MARCOMERVS Francorum Rex.

419 FARAMVNDVS Marcomero mortuo succedit.

431 CLODIO Comatus reg. an. 18

449 MEROVÆVS Clodij filius Attilæ tempore venit in Galliam, stetitque a Valentiniani partibus in prælio Catalaunico ad Mauriacum. reg. an. 28

459 CHILDERICVS, sub Maximo Germaniam primam & secundam infestat. A suis pulsus abit in Thuringiam. Vindomali fide & ope restituitur: Basinam vxorem regis Thuringiæ rapit, Bellum Odoacri duci Saxoniæ mouet. reg. an. 16

485 CLODOVÆVS Childerici filius post pugnam ad Tolbiacum qua Allemannos vicit factus est Christianus. Germania enim tunc in duas factiones diuisa, ab ostiis Rheni Francos, a fontibus Allemannos submiserat, qui de Galliæ possessione inter se dimicarent. Sed victoria penes Francos stetit, quorum ex eo in Germania mansit imperium vsque ad tempora Hugonis Capeti, per annos CCCC. Reg. an. 30

Ei vxor Clotildis filia regis Burgundionum, ex qua liberi

CLODOMIRVS Aurelianorum rex.

THEVDERICVS Mediomatricum & Rhemorum rex, cui filius Theudebertus, qui bellum fecit Amalarico Gothorum regi in Hispania: sicut in Italia Theudewaldus Theuberti filius.

CHILDEBERTVS Parisiensis rex, reg. an. 35

560 CLOTARIVS, primum Suessonum rex, ad quem post

post fratris Childeberti obitum totum Francorum regnum devolutum est. 5

Eius fratres Hilpericus rex Suessonum, maritus Fredegundis,

Guntramus Aurelianensis,

Sigebertus Metensis siue Austrasiæ, maritus Brunechildis.

574 CHILDERICVS post patris obitum 14
588 CLOTARIVS II. Ch. fil. 44
632 DAGOBERTVS, sub quo Pipinus Dux Neustriæ, auus Caroli Marcellini.
646 CLODOVEVS, cui vxor Bathildis Saxonica. 17
663 CLOTARIVS Clodouei fil. an. 4
668 CHILDERICVS Clod. fil. an. 12
680 THEVDERICVS Clod. fil. an. 14
694 CLODOVEVS 4
698 CHILDEBERTVS II. 18
718 DAGOBERTVS II. 4
722 CHILPERICVS II. 2

CAROLVS MARTELLVS filius Pipini ex pellice. Huius filij Carolomannus, Pipinus, Ægidius, & Griffo.

727 THEVDERICVS 15
740 CHILDERICVS III vltimus Merouingiorũ. Est enim a Pipino Martelli filio, qui regnum inuasit, in monasteriũ detrusus. Successere ergo *Carolouingij*.

VANDALI IN AFRICA.

VANDALI Germanorum populi fuere: Tacitus eos Vandalios vocat. Capitolinus & Orosius Vandalos. Procopius & Suidas Βανδίλους. Plinius ad eos refert Burgundionas, Varrinos, Carinos, & Guttonas. Paulus Diaconus, *Gothi*, inquit, *Wandalique, Rugi, Heruli, atque Turcilingi, nec non etiam aliæ feroces & barbaræ nationes è Germania prodierunt.*

406 Vandali eopse tempore quo Gothi, duce RADAGAISO in Italiam irruperunt: ijdem cum Alanis rege GONDIGISILO profecti per Germaniam venerunt ad Rhenum, atque inde in Galliam penetrauerunt.
409 Iidem cum Alanis & Sueuis ex Gallia in Hispaniam profecti sunt, rege GVNDERICO.
412 Vandali & Sueui Gallæciam occupant. Alani Lusitaniam.
415 GVNDERICO regi sedes in Hispania permittit Honorius, hac lege, vt pugnet aduersus Gothos.
428 GENSERICVS G. fil. nothus ex Hispania in Mauritaniam venit sub Theodosio & Valentiniano AA. reg. an. 48
476 HONORICVS. regnat in Africa, an. 7
484 GVNDAMVNDVS. an. 12
496 THVRISMVNDVS, cui vxor Amalfreda filia Theuderici regis Italiæ. an. 27
523 HILDERICVS. an. 7
530 GILIMER Gensonis fil. Genserici nepos, Hilderico in carcerem coniecto regnum inuasit, ipse posteà captus a Belisario. Ex ea victoria dictus est Iustinianus VANDALICVS. Eius triumphum Constantinopoli habitum describit prolixè Procopius lib. II. de bello Vandalico. Nihil sanè causse fuit, cur se Iustinianus Germanicum, Francicum, Allemanicum, Gothicum, Herulium jactaret, quum Constantinopoli sedens has gẽtes ne oculis quidem vsurparit: nisi quis forte id eo factum putet, quod inter Vandalos a Belisario deuictos in Africa forte harum gentium nationumq; milites fuerunt. Sed nõ potuit hoc ad tam splendidum titulum sufficere.

GOTHI

GOTHI IN HISPANIA, GALLIA, ITALIA.

GOTHI Tacito dicuntur GOTHINI, qui eorum originem refert ad Gallos, ductus sermonis similitudine. Latini & Græci eos vocant promiscuè GETAS; vnde Heluidij Pertinacis jocus, qui, vt refert Spartianus, *quum Caracalla Germanici, & Parthici, & Arabici, & Allemannici nomen titulis suis adscriberet, fertur ioco ipsi dixisset, Adde si placet Geticus Maximus, quod Getam occiderat, fratrem, & Gothi Getæ dicerentur:* quum tamen Getarum natio proprie ad Thracas pertineat, Gothorum ad Germanos. Sed fecit nominum adfinitas, ac forte gentium quoque permixtio, vt vocabula confunderentur. Getas quippe nouerunt Græci vetustiores, atque etiam Herodotus, Gothos non nouerunt. Plinius de succino agens eos vocat GVTTONAS, ex Pythea, dicitque ipsos succinum proximis Teutonis vendere. Horum alij fuere Vittungi siue Visigothi, alij Ostrogothi. Visigothi distincti sunt in Teruingos & Grutungos.

287 Gothi conati sæpius Istrum transmittere, repelluntur.

328 Gothi adfuere Constantino A. struenti Constantinopolim.

360 Gothi fiunt Ariani, pugnantque aduersus Valentem Imperatorem.

376 Grutungorum reges, Hermenricus, Vithimaris & Fridericus, ab Alanis & Hunnis premuntur. Teruingi Alarino & Fridigerno ducibus transeunt Istrũ: etiam Grutungi duce Friderico.

381 ATHANARICVS Constantinopoli a Theodosio honorificè excipitur.

395 Gothi duce ALARICO in Macedoniam irruunt, Græciamque omnem depopulantur.

441 Ex Græcia & Pannonia transeunt in Italiam: retunduntur que a Stilicone.

404 Gothi duce RADAGAISO irrumpunt in Italiam.

408 ALARICVS pecunia accepta a Stilicone abstinet ab Italia.

409 Post obitum Stiliconis Alaricus adsumpto Athaulfo repetit Italiam & Romam capit.

412 ATAVLFVS Alarico succedit, transitque in Galliam.

VVISIGOTHI IN HISPANIA & Aquit.

415 ATAVLFVS in Hispaniam profectus Barcinonem tenet.

SIGERICVS Ataulfo mortuo suffectus, a Gothis occiditur.

416 VALLIA in Africam transmissurus exercitum, tempestate reijcitur in Hispaniam.

420 Vallia moritur Tholosæ.

VVISITGOTHI in Hispania.

424 THEVDERICVS.

456 THVRISMVNDVS. obijt Tholosæ. reg. an. 13

459 THEVDERICVS II Thurismundi frater. an. 14

473 EVRICVS. 18

491 ALARICVS qui Codicem Theodosianum in compendium redegit Tholosæ. reg. an. 21

512 GENSALARICVS. 3

515 AMALARICVS cui vxor Clotildis Clodouei filia. Is pulsus Gallia Narbonnensi & Aquitanica a

Theudeberto Francorum rege conceſſit in Hiſpaniam. reg. an. 11

525 THEVDES a Theuderico Italiæ rege præfectus Hiſpaniæ, poſteà rex ipſe factus. reg. an. 18

543 THEVDEGISILVS. 3

546 AGILA. 5

551 ATHANAGILDVS, cuius filia Brunechildis nupta Sigeberto Regi Metenſi. an. 14

565 LVIBA. 3

568 LEONAGILDVS. 14

586 RICHAREDVS. 15

601 LVIBA II. 2

603 VICTERICVS. 7

610 GVNDAMIRVS. 20

630 SISEBVTVS. 9

640 RICHARDVS. II. 1

641 SVINTILLA 3

644 SISENANDVS 7

651 SVINTILLA. 4

655 TVLGAS 2

657 VIDESVINDVS. 10

667 RECESVINDVS 13

680 BAMBA 9

688 THEOFREDVS. 1

689 ERINGIVS 7

696 EGYPEA. 7

703 VITIZA 9

712 COSTA 5

717 RODERICVS vltimus Gothorum rex in Hiſpania; Succeſſere Saraceni.

OSTROGOTHI IN ITALIA.

476 ODOACER Herulus occiſo Auguſtulo regnat.

403 THEVDERICVS Gothus: cui vxor Andefledis Clodouei Francorum regis ſoror. reg. an. 36

527 ATHALARICVS Theuderici nepos ex matre Amalſuenta Theuderici filia. 8

534 THEVDENATVS. 3

536 VITIGES. 5

540 HILDOBALDVS. 1

541 ARARICVS.

542 TOTILAS. 11

553 TEIAS.

554 IVSTINIANVS hoc anno factus Italiæ rex, quum imperium Conſtantinopolitanum ſuſcepiſſet Ando Chriſti. 518.

LONGOBARDORVM reges.

Anno Chriſti DLXVIII Longobardi, Sueuica gens, Pannonias egreſſi duce Alboino in Italiam veniunt, atque ibi conſtituunt regnum Longobardorum.

568 ALBOINVS regnat. an. 6

574 CLEPHES 1

585 AVTHARIS. 7

591 AGILVLPHVS 25

616 ADOALDVS an. 10.

629 ARIOVALDVS. an. 12

639 ROTHARIS. an. 10

614 RODOALDVS. 5

660 HARIPERTVS. 9

669 GVNDIPERTVS. 1

670 GRIMOALDVS. 9

679 GA-

679 GARIBALDVS. mens. 3
PERTHARITHVS. an. 17
698 CVNIBERTVS. 12
712 HARIBERTVS, 12
723 ASPRANDVS, menses 3
723 LVITPRANDVS, an. 21
744 RACHISIVS. an. 6
750 HAISTVLPHVS. an. 8
756 DESIDERIVS. an. 18

Atque hic quidem indiculus sufficiat ad ostendendum quænam gentes in Italia, Africa, Gallia, Hispania, vt Britanniam omittam, e Germanis profluxerint.

CAP. XVI.

Enumeratio migrationum variarum gentis GERMANICAE *è suis sedibus in alias terras, cum nominum quorundam Germanicorum etymologia.*

NEQVE adhuc recensui omnes Germanorum migrationes, fuerunt enim & plures & celebres. Batani & Caninefates e Cattis profecti, extremam Galliæ oram cultoribus vacuam ad Rhenum occupauerunt. Vbij, Transrhenana gens transmisso amne ripam Gallicam insederunt: fecere idem Vangiones, Tribocci, Nemetes. Marcomanni & Quadi iam ante Augusti tempora transmisere Danubium, & Valeriam, quæ nũc Croatia dicitur, tenuere. Iidem rursum sub Gallieno partem superioris Pannoniæ inuasere. Carpos Diocletianus in Valeriam traduxit, teste Marcellino. Marcomannos & Hermunduros Tiberius inter Marum & Cusum vbi nunc Transsyluania est, locauit. Vandalos in Hispaniam Honorius admisit, a quibus pars eius Andalusia dicta est. Allemannorum in Belgicam primam, Francorum & Burgundorum in Galliam irruptiones fuerunt frequentissimæ, vt & Anglorum, Saxonumque in Britanniam, cuius pars ob id aliquamdiu Saxonia occidentalis dicta est. Quocircà mirum videri non debet, si apud remotissimas gentes exstent harum migrationum indicia in structuris castrorum, in ruinis ac demolitionibus vrbium, in effossionibus, atque imprimis in proprijs nominibus virorum & fœminarum qui tunc temporis fuerunt. Rex Merciorum fuit *Coenradus*; a consiliorum prudentia ita dictus. *Hildebertus* rex Cantiæ, a promtitudine auxilij. *Edilredus* a nobilitate. Eadem reliquorum nominum ratio est, *Ecberti*, *Etelhulfi*, *Etelbaldi*, *Edelfredi*, *Edelwardi*, *Edmundi* aliorumque in Anglia: Ipse quoque hodie omnis Britannorum sermo indicat suam originem. In reliquis quorum catalogum resensuimus non minus idem manifestum est. Neque verò vlla est lingua quæ vel fœlicius voces nectat, vel nexis familiarius vtatur ad proprias rerum hominumq; appellationes. THIET, DIET, THEVT, Deum Germanis prisca voce significat, vnde & Teutones nomen traxerunt: Hodie dicunt *Godt*. Inde facta sunt, *Thietrych*, & *Dietrych* Deo diues; *Dietprecht*, Deo promptus: *Dietwinus*, qui & Goduinus, & Theodevinus, Deo vincens. *Dietschalck*, qui & Godschalck, Dei seruus. *Teutobochus*, Deum iactans. *Diedo*, diuinus, qui & *Godzo*. *Teutobrechtus*, Deo se parans, qui Godsbrechtus. *Thietwaldus*, Godswaldus, Dei robur. *Godegesilus* pius, Deo amicus, *Theudolinda* Longobardorum regina, Deo dilecta. Quæ terminantur in AERT, indolem significant & genium. Talia sunt, *Bern-aert*, vrsino ingenio præditus. *Got-aert*, diuino. *Geit-aert*, caprino. *Gen-aert*, munificо.

Lib. xxvii

nifico. *Gyr-aert*, vulturio. *Eber-aert*, verrino: nam *eber* verrem notat, vnde *EberWinus* qui aprum aut verrem venabulo confixit. *Eer-aert*: est ingenio honesto præditus. *Ryck-aert*, diuiti; *LeeWen-aert*, leonino; *Engel-aert* angelico; *Wolf-aert* lupino; *Wern-aert*, contentioso. Multa in BERT, siue a barba, siue a promptitudine, *Heribertus*, qui hero suo præsto est. *Adelbertus*, qui nobilitati. *Cunibertus*, promptus audacia. *Dagobertus*, gladio promptus. *Hildebertus* vel *Childebertus*, ad amorem paratus: nam *hilde* est amor, vnde *Luithildis*, populo dilecta, *Grothilde* magnus amor, *Hildebrandus* amore ardens, *Brunechildis*, fusco vultu ad amorem pelliciens. A barba dicti sunt *Langebardi*; quibus gentilitium fuit barbã promittere. Paul. Diacon. lib. I. cap. IX. *Certum est, Langobardos ab intactæ ferro barbæ longitudine appellatos: nam iuxta illorum linguam* lang *longum*, bard, *barbam significat. Fulbert*, cui barbitium densum. *Egbert*, cui acuminatum, *Gysbert*, cui caprinum. Multa in BRECHT, notantque effectum rei, vt *Albrecht*, qui omnia efficit, παντοπράγμων. *Aerbrecht*, qui honorem procurat. *Adelbrecht*, qui nobilitatem. *Amelibrechtus*, qui alteri ad cœlum viam struit, nam *Amala* cœlum est: vnde *Amalafrida*, *Amalsuenta*, *Amalaricus*, *Amalaberga* vxor Hermenofredi Thuringiorum regis. Multa in RYCK quæ vox opulentiam denotat. *Adelryck* dives nobilitate, hoc est Atalarius. *Hilperyck* & *Chilperyck*, auxilio præsens. *Gundericus*, fauorem præstans. *Ardaricus*, qui terris dives. Sic *Agaricus* sibi dives, *eygen ryck*: contrà *Alaricus* omnibus dives, vel præ omnibus opulentus. *Amalricus* cœlo dives. *Emmericus* semper dives, vnde Ambiorix: *Earricus* honore adfluens. Multa in HVLF ab auxilio. *Aernhulf* honoris alieni adiutor, quod primum est nobilitatis caput, vnde Arnulphus. *Haisthulf*, opitulator, præsens auxilio, subito iuuans. *Eadhulf* iuramenti adiutor, Adulphus. *Eardhulf* qui patriam terram iuuat, vnde & Landulphus nomen habet. *Ganghulf*, qui abit auxilium laturus. GVND fauorem significat, vnde Aldegundis, omnibus fauens, *Adelgundis* fautrix nobilitatis, *Cunigundis*, fauens prudentibus & catis. *Fredigundis* pacis conciliatrix. *Guntramus*, fauorem latè extendens, *Guntricus* fauore dives. VVYCK præstantiam denotat, *RadWych* consilio præstans. *LudWych* præstantissimus populi. *AltWych*, inter senes eminens. *WltWych* potens robore. GAR vel GER, perfectionem significant, *German*, vel *Garman* ὁλῶς ἄνηρ. *Adelgar* plane nobilis. *Armgar*, plane pauper. *Luitgard*, populicola. *Gerhard*, plane durus. *Gerbrecht* prorsus celebris, *Gerbaldus* celer, velox. nam Ger facit ad epitasin. Iam a KOEN quod catum designat, sunt, Cuno, Cunradus, Cunomannus. ALOVTER quod est purus, dictus est Lotarius, & cum adspiratione Hloratius, & cum chiasmo, Chlotarius, vnde Clotarius; a VVAAL, Vahalis, & populi vltra Vahalim VVaalen, qui Galli. AMEYER præfecto, *Ludmeyer*, Ludomirus, Hlodomirus, Clodomirus, præfectus populo. *Marcomirus*, limiti præfectus. DENEN sunt Dani; *Denemerck* Danorum limes: cum prosthesi vnius litteræ Cdani, vnde sinus Codanus, & ad eum vrbs Gdanum: cum Sarmatica adiectione Gdanski, *Gedanum*. quod nos vulgo *Dantzick* dicimus & Dantiscum. Est apud Batauos fluuius Merwe, qui illustri familiæ Merouæorum nomen dedit, a quibus Merouæi reges, & Merouingi, quod & accolis eius fluminis tribuitur, dicuntur enim & illi Merouingi, sicut ab Albi Albingi, vnde Nortalbingi, a Sala Salingi; ab Harela Harlingi. Sed hæc vti libasse leuiter non fuit inutile, ita plene prosequi non est istius instituti: Neq; sum nescius, in Germania Cisrhrenana in qua Coloniæ erant & castra Romanorum, vsurpatum fuisse sermonem Latinum, Arminium quoque & Ciuilem locutos

Rom-

Romane; & Scholam fuisse vel Coloniæ vel haud procul inde iam temporibus Claudij, curæ enim Romanis fuit, vt ipsorum sermo quam latissimè diffunderetur; sed nos quum Germanica tractemus, ea tantum consectati sumus, quæ propria sunt illius gentis. Velleius de Pannonijs clarè. *In omnibus*, inquit, *Pannonijs non disciplinæ tantummodò, sed & linguæ quoque notitia Romanæ, plerisque etiam litterarum vsus & familiaris animorum exercitatio.*

CAP. XVII.

BREVIARIVM *rerum* GERMANICARVM *ab anno Christi* DXXVI *vsque ad* CAROLVM MAGNVM.

ANNO Christi DXXVI. Theudericus Francorum rex adsumto fratre Clotario & Saxonicis auxiliarijs Hermenfridum Thuringorum regem oppugnauit, prælioque vicit & occidit, Thuringiam totam sibi vindicans: Saxonibus partem eius quandam versus Septentrionem concedens ad syluam Hercyniam, exstantque eius rei hodie vestigia, Saxoburgum aliaque loca. Autor est Gregorius Turonensis fluuium Onestrun ad quem prælium patratum est, ita cadaueribus offertum fuisse, vt per eum Franci tanquam per pontem transirent. Tum verò Rodegundem Bertharij quondam regis filiam captiuam abductam a Clotario, cessisse ipsi in vxorem. Hermenfridum verò Tolbiacum euocatum ad Theuderico, dum muros vrbis ambulans lustrat, dejectum fuisse. Narrat quoque idem Danorum regem Chochilaichum cum non iualida popularium suorum classe Galliarum littora inuectum, excensionem fecisse in eam regni partem quæ post Clodoueï regis excessum Theuderico ipsius liberorum natu minimo Mediomatricum siue potius Austrasiorum regi sorte ducta obuenerat, atque ad Oceanum vsque Gallicum porrigebatur. Deprehensum verò regem Chochilaichum cum Danis prædonibus a Theuderico in Francorum potestatem veniisse. Estque omninò credibile, quotiescumque prædatoriæ istæ excursiones in Galliam aut Britanniam a Danis factæ sunt, toties illos in Frisiorum, Batauorum, Morinorum, Rhenum Scaldimque accolentium sedes irrupisse, atque illic omnia flammis ac ferro vastatasse, donec tandem ipsi etiam loca Rheno proxima occupantes sedes fixere illis regionibus, easque à suis insulis Hollandiam & Zelandiam vocauere, quod quidem vti factum constat, ita quo tempore factum sit, ignoratur. Anno DLXXI Hunni irrumpunt in Germaniam, vastantque Thuringiam, quæ ditionis erat Francorum; a quibus illi cohibentur, vincuntur, pelluntur. Post hæc S. Rupertum Vangionensem Episcopum è Gallia profectum venisse ferunt in Boioariam & Noricum, Christumque illic docuisse, ac Theudericum principem conuertisse. Oratorium quoque exstructum apud Thermas Agrippinenses a Ioanne quodam Ecclesiæ Romanæ presbytero. Ad Clotarium missi dicuntur legati a Saxonibus, quos ille omnes interfecit. Iidem quoque Francis tributum negantes a Dagoberto rege victi sunt, occisis omnibus qui gladij ipsius magnitudinem excederent, vt refert Trithemius. Eodem temporis tractu fertur Dagobertus Traiecti ad Rhenum exstruxisse templum in honorem S. Thomæ. Marcellinus diserte in actis S. Suuiberti. *Ad castrum Traiectense imperante Heraclio Cæsare inclytus Dagobertus Rex Francia construi fecit Ecclesiam in honorem S. Thomæ Apostoli, quam non multo post prædura ceruicis Frisones solo te-*

An. Chr. dcxiv.

nus destruxerunt. Sorabi quoque qui bonam partem Thuringiæ occupauerant, pelluntur a Saxonibus vsque ad Albim. Thuringorum autem rex Radulfus quum ad
An. Chr. dcli. Francos defeciſſet, vincitur, cogiturque tributum ſoluere. Nec multo poſt, ſub Pipino Friſijs annunciatur Chriſtus a VVilfrido Eboracenſi Epiſcopo, qui pulſus a rege Anglorum Ecfrido, quum nauem conſcendiſſet Italiam petiturus, vt ait Beda, flante Fauonio pulſus eſt in Friſiam, receptuſque honorifice ab Aldgulo Friſiorum rege, prædicauit ipſis Euangelium. S. quoque Kilianus ex Hibernia profectus religionem Chriſtianam docet in Franciæ Orientalis oppido VVurtzburg, ſed a Geila Goſberti ducis vxore occiſus eſt cum ſociis duobus. Anno pcxc Egbertus natione Anglus profectus ex Hibernia in Italiam, impetum cepit conuertendi in Germania paganos Oceano vicinos, Beda vocat Friſones, Ruginos, Danos, Hunnos, antiquos Saxones, Boruchtuarios. Veniens ergo in Friſiam duobus annis continuis regi Radbodo verbum ſalutis prædicauit. Reuerſus in patriam, miſit in Friſiam VVitbertum, & poſt eum VVillibrordum qui idem quoque Clemens dictus fuit, cum vndecim aliis, pulſo jam e Friſia Radbodo per Pipinum Franciæ ducem. VVillibrordus iſte Traiectum veniſſe dicitur, Radbodo interea in inſula Foſtelandia agente, atque inde ipſum oppugnante; Et quia in VViltorum gente munitio iſta Traiectenſis fuit, idcirco creditur Traiectum ipſum tunc dictum fuiſſe VViltenburgum. Sed & Duroſtadij, qui ingens tunc vicus fuit, prædicaſſe dicuntur Suuibertus, VVerenfredus, & Marcellinus, duobus orientem verſus a Traiecto milliaribus. Inde Suuibertus per Friſiam, Hollandiam (nec offendo altiorem huius nominis memoriam) ac Teiſterbandiam profectus, deuenit ad vicum principatus Hol-
An. Chr. dcxcvii. landiæ Hagenſtein: ibique docuit. Nec multò poſt Romam a Pipino miſſus Archiepiſcopus rediit, offenditque Suuiberti opera conſecratas Eccleſias S. Vincentio in *Zantwyck*, prope Ticlam; S. Dei genitrici in *Arckel*; Dionyſio Areopagitæ in *Hoernaer*. In *Malſen* verò vico Teiſterbandiæ haud procul a *Lecca* ſito ſuper amnem *Lingam* miraculum patratum: Subdit autem eius temporis hiſtoricus Marcellinus hæc verba, *Erat ciuitas Duerſtadt licet Pagana ſub poteſtate Chriſtianorum principum, ſcilicet regis Franciæ & Pipini ducis, vt tota fere vicinitas & prouincia Chriſtianæ fidei erat ſubdita, vtpote Brabantia, Flandria, & pars Hollandiæ.* Porro Suuibertus Archiepiſcopo aduentanti obuiam prodiiſſe vſque *Embricam* dicitur, ac de totius fere Baduæ (inſula intelligenda eſt Batauorum) conuerſione ipſum feciſſe certiorem: Poſt hæc Traiecti exſtructa fertur in fundo baſilicæ S. Thomæ Eccleſia cathedralis in honorem S. Martini Epiſcopi Turonenſis. Quinquaginta etiam atque amplius Eccleſiæ parœciales dedicatæ. Quanta verò fuerit eo tempore Friſiorum barbaries, liquere poteſt ex conſtitutione quadam, qua viuos homines mactari Dijs ſolitos ſignificatur; Eſt autem lex ea lata a VVulmaro, *Qui fanum effregerit & ibi aliquid de ſacris tulerit, ducitur ad mare, & in ſubulo quod acceſſus maris operire ſolet, finduntur aures eius, & caſtratur, & immolatur Dis quorum templa violauit.* Fuiſſe etiam eodem tempore opida haud inuenuſta per Hollandiam, apparet ex matricum Eccleſiarum catalogo, qui eas quinque numero recenſet, *Flardingam*, *Kirckweruam* quæ nunc Ooſtgeeſt vocatur, *Velſerburgum*, quod puto eſſe Velſen, *Heiligeloa* Heyloo, & *Pettemum*: Pagorum indiculum concipere licet ex numero ſacellorum, *Harinchemum*, Arkom, *Schia* Schye, *Rineſburgum*, *Warmunda*, *Leithemuda*, Leymuden, *Rinſaterſwalda*, *Aſteterwalda*, Ooſterwoude, *Agathenkerka*, Beuerwijck, a ſacello S. Agathæ, *Aſcomanneſdilf*, Aſſendelft, *Sparneraſwalda*, *Solota*, *Ecmunda*, *Alcmera*,

Tit. XI. Paragr. I.

Adi annales Douſæ Lib. VI.

Alomera, *Miſnemum* Miſnem, *Wognemum*, *Althendorpa*, & *Vronla*. In Batua etiam populum in *Elſt* & *Weſterwort* docuiſſe creditur VVerenfridus, atque in poſteriore etiam Eccleſia conditus iacere. S. Adelbertus in *Ecmonda* Hollandiæ oratorium exſtruxit inque eo ſepultus eſt. Lebuinus prope Gandauum martyr obijſſe fertur. Annus Chriſti DCXCVIII, nobilis eſt martyrio Lamberti Tungrenſis Epiſcopi qui poſtquam in Taxandria docuiſſet, occiſus eſt in villa Legia, quã nunc Leodicum vocant. Nec multo poſt VVulfrannus Senonẽſis Epiſcopus regis Francorum Childeberti & Pipini principis voluntate in Friſiã profectus eſt ad gentem Friſonum, quam ex Hibernia & Anglia miſſi aliquot doctores cœperant ad Chriſtum conuertere. Heimerammus quoque Epiſcopus Ratiſponenſis a Theuderico Bauariæ Principis filio Lantberto morti datus, quod crederetur, licet falſò, Otam principis filiam ſtupraſſe. Suuibertus Epiſcopus Anglus poſt prædicationem factam Brunſcoichenſibus, ad Bructeros (Marcellinus qui vitam Suiberti deſcripſit, Boructuarios vocat) conuertendos profectus dicitur in villam *Velſenberch*, ac promouiſſe nonnihil, ſed quum Bruno Saxonum Princeps per Bructeros iter faciens in vico Ratingen primicerium eius loci occidiſſet, eoque ipſe etiam per tumultum eſſet interemptus, coactus eſt deſertis illis ſedibus Coloniam proficiſci; vbi a Plectrude Pipini vxore exceptus honorifice vicum *Werdam* in inſula Rheni obtinuit, in quo monaſterium exſtruxit; vnde ad vicinos Saxones identidem proficiſcebatur, eoſque ad fidem Chriſti inuitabat. Circa hæc tempora præclaram victoriam retulit Carolus Martellus filius eius quem diximus Pipini, a Chilperico Rege, & Raginfrido, quem rex maiorem domus creauerat. Scedæ Pithœanæ. *Septingenteſimo decimo ſeptimo anno Raginfridus & Chilpericus Rex in Vinciaco die Dominica ante Paſcha cum Carolo pugnantes terga verterunt, quos Carolus fugientes cædendo proſequitur vſque Pariſios.* Ex Anglia verò, quæ tunc Saxonia Occidentalis dicebatur, profectus VVinfridus Romam, nomen ſumpſit Bonifacij, & munus per Germaniam docendi, inſtigante etiam ſua ſponte ardentem Gregorio Pontifice. Is ergo ſuperatis Alpibus per Boioariam, & Thuringiam iter faciens Eccleſias multas conſtituit; quo tempore in Friſia obijſſe ferunt Radbodum principem Paganum, poſtquam a baptiſmo quod petierat pedem retraxiſſet, fruſtrà reclamantibus VVulfranno Epiſcopo Senonenſi, & VVillebrordo cognomento Clemente Archiepiſcopo Traiectino; a quo profectus Bonifacius abijt ad Cattos, conterminos Saxonibus; vnde Romam euocatus Epiſcopus Germaniæ factus eſt, præſtito iuramento fidelis obſequij. Datæ ſunt ipſi a Gregorio littore ad Carolum Martellum qui Francorum regnum moderabatur, & ad principes Germaniæ Orientali Rheni parti adſitos, atque imprimis ad Thuringos, atque Altſaxones. His ergo litteris inſtructus venit in Germaniam ad Carolum Martellum, à quo ad Cattos diſceſſit, docuitque in loco qui Geiſmer dicitur. Eodem fere temporis tractu fertur Grimoaldus Theodonis ducis Bauariæ filius Piltrudem fratris ſui Theudoaldi viduam vxorem duxiſſe, reprehenſus eo nomine a Corbiniano Epiſcopo Friſingenſi. Euocauit etiam ex Anglia Bonifacius auxilia piorum & eruditorum vtriuſque ſexus, quorum opera vti poſſet in ſalutaris doctrinæ propagatione; In his præcipui fuere iſti ſex, Burchardus, Lullus, VViliboldus, VVilibaldus frater eius, VVitta, & Gregorius. In fœminis autem fuere, Cunigildis matertera S. Lulli, & filia eius Bertgiſtis, cum Cunitrudi, Thecla, Lioba, & VValpulgi ſorore VViliboldi & VVilibaldi. Ex his Cunigildis cum filia in Thuringia conſedere: Cunitrudis miſſa eſt in Boioariam. Thecla manſit ad fluuium Moganum Ochnofurti: Lioba virginibus ſacris apud Biſchofeshemium præfecta eſt. Eo-

An. Chr. dcc.

An Chr. dccii.

An. Chr. dcciiii.

An Chr. dccxvii.

An. Chr. dccxix.

An. Chr. dccxxiii.

An. Chr. dccxxv.

dem

dem anno Carolus Martellus in Frisios duxit exercitum naualem tunc adhuc idololatras, omniaque cæde & flamma quum impleuisset, dirutis fanis in Franciam reuersus est. Gregorio II successit Gregorius III, sub quo victi sunt a Carolo Martello in Francia Sarraceni. Bonifacius in Thuringia consulit Episcopos Anglicanos, An cõiugium dissoluendum sit, eius, qui quũ adoptasset quendam in filium, posteà eius matrem viduam vxorem duxerat? Nec multo post Romam profectus Pontificem adijt, exposuitque successum suæ in Germaniam legationis; discedenti datæ sunt ad Episcopus Germaniæ litteræ systaticæ. Offendo quoque in Tomo Conciliorum Epistolam Gregorij Papæ ad optimates & populum prouinciarum Germaniæ, Thuringos, & Thesos, & Bortharos, & Nistresos, Vnedredos, & Lognaos, Sudnodos, & Graffeltos, omnesque in Orientali plaga constitutos, quam ad hæc tempora referendam puto. Sequenti anno constituit Episcopos in Boioaria, Ioannem Salisburgi, Erimbertum Frisingæ, Gunibaldum Ratisponæ, quæ erat totius illius tractus Metropolis, ac bienno post Augustæ vel alibi ad Danubium celebrauit synodum totius Boioariæ & Allemanniæ Episcoporum. Exstant quoque litteræ Zachariæ P. qui Gregorio III successit, ad Bonifacium, de sacerdote, quodam apud Boioarios, qui quum esset Latinæ linguæ imperitior, infantes voce canora & rictu Stentoreo baptizare solebat IN NOMINA PATRIA ET FILIA ET SPIRITVA SANCTA, magis vocaliũ sonitu, quam actionis sacræ mysterio delectatus, quasi ad maiestatem boatus faceret: Sed ita baptizatos rebaptizari iussit Bonifacius; quod vbi intellexit Pontifex, hisce verbis rescripsit. *Retulerunt mihi, quod fuerit in prouincia Boioaria sacerdos, qui Latinam linguam penitus ignorabat, & dum baptizaret, nescius Latini eloquij, infringens linguam diceret, Baptizo te in nomina Patria & Filia & Spiritua Sancta, Et per hoc tua reuerenda sanctitas considerauit illos rebaptizare. Sed, sanctissime frater, si ille qui baptizauit non errorem introducens ac hæresim, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam, vt supra fati sumus, baptizans dixisset, non possumus consentire vt denuo baptizentur: quia (quod bene tua compertum habet sancta fraternitas) quicumque baptizatus fuerit ab hæreticis in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, nullo modo rebaptizari debeat, sed per solam manus impositionem purgari debeat.* Post hæc, Carolomanno iubente Synodus habita est Moguntiæ in qua exauctoratus est Episcopatu Geruilio, inque eius locum surrogatus Bonifacius: Quanam id occasione factum sit, operæ est pretium intelligere ex vita Bonifacij. *Ea tempestate*, inquit eius historiæ autor, *Saxonibus Thuringiam vastantibus, eius prouinciæ homines Carolomanni opẽ implorabant. Ille mox exercitum mittit, & cum eo Geroldum Moguntinum Episcopum Geruilionis patrem. In ipso autem conflictu Geroldus cum plerisque alijs cæsus est. Geruilio vero filius qui tum adhuc laicus in palatio versabatur, in clerum adsciscitur leniendi doloris causa, quem ex patris dolore acceperat, eidemque in Moguntino Pontificatu subrogatur. Non diu post Carolomannus rursus collegit militem, proficiscitur contra Saxones, Geruilionem secum ducit. Exercitu vtroque vltra citraque ripam fluminis Visurgis considente, Geruilio iubet puerum suum ire solum ad hostium castra, diligenter illic inquirere nomen eius qui patrem ipsius interfecerat. Abit puer, discit ex quodam, non longe abesse eum quem quæreret: rogat, vt ad domini sui colloquium properare velit. Venit ille, & aduentu eius denunciato, paratis equis Geruilio ei procedit obuiam, & quum in medio flumine inter se colloquerentur, Geruilio clam ferens gladium, hominem confodit, ita dicens,*

Accipe iam ferrum, quo patrem vendico carum.

An. Chr. dccxxxviii.

An. Chr. dccxliv.

An. Chr. dccxlv.

Ille

Ille mox ex equo corruens in flumine exhalat spiritum. Repente autem eius comperta cæde, sublato clamore vtrimque ad arma concurritur. Fit pugna atrox. Saxonibus victis, Carolomannus ad sua se recipit, nemine tum id quod Geruilio fecerat, pro homicidio ei imputante. Ita reuersus domum perrexit solito more Episcopi munia obire. At sanctus Bonifacius inter cætera hoc etiam pronunciauit, Neminem qui hominis cæde pollutus sit, sacerdotio fungi posse. Ergo exauctoratus est. Eo autem deposito, sanctus Bonifacius a Carolomanno & Pipino fratre eius Moguntinæ sedi præficitur. Et vt eius dignitas esset eminentior, statuerunt iidem principes Ecclesiam Moguntinam, quatum alteri subiecta erat, in totius Germaniæ metropolim prouehere; missaque mox legatione, a Romano pontifice id impetrarunt. Etsi verò in monastica narratione ista quædam fabulosa intercurrant, vt erant tunc tempora, tamen non est a verò alienum quod dicitur de sede Moguntina, deque bello Saxonico, & Bonifacij ad illam sedem euectione, cuius etiam cura factum est, vt non multo post cœnobium Fuldense iuxta Fuldam amnem in solitudine Buchonia exstrueretur in fundo ipsi a Carolomanno dato regionis Grapheldensis. Eius primus abbas fuit Stunnis. Eopse anno quoque ornatum opibus monasterium S. Galli ordinis Benedicti, quum è Francia in Italiam pergeret Carolomannus ad cœnobium Cassinense. Thasillo Bauariæ ducatu a Grisone pulsus per Pipinum restituitur, qui Griffonem in Franciam secum abductum donat ducatu Denteleno, cum duodecim Comitatibus in Neustria. Erant autem tunc in Germania Episcopi, Dauid Spirensis, Burchardus VVirceburgensis, Agilolfus Colonienſis, Ætherius Taruanensis, Treuuartus Cameracensis, Folericus Tungrensis, Otto Strasburgensis, alijque sicut patet ex epistola Zachariæ Pontificis Romani, quibus addi possunt, Ludgerus Monasterienſis, Rixfridus Traiectensis, quorum singulare fuit in Pipinum studium Saxones & VVestphalos tunc debellantem, Tello quoq; Curiensis, & Sidonius Constantiensis. Subiectæ autem fuisse dicuntur Archiepiscopatui Moguntino ciuitates istæ, Tungris, Colonia, VVormatia, Spiratia, & Trectis, cum omnibus Germaniæ gentibus, quas Bonifacius ad Christum conuerterat. Nec multo post obijsse fertur S. Hubertus Leodiensis Episcopus qui omnem Arduennam ab idolis docendo repurgarat, & in Taxandria ac Brachbanto fidem propagarat, quod & Monon ibidem feciſſe fertur, cui a sicarijs occiso Pipinus decimas pendi iussit quas habebat inter Letiam & Vrcam. Refert autem Chronici Francorum a Pithæo editi autor, circa hæc tempora deturbatum regno auito Childericum a Pipino, facti eius confirmationem consequutum esse a Papa Zacharia. *Burchardus*, inquit, *Wirceburgensis Episcopus & Fulradus Capellanus missi sunt a Pipino Romam, ad Zachariam Papam, vt consulerent Pontificem de caussa regum, qui in illo tempore fuerunt in Francia, qui nomen tantum regis, sed nullam potestatem regiam habebant. Per quos dictus Pontifex mandauit, melius esse illum vocari regem, apud quem summa potestas consisteret. Datasque autoritate sua iussit Pipinum Francorum regem instituí. Hoc ergo anno secundum Romani Pontificis sanctionem* PIPINVS *Rex Francorum appellatus est, & ad huius dignitatem honoris vnctus sacra vnctione, manu sanctæ memoriæ Bonifacij Archiepiscopi & Martyris, & more Francorum eleuatus in solium regni Suessione ciuitate.* Stupendum facinus. Rex a ciue suo deijcitur de fastigio dignitatis: Pontifex factum probat, & non tantum facinoris tanti autorem euehit, sed ipsum quoque Regem cuculla monastica ornatum deturbat in monasterium. Scilicet vt sceptrum a rege desertum vel ipse arripiat, vel donet cui vult. Nec multo post orta est Bonifacio Archiepiscopo Moguntino contentio cum Colonienſi Episcopo, quæ effecit vt Bonifacius in Frisiam prædicatum iret atque ibi interficeretur

An. Chr. dccxlvii.

An. Chr. dcclv.

a Paganis. Quam ego narrationem quantum fieri potest verbis ipsius Bonifacij expediã. *Iam tempore Sergij*, inquit in epistola ad Stephanum, *Apostolicæ sedis Pontificis, venit ad limina sanctorum Apostolorum presbyter quidam nomine Willebrord, & alio nomine Clemens vocatus, quem præfatus Papa Episcopum ordinauit, & ad prædicandum ad paganam gentem Frisonum transmisit in littoribus Oceani occidui, qui per quinquaginta annos prædicans, sedem Episcopalem & Ecclesiam in honore sancti saluatoris constituit in loco & castello qui dicitur Traiectum. Princeps autem Francorum Carolomannus commendauit mihi illam sedem ad constituendum & ordinandum Episcopum, quod & feci. Nunc autem Colonien-sis Episcopus illam sedem prædicti Episcopi Clementis a Sergio Papa ordinati sibi vsurpat & ad se pertinere dicit, propter fundamenta cuiusdam destructa a Paganis Ecclesiæ, quam Willebrordus dirutam vsque ad solum in castello Traiecto reperit, & eam proprio labore a fundamento construxit, & in honorem sancti Martini consecrauit. Et refert, quod ab antiquo rege Francorum Dagoberto castellum Traiectum cum destructa Ecclesia ad Colonien-sem paræciam donatum cum ea conditione fuisset, vt Episcopus Colonien-sis gentem Frisonum ad fidem Christi conuerteret, & eorum prædicator esset; quod tamen ipse non fecit: non prædicauit, non conuertit Frisones ad fidem Christi, sed pagana remansit gens Frisonum vsquequò veneran-dus Pontifex Romanæ sedis Sergius supradictum seruum Dei Willebrordum Episcopum ad prædicandum supradictæ genti transmisit. Et modo vult Colonien-sis Episcopus sedem supra-dicti prædicatoris Willebrordi sibi contrahere, vt non sit Episco-palis sedes subiecta Romano pontifici prædicans genti Frisonum.* Perijt ergo, vt Colonien-si Episcopo auctoritate sua inter-diceret, ne sibi obstaret quo minus curaret vt constituto Traiecti Episcopo Frisijs Euangelium prædicaretur. Itaque postquam commendasset Ecclesiam Mogũtinam Lullo, ipse se ad iter comparauit. Paucis post diebus (inquit au-tor vitæ Bonifacij) nauim, cum delectis ad iter illud socijs ingressus per Rheni alueum ad Frisonum regionem inco-lumis peruenit, & Eobanum Episcopum Traiecti insti-tuit. Quum autem ad *Bortuam* flumen peruenisset, quod est in confinio eorum quos vulgari idiomate vocant *Oo-ster & Wester-kirche*, Bonifacius stipatus socijs suis ius-sit ibi figi tentoria, quod statuisset illic confirmare bapti-zatos. Sed postquam dictus ei rei dies illuxit, irruerunt in ipsum & socios mutata sententia Frisij, cunctosq; bar-bara feritate trucidarunt. Corpus primum Traiectum, inde Moguntiam, ac postremum Fuldam deportatum est. Pipino haud multo post ex Italia redeunti occurrit cum suæ gentis primoribus Thasillo Boioariorum Rex, seque Francorum beneficiariũ profitetur. Mox orto bello Aqui-tanico, Vaifarus Aquitaniæ Dux interimitur. Atque ita bello illi finis impositus est, cui nec ipse Pipinus diu su- *An. Chr. dcclxviii.*
perstes fuit: octauo enim Kal. Octobris obijsse dicitur, duobus relictis liberis ex vxore VVerthrada, Carolo, qui posteà Magnus dictus est, & Carolomanno: Illi Neustria cessit, cum Burgundia & Aquitania; Huic Austrasia cum Germanis Transrhenanis. Iste Suessionibus sedem ha-buit: ille Nouioduni. Sed Carolomannus rex triennio impleto imperij obijt. Videor autem hoc loco commodè finem impositurus breuiario historico Germaniæ antiquæ, ob insignem periodum mutationis. Etsi enim iam ante hoc tempus multa innouata sint, quæ nos suis locis tem-poribusque notata ostendimus, tamen quia sub Carolo Magno initium posteà fuit noui imperij, malui ea quæ inter-cesserunt ad ipsius vsque tempora, ad priorem Ger-maniæ statum quam ad posterionem referre. Estque dif-ficile in tanta mutatione & successione rerum fluentibus cum tempore hominibus hominumque actionibus per-petuo succedentibus figere alicubi clauum tanquam in re stabili;

ſtabili; præſertim quum poſteriorum mutationum cauſſæ prioribus rebus implexæ ſint, pendeantque alia ex alijs perpetua ſerie.

CAP. XVIII.

De GERMANIAE *deſcriptione quædam in genere, quibus ſubnectitur* GERMANIA *Strabonis, Pomponij Melæ, Plinij, & Solini.*

QVam ſit difficile GERMANIAM Veterem vniuerſam & partes eius ſingulas à priſcis ſcriptoribus nominatas diſponere ita vt naturali poſitioni reſpondeant, vel ex eo quilibet æſtimare poteſt, quod inter antiquos tam pauci ſint qui in eius deſcriptione conſentiunt: aliter enim partes iſtas Strabo peragit, aliter Mela, aliter Plinius, aliter Tacitus, aliter Ptolemæus. Etſi enim in quibuſdam inter ſe conueniant, tamen, vbi ad limites totius tractus, partiumque deſignationem, & populorum ſedes ventum eſt, dici non poteſt quam illi ipſi inter ſe diſſentiant. Neque verò aliter fieri potuit. Nam quum ſcriptores illi aliena fide interiora referrent, neq; adhuc Romanis exactè Germania omnis nota eſſet, ſingulæque inſuper eius partes variis mutationibus ob incolentis populi migrationes eſſet obnoxiæ, non eſt mirum, ſi vel regiones quaſdam alij prætereant, ab aliis fortè commemoratas, vel quas hic pro ſuo æuo ita deſcripſit, alius aliter mutatis gentibus diſponat; neque enim gentes a locis quas incolebant, ſed loca ipſa a gentibus plerumque nomen habuerunt. Quod ſi loca ipſa ſedeſque nationum propriam certamque habuiſſent appellationem, potuiſſent vt in domiciliis vrbibuſque ita in terrarum tractibus mutatis cultoribus ſeruari ſemper eadem regionum nomina: ſed quia a populis terræ ſua nomina traxerunt, euenit neceſſario, vt cum migratione populorum ipſæ quoque appellationes regionum mutarentur. Veteres enim Germaniæ incolæ non ſe vrbibus continebant, quas nullas habebant, ac ne ſtats quidem ſedibus diſtinguebantur, ſed vt inuitabant pabula, vel cedens aut ſequens hoſtis exigebat, vel ipſi modo pellebant alios modo ab aliis pellebantur, ita res opeſque ſecum trahebant, caſtra vt plurimum aut tuguria in caſtrorum ſpeciem habitantes. Quæ cauſſa eſt, cur Germani qui duce Arioviſto Rhenum tranſgreſſi Gallias ſub C. Cæſare depopulabantur, (erant autem Harudes, Marcomanni, Tribocci, Vangiones, Nemetes, Edures, Sueui) jactarent, ſe totis annis quatuordecim tectum non ſubiiſſe. Bellatores igitur, liberi, indomiti, ac libertatis ſtudio hoſtibus immanes quandoque, & atroces, non ante videntur ſedes nunquam mouendas figere voluiſſe, quam Romananos pulſos ſuis finibus, Gallia etiam atque Hiſpania Britanniaque eijcerent, & in ſua quoque Italia opprimerent, relictis quacumque irent victoriarum ſuarum monumentis. In hac ergo populorum mutatione quis non videt quam ſit difficile Germaniam terram, cuius non eadem perpetuò facies fuit vna tabula repræſentare? Neque verò ſi M. Ciceronis hodie exſtarent γεωγραφικὰ (ſcripſiſſe enim ſe de hoc argumento teſtatur ipſe ad Atticum) multum ipſius obſeruationibus juuaremur; neq, enim Germania Ciceroni fuit cognita. C. quippe Cæſare & Antonio Conſulibus miſſi ſunt primùm geodetæ Græci a Senatu in Septentrionem, qui tractum illum omnem metirentur, deque eo ad Senatum referrent, inſumptis in eam rem anni XXIX, menſibus VIII, diebus decem. Optarim ſanè illâ quæ Theodotus tunc

consignauit etiam hodie exstare; sed si meliora illa certioraque non sunt iis quæ ab Aethico, qui se illa proditurum inirio suæ Cosmographiæ pollicetur, notata sunt, non video quomodo ex iis distinctam locorum notitiam haurire potuissemus. Agrippæ obseruationes multo certiores fuisse existimo. Nam Theodotum Plinius, accuratus vt aliarum rerum omnium ita istarum lector & obseruator, in toto suo opere quo naturæ historiam complexus est, ne citat quidem. Auget præterea difficultatem ipse scribendi modus: vix enim est vt ista quis tractet, sine accolarum & confinium gentium commemoratione: Quum autem sine istis vel ob rei ipsius naturam, vel ob gentium migrationes Germania ipsa describi non possit, tamen tractare illa velle in Germania, infiniti laboris est, & aliena proprio operi immiscentis. Accedit, quod quæ contigua sunt plerumque ancipitis & controuersi iuris esse soleant, neque quicquam sit difficilius, quam limitem velle statuere vbi de limitibus contenditur. Enimuerò naturam si sequimur; non est tanti operis, flumina, montes, littora, maria, sinus ac promontoria describere: Sed quinam populi singulis locis olim confederint, quæque mutationes euenerint accuratè referre, id vero summi & ingenij & judicij est. Quam multæ enim gentes sese extulerunt quas prius ævum ignorauit? Nos ergo in hisce nostris Commentariis seriem sequemur temporum, orsi a Strabone Cappadoce, qui illorum quidem quorum exstant de hac re monumenta omnium est antiquissimus, scripsit enim Geographiam suam Romæ sub Augusto & Tiberio, & in Germania describenda ea tantum prodidit, quæ suo tempore innotuerunt occasione bellorum illic gestorum ab Augusto, Druso, Germanico & Tiberio. Hic ergo, statim trans Rhenum post Galliæ populos orientem versus locat Germaniam, ita vt Rhenus à fontibus vsque ad ostia occiduum eius latus claudat. Porrò eorum qui ad ripam habitabant ait quosdam in Galliam jam tum traductos a Romanis; Vbios puta & Sicambrorum partem; quosdam penitiora petiuisse, vt Marsos, paucis adhuc ad ripam relictis Sicambris. Inter Rhenum verò & Albim qui pari ductu in Oceanum sese exonerant, dicit flumen esse AMASIAM, in quo BRVCTEROS Drusus nauali prælio vicit. Ad Austrum ait Germaniam ALPES contingere, & eius nominis montes orientem versus sed Italicis minores spargere. Esse in eadem SYLVAM HERCYNIAM, τὸν ἑρκύνιον δρυμὸν, & SVEVORVM Σουήνων gentes, quarum quædam intra syluam habitent, aliæ extra eam, sicut &

COLDVLI Κολδούλοι, in quibus &

BOVIASMVM Marobodui regia, τὸ Βουίασμον τὸ τῦ Μαροβούδου βασίλειον. *Voluit dicere Boiohæmum.*

& qui illuc a Maroboduo translati sunt

MARCOMANNI Μαρκόμανοι.

His addit populos a Maroboduo deuictos, vt sunt

ZVMI Ζούμοι,

BVTONES Βούτονες.

MVGILONES Μουγίλωνες.

SIBINI Σιβῖνοι.

SEMNONES Σέμνονες.

Fuit enim maxima Sueuorum natio, vt quæ a Rheno ad Albim vsque pertingeret, & trans Albim quoque habitaret, Getis contermina. Trans Albim fuere

HERMVNDVRI Ερμόνδορι, &

LANCOSARGI λαγκόσαργοι.

Hos ait Nomadum more viuere. Esse & alias minores Germaniæ gentes, in quibus

Strabonis descriptio

Lib. VII.

Longobardi.

CHERV-

CHERVSCI Χηρῦσκοι
CHATTI Χάτ∫οι
Gambriuij Taciti. GAMABRIVII Γαμαβρούιοι.
CHATTVARII Χατ∫ουάριοι.

Et ad Oceanum pertinentes

SVGAMBRI Σύγαμβροί.
CHAVBI Χαῦβοι.
Bructeri Tacito. BVCTERI Βάκτεροι.
CIMBRI Κίμβροι.
CAVCI Καῦκοι.
CAVLCI Καῦλκοι.
CAMPSIANI Καμ∫ιανοί.

Die VVeser. Die Lippe Die Yssel. Eodem cum Amasia fluere ait *Visurgim* & *Lupiam* Βισυργίν τε καὶ Λουπίαν: in quo tamen fallitur: Lupias enim non in Oceanum sed in Rhenú se exonerat. Commemorat quoque *Salam* fluuium, inter quem & Rhenum Drusus obiit. Inter insulas quoque quæ littori obijciuntur ait esse

BVRCHANIM Βυρχανίν.

Borchem ad ostium Amasis fl. a Druso expugnatam. Sed in descriptione triumphi Germanici vbi deuictos populos recensét, mutat nomina quædam gentium; nam quos *Chaïlcos* vocauerat, vocat *Cathulcos* Καθάλκους; quos ante *Campsianos*, eos ibi *Ampsanos* dicit Ἀμ∫αίους; addit vero præter jam ante commemoratos *Bructeros*, *Cheruscos*, *Chattos*, *Chattuarios*, etiam non positas gentes,

Vsipetes. Tac. NVSIPOS Νουσίπους.
LANDOS Λανδοῦς.
SVBATTIOS Σουβατίους.

Albim dicit a Rheno distare circiter stadiis ter mille, si quis recta linea iter illud posset conficere. In medio Hercynij saltus ait situm esse Boiohæmum jam ante a nobis commemoratum. Nec procul inde esse originem Istri & Rheni; Lacus quoque inter horum fontes, & paludes a Rheno effusas. Vnum singularem, cuius ambitus sit stadiorum amplius ccc, traiectus cc: in eoque insulam, qua pro receptaculo vsus sit Tiberius, quum nauali pugna certaret cum Vindelicis. A lacu illo ad Istrum, inde ad Hercyniam syluam peruenirí. Tiberium a lacu vnius diei itinere progressum fontes Istri vidisse. Attingere vero lacum illum exigua parte Rhætos, maiore Heluetios, & Vindelicos; inde esse Boiorum eremum vsque ad Pannonias. Ab hisce omnibus montanas incoli planities, sed maximè ab Heluetiis & Vindelicis: nam Rhætos & Noricos ad Alpium juga adsurgere. Esse præterea in Germania syluam quæ dicatur

GAVBRETA Γαύβρητα ὕλη. Gabreta Ptol.

Postea commemorantur a Strabone

CIMBRI & eorum Chersonesus, Κίμβροι οἱ Χερρόνησον οἰκοῦντες.

Cætera Germaniæ vltra Albim ignorari ait, & quinam vltra Germanos degant, anne Bastarnæ sint proximi, an alij quidam interiecti, siue Iazyges, siue Roxolani, siue Hamaxœci. Latus verò Germaniæ meridionale vltra Albim incoli a Sueuis, post hos esset Getas secundum Istrum. Atque hæc quidem Strabo. At Mela Germaniã ita describit. *In Gallia*, inquit, *ab Ostismijs ad Septentriones frons littorum respicit, pertinetque ad vltimos Gallicarum gentium Morinos, nec portu, quem Gessoriacum vocant, quicquam habent notius.* Mela descriptio. RHENVS *ab Alpibus decidens, propè a capite duos lacus efficit, Venetum & Acronium: mox duo solidus, & certo alueo lapsus, haud procul a mari huc & illuc dispergitur; sed ad sinistram amnis etiam tunc, & donec effluat, Rhenus: ad dex-*

tram primò angustus & sui similis ; post ripis longè ac latè recedentibus , iam non amnis , sed ingens lacus ; vbi campos impleuit , Fleuo dicitur ; eiusdemque nominis insulam amplexus , fit iterum arctior , iterumque fluuius emittitur. GERMANIA *hinc ripis eius vsque ad Alpes , a meridie ipsis Alpibus ; ab oriente Sarmaticarum confinio gentium ; quà Septentrionem spectat , Oceanico littore obducta est. Qui habitant , immanes sunt animis & corporibus , & ad insitam feritatem vastè vtraque exercent , bellando animos , corpora ad consuetudines laborum. Terra ipsa multis impedita fluminibus , multis montibus aspera , & magna ex parte syluis ac paludibus inuia. Paludum* SVESIA, MESIA, & MELSIAGVM *maximæ. Syluarum* HERCYNIA, *& aliquot sunt quæ nomen non habent : sed illa dictum sexaginta iter occupans , vt maior alijs , ita & notior. Montium altissimi sunt* TAVRVS & RHETICO; *reliquorum nomina vix est eloqui ore Romano. Amnium in alias gentes exeuntium ,* DANVBIVS & *Rhodanus : in* RHENVM MOENVS & LVPIA : *in Oceanum* AMISIVS , VISVRGIS & ALBIS *clarissimi. Super Albin* CODANVS *ingens* SINVS, *magnus paruisque insulis refertus est. Acre mare , quod gremio littorum accipitur , nusquam latè patet , nec vsquam mari simile , verum aquis passim interfluentibus , ac sæpè transgressis , vagum ac diffusum facie amnium spargitur , qua littora attingit , ripis contentum insularum non longè distantibus , & vbique penè tantundem , vt angustum & par freto , curuansque se , longo supercilio inflexum est. In eo sunt* CIMBRI & TEVTONI: *vltrà , vltimi Germaniæ* HERMIONES. SARMATIA
Cap. 4. *intus quam ad mare latior , ab ijs quæ sequuntur Vistula amne discreta ; quà retrò abit vsq; ad · · · · Istrum fluuen iwomittit.*
Cap. 6. *Insulæ septem sunt Hemodes contra Germaniam proiectæ , in illo sinu quem* Codanum *diximus : Ex ijs* CODANONIA *quam adhuc* Teutoni *tenent , vt magnitudine alias , ita fœcunditate antestat. Quæ Sarmatis aduersa sunt , ob alternos accessus recessusque pelagi , & quod spatia queis distant , modo operiuntur vndis , modo nuda sunt , alias insulæ videntur , alias vna & continens terra : in his sunt Oonæ qui ouis auium palustrium & auenis tantum alantur.* THVLE BERGARVM *littori opposita est , Graijs & nostris celebrata carminibus. In ea quod sol longè occasurus exsurgit , breues vtique noctes sunt , sed per hyemem sicut alibi obscuræ , æstate lucidæ , quod per id tempus iam se altius euehens , quanquam ipse non cernatur , vicino tamen splendore proxima illustrat : per solstitium verò nullæ , quod tum manifestior , non fulgorem modo , sed sui quoque partem maximam ostentat.* Atque hæc quidem Mela. Consequens nunc est vt Plinium quoque audiamus , tanto quidem attentius , quanto ille rerum Germanicarum fuit peritior , vt qui ad lectionem priorum suas quoque contulerit obseruationes. Scripsit enim libros bellorum Germanicorum viginti , quibus omnia quæ cum Germanis gesserunt bella Romani collegit. Inchoauit illos quum in Germania militaret , somnio admonitus. Adstitit enim quiescenti Drusi Neronis effigies qui Germaniæ latissimè victor ibi perijt , commendabatque memoriam sui , orans vt se ab iniuria obliuionis adsereret. Hi libri etsi perierint maiore nostro quam Drusi incommodo , tamen in ea quam habemus ab ipso editam historia naturali , multa spargit quæ iuuare possint rerum antiquarum studiosum. Nos illa colligemus. Sic ergo Plinius. *Ister , inquit , in Germaniæ iugis montis Abnobæ oritur , ex aduerso Rauraci Galliæ oppidi , multis vltrà Alpes millibus , ac per innumeras lapsus gentes Danubij nomine , immenso aquarum auctu , & vnde primum Illyricum alluit , Ister appellatus , sexaginta amnibus receptis , medio fermè numero eorum nauigabili , in Pontum vastis sex fluminibus euoluitur. Primum ostium Peuces , mox ipsa Peuce insula ; a qua proximus aleueus appellatus* XIX *m. pass.*

Plin. nepos. Lib. III. epistolarum.

Descriptio Plinij Lib IV. Cap. 12.

magna

magna palude sorbetur. Ex eodem alueo & super Istropolim lacus gignitur LVIIII m. pass. ambitu, Halmyrim vocant. Secundum ostium Ναρέκος στόμα, & insula Κονώπος διάβασις. Posteà Βόρειον στόμα, & Spireostoma. Singula autem ora tanta sunt, vt prodatur in XL millia pass. longitudinis vinci mare. Ab eo in planum quidem omnes Scytharum sunt gentes, variæ tamen littori appositæ tenuere, alias Getæ, Daci Romanis dicti, alias Sarmatæ, Græcis Sauromatæ, eorumque Hamaxobij, aut Aorsi, alias Scythæ degeneres & a seruis orti, aut Troglodytæ; vtrox Alani & Roxalani. Superiora inter Danubium & Hercynium saltum, vsque ad Pannonica hibernа Carnunti, Germanorumque confinium, campos & plana Iazyges Sarmatæ, montes verò & saltus pulsi ab his Daci, ad Pathissimum amnem a Moro siue is Duria est, a Sueuis regnoque Vanniano dirimens eos: auersa Bastarnæ tenent, aliique inde Germani. Agrippa totum eum tractum ab Istro ad Oceanum bis ad decies centum m. pass. in longitudinem, quantum minus quadringentis in latitudinem ad flumen Vistulam a desertis Sarmatiæ prodidit. Scytharum nomen vsquequaq; transit in Sarmatas atque Germanos. Nec alijs prisca illa duravit appellatio, quam qui extremi gentium harum ignoti propè cæteris mortalibus degunt. Ante Scythiam esse insulam quæ appellatur Bannomanna, eamque abesse a Scythia diei cursu, inque illam veris temperie fluctibus electrum ejici Timæus prodidit. Reliqua littora incerta signantur fama. Septentrionalis Oceanus, Amalchium eum Hecatæus appellat, a Paropamiso amne quà Scythiam alluit, quod nomen eius gentis lingua significat congelatum. Philemon Morimarusam a Cimbris vocari, hoc est, mortuum mare, vsque ad promontorium Rubeas, vltra deinde Cronium. Xenophon Lampsacenus, a littore Scytharum tridui nauigatione insulam esse immensæ magnitudinis, BALTIAM tradidit. Eandem Pytheas Basiliam nominat. Feruntur & Oonæ, in quibus ouis auium & anseris incolæ viuant. Alia, in quibus equinis pedibus homines nascantur, hippopodes appellati. Fanesiorum aliæ, in quibus nuda alioquin corpora prægrandes ipsorum aures tota contegant. Incipit inde clarior aperiri fama ab gente Ingæuonum, quæ ast prima Germaniæ. SEVO mons ibi immensus, nec Rhiphæis iugis minor, immanem ad Cimbrorum vsque promontorium efficit sinum, qui CODANVS vocatur, refertus insulis; quarum clarissima SCANDINAVIA est, incompertæ magnitudinis, portionem tantùm eius, quod sit notum, Hilleuionum gente D incolente pagis, quæ alterum orbem terrarum eam appellat. Nec est minor opinione Eningia. Quidam hæc habitari ad Vistulam vsque fluuium a Sarmatis, Venedis, Scyris, Hirris tradunt. Sinum Clylipenum vocari, & in ostio eius insulam Latrin. Mox alterum sinum Lagnum, conterminum Cimbris. PROMONTORIVM CIMBRORVM excurrens in maria longe peninsulam efficit, quæ Cartris appellatur. Viginti tres inde insulæ Romanis armis cognitæ. Earum nobilissimæ, BVRCHANA, Fabaria à nostris dicta, a frugis similitudine sponte prouenientis: item GLESSARIA a succino militiæ appellata, a barbaris Austrania, præterea que Actania. Toto autem hoc mari ad Scaldim vsque fluuium GERMANICÆ accolunt gentes, haud explicabili mensura, tam immodica prodentiũ discordia est. Græci & quidam nostri XXV cent. mill. m p. oram Germaniæ tradiderunt. Agrippa cum Rhætia & Norico longitudinem DCLXXXVI m. passuum; latitudinem CCLXVIII millia, RHÆTIÆ prope vnius maiore latitudine, sanè circa excessum eius subactæ. Nam GERMANIA multis posteà annis, nec tota percognita est. Si coniectare permittitur, haud multum oræ deerit Græcorum opinioni, & longitudini ab Agrippa proditæ. Germanorum genera quinque, VINDINI, quorum pars Burgundiones, Varrini, Carini, Guttones. Alterum genus INGÆVONES, quorum pars Cimbri, Teutoni, ac Cauchorum gentes.

Lib. IV. Cap. 13.

Cap. 14.


GERMANIA ex descriptione Cæsaris Plinij Taciti
Sevo mons Germaniæ apud Ingenones immensus nec Rhiphæis iugis minor, immanem ad Cimbrorum usq; promontorium efficit sinum qui Codanus appellatur. Plin. lib. IV. cap. XIII.
CRONIUM MARE Plinio
Riphæi montes
SCRITOFINNI
LAPPIONES
Seuo mons
Oceanus Deucaledonius
Hebrides Inss.
Orcades
AESTVV
FENNI
SVIONES
GER
Bergi
NERIGON
PEVCINI
GVTAE HILLEVIONES.
SCANI.
MARE SVEVICUM
VENEDI.
HIRRI.
AESTII.
SCIRI.
Oceanus Germanicus
BRITANNICÆ INSULAE.
Codanus sinus
CIMBRI
TEVTONI GOTHI
SARMATIA EVROPAEA.
Tanais fl.
Borysthenes fl.
Albis fl.
CHAVCI
MANIA
CHERVSCI.
SEMNONES.
Vistula fl.
Hercynium iugum et silva
Ger. inferior
Nervii
Belgica.
Vbii
Vsipii
CATTI
Moenus fl.
BOIEMI
HELVETII
HERMVNDVRI
MARSIGNI
Carpatus mons
Tyrus fl.
Oceanus Aquitanicus
GALLIA
Ligeris fl.
Lugdunen.
NARISCI
MAROMANNI
GOTHINI
DACÆ qui
PONTVS EVXINVS
RHAETIA.
QVADI
Danubius fl.
Aquitan
NORICVM
OSIBVRII
DAVI et DACI
Ister
HISPANIÆ PARS.
Narbonensis.
Venetia.
Histria.
Padus fl.
Gallia Cisalpina
PANNONIAE.
Iazyges
Mar Gallicum

tes. *Proximi autem Rheno* ISTÆVONES, *quorum pars* Cimbri mediterranei. HERMIONES, *quorum* Sueui, Hermunduri, Chatti, Cherusci. *Quinta pars* PEVCINI, Barstarnæ, *supradictis conterminni* Dacis. *Amnes clari in Oceanum defluunt*, Guttalus, Vistillus *siue* Vistula, Albis, Visurgis, Amisius, Rhenus, Mosa. *Introrsus verò, nulli inferius nobilitate* Hercynium iugum *prætenditur. In Rheno*
Cap. 25. *ipso, prope centum millia pass. in longitudinem, nobilissima* BATAVORVM INSVLA, *&* CANINEFATVM, *& aliæ* FRISIORVM MAIORVM, *&* FRISIORVM MINORVM (ita omninò lego cum doctissimo Clüuerio, non autem *Cauchorum & Frisiabonum*, quum illi longè vltra Rhenum sint, ad Visurgim, hi pertineant ad Galliam Belgicam, vltrà Scaldim siti,) MARSATIORVMQVE *sternuntur, inter* Helium *&* Fleuum: *ita appellantur ostia in quæ effusus Rhenus ab Septentrione in lacus, ab occidente in amnem Mosam se spargit, medio inter hæc*
Cap. 17. *ore modicum nomini suo custodiens alueum. In Gallia verò Belgica a Scaldi incolunt extera* TOXANDRI, *pluribus nominibus. Deinde* MENAPII, MORINI, OROMANSACI, *iuncti pago qui* Gessoriacus *vocatur*, BRITANNI, AMBIANI, BELLOVACI, HASSI. *Introrsus* CASTOLOGI, ATREBATES, NERVII *liberi*, VEROMANDVI, SVECONI, SVESSIONES *liberi*, VLBANECTES *liberi*, TVNGRI, RINVCI, FRISIABONES, BETHASII, LEVCI *liberi*, TREVERI *liberi anteà, &* LINGONES *fœderati*, RHEMI *fœderati*, MEDIOMATRICES, SEQVANI, RAVRICI, HELVETI, COLONIÆ *Equestris & Rauriaca. Rhenum autem accolentes Germaniæ gentium in eadem Prouincia*, NEMETES, TRIBOCHI, VANGIONES; *Hinc* VBII, Colonia Agrippinensis, GVGERNI, BATAVI, *& quos in insulis diximus Rheni. In Germanicum mare sparsæ sunt insulæ* GLESSARIÆ, *quas Electridas Graci recentiores appellauere, quod ibi electrum nasceretur.* Cap. 26.

Vltima omnium quæ memorantur, est THVLE, *in qua solstitio nullas esse noctes indicauimus, cancri signum sole transeunte, nullosque contrà per brumam dies. Hæc quidam sensim mensibus continuis fieri arbitrantur. Timæus historicus a Britannia introrsus sex dierum nauigatione abesse dicit insulam Mictim, in qua candidum plumbum proueniat. Ad eam Britannos vitilibus nauigijs corio circumsitis nauigare. Sunt qui & alias prodant*, SCANDIAM, DVMNAM, BERGOS, *maximamque omnium* NERIGON, *ex qua in Thulen nauigetur. A Thule vnius diei nauigatione mare concretum, a nonnullis* Cronium *appellatur. Septemtrionalis Oceanus* Lib. II. *maiore ex parte nauigatus est auspicijs diui Augusti, Ger-* Cap. 67. *maniam classe circumuecta ad Cimbrorum promontorium, & inde immenso mari prospecto aut fama cognito, ad Scythicam plagam, & maria frigore nimio rigentia. Propter quod minime verisimile est, illic maria deficere, vbi vis humoris superat.* Et postea. *Nepos Cornelius de Septentrionali circuitu tradit, Q. Metello Celeri, C. Afranij in consulatu Collegæ, sed tum Galliæ proconsuli, Indos a rege Sueuorum dono datos, qui ex India commercij caussa nauigantes, tempestatibus essent in Germaniam abrepti.* Adijciamus alia eiusdem. *De* CHAVCIS. *Sunt vero & in Septentrione visa nobis Chaucorum gentes, qui maiores minoresque appellantur. Vasto ibi meatu, bis* Lib XVI. *dierum noctiumque singulorum interuallis effusus in immen-* Cap. 1. *sum agitur Oceanus, æternam operiens rerum naturæ controuersiam, dubiumque terra sit, an parte in maris. Illic misera gens tumulos obtinet altos, aut tribunalia structa manibus ad experimenta altissimi æstus; casis ita impositis, nauigantibus similes, quum integunt aquæ circumdata; naufragis vero, quum recesserint: fugientes cum mari pisces circa tuguria venantur. Non pecudem his habere, non lacte ali, vt finitimis, ne cum feris qui-*

ris quidem dimicare contingit, omni procul abacto frutice. Vlua & palustri iunco funes nectunt, ad prætexenda piscibus retia, captumque manibus lutum ventis magis quam sole siccantes, terra cibos & rigentia Septentrione viscera sua vrunt. Potus ijs non nisi ex imbre seruato scrobibus, in vestibulo domus. Totam reliquam Germaniam quercubus replent, addunt que frigori vmbras: Altissima tamẽ haud procul supra dictis Chaucis, circà dues præcipue lacus. Littora ipsa obtinent quercus maxima auiditate nascendi; suffoßaque fluctibus aut propulsæ flatibus, vastas complexu radicum insulas secum auferunt: atque ita libratæ stantes nauigant, ingentium ramorum armamentis: sæpè territis classibus nostris, quum velut industria fluctibus agerentur in proras stantium noctu, inopesque remedij illæ, prælium nauale aduersus arbores inirent. GELDVBA. Ad eam præstantissimum siser (pastinacæ genus est) creuisse argumento est, quod Tiberius inde illud suis mensis quotannis peti voluit. *Inter medica dicendum siser, & ipsum Tiberius nobilitauit, flagitans omnibus annis a Germania. Gelduba appellatur castellum Rheno impositum, vbi generositas præcipua.* ANSERES GERMANIÆ. *Pluma anserum è Germania laudatissima; candidi ibi, verum minores: Ganzæ vocantur. Pretium plumæ eorum in libras denarij quini: & inde crimina plerumque auxiliorum præfectis, a vigili statione ad hæc aucupia dimissis cohortibus totis: eoque deliciæ processere, vt sine hoc instrumento durare iam ne virorum quidem ceruices possint.* TVRDI. *In Germania hyeme maximè turdi cernuntur.* MEL GERMANICVM. *Aliubi magnitudine commendantur faui; vt in septentrionalibus, viso iam in Germania octo pedum longitudinis fauo, in cauæ parte nigro.* TEXTRINÆ GERM. *In Germania defossi atque sub terra id opus agunt.* HERBAM PORRIGERE GERMANORVM MOS. *Summum apud antiques signum victoriæ erat, herbam porrigere victos, hoc est, terra & altrice ipsa humo, & humatione etiam cedere: quem morem etiam nunc durare apud Germanos scio.* SVDINES GERM. *Sudines in Germania nec vsquam alibi nasci putauere nostri veteres, potoriys primùm vasis inde factis, dein pedibus lectorum sellisque. Cornelius Nepos tradit, fuisse magno miraculo, quum L. Lentulus Spinter amphoras ex eo Chiorum magnitudine cadorum ostendisset.* ÆS GERMAN. *Ferunt nuper etiam in Germania æs repertũ.* FONTES MATTIACI IN GERM. *Sunt & Mattiaci in Germania fontes calidi trans Rhenum, quorum haustus triduo feruet: Circa margines verò punicem faciunt aqua.* SALIS CONFICIENDI RATIO APVD GERMANOS. *Galliæ Germaniaque ardentibus lignis aquam salsam infundunt. Quercus optima, vt quæ per se cinere sincero vim salis reddat. Alibi corylus laudatur. Ita infuso liquore salso carbo etiam in salem vertitur. Quicumque ligno confit sal, niger est.* CERASA GERMANIÆ. *In ripis Rheni tertius cerasis color, è nigro ac rubenti viridique, similis matureſcentibus semper.* SILVRVS IN MOENO AD ERLISBORNVM. *Silurus graßatur vbicumque est, omne animal appetens, equos innatantes sæpè demergens, præcipuè in Mœno Germaniæ amne propter Erlisbornum, & in Danubio.* ASPARAGVS GERMANIÆ. *Est & aliud genus incultius asparago, mitius corruda, passim etiã in montibus nascens, refertis Germaniæ campis, non infaceto Tiberij Cæsaris dicto, Herbam ibi quandam nasci simillimam asparago.* SVCCINVM GERMANIÆ. *Pytheas Guttonibus Germanicæ genti accoli æstuarium Oceani prodidit Mentonomon nomine, spatio stadiorum sex millium: Ab hoc diei nauigatione insulam abesse Abalum. Illò vere fluctibus aduehi succinum, & esse concreti maris purgamentum: incolas pro ligno ad ignem vti eo, proximisque Teutonis vendere. Huic & Timæus credidit, sed insulam Baltiam vocauit. Mithridates in Germaniæ littoribus esse insulam ait, vocariq; eam Osericlam, cedri*

Lib. XIX. Cap. 5.

Lib. X. Cap. 22.

Lib. X. Cap. 24.

Lib. XI. Cap. 14.

Lib XIX. Cap. 1.

Li. XXII Cap. 4.

Li. xxxv. Cap. 7.

Li. xxxiv Cap. 1.

Li. xxxi. Cap 2.

Li. xxxi. Cap. 7.

Lib. XV. Cap. 25.

Lib. IX. Cap. 15.

Lib. XIX Cap. 8.

Li xxxvii Ca. 2 & 3.

cedri genere siluosam, inde defluere in petras. Certum autem est, gigni in insulis Septentrionalis Oceani, & a Germanis appellari glessum, itaque & a nostris vnam insularum ob id GLESSARIAM appellatam, Germanico Cæsare ibi classibus rem gerente, Austrauiam a Barbaris dictam. Affertur a Germanis in Pannoniam maximè prouinciam: inde Veneti primum, quos Græci Henetos vocant rei famam fecere, proximi Pannoniæ, id accipientes circa mare Adriaticum. Sexcenta ferè millia passuum a Carnunto Pannoniæ abest littus illud Germaniæ ex quo inuehitur, percognitum nuper. Vidit enim eques Romanus, missis ad id comparandum a Iuliano curante gladiatorium munus Neronis principis, qui hæc commercia & littora peragrauit, tanta copia inuecta, vt retia arcendis feris podium protegentia succinis nodarentur; arma verò & Libitina, totusque vnius diei apparatus esset è succino. Maximum pondus is gleba attulit XIII librarum. BISONTES, VRI, MACHLIS, IN GERM. Scythiæ contermina Germania insignia gignit boum ferorum genera, iubatos bisontes, excellentesque vi & velocitate vros, quibus imperitum vulgus bubalorum nomen imponit, quum id gignat Africa, vituli potius ceruinæ quadam similitudine. Septentrio fert & equorum greges ferorum: prætereà alcen, ni proceritas aurium & ceruicis distinguat, iumento similem. Item notam in SCANDINAVIA insula nec vnquam visam in hoc orbe, multis tamen narratam machlin, haud dissimilē illi, sed nullo suffraginum flexu; ideoque non cubantem, sed accliuem arborì in somno, eaque incisa ad insidias capi. CASTRA LEGIONVM GERMANIÆ. Certior Europæ mensura ac longior ad occasum solis æstiui ostiumque Rheni per castra legionum Germaniæ ab Alpibus dirigitur XIIIc & XLIII m. pass. GERMANICORVM PRÆDONVM NAVES. Germaniæ prædones singulis arboribus cauatis nauigant, quarum quædam & triginta homines ferunt. GERMANIÆ PABVLA LAVDATISSIMA IN SOLO NON PINGVI. Nec luxuriosa pabula pinguis soli semper indicium habent. Nam quid laudatius Germaniæ pabulis? & tamen stratim subest arena tenuissimo cespitũ corio. GERMANIÆ RAPHANI. Frigore adeò gaudet raphanus, vt in Germaniæ infantium puerorum magnitudinem æquet. Audiamus verò nunc etiam Solinum abbreuiatorē Plinij. Mons Seuo, ipse ingens, nec Rhiphæis minor collibus, initium GERMANIÆ facit. Hunc Ingeuones tenent, a quibus primis post Scythas nomen Germanicum consurgit. Diues virorum terra, frequens populis numerosis & immanibus. Extenditur inter Hercynium saltum & rupes Sarmatarum: vbi incipit, Danubio; vbi desinit, Rheno perfunditur. De internis eius partibus, Albis, Gutallus, Vistula, amnes altissimi præcipitantur in Oceanum. Saltus Hercynius aues gignit, quarum pennæ per obscurum emicant & interlucent, quamuis obtenta nox densent tenebras. In hoc tractu sane & in omni Septentrionali plaga sunt bisontes frequentissimi; sunt & Vri, quos imperitum vulgus vocat bubalos. Est & Alces mulis comparanda, adeo propenso labro superiore, vt nisi recedens in posteriora vestigia, pasci nequeat. SCANDINAVIA insula è regione Germaniæ mittit animal quale Alces, sed cui suffragines vt elephantis flecti nequeunt. De Germanicis insulis Scandinauia maxima est; sed nihil in ea magnum præter ipsam. GLESSARIA dat crystallum; dat & succinum, quod Germani gentiliter vocant glessum. Qualitas materiæ huius summatim anteà, Germanico autem Cæsare omnes Germaniæ oras scrutante, comperta est arbor pinei generis, cuius mediale autumni tempore succino lacrymat. Succum esse arboris, de nominis qualitate capessas: pinum verò vnde sit genitum, si vsseris, odor indicabit. Pretium operæ est scire; ne longius Padaneæ siluæ credantur lapidem fleuisse. Hanc speciem in Illyricum Barbari intulerunt, quæ quum

Lib. VIII. Cap. 15.
Lib. IV. Cap. 23.
Lib XVI. Cap. 40.
Lib XVII Cap. 4.
Lib. XIX. Cap. 5.
Descriptio SOLINI Cap. xxiii


SINUS CODANUS
Glessaria ins.
SVEVORUM et LYGIORUM DESCRIPTIO ex Tacito de Mor. Ger.
EVVARI-DOSES NI.
ANGLI.
CHAUCI.
Albis fl.
SVARDONES.
RUGII.
HERULI.
CHAIBONES qui Auiones
VANDA-NVITHONES qui Tentones.
GHOTHI.
THURINGI qui & Grutingi.
CHERUSCI.
SIDINI.
CARINI.
VENEDI.
Trophaa Drusi
LONGOBARDI.
BURGUNDIONES.
LI.
Vistula amnis.
Visurgis fl.
ARII.
HELVECONES.
MANIMI.
SEMNONES.
Melibocus.
SVEVI qui & SLAVI.
ELYSII.
CATTI.
Albis.
BURII.
NAHARVALI.
Sala fl.
HERMUN-
LYGII.
PEUCINI quos Plinius BASTARNAS etiam vocari ait.
Gabreta silva.
MARSINGI.
Albis.
OSI.
Vistula fl.
Moenus fl.
Marobodui
DURI.
BOIOHAEMUM.
NARISCI.
MARCOMANNI.
ALLEMANNI.
GOTHINI.
Vlteriora incolunt Sarmatæ Europæi, et Asiatici, in quibus Hunni Alaniq, ultra Tanaim.
Danub.
QVADI
QVADI.
IAZYGES.
Tyras fl.
Lych9 fl.
Augusta Vindel
Aen9. fl.
Danubius imperij terminus.
VINDELICIA.
NORICUM.
Carnuntum
Scala Milliarium.

per Pannonica commeſcia vſu ad Tranſpadanos homines foret delata, quod ibi primùm noſtri viderant, ibi eam natam putauerunt. Munere Neronis principis apparatus omnis ſuccino inornatus eſt: nec difficulter, quum per idem tempus tredecim millia librarum Rex Germaniæ dono ei miſerit. Habet & India ſuccinum, ſed plurimum optimumque Germania. In Germaniæ continentibus Callais reperitur, quam gemmam Arabicis anteponunt: vincit enim gratia. Cerauniorum porrò genera diuerſa ſunt, Germanicum candidum eſt; ſplendet tamen cærulo. Sed ex Strabone, Mela, Plinio, Solino, iſta ſufficiant.

CAP. XIX.

GERMANIA *Cornelij Taciti.*

C. Cornelius Tacitus ſub Veſpaſiano procurator datus Galliæ Belgicæ, etſi ipſe in Germania Tranſrhenana non fuerit, tamen ex aliorum ſcriptis ac relatu, legendo, ſciſcitando, audiendoque ea cognouit, quæ collata cum aliorum Romanorum Græcorumque obſeruationibus meritò ipſum arguant in hoc genere præ cæteris quorum exſtant monumenta fuiſſe accuratiſſimum. Itaque in Annalibus ſuis, inque Hiſtoriarum libris curioſe admodum deſcribit Rheni tractum omnem vſque ad Oceanum, vrbeſque Germaniæ inferioris, & ſuperioris, in Rheni ripa Gallica ſitas, Caſtra quoque Romanorum ad ripam diſpoſita, & Tranſrhenanas gentes cum quibus Romanis negotium fuit, à Cæſaris Auguſti obitu vſq; ad obitum Vitellij & imperium Veſpaſiani; idem quoque facit in tractu omni qui eſt ad Danubium, alterum imperij Romani terminum. Quod ſi eorum quæ ſub Auguſto geſta ſunt hiſtoriam diſtinctè haberemus, quam quidem conſtat ſcriptam fuiſſe à T. Liuio; & Plinij præterea libros bellorum Germanicorum, cum ijs quæ à Theodoto adnotata fuiſſe diximus, ſi quoque ſubſequentium ſcriptorum induſtria per ſingula ſæcula conſignaſſet ea quæ poſtea geſta ſunt, haberemus citra cõtrouerſiã certiora omnia multoq; expeditiora. Nunc inanibus votis & coniecturis fallacibus explemus quod hiſtoriæ deeſt. Cæterum in libris Taciti de moribus Germanorum notantur iſta.

Primum, quinam in Gallia ſint populi orti è Germanis Tranſrhenanis. Interiores ſunt

TREVERI.
NERVII.

In ripa Rheni

VANGIONES.
TRIBOCCI.
NEMETES.
VBII.
BATAVI.

Et miror ab ipſo Sicambros hoc loco non commemorari, quos in Annalibus ait in Gallias traiectos fuiſſe.

In Germania Tranſrhenana prætet eos qui decumates agros vltra Rhenum & Danubium exercebant, fuerunt ab Occidente

HELVETII inter Hercyniam ſiluam, Rhenumque & Mœnum amnes, orti a Gallis.

CATTI qui initium ſedis ab Hercynio ſaltu inchoabant.

Quibus iuncti

MATTIACI non in ripa Gallica, ſed in Germanica, vltra Rhenum, obſequio erga Romanos pares Batauis, ſed cœlo ſoloque Germanico acrius ipſis Batauis animati.

Vbi verò Rhenus certo alueo fluit, fuere

VSISH.

TENCTERI.

Et iuxta hos

BRVCTERI, quorum in locum succeſſiſſe ait CHAMAVOS & ANGRIVARIOS.

His a tergo obijciebantur,

DVLGVBINI.

CHASVARI.

A fronte verò

FRISII maiores & minores, quos ait ad Oceanum vſque Rheno prætexi, & ambire immenſos lacus ac Romanis claſſibus nauigatos.

Ad Septentrionem in Germania locantur a Tacito

CHAVCI.

CHERVSCI.

CIMBRI proximi Oceano.

His ſubiungit

SVEVOS qui maiorem tunc Germaniæ partem obtinebant.

Ex his ſecretiora Germaniæ incolebant ordine

SEMNONES quorum centum pagi.

LANGOBARDI bellicoſi.

* REVDINGI.
AVIONES.
ANGLI.
VARINI.
EVDONES.
SVARDONES.
* NVITHONES.

} fluminibus aut ſiluis muniti, atque inter ſe diſtincti.

* *Hi ſunt Thuringi & Gruthingi.*

* *Hi ſunt Teutones.*

SVEVI vero ad Danubium ſunt iſti,

HERMVNDVRI.

BOII orti a Gallis: ab his Boiohæmus nomen habet.

NARISCI.

MARCOMANNI.

QVADI.

Horum terga claudebant in eadem Sueuia

MARSINGI.

GOTHINI.

OSI.

BVRII.

Atque hi quidem Sueui intra montes: Poſt montes vero Sueui dicuntur LYGII in quibus

ARII.

HELVECONES.

MANIMI.

ELYSII.

NAHARVALI.

Trans Lygios ponuntur a Tacito,

GOTHONES.

RVGII.

LEMOVII.

Tum

SVIONES in ipſo Oceano.

Trans Suiones eſt mare pigrum: in cuius dextero littore

ÆSTYI apud quos ſuccinum.

Poſt Suiones in Sueuia ſunt

SITONES.

Atque

Atque hic Sueuiæ finis. Dubium Tacito, Sarmatisne an Germanis adscribendi sint,

PEVCINI siue Bastarnæ.

VENEDI.

FENNI.

Vrbes Tacitus Germanorum nullas refert, quia nullas eius æuo habuerunt.

CAP. XXI.

GERMANIA *Cl. Ptolemæi Alexandrini.*

POst eos quos diximus edidit descriptionem Germaniæ Cl. Ptolemæus, patria Alexãdrinus, professione Mathematicus, qui, teste Suida, Antonini vixit temporibus. Eam descriptionem posteriores fere omnes secuti sunt: Vtut enim in quorundam locorum designatione recedat a vero, tamen pleraque habet certissima. In ea descriptione notari velim. Ptolemæum non lustrasse loca ea quæ commemorat, sed ex aliorum obseruationibus dedisse nobis quam habemus Germaniæ delineationem. Quumque plures habuerit tabulas, videri ipsum mihi vetustiorem quandam imprimis secutum & ante sua tempora delineatam. Ego omnino suspicor, ipsum pinacas habuisse Augusti æuo factos. Argumenta habeo præter magnorum virorum autoritatem, Quod trophæa Drusi nominat, quæ sine dubio ipsius æuo iam perierant, vel tempestate consumta, vel diruta dudum disiectaque à Cheruscis post Romanorum discessum; nam inter Drusi victoriam & initium Antonini intercedunt anni centum & quadraginta, quo toto tempore non est verisimile, Cheruscos, trophæa illa, cladis suæ & victoriæ Romanæ signa passos esse illic fixa consistere. Neque enim putandum est, trophæa illa vrbem fuisse. Crediderim potius, ex tabulis quæ Romæ in porticibus expositæ erant, ipsum vnam aliquam secutum, quæ expeditionem Drusi Germanicam pictam continebat, & trophæa in hostico posita. Solebant enim ita victores Romani proponere spectandas populo suas victorias. Notauimus hoc in Maximino supra. Herodianus, ταύτην τὴν μάχην καὶ τὴν ἀριστείαν αὐτοῦ οὐ μόνον διὰ γραμμάτων τῇ τε συγκλήτῳ καὶ τῷ δήμῳ ἐδήλωσεν, ἀλλὰ καὶ γραφῆναι κελεύσας. Et Iulius Capitolinus, *Iussit præterea tabulas pingi, ita vt erat bellum ipsum gestum, & ante curiam proponi, vt facta eius pictura loqueretur.* Idcirco Eumenius Rhetor in suis quoque Menianis tales tabulas conspici gloriatur. *Videt*, inquit, *præterea in illis porticibus iuuentus & quotidie spectat omnes terras, & cuncta maria, & quicquid inuictissimi principes* (Constantius & Maximianus sub Diocletiano Augusto) *vrbium, gentium, nationum, aut virtute deuincunt, aut terrore. Siquidem illic (vt ipse vidisti*, alloquitur vero præsidem Galliarum) *credo instituendæ pueritiæ caussa, quo manifestius oculis discerentur quæ difficilius percipiuntur auditu, omnium cum nominibus suis locorum situs, spatia, interualla descripta sunt: quicquid vbique fluminum oritur & conditur, quacunque se littorum situs flectunt, quoue ambitu cingit orbem vel irrumpit Oceanus, ibi fortissimorum imperatorum pulcherrimæ res gestæ per diuersa regionum argumenta recoluntur, dum calentibus semperque venientibus victoriarum nuntijs reuisuntur Persidos flumina, & Libyæ arua siccentia, & connexa Rheni cornua. & Nili ora multifida.* Ex tali igitur tabula Ptolemæus quædam in suam Germaniam retulit, quæ tamen eo quo illa scribebat tempore aliter conspiciebantur. Ergo Longobardos ille in læua Albis ripa locat, qui tamen iam inde à Tiberij æuo vltra Albim remoti fuerant. Accedit, quod

Cap. VIII p. 44. b.

quod Sicambris sedes in Germania Transrhenana adsignat, quos constat ex Tacito & Suetonio transmisso amni in ripam Gallicam fuisse translatos. Verba Taciti hæc sunt. *Imperatoris Romani vox fuit, vt quondam Sicambri excisi & in Gallias traiecti forent, ita Silurum nomen penitus extinguendum esse.* Suetonij ista. *Germanos vltra Albim flumen submouit, ex quibus Suenos & Sicambros dedentes se traduxit in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocauit.* Ipse quoque Tiberius in epistolis ad Germanicum, Sicambros à se in deditionem acceptos scribit. Certè si dediti fuerunt, non sunt relicti in hostico, quum nullos Germani infensius oderint, quam desertores partium, atque idcirco Vbios Germanis exosos fuisse constet, quod quum essent *Germanicæ originis, eiurata quasi patria Romanorum nomine Agrippinenses vocari vellent.* Sicut igitur post deportationem illam Vbij Transrhenani omnino esse desierunt, ita etiam Sicambri. Vbi ergo quærendi? ad Vahalim in ripa Gallica, Sidonius,

Car. xiii. *Et tonsus Vahalim bibat Sicamber.*

Atque hæc causa est, cur Tacitus exactissimus istarum rerum obseruator de Sicambris tanquam de populis in Germania degentibus nusquam vel in Annalium suorum vel in Historiarum libris meminerit: in libro vero de moribus Germanorum, eos ne quidē nominârit. Quod igitur Ptolemæus Sicambros ad ripam Rheni dextera in Germania locat, id argumentum est, ipsum tabulas quasdam secutum esse ante istam Sicambrorum deportationem, quæ sub Augusto contigit, delineatas. In Galliæ quoque descriptione Ptolemæus non illam posteriorem Augusti, sed priorem C. Cæsaris partitionem secutus est, qua Gallia diuiditur in Aquitanicam, Lugdunensem, Belgicā, & Narbonensem. Posterius enim ea ab Augusto in septendecim Prouincias tributa fuit, quam quidem diuisionem Ptolemæus non videtur agnouisse: Ex quibus omnibus liceat propemodum conijcere quas ille tabulas potissimum secutus sit. Vsus enim est Augustæis, adiunxitque illis quasdam sui æui: sicut ex eo apparet, quod legionem Vlpiam & legionem Traianam ad Rhenum, aliaque similiter ad Danubium castra commemorat. Neque vero illud inobseruatum omittendum est, aliam hodie conspici Germaniæ altitudinem, quam quæ ei adsignatur a Ptolemæo. Ille enim Rheni ostium ponit gradu LIV quum illo gradu situm nunc sit ostium Albis quod a Rheni ostio distat totis gradibus duobus, hoc est milliaribus Germanicis LX; quam vnam differentim (vt alias præteream) infinitæ aliæ consequuntur, eo quod cætera omnia loca pro interuallorum ratione necesse sit hisce locis respondere. Quod si cui mutatis altitudinum numeris liberet cum quā diximus varietatem corrigere, deprehenderet quædam in Ptolemæi tabula certiora, magisque naturali locorum positioni congruentia. Prætereà quas ille ciuitates vel πόλεις vocat in Germania, eas non oportet existimare fuisse vrbes vallo, fossa, portis, ac propugnaculis munitas, quales nunc permultæ per vniuersam Germaniam cernuntur, sed fuerunt nihil aliud quam societates hominum certo fœdere, ac legibus collectorum, simulque degentium. Diserte enim notat Tacitus. *Nullas Germanorum populis vrbes habitari, idque notum esse; ne pati quidem inter se iunctas sedes.* Additque, *Colunt, discreti ac diuersi; vt fons, vt campus, vt nemus placuit. Vicos locant non in nostrum morem, connexis & cohærentibus ædificijs; Suam quisque domum circumdat, siue aduersus casus ignis remedium, siue inscitia ædificandi. Ne cæmentorum quidem apud illos aut tegularum vsus. Materia ad omnia vtuntur informi & citra speciem aut delectationem. Solent & subterraneos specus aperire, eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hyemi & receptaculum frugibus; quia rigorem frigorum eiusmodi locis molliunt: & si quando hostis*

hostis aduenit; aperta populantur, abdita autem & defossa aut ignorantur, aut eoipso fallunt, quod quærenda sunt. Atque huc referendū est id quod de textrinis Germanorum iam ante ex Plinio didicimus. Hæ igitur fuerunt olim Germanorum ciuitates; quas & multas & hominum frequentia satis habitatas ex eo licet conijcere, quod apud C. Cæsarem Sueui centum tales dicantur habuisse. Porrò conferenti descriptionem istam cum Taciti descriptione, apparebit, Taciti Germaniam longè altius ad Septentrionem extendi quam istam Ptolemaicam: quod etiam argumentum est, non easdem vtrumque tabulas ante oculos habuisse. Nos in pinacibus nostris quum spatio coarctaremur tantum ea loca Germaniæ posuimus quæ cartæ capiebat angustia: cætera ex ipso Ptolemæi contextu possunt intelligi, quem propterea inseruimus, additis etiam ad oram nominibus recentioribus; qua in re partim positum naturalem locorum, partim aliorum autoritatem, partim nominum allusionem, partim etiam (est enim ingenuitatis nostræ fateri quod res est) diuinationem secuti sumus: neque diffitemur, multa adhuc ignorari a nobis, tum quod Ptolemæus ipse non veras tabulas secutus ipse quoq; a vero aberrauit, tum quod in Ptolemæi contextu addita quædam, quædam sublata, quædam transposita atque immutata esse suspicemur. Initium autem fecimus a Gallia Belgica, in qua sunt Germania superior & inferior.

GALLIA BELGICA.

ΚΕΛΤΟΓΑΛΛΑΤΙΑ ΒΕΛΓΙΚΗ.

GAlliæ Belgicæ latus quod occasum respicit iuxta Lugdunensem tractum expositū est: Septentrionale verò iuxta Oceanum Britannicum sic se habet, post

Sequanæ σηκόανα fl. ostia	xix. o. li. 30	*Seine.*
Frudij φρύδιος fl. ostia	xxi. 45. lii. 20	*Sambre.*
Icium promontorium ἴκιον ἄκρον	xxii. o. liii. 30	*VVestvlaendren*
MORINORVM, μορίνων		
Gessoriacum nauale γεσσοριακὸν ἐπίνειον,	xxii. 45. liii. 30	*Beunen.*
Tabudæ fl. ostia, Ταβύδα π. ἐκβολαί.	xxiii. 30. liii. 30	*Schelde.*
Mosæ fl. ostia, Μόζα π. ἐκβ.	xxiv. 40. xxxv. 20	*Maes.*
BATAVORVM βαταβῶν.		
Lugdunum λυγόδουνον	xxvi. 30. liii. 20	*Leyden.*
Rheni fl. ostium occidentale, ῥήνου ποτ. τὸ δυσμικὸν στόμα.	xxvi. 45. liii. 20	*Gat van de Maes.*
Medium Rheni ostium, τὸ μέσον στόμα τοῦ ῥω ταμοῦ.	xxvii. o. liii. 10	*Nunc arenis obstructum*
Orientalius eius ostium, τὸ ἀνατολικὸν στόμα τοῦ ῥαταμοῦ.	xxviii. o. liv. o	*Vlie gat*

Latus autem quod ad Solis ortum spectat, a Rheno fluuio terminatur iuxta MAGNAM GERMANIAM, cuius caput gradus habet xxix. 20. xlvi. o

Deinde locus qui iuxta Obrincum fluuium ὀβρίγκον extenditur ad occasum, μοίσας ἐπέχει xxviii. o. l. o *Mosella. Meusel.*

Tum locus qui est a fonte fluuij in Alpibus, qui vocatur mons Adulas Ἀδύλας ὄρος xxix. 30. xlv. 15

Iurassus mons Ἰουασσὸς, *Cæsari alijsque Vogesus, & Iura.* xx. 15. xlvi. o *S. Gottard S. Claudo Iurat.*


GALLIAE BELGICAE PARS IN QVA
Germaniæ duæ superioret inferior
OCCIDENS
ORIENS
MERIDIES
SEPTENTRIO
OCEANVS GERMANICVS
Neomagus
Augusta Veromanduorum.
VEROMANDVI
Castellum
MENAPII
Aduacutum
TVNGRI
Mosafl
Mosafl
LINGONES
MEDIO
MATRICES
Diuodurum
Andomatunum
Augusta Treuirorum
TREVIRI
LEVCI
Iurassus mons
Obrincus fluv. Pt qui Mosella.
BATAVI
Lugdunum
Tullum
Nasium
GERMANIA SVPERIOR
GERMANIA INFERIOR
Batauodurum
Rhem ostoccid
Medium Rh. ost
Elcebus
TRIBOCCI
NEMET
Traiana Leg. xxii.
Bonna
Col. Agrippinensis
Vlpia legio xxx.
Vetera
Augusta Rauracorum
Argentuaria
Argentoratum Leg. viii. Augusta
Breucomagus
Rufiniana
Neomagus
Moguntiacu
Leg. I.
Alesum
Asciburgium
Rhe ost oriē
Forum Tiberij
Budoris
Borbetomagus.
Nauaha
Tarodunum.
Gannodurum
Heluetiorum eremus
GERMANIA TRANSRHENANA
Adulasmons
Mattiacum

Latus verò meridionale coniungitur cum reliqua parte Galliæ Narbonensis. Protenditur autem a dicto iam communi termino Galliæ Lugdunensis & Narbonensis vsque ad communem finem Alpium & Adulæ montis, qui gradus habet xxix. 30. xlv. 15

Tenent autem maritima multum etiam in mediterraneis occupantes iuxta Sequanam fluuium,

ATREBATII Ἀτρεβάτιοι.

Le pays d'Arras. Quorum vrbs *Origiacum* Ὀριγιακὸν xxii. 30. li. 0

Post hos quasi ad ortum vergentes

BELLOVACI Βελλόβακοι.

Beauvoisin. Beauvois. Quorum vrbs *Cæsaromagus* Καισαρόμαγος. xxii. 30. li. 50

AMBIANI Ἀμβιανοί.

Le pays d'Amiens Cambraij Et vrbs eorum *Samarobriga* Σαμαροβρίγα. xxii. 15. lii. 10

Post quos ad ortum

MORINI Μορινοί.

VVest-Vlaenderē Terouane. Sola aquata a Carolo V. Horum mediterranea vrbs *Taruanna* Ταρουάννα xxiii. 20. lii. 50

Deinde post Mosam fluuium

TVNGRI Τόγγροι.

Tongren. Et vrbs ipsorum *Atuacutum*, Ἀτουακοῦτον. xxiv. 30. lii. 50

Deinde post Mosam fluuium

MENAPII Μενάπιοι.

Vlaendrē, Brabant, Kessel. Et vrbs eorum *Castellum* κάστελλον xxv. 0. lii. 15

Sub commemoratis autem gentibus habitant maxime Septentrionales

NERVII Νερβίοι.

Quorum vrbs *Baganum* Βάγανον xxv. 15. li. 40 *Tournay.*

Sub his ab oriente Sequanæ

SVBANECTI

Quorū vrbs *Rhotomagus* ῥατόμαγος xxii. 40. l. 0. *Roan.*

Sub quibus

ROMANDVES Ρομαίδυες. *Vermandois.*

Quorum vrbs *Augusta Romanduorum* αὐγύστα ῥομανδυῶν. *Augusta Veromandorū.* xxv. 30. l. 0. *imò Veromandui.*

Sub ijs

VESSONES ὐεσσονες. *Suessones.*

Quorum vrbs similiter ad orientem Sequanæ *Augusta Vessonum*, Αὐγύστα Οὐεσσόνων Augusta Suessonum xxiii. 30. xlviii. 50 *Soissons.*

Post quos iuxta fluuium Sequanam

RHEMI ῥημοί.

Et eorum vrbs *Durocottorum*, δυροκόττορον xxiii. 45. xlviii. 30 *Reims.*

Orientaliores verò Rhemis, sed magis Septentrionales sunt

TREVIRI τρηβιροί.

Quorum vrbs *Augusta Treuirorum* αὐγῦστα τρηβιρῶν. xxvi. 0. xlix. 10 *Triers.*

His magis meridionales sunt

MEDIOMATRICES Μεδιαμάτρικες.

Quorum vrbs *Diuodurum* διόδυρον. xxv. 30. xlvii. 20 *Metz*

Sub his & Rhemis sunt

LEVCI λευκοί.

Toul. Quorum vrbs, *Tullum*, τοῦλλον xxvi. 30. xlvii. 0

Nanci. *Nastium* νάσιον. xxv. 30. xlvi. 40

Regio vero quæ circa Rhenum fluuium est a mari vsque ad Obrincum fluuium, INFERIOR GERMANIA appellatur, Γερμανία ἡ κάτω. In qua vrbes ab occidentali parte Rheni hæ sunt,

Neder-duytstant. *Batauodorum* meditarranea Batauiæ, τὸ μὲν βαταβῶν μεσόγειος Βαταβόδουρον xxvii. 15. lii. 10

Posteriores vocant Durostadium, VVijck te Duerste. Sub hac *Vetera* ὀυέτερα. in qua legio tricesima Vlpia, λεγίων λ ὀυλπία. xxvii. 30. li. 50

Ceulen. tum Agrippinensis ἀγριππινησίς. xxvii. 40. li 50.

Bon. tum *Bonna* Βόννα xxvii. 40. l. 56.

Tacitus hic locat hiberna primæ legionis. Editiones Latinæ Ptolemæi habent Legio pri. *quæ voces in Græcis desiderantur.*

tum *Traiana legio* Τραϊανὴ λεγίων. xxvii. 30. l. 36

Mentz. inde *Moguntiacum* Μοκοντίακον xxvii. 20. l. 15

Quod autem ab Obrinco fluuio ad meridiem tenditur, GERMANIA SVPERIOR appellatur, in qua ciuitates sunt, ab Obrinco incipiendo

Poloni Germanos omnes vocant NEMETORVM νεμητῶν.

Noeomagus νοιόμαγος xxvii. 40. xlix. 10

Nsemsky. *Rusiana* ῥυσίανα xxvii. 45. xlix. 10

VVormbs. VANGIONVM ὀαγγιόνων.

Speier. *Borbetomagus* βορβυτόμαγος

Argentoratum, Legio octaua Augusta, Ἀργεντόραλον γεγίων ἡ σεβαστή. xxvii. 50. xlviii. 55 Strasburch.

TRIBOCORVM autem

Breucomagus, Βρευκόμαγος xxvii. 50. xlviii. 20 Brucomat.

Elcebus ἔλκηβος xxviii. 30. xlviii. 0

RAVRICORVM Ραυρικῶν.

Augusta ἀυγέστα xlviii. xlvii. 10

Argentuaria ἀργενταρία xxvii. 50. xlvii. 40

Sub ijs autem & Leucis habitant

LONGONES Λόγγονες.

Quorum vrbs *Andomatunum* ἀνδοματοῦνον. Langres. xxvi. 15. xlvi. 50

Et post montem qui ipsis subiacet appellatur-que Iurassus sunt

HELVETH iuxta Rhenum ἑλβήτιοι.

Quorum vrbes Gannodurum γανόδουρον Constantz xxviii. 30. xlvi. 0

Forum Tiberij Φόρος Τιβερίου xviii. 0. xlvi. 0 Keysers stoel.

Sub ijs

SEQVANI Σηκανοί.

Quorum vrbes,

Didattium διδάττιον, xxv. 30. xlv. 40

Visontium ὐισόντιον, xxvi. 0. xlvi. 0 Bezancon

Equestris ἐκουεστρίς, xxvii. 0. xlv. 40 Neufchastel.

Auanticum ὠυάντικον, xxxiii. 0. xlv. 30 Auanches

Sunt in vniuersum Gentes xix. ἔθνη ιθ.

Vrbes xxxviii. πόλεις λῆ.

GERMA-

GERMANIÆ (magnæ) SITVS.

ΓΕΡΜΑΝΙΑΣ ΘΕΣΙΣ.

GERMANIÆ latus occidentale Rhenus terminat, Septentrionale vero Germanicus Oceanus: Eius descriptio ita se habet.

Rhijn. Post Rheni fl. ostia quæ habent gradus xxiii. 0. liv. 0

Geelmuyden. *Manarmanis* portus μαναρμανὶς λιμὴν xxviii. 0. liv. 20

Vecht. *Vidri* fl. ostia. ϐίδρϐ π. ἐκϐολαί. xxviii. 30. liv. 20

Eems *Amasi* fl. ostia. ἀμασίϐ ϖ. ἐκϐ. xxix. 0. lv. 0

Fontes fluuij αἱ ϖηγαὶ τοῦ ϖοτ. xxxii. 0. lii. 30

VVeser. *Visurgis* fl. ostia ὀνισήγος π. ἐκϐ. xxxi. 0. lv. 15

Fontes fluuij xxxiv. 0. lii. 30

Elbe. *Albis* fl. ostia, ἄλβιϑ ϖ. ἐκϐολαί. xxxi. 0. lvi. 16

Fontes fluuij. xxxix. 6. l. 0.

CYMBRICÆ CHERSONNESI

Extensio quæ post Albim fl. est, xxxii. 0. l i. 50

Extensio quæ sequitur, xxxv. 0. l iii. 20

Rursum quæ sequitur, quæque maximè est Septentrionalis xxxix. 0. lix. 30

Pars eius maximè orientalis, xl. 15. lix. 30

Post hanc extensionem prima extensio, xxxix. 20. lviii. 15

Quæ hanc consequitur ordine, xxxvii. 0. lvii. 0

Flexus ad ortum xxxv. 0. lvi. 0

Chalusi fl. ostia. χαλύσϐ ποταμοῦ ἐκϐολαί. xxxvii. 0. lvi. 0 *Trave.*

Sueui fl. ostia. Σϐίϐϐ ϖ. ἐκ. xxxix. 30. lvi. 0 *Spee.*

Viadi fl. ostia. Οὐιάδϐ π. ἐκϐ. xlii. 10. lvi. 0 *Die Oder.*

Vistulæ fl. ostia. ϐιστύλα π. ἐκ. xlv. 0. lvi. 0 *Die VVixel.*

Fluuij caput ἡ κεφαλὴ τοῦ π. xliv. 0. lii. 30

Quæ ab occasu ipsius ad Albim ducit, xl. 10. lii. 40

Meridianum verò eius (*Germaniæ scilicet*) latus terminat occidentalis pars Danubij cuius hic est situs.

Danubij fluuij caput, ἡ κεφαλὴ τοῦ Δανυϐίϐ ϖοταμοῦ, xxx. 0. xlvii. 20 *Die Donauw.*

Quod apud diuergium est primi Germaniam versus fluminis xxxii. 17. xlvii. 15

Quod ad diuergium est meridiem versus siti fluminis qui vocatur *Aenus*, Αἶνϑ xxxiv. 0. xlvii. 0 *Die Inn.*

Quod ad diuergium est Septentrionem versus ferentis secundi fluminis, quasi ad *syluã Gabritam*, ὡς ἐπὶ τὴν Γαϐρήταν ὕλην. xxxvi. 0. xlvi. 40 *Doringerwald.*

Quod iuxta sequens est diuergium fluminis ad *Lunam syluam* λύναν ὕλην Septẽtrionem versus fluentis. xxxix. 20. xlvii. 20 *Pars est Hercyniæ Datis proximæ.*

Reliqua conuersio, apud quod est diuergium fluminis ad meridem fluentis, qui vocatur *Arrubon*, Ἄρρϐών. xli. 0. xlvii. 40 *Die Rab.*

Flexio quæ est ad *Curtam* κατὰ Κύρτην xlii. 0. xlvii. 0

Consequens cõuersio ad *Carpen* κατὰ κάρπην, estque omniũ maximè borealis. xlii. 30. xlviii. 0


ALBIONIS PARS.
OCEANVS GERMANICVS.
CIMBRI
Charudes
Cimbrica Chersonesꝙ.
SCANDIA INSVLA
INSVLÆ SCANDIA
Visurgis fl.
Amasius fl.
Fretum
Rhenus
Helium ost.
Scaldis fl.
Fleuo Lego
SAXONES
Chaucus fl.
PHARODINI
SIDENI
Viadus fl.
RVTI CIII
VENEDAE
GYTHONES
PHINNI
CHAVCI maiores
CHAVCI minores
ANGRIVARII.
FRISII
BVSACTORES minores.
BVSACTORES minores.
LACCOBARDI.
TEVTONES
Suevus fl.
AELVEONES.
BVGVNTAE.
LVTI OMANNI
BATAVI.
CHAEMÆ
DVLGVMNI
ANGLI Sueui
SEMNONES SVEVI
Albis fl.
LVTI DIDVNI
GERMANIAE DESCRIPTIO PTOLEMAICA.
MORINI.
Lugd. Batauorum
Naualia
SICAMBRI
Vetera
Trophæum Drusi
Taruanna
Tabula
Asciburgiũ
LONGOBARDI
Melibocus mons
LVTI BVRI.
Vistula fl.
Bagacũ
TENCHTHERI
Agrippina
Alesum
Semana silua.
Borma
Legio VIpia Tr.
INTVERGI
CASVARI
TVRONI
MARAVINGI
SIDONIS.
Augusta Verom.
Mosa
VANG
Mogunticu
Sudeti mõtes
Hercynia sylua
Sarmatia montes.
TREVI
Augusta Treuerorum
Augusta Suessonũ
Borbetomagus
Budoris
TRIBOCI
NEMET
Ruffiniana
Breucomagus.
VISPI
Argentoratum
CVRIONES
Marobudum
Gabreta sylua
QVADI
Carpatus mons.
Obrincus fl.
MARCOMANNI
Fadinæ fontes
Cleebus
Argentuaria.
Augusti Raurac.
Helueticorum sylua
PARMAE. campi.
SVDENI
RACATÆ
Lunæ sylua
IAZYGES
Danubius fl
DACIAE PARS.
Augusta Vindel.
NORICVM.
RHAETIA.
GALLIA BELGICA
GERMANIA
VARCIONES.
Abnob. montes.
Rhenus
SVPE.
24 26 28 30 32 34 36 38 40 42 44 46 48 50 52
60 58 56 54 52 50 48

Hæc in Latinis codicibus leguntur, in Græcis exemplaribus non exstant.

Flexus aliius. xliii. 0. xlviii. 0
Alia flexio xliv. 40. xlv. 40
Alia conuersio xlv. 0. xlv. 0
Item alia. xlv. 0. xliv. 30
Diuergium Abisti *fl. cum Danubio* xlvi. 0. xliv. 15
Posteà Danubius flectitur ad Austrũ xlvi. 0. xliv. 15
Diuergium Arabonis *fluuij qui ad* DACIAM *fertur.* xlix. 0. xliii. 30
Pars ea quæ iuxta diuergium est Adlutan *amnis, qui ad Septentrionem cum impetu vectus* DACIAM *diuidit* l. 0. xliv. 0
Flexio iuxta Oestum li. 0. xliv. 0
Flexio iuxta Axium *opidum, & ab hinc vsque ad ostium vocatur Ister.* liv. 20. xlv. 45
Flexio iuxta opidum Diogeniam. xliv. 0. xlvi. 40

Ostia verò quo ordine sese habeant, infrà dicetur, vbi agitur de MYSIA inferiore.

Orientale autem latus terminat distantia quæ fit a flexu iam dicto ad superiacentes Sarmatarum montes, quorum finis australis gradus habet xlii. 30. xlviii. 30

Septentrionalis verò xliii. 30. l. 30

Prætereà distantia quæ est post montes ad dictum caput Vistulæ fluuij & ipse etiam fluuius vsque ad mare.

Montes autem qui Germaniam cingunt notissimi sunt hi qui iam sunt dicti, & Sarmatici propriè appellantur, quique cum Alpibus idem nomen habent, & qui supra fontem Danubij sunt: quorum extrema gradus habent xxix. 43. & 33. xlviii. 30

Prætereà qui vocantur *Aunobæ* ἀυνοβα, quorum extrema gradus habent xxxi. 49. & xxi. 52 *Stepgerwald.*

Ac mons *Melibocus* μηλίβοκον ὄρος, cuius fines xxxiii. 52. xxx. 37. & lii. 30 *Hardwald.*

Sub ijs *Semana* est *sylua* σημανὰ ὕλη & *Ascibur-giũ*, cuius fines habent xxxix. 54. & 44. lii. 30 *Cæsari est Bacenis.*

Et montes *Suditæ* appellati σύδιτα ὄρη, quorũ extrema gradus habent xxxv. 50. & 40. xl. 50 *Pars est Hercynia.*

Sub quibus est *Gabrita* silua, inter quam & Sarmaticos montes *Hercynia* silua sita est.

Tenent autem Germaniam quæ circa Rhenum fluuium incipit a parte Septentrionali ij qui vocantur

BVSACTERI PARVI Βσζάκτεροι οἱ μικροί. *Sunt Bructeri.*

Et

SYCAMBRI συγγαμβροί. *Hi a Tiberio translati in ripam Gallicam.*

Sub quibus

SVEVI LANGOBARDI οἱ συόιβοι λαγγόβαρδοι.

Posteà inter Rhenum & montes Abnobos,

TINGRI & INGRIONES, *Tencteri.*
Τίγγροι καὶ Ἰγγρίονες.

Prætereà *Nihil hi sani.*

INTVERGI, ἰντυεργοι.
VARGIONES, βαργίωνες.
CARITNI, καρῖνοι.

Sub quibus

VISPI

Vsipites Taipto.

VISPI ὀϊσπόι.

Et HELVETIORVM eremus ἐλλȣητίων ἔρημος, vsque ad dictos Alpium montes.

Partem verò quæ secus Oceanum est, habitant supra Busactores,

Frisen.

FRISII φρίσσιοι vsq; ad Amasum amnem.

Post hos

Bremēses, Oldēburg. Delmenhorst, Diepholdenses, Hoyenses, Mindēses.

CAVCHI MINORES καῦχοι οἱ μικροι, vsque ad fluuium Visurgim.

Deinde

CAVCHI MAIORES καῦχοι οἱ μείζȣς, vsque ad Albim fluuium.

Deinde supra dorsum Cimbricæ Chersonesi

Hodie hæc loca incolunt Holsati.

SAXONES σάξονες.

Ipsam autem Chersonesum supra Saxones ab occasu habitant

Hæc omnia obscura, neque est vt Ptolemæus ipse ea intellexerit.

SIGVLONES σιγȣ́λωνες.

Posteà

SABALINGII σαβαλιγγοί.

Tum COBANDI κοβανδοί.

Super quos

CHALI χαλοί.

Et super hos magis tamen ad occasum,

PHVNDVSI φουνδȣ̃σοι.

Qui vero magis orientales sunt, dicuntur

Harudes Cæsari.

CHARVDES χαρȣ̃δες.

Omnium vero maximè Septentrionales sunt

Iutia hodie.

CIMBRI κίμβροι.

Post Saxones vero a Chaluso fluuio vsque ad Sueuum fluuium tenent

PHARODENI φαρόδηνοι.

Nota vestigia vocis Dani vel Deni.

Post

SIDENI σίδηνοι vsque ad fluuium Vistulam.

Interiorum vero ac mediterranearum gentium maximæ sunt

SVEVI ANGILI, σύηβοι ἀγγειλόι.

Angli Angelen in Cimbrica Chersonneso.

Sunt magis orientales quam Longobardi, protensi Septentrionem versus ad medium Albis fluuij.

Et

SVEVI SEMNONES σύηβοι σέμνονες, qui habitant post Albim a parte iam dicta versus ortum vsque ad Sueuum fluuium.

Pomeren.

Prætereà

BVGVNTI τὸ τῶν βȣγουντῶν ἔθνος, qui cætera tenent quæ inde sequuntur, vsque ad Vistulam.

Minores vero gentes inter has interiectæ sunt.

Inter Chauchos minores & Sueuos,

BVSACTERI MINORES βȣσάκτηροι οἱ μείζȣς.

Sub quibus

CHÆMÆ χαῖμαι.

Chamanes voluit dicere.

Inter Cauchos vero maiores & Sueuos

ANGRIVARII Ἀγγριȣάριοι.

Engern.

Tum

Tum

LACCOBARDI Λακκόϐαρδοι.

Sub quibus

Tacito Dulgubini. DVLGVMNII Δȣλγούμνιοι.

Inter Saxones verò & Sueuos ſunt

TEVTONOARI & VIRVNI,

τευτονόαροι καὶ οὐίρουνοι.

Inter Pharodenes & Sueuos ſunt

Teutſche. TEVTONES & AVARPI.

τεύτονες καὶ ἄυαρποι.

Inter Ruticleos (lege *Anglos*) & Buguntas

ÆLVÆONES αἰλȣαίωνες.

Rurſum, ſub Semnonibus quidem habitant

LINGÆ λίγγαι.

Sub Buguntis verò

LONGI OMANI λούτοι οἱ ὀμάνοι.

Ab his vſque ad montem Aſciburgium,

LONGI DIDVNI λόγγι δίδȣνοι.

Sub Lingis ſunt ex vtraque Albis fluuij ripa

CALVCONES Καλȣ́κωνες.

Sub quibus vſque Melibocum montem,

Ducatus Luneburg Brunſvv. &c. CHÆRVSCI, & CAMAVI,

χαιρȣσικοὶ καὶ καμαυόι.

Horum Orientalia ad Albim tenent

BONOCHEMÆ βονοχαῖμαι.

Suprà quos

BATINI βατεινόι.

Atque amplius ſuprà hos ſub monte Aſciburgio vſque ad Viſtulam,

CORCONTI & LVTI BVRI *Marchia vetus & noua.*

κορκοντόι καὶ λȣ̃τοι οἱ βȣ̃ροι.

Sub ijs verò primi ſunt

SIDONES σίδωνες.

Tum

COGNI κόγνοι.

Inde

VISBVRGII ȣ̓ισβȣ́ργιοι, ſuprà Orcynium ſaltum.

Iterum ab ortu Abnoborum montium habitant ſupra Sueuos

CASVARI κασȣ́αροι. *Tacito noti, & Straboni.*

Tum

NERTEREANES νερτερέανες. *Turingi.*

Tum

DANDVTI δανδȣ̃τοι.

Sub quibus

TVRONI & MAROVINGI

τȣ́ρωνοι καὶ μαρȣίνγοι.

Sub Chamauis verò

CHATTI & TVBANTI *Heſſen.*

χάττοι καὶ τȣ́ϐαντοι.

Et ſupra Sudetes montes

TEVRIOCHÆMÆ Τευριοχαίμαι. *Duringen*

Sub montibus verò

VARISTI ȣ̓αριστοί.

Tum Gabrita ſilua.

Sub Marouingis autem ſunt

CVRIONES κȣρίωνες.

posteà

CHÆTVORI χαῖδωροι.

Et vsque ad amnem Danubium *Parmæ* campi, Παρμαι κάμπωοι.

Sub Gabrita verò silua.

Marken-land. Morauia. MARCOMANI μαρκομανοί.

Sub quibus

SVDINI συδινοί.

Et vsque ad amnem Danubium Adrabæ campi, Ἀδραβᾶ καμπωοι.

Sub Orcynio vero saltu sunt

QVADI κάαδοι.

Sub quibus ferri fodinæ σεδηρωρυχεῖα.

Et Lunæ silua λῦναὔλη.

Bemen. Sub qua gens magna BÆMI, μέγα ἔθνος οἱ βαῖμοι. vsque ad Danubium.

Hisce continui sunt iuxta fluuium, TERACATRIÆ ὅιτεράκατρίαι.

Raka Pol. Et campis vicini RACATÆ οἱ πρὸς τοῖς κάμπωις ῥακάται.

Vrbes verò πόλεις in Germania sunt sub climate Septentrionali,

s'Flyer.	*Fleuum*, φλεύμ.	xvviii. 45. liv. 45
	Siatutanda, σιατεβαύδα.	xxix. 20. liv. 20
Texel.	*Tecelia*, τεκέλια.	xxxi. 0. lv. 0
Bremen.	*Phabiranum*, φαβίρανον.	xxxi. 30. lv. 20
Lubeca, ad quam fluuius Trana.	*Treua*, τρηύα.	xxxiii. 0. lv. 40
	Lephana, λεφαύα.	xxxiv. 15. liv. 40
	Lirimiris, λιεμμιείς.	xxxiv. 30. lv. 30
	Marionis, μαειωνίς.	xxxiv. 30. liv. 50
	Marionis altera, ἑτέρα μαειωνίς.	xxxvi. 0. lv. 36
	Coenoenum, κιονόηνον.	xxxvi. 20. lv. 30
	Astuia, ἀστύια.	xxxvii. 20. liv. 30
	Alisus, Ἀλισός.	xxxviii. 0. lv. 0
	Laciburgium, λακιβύργιον.	xxxix. 0. lv. 36
	Bunitium, βουνίτιον.	xxxix. 30. lv. 30
	Virunum, ϝίρυνον.	xlii. 30. lv. 40
	Rhugium, ῥύγιον.	xl. 30. lv. 0
	Scurgum, σκῦργον.	xliii. 0. lv. 0
	Ascaucalis, ἀσκαυκαλίς.	xliv. 0. liv. 15

In climate verò quod huic subiectum est, vrbes sunt istæ,

	Asciburgium, ἀσκιβύργιον.	xxvii. 45. lii. 30 *Asburg.*
	Naualia, ναυαλία.	xxvii. 40. liii. 15
	Mediolanium, μεδιολάνιον.	xxviii. 10. liii. 46 *Metelen.*
	Teuderium, τευδέριον.	xxix. 20. liii. 20
	Bogadium, βογάδιον.	xxx. 15. lii. 0
	Stereontium, στερεόντιον.	xxxi. 30. li. 30
	Munitium, μυνίτιον.	xxxi. 40. lii. 30
	Tuliphurdum, τυλίφυρδον.	xxxii. 0. liv. 0
	Ascalingium, ἀσκαλίνγιον.	xxxii. 30. liii. 45
	Tulisurgium, τυλισύργιον.	xxxii. 40. liii. 45
	Pheugarum, φεύγαρον.	xxxii. 40. lii. 15
	Canduum, καυδῦον.	xxxiii. 0. li. 20
	Trophæa Drusi, τρόπαια Δρῦσ.	xxxiii, 45. lii. 45
	Luppia, λυππία.	xxxiv. 30. lii. 45
	Mesuium, μεσύιον.	xxxv. 30. liii. 45
	Argelia, ἀργέλια.	xxxvii. 36. lii. 20

Calehia,

Calegia, καλαγία.	xxxvii. 30. lii. 20
Lupfurdum, λάπφορδον.	xxxviii. 10. li. 40
Sufudata, σεζεδάτα.	xxxviii. 30. liii. 50
Colancorum, κολάγκορον.	xxxix. 0. liii. 30
Lugidunum, λεγίδωνον.	xxxix. 30. lii. 30
Stragona, σραγόνα.	xxxix. 20. lii. 40
Limioſaleum, λιμιοζάλεον.	xli. 0. liii. 30
Budorigum, βεδόριγον.	xli. 0. lii. 40
Leucariſtus, λευκάριςος.	xli. 45. lii. 40
Arſonium, ἀρσόνιον.	xliii. 30. lii. 20
Caliſia, καλισία.	xliii. 45. lii. 50
Setidaua, σετίδαυα.	xliv. liii. 30

In climate verò quod etiam huic ſubiectum eſt, ſunt vrbes iſtæ,

Aliſo, ἄλειζον.	xxviii. 0. li. 30
Budoris, βεδωρίς.	xxviii. 0. li. 0
Mattiacum, Ματτιακόν.	xxxviii. 0. l. 0
Artaunum, Ἄρταυνον.	xxx. 10. li. 10
Nuæſium, νεαίζιον.	xxx. 0. li. 10
Melocabus, μηλόκαυος.	xxxi. 30. l. 20
Grauionarium, γραυιοναρίον.	xxx. 45. l. 10
Locoritum, λοκόριτον.	xxxi. 30. xlix. 0
Segodunum, σεγόδνον.	xxxi. 30. xlix. 0
Deuona, δηόνα.	xxxii. 30. xlviii. 40
Bergium, βέργιον.	xxxvi. 0. xlix. 30
Menoſgada, μηνοσγάδα.	xxxiv. 0. xlix. 30
Bicurgium, βικέργιον.	xxxiv. 30. li. 15
Marobudum, μαρόβεδον.	xxxv. 0. xlix. 0
Redintuinum, ρεδιντούινον.	xxxviii. 30. l. 30
Nomiſterium, νομιςήριον.	xxxix. 0. li. 0
Meliodunum, μελιόδνον.	xxxix. 0. xlix. 0
Caſurgis, καζεργίς.	xxxix. 15. l. 50
Streuinta, σρεύιντα.	xxxix. 15. xlix. 30
Hegetmatia, ἡγετματία.	xxxix. 40. li. 0
Budorgis, βεδοργίς.	xl. 0. l. 30
Eburum, ἔβορον.	xli. 0. l. 30 *Vlmitz*
Arſicua, ἀρζικύα.	xli. 40. xlix. 0 *Moran.*
Parienna, παριέννα.	xlii. 0. xlix. 30.
Setuia, σετύια.	xlii. 30. l. 0
Carrodunum, καρρόδνον.	xlii. 40, li. 30
Aſanca, ἀζανκα.	xliii. 0. l. 30

In reliquo vero propter Danubium ſunt vrbes iſtæ,

Tarodunum, ταρόδνον.	xxviii. 20. xlvii. 50
Aræ Flauiæ, βωμοὶ Φλαύιοι.	xxx. 40. xlviii. 0
Rinſiauæ, ρινσιαύα.	xxxi. 0. xlvii. 30
Alcimoennis, ἀλκιμοεννίς.	xxxii. 30. xlvii. 30
Cantioebis, καντιοβίς.	xxxii. 40. xlviii. 40
Bibacum, βίβακον.	xxxiii. 0. xlviii. 0
Brodentia, βροδεντία.	xxxiii. 45. xlviii. 0
Seguacatum, σεγυάκατον.	xxxiv. 0. xlviii. 20
Vsbium, ὔσβιον.	xxxv. 0. xlviii. 0
Abiluum, ἀβίλυον.	xxxv. 20. xlviii. 20
Phurgiſatis, φεργιζατίς.	xxxvi. 0. xlviii. 0
Coridorgis, κοριδοργίς.	xxxvii. 15. xlviii. 30
Medoſlanium, μεδοσλανίον.	xxxviii. 0. xlvii. 30
Philecia, φιληκία.	xxxii. 0. xlviii. 30
Rhobodunum, ροβόδωνον.	xxxix. 0. xlviii. 0


RHAETIÆ, VINDELICIÆ NORICI
ET PANNONIARVM DESCRIPTIO
GERMANIAE PARS
HELVETIORVM EREMVS.
Seguacatum
Coridorgis
Lunæ sylua
Singone
Viscenum
Gormanum
Aræ Flauiæ
Bibacum
Brodentia
Phurgisatis
Rhobodunum
Abrieta
Vsbium
Carpis
Anduetium
Celmantia
Parca
Alcimoennis
Bregetium
Salua
Aquincum
Riusiaua
Abiluum
Medoslanuom
Anabū
Flexum vbi
Leg. Germ. xiv.
Danubius fl.
Boeodurum
Candunum
Artobriga
Curta
Fons Danubij
Phæniana
Aredate
Scarabantia
Salinum
Carnus
Draciaina.
Danubius fl.
Carrodunu
Clauduium
Iulio bona
Leij. German. x.
Valina.
PANNO. INF.
Narobo fl.
Lussoniū
Bragodurū
Viana
RHAETIA
Gesodunum
Gabanodurum.
PANNON SVP
Serbinum
Vacontium
Lugionū
Augusta
Vindelicorum
Rhispia
Taxgætium
Abudiacum
NORICVM
Prætorium
Rhætia
Aguntum
Sala
Drusomagus
Badacum
Muroela
Carrodunum
Berbis
Mursella
Danub annus
Rhenus fl.
Lyeus fl.
Aemus fl.
Vindelic
Ebodurum
Vacorium
Virundria.
Bolentiū
Iuollum
Brigantium
Cambodunum
Teurnia
Virunum
Magniana
Musia col
Teutobur giū
Hectodurum
Sauaria
Leutudum
Medullum
Darus fl.
Petouium
Soroga
Visontium
Darus fl.
Cibalis
Vicus
Inutrium
Idunum
Sianticū
Colia
Olimacum
Sauus fl.
Adulas mons
Cetio m.
Nouidunum
Siscia
Sisopa
Graiæ Alpes
Caruaneas m.
Emona
Certissa.
Ocra mons
Iuliu Carnicum
Albanus mons
Marsonia

Kalmintæ

Antuætium. xl. 30. xlvii. 40
Celemantia. xli. 0. xlvii. 40
Singone. xli. 30. xlviii. 15
Anabum. xli. 36. xlvii. 30

Insulæ vero suprà Germaniam iacent ad Albis fluuij ostium tres, Saxonum appellatæ, quarum medium gradus habet. xxxi. 0. lvii. 40

Supra autem Cimbrorum Chersonesum aliæ tres sitæ sunt, dicunturque Alociæ ἀλοκίαι. Harum medium habet gradus xxxvii. 0. lix. 20

Ab Orientali parte Chersonesi quatuor quæ Scandiæ Σκανδίαι nuncupantur, tres quidem paruæ, ex quibus ea quæ media est, partes habet xli. 30. lviii. 0

Vna vero quæ maxima earum est maximeque Orientalis iuxta Vistulæ fluuij ostia, cuius quidem occidentalissima partes habet xliii. 0. lviii. 0

Eius maximè Orientalis pars xlvi. 0. lviii. 0
Pars vero maximè Septẽtrionalis xliv. 0. lviii. 30
Pars meridionalis xlv. 0. lvii. 40

Vocatur autem & hæc propriè SCANDIA σκανδία, & tenent ipsius Occidentalia CHÆDINI χαιδεινοί. Orientalia vero PHAVONÆ & * PHIRAISI φαυῶναι καὶ φιραῖσοι. Meridionalia GVTÆ & DAVCIONES γούτωι καὶ δαυκίωνες. Media autem tenet LEVONÆ λευῶναι.

* Hic putauit Turnebus legendum FRANCI φραγγοι.

RHÆTIÆ ET VINDELICIAE SITVS.

ΡΑΙΤΙΑΣ ΚΑΙ ΟΥΙΝΔΙΑΚΙΑΣ ΘΕΣΙΣ.

OCcidentale quidem RHÆTIÆ latus terminatur monte Adula, & linea quæ est inter fontes Rheni atque Danubij. Latus vero Septentionale eâ Danubij parte, quæ a fontibus vsque ad Æni fluuij diuergium est, quod gradus habet. xxxiv. 0. xlvii. 20

Orientale autem latus ipso Æno flumine terminatur, cuius maximè australis finis continet gradus xxxiv. 0. xlv. 20

Meridionale vero Alpium montibus hinc supra Italiam extensis, quorum qui apud Graias sunt gradus habent xxx. 0. xlv. 20

Quæ autem versus Pœninas sunt iuxta principium Lyci amnis, qui in Danubium exit, qui & Rhætiam a Vindelicia diuidit, gradus tenet xxxi. 30. xlv. 30

Quæ vero ad Ocra montem, gradus habet xxxiii. 30. xlv. 30

Habitant autem magis Septentrionalia Rhætiæ BRIXANTES βριξαντοί.

Magis vero Australia SVANITÆ & RIGVSCÆ, συανῖται καὶ ριγοῦσκαι.

Quæ vero inter hæc sunt

CALVCONES & VINNONES,

Καλυκωνες καὶ ϐίννωνες.

Vrbes verò eorum ſub ipſo Danubio hæ ſunt,

Pfulendorf. *Bragodurum*, βραγόδουρον, xxx. xlvi. 40
Ghingen. *Dracuina*, δρακϐίνα xxx. 20. xlvi. 40
VVeyſenhorn. *Viana*, ϐιανα, xxxi. 0. xlvi. 40
Laubing. *Phæniana*, φαινίανα, xxxi. 45. xlvi. 50

Iuxta caput Rheni fluuij

Stulingen *Taxgetium*, ταξγαίτιον, xxix 50. xlvi. 15
Bregnitz *Brigantium*, βριγάντιον, xxx. 0. xlvi. 0

Poſt has

Vicus, ϐικος, xxx. 15. xlv. 20.
Ebodurum, ἐϐόδρον, xxx. 40. xlv. 20
Memmin *Druſomagus*, δρυσόμαγος, xxxi 20. xlvi. 6
Hectodurum, ἑκτόδρον, xxxi. 20. xlv: 20

Quæ magis Septentrionalia ſunt VINDELICIÆ, tenent RVNICATÆ. Sub his verò LEVNI & CONSVANTÆ, poſt BREVNI. Et iuxta Lycum LICATII, λικάτιοι.

Sunt autem vrbes

Veltenburg. *Artobriga*, ἀρτοϐριγα, xxxii. 15. xlvii. 10
Paſſau. *Boeodurum*, ϐοιόδρον, xxxiii. 50. xlvii. 15

Sub ijs vero

Augburg *Auguſta Vindelicorum*, ἀυγύϛα ϐινδελικῶν. xxxii. 10. xlvi. 20
Kreinburg. *Carrodunum*, καρρόδουνον, xxxiii. 50. xlvi. 45
Abach. *Abudiacum*, ἀϐδιακον, xxxiii. 30. xlvi. 15
Kemmat. *Cambodunum*, καμϐόδυνον, xxxii. 50. xlvi. 0
Melding. *Medullum*, μέδυλλον, xxxiii. 50. xlv. 40
Mittenwald. *Inutrium*, ἰνευτριαν. xxxii. 50. xlv. 30

NORICI,

SITVS.

ΝΩΡΙΚΟΥ ΘΕΣΙΣ.

NOricum terminatur ab occaſu Æno fluuio: a Septentrione Danubij parte quæ eſt ab Æno ad Cetium montem, cuius ſitus habet partes, xxxvii. 30. xlvi. 50

Ab ortu vero ſolis, ipſo monte, Cetio κετίῳ ὄρει: a Meridie vero parte Pannoniæ ſuperioris, quæ ſub dicto eſt monte: Eius finis maximè Occidentalis habet partes. xxxvi. 0. xlv. 20

Quod vero in medio eſt, xxxvii. 0. xlv. 40

Et quod inde eſt ſupra Iſtriam, eo monte qui Caruancas καρυάγκας appellatur, cuius medium habet xxxv. 0. xlv. 20

Tenent autem Occidentaliora prouinciæ a Septentrione incipientes

SEVACES σεύακες.
& ALAVNI ἀλαυνοί.
& AMBISONTII ἀμϐισόντιοι.

Magis vero Orientalia,

NORICI νορικοί.
& AMBIDRANI ἀμϐιδρανοί.
& AMBILICI ἀμϐιλικοί.

Ciuitates autem in Norico ſunt,

Aredate ἀρεδάτη. xxxv. 0. xlvii. 0 Linz.

Claudi-

Melck. *Claudiuium*, κλαυδιούιον. xxxvi. o. xlvi. 40

Sub ijs autem

Braunau. *Gauanodurum*, γαυανόδουρον. xxxvi. 40. xlvi. 40

Ips. *Gesodunum*, γησόδουνον. xxxv. 40. xlvi. 30

Burckhausen. *Badacum*, βάδακον. xxxiv. 15. xlv. 15

Inneken. *Aguntum*, ἀγόυντον. xxxvi. 30. xlvi. 20

Gretz. *Vacorium*, οὐακόριον. xxxvi. o. xlv. 45

Poedicum, ποιδικόν. xxxvii. o. xlvi. o

Virunum, οὐίρουνον. xxxvi. 40. xlv. 40

Rachstat. *Teurnia*, τεουρνία. xxxiv. 40. xlv. 40

Vdino. *Idunum*, ἰδοῦνον. xxxv. 10. xlv. 30

Sianticum, σιαντικόν. xxxvi. o. xlv. 30

Celia. *Celia*, κέλεια. xxxvii. o. xlvi. 30.

Inter Italiam vero & Noricum est

Villach. *Iulium Carnicum* ἰούλιον κάρνικον. xxxiv. 30. xlv. 30

PANNONIÆ SVPERIORIS SITVS.

Oostenrijck, Austria.

ΠΑΝΝΟΝΙΑΣ ΤΗΣ ΑΝΩ ΘΕΣΙΣ.

PAnnonia superior terminatur ab occasu mõte Cetio, & pro parte Caruanca monte. A Meridie parte Istriæ & Illyridis, iuxta lineam parallelam quæ a prædicto fine Occidentaliori per Albanum mõtem exit vsq; ad Bebios montes, & limites inferioris Pannoniæ, qui gradus habet xli. 30. xlv. 20.

A Septentrione vero iam dicto Norici termino, & ea Danubij parte, quæ est a Cetio monte vsque ad diuertigium Narabonis fluuij, cuius positio gradus habet xli. o. xlvii. 40

Ab ortu vero solis inferiori Pannonia, linea quæ prædictos transit fines. Tenent autem prouinciam a parte Septentrionis.

AZALI ἄζαλοι, magis Occidentales,

Et

CYTNI κύτνοι, magis Orientales.

A Meridie vero

LATOVICI λατόβικοι. sub Norico.

Ad ortum vero

VERCIANI οὐερκιανόι.

In medio vero versus occasum

BII βιόι.

Et sub ijs

COLETIANI κολετιανοί.

Ad ortum vero

IASSII ἰάσσιοι.

Et sub his

OSSERIATES ὀσσεριάτες.

Ciuitates vero sub Danubio sunt

Iuliobona, ἰουλιόβωνα. xxxvii. 45. xlvi. 20

Legio Germanica decima.

Carnus, καρνοῦς. xxxix. o. xlvii. o Passauv.

Flexum, φλέξον. xl. o. xlvii. 15

Legio

Legio Germanica quartadecima.

Chertobalus χερτόβαλος xl. 30. xlvii. 30

Bergnitz. Bregætium βρεγάτιον xl. 0. xlvi. 40

Non est in Græco. *Legio prima auxiliaris.*

At procul a fluuio ciuitates sunt

Sala, σάλα. xxxviii. 20. xlvi. 15

Petauu. *Patauium*, παταύιον. xxxvii. 40. xlv. 30

Leibnitz. *Sauaria*, σαβάρια. xxxviii. 20. xlvi. 40

Rispia, ῥιπία. xxxviii. 40. xlvi. 30

VVindisch gratz. *Vinundria*, ἰνουνδρία. xxxviii. 30. xlv. 20

Bononia, βονωνία. xxxviii. 40. xlv. 40

Andantonium, Ανδανθόνιον. xxxviii. 10. xlv. 30

Oedenburg. *Nouidunum*, νοίδωνον. xxxvi. 20. xlv. 50

Scarabantia, σκαραβαντία. xxxix. 30. xlvii. 0

Mureck. *Muroela*, μυρόελα. xxxix. 15. xlvi. 10

Lentudum, λέντυδον. xxxix. 10. xlv. 0

Karnburg. *Carrodunum*, καρρόδυνον. xxxix. 40. xlvi. 0

Siscia, σισκία. xxxix. 0. xlv. 20

Oleimacum, ὀλείμακον. xxxix. 20. xlv. 30

Valena, ἀάλεινα. xl. 30. xlvi. 45

Bolentium, βωλέντιον. xl. 10. xlvi. 0

Soroga, Σόροα. xl. 10. xlv. 20

Sisopa, Σισώπα. xl. 0. xlv. 45

Visontium, ἰσόντιον. xl. 45. xlv. 26

Prætorium, πραιτώριον. xl. 45. xlvi. 15

Magniana, μαγνίανα. xli. 0. xlvi. 0

Inter Italiam vero sub Norico est Pannoniæ ciuitas

Clemona. *Emona*, ἔμωνα. xxxvi. 30. xlv. 20

PANNONIÆ INFERIORIS SITVS.

HVNGARIA.

ΠΑΝΝΟΝΙΑΣ ΤΗΣ ΚΑΤΩ ΘΕΣΙΣ.

PAnnonia inferior terminatur ab occasu superiore Pannonia, a diuergio Narabonis fl. iuxta prædictos limites. A meridie parte Illyridis quæ a dicto limite vsque ad flexum est Danubij, iuxta quem diuertitur *Saus* Σαυίος Die Sauu ὥστ. habens gradus xlv. 0. xliv. 30

A Septentrione vero & ab Oriente terminatur ea parte Danubij quæ est a diuergio Narabonis fl. vsque ad Sai diuergium, habentque situm talem.

Post Narabonem fluuium, flexus, qui fit iuxta Curtam xlii. 0. vvii. 0

Maximè Septentrionalia Danubij xlii. 30. vlviii. 0

Quod iuxta fluuij diuergium est ad occasum extensi, qui per geminas Pannonias fluit, scinditurque iuxta Carrodunum oppidum Καρρόδυνον πολιν, quasi ad montem Cetium, vocaturque qua quidem maximè Septentrionem spectat *Sauius* Σαύιος: qua vero Austrum Darus, Δάρος, vocaturque a barbaris Darus Δάρης. Dra.

Danubij conuersio iuxta Cornacum κατὰ κόρνακον xliv. 26. xlv. 15

Eiusdem

Eiusdem conuersio iuxta Acumincum ἀκάμιγκον xlv. o. xlv. 15

Eiusdem conuersio iuxta Rittum, ῥίτιον, xlv. 30. xlv. o

Quod iuxta diuergium est Saï fluminis qui & ipse per duas extensus Pannonias Cetio monti iungitur, primum ad septentrionem, posteà versus occasum, xlv. o. xliv. 30

Tenent autem & ipsam prouinciam in partibus quidem occidentalibus, maximè septentrionales

Amantes Plinio. AMANTENI, Ἀμάντηνοι.

Sub quibus

ERCVNIATES, ἐρκυνιάτες.

Posteà

ANDIANTES. ἀνδιάνες.

Tum

BREVCI, βρεῦκοι.

In prioribus vero Orientalibus qui maximè septentrionales sunt,

Tacito nominati. ARAVISCI ἀραβίσκοι

Et qui magis Australes

SCORDISCI, σκορδίσκοι.

Ciuitates autem sub Danubio sunt,

Curta, κέρτα.	xlii. o. xlvii. o
Salua, σαλέα.	xlii. 30. xlvii. 30
Carpis, κάρπις.	xlii. 30. xlvii. 40
Aquincum, ἀκβίγκον.	xlviii. o xlvii. 30.
Salinum, σαλίνον.	xliii. 30. xlvii. o
Lussonium, λυσσόνιον.	xlviii. 45 xlvi. 45.
Lugionum, λυγίωνον.	xxiv. o. xlvi. 30.
Teutoburgium, τευτοβέργιον.	xliv. 15. xlv. 40.
Cornacum, κόρνακον.	xliv. 20. xlv. 15.
Acumincum, legio. ἀκάμινκον λεγεών.	xlv. 50. xliv. 20.
Rittium, ῥίτιον.	xlv. 40. xlv. o.
Taururum, ταύρυρον.	xlv. o. xliv. 30. *Taurunum.*

A fluuio remotiores sunt,

Berbis, βερβίς.	xlii. o. xlvi. o.
Serbinum, σερβινόν.	xlii. 20. xlvi. 30.
Iuollum, ἰόλλον.	xlii. 20. xlvi. o.
Certissa, κέρτισσα.	xlii. 20. xlv. 20.
Mursella, μύρσελλα.	xliii. o. xlvi. o.
Cibalis, κιβαλίς.	xliii. o. xlv. 30.
Marsonia, μαρσονία.	xliii. o. xlv. o.
Vacontium, βακόντιον.	xliii. 30. xlvi. 30.
Mursia Colonia. μυρσία κολωνία.	xliii. 30. xli. 50.
Salis, σαλίς.	xliv. o. xliv. 50.
Bassiana, βασσιάνα.	xliii. 30. xlv. 50.
Tarsium, τάρζιον.	xliv. 30. xliv. 36.
Sirmium, σίρμιον.	xliv. 50. xlv. o.

EX CL. PTOLEMÆI Geographiæ libro III.

GAlliæ Belgicæ *Gessoriacum*, maximum diem habet horarum XVI cum sextante. Et distat ab Alexandria versus occasum horis II cum semisse, & parte tricesima.

Durocottorum autem maximum diem habet horarum XV. Et distat ab Alexandria versus occasum horis II & quinunce.

Quarta Europæ tabula continet GERMANIAM cum insulis adiacentibus. Parallelus per medium eius proportionem habet ad meridianum, quam tria ad quinque. Finitur autem tabula ab ortu Iazygibus Metanastis & Sarmatia Europæa: ab austro Rhætia & Norico, & duabus Pannonijs, ab occasu Gallia Belgica per flumen Rhenum: à septentrione Oceano Germanico.

Celebrium vero oppidorum in Germania *Amisia*, maximum diem habet horarum æquinoctialium XVI cum semisse: & distat ab Alexandria versus occasum horis æquinoctialibus duabus.

Lupia vero maximum diem habet horarum XVI adiecta vncia: Distat ab Alexandria versus occasum hora vna & triente.

Rhobodunum maximum diem habet horarum XV cum deunce: & distat ab Alexandria versus occasum hora vna & quincunce.

SCANDIA insula maximum diem habet horarum XVIII: & distat ab Alexandia versus occasum hora vna.

Quinta Europæ tabula continet RHÆTIAM, VINDELICIAM, NORICVM, duasque PANNONIAS, ac totam ILLYRIDEM cum adiacentibus insulis. Parallelus per medium eius ductus proportionem habet ad meridianum, quam quadraginta tria ad sexaginta. Cingitur autem tabula ab exortu Iazygabus Metanastis & Mysia superiore: A meridie Italia, sinu Hadriatico, ac Macedoniæ partibus: Ab occasu Galliæ & Germaniæ partibus: A septentrione maiore Germania per Danubium amnẽ.

RHÆTIÆ

Brigantium maximum diem habet horarum æquinoctialium XV cum triente, & distat ab Alexandria versus occasum horis æquinoctialibus duabus.

VINDELICORVM

Augusta maximum diem habet horarum XV cum triente, & distat ab Alexandria hora vna & dextante.

NORICI

Oppidum *Arelate*, maximum diem habet horarum XV cum dodrante: & distat ab Alexandria versus occasum hora vna & triente.

Iulium Carnicum maximũ diem habet horarum XV cum semisse: & distat ab Alexandria versus occasum hora I, & triente, & XV parte.

PANNONIÆ SVPERIORIS

Bætubium, Βαιτυβίων maximum diem habet horarum æquinoctial. XV cum septunce: & distat ab Alexandria versus occasum hora vna cum semisse.

Scar-

Scarbantia, σκαρβαντία maximum diem habet horarum vndecim cum dextante: & distat ab Alexandria ad occasum hora 1 & triente.

Emona, ἠμῶνα, maximum diem habet horarum xv cum dextante: & distat ab Alexandria versus occasum hora 1 cum semisse & decima quinta parte.

PANNONIÆ INFERIORIS

Serbinum maximum diem habet horarum xv cum semisse ac octava parte: & distat ab Alexandria versus occasum hora integra, cum quinta & duodecima parte.

Mursia maximum diem habet horarum xv cum semisse & octava parte: & distat ab Alexandria versus occasum hora 1 & vncia.

Sirmium maximum diem habet horarum xv cum semisse: & distat ab Alexandria versus occasum hora 1, & decima quinta horæ parte.

CAP. XXI.

GERMANIA *Dionysij, Prisciani, Festi Auieni, Marciani Heracleotæ, Æthici, & Itinerarij Antonini.*

SVbiungam Ptolemaicæ descriptioni quæ sparsim apud alios leguntur. Primus occurrit Dionysius qui περιήγησιν scripsit; Is ergo de Germaniæ situ sic canit.

Ὠκεανοῦ κέχυται ψυχρὸς ῥόος· ἔνθα Βριτανοὶ
Λευκά τε φῦλα νέμονται ἀρειμανέων Γερμανῶν.
Ἑρκυνίου δρυμοῖο παραθρώσκοντες ὀρόλκους.
Ἤπειρον κείνην ἰκέκην ἐνέπουσι βοείῃ.

Et paulò post

---- ἀναφαίνεται Ἄλπιος ἀρχὴ
Τῆς διὰ μεσσατίης καταζύρεται ὕδατα Ῥήνου
Ὑστάτιον ποτὶ χεῦμα βορειάδος ἀμφιτρίτης.
Ῥήνῳ δ' ἑξείης ἐπιτέλλεται ἱερὸς Ἴστρος.
Ἴστρος ἐς ἀντολίην τετραμμένος, ἀγχιθαλάσσης
Εὐξείνου, τόθι πᾶσαν ἐρεύγεται ὕδατος ἀχνὴν,
Πενταπόροις προχοῇσιν ἑλισσόμενος περὶ Πεύκην.
Τοῦ μὲν πρὸς βορέην τετανυσμένα φῦλα νέμοντας
Πολλὰ μαλ' ἑξείης, Μαιώτιδος ἐς στόμα λίμνης,
Γερμανοὶ, Σαμάται τε, Γέται θ' ἅμα, Βαστάρναι τε,
Δακῶν τ' ἄσπετος αἶα, καὶ ἀλκήεντες Ἀλανοὶ
Ταῦροί θ' οἳ ναίουσιν Ἀχιλλεῖος δρόμον αἰπὺν,

Rursum interctis pauculis,

Πρὸς δὲ νότον * Γέρραι, καὶ Νωρίκι' ἄστε' ἐρυμνά.
Παννόνιοι, Μυσοί τε βορειότεροι Θρηΐκων,
Αὐτοί τε Θρήϊκες, ἀπείρονα γαῖαν ἔχοντες.

* Pro Ῥαῖτοι.

Ea Priscianus sic reddidit liberius,

Qua sunt Germanibellaces, atque Britanni
Saltibus Hercynijs Germania subiacet atrox.
Hæc tergo similis taurino dicitur esse,

Et pascit volucres, mirum, fulgentibus alis,
Queis ducibus noctu cernuntur flexa viarum.

Et post

---- Solis ab ortu
Incipiunt Alpes, quibus exit gurgite vasto
Oceani rumpens glacialis littora Rhenus.
Hunc propè consurgit fons Istri flumine longo
Qui poscens ortus Euxini peruenit vndas,
Irriguam Peucen amplexus gurgite quino.
Cuius in Arctoas est parteis barbara tellus
Innumeras genteis gremio complexa reducto
Cui finem faciunt Moeotidis ostia vastæ.
Hic sunt Germani truces, & Sarmata bellax,
Atque Getæ, nec non Bastarnæ semina gentis,
Dacorumq; manus, & Martia pectora Alani,
Atque dromon Tauri retinentes fortis Achilli.

Et post enumeratas gentes ad Istrum Borealem, addit,

Huius ad Australes terras, Getæque feroces
Noricijq; colunt bellaces, Pannonijq;,
Et Mysi, Thracum Boreis in finibus orti.
Thraces arant post hos, latissima rura tenentes.

Festus Auienus eadem sic expressit

---- auris nimium vicina Britannis
Flauaque Cæsariem Germania porrigit ora,
Dumosa Hercyniæ peragrans confinia siluæ:
Nec procul hinc rigidis insurgunt rupibus Alpes
Nascentemque diem celso iuga vertice cernunt.
Porrò intes cautes & saxa sonantia Rhenus
Vertice qua nubes nebulosus fulcit Adullas
Vrget aquas, glaucoq; rapax rotat agmine molem
Gurgitis Oceani, donec Borealis in vndas
Effluat & celeri perrumpat marmora fluctu.
Quin & Danubium produnt secreta repente
Barbara: sed discors tamen est natura fluento.
Abnoba mons Istro pater est: cadit Abnobæ hiatu:
Flumen in Eoos autem conuertitur axes,
Euxinoq; solo prouoluitur: ora per æquor
Quinq; vomunt amnem, qua se procul insula Peucæ
Exerit. Hinc rigidi qua spirant flabra Aquilonis
Sarmata, Germani, Geta, Bastarnæque feroces
Dacorumq; tenent populi, tenet acer Alanus,
Incola Taurisci Scytha littoris, ----
Hæ gentes Istri quà se plaga dura Bootis
Porrigit, incumbunt. Medij de parte diei
Per dumosorum reptantes dorsa iugorum
Gerrhæ habitant. Gerras attingunt oppida late
Norica, & extentum post tergum cespite Thraces
Plurimus excedit.

Circum-

Circumscriptio GERMANIAE *ex Marciano Heracleote.*

Marcianus Heracleotes periegesin edidit orbis vniuersi qnam Περίπλουν inscripsit, duobus libris distinctam, excerpens pleraque, vt ipse fatetur, ex Artemidori Ephesij geographicis, & libris Cl. Ptolemæi, ac Protagoræ, aliorumque antiquorum. In eo de Germania leguntur Græca ista, quæ nos Latina fecimus.

ΒΕΛΓΙΚΗΣ ΓΕΡΜΑΝΙΑΣ τῆς ἄνω καὶ τῆς κάτω περίπλους.

Ἡ Βελγικὴ σὺν ταῖς δύο Γερμανίαις περιορίζεται ἀπὸ μὲν ἄρκτων τῷ ἀρκτώῳ ὠκεανῷ τῷ παρὰ τὴν Πρεταννίαν διήκοντι. ἀπὸ δὲ ἀνατολῶν τῷ Ῥήνῳ ποταμῷ, παρὰ τὴν μεγάλην Γερμανίαν πρὸς τῇ κεφαλῇ τοῦ ποταμοῦ, ἐ ἔτι τῷ ἀπὸ τῆς πηγῆς αὐτοῦ ἐπὶ τὰς ἄλπεις ὄρει ὃ καλεῖται Ἀδούλας. Ἀπὸ δὲ δύσεως τῇ Λουγδουνησίᾳ ἐπαρχίᾳ καὶ τῷ προειρημένῳ Σηκοάνᾳ ποταμῷ. Ἀπὸ δὲ μεσημβρίας τῷ λοιπῷ μέρει τῆς Ναρβωνησίας. Καὶ ἡ μὲν ὅλη περιγραφὴ τοῦ ἔθνους τοιαύτη τίς ἐστι. ἐ γὰρ ἀπὸ μὲν θαλάσσης μέχρι τοῦ Ἀβρίκκα ποταμοῦ καλεῖται Γερμανία ἡ κάτω, ἡ δὲ ἀπὸ τοῦ Ἀβρίκκα ποταμοῦ καλεῖται ΓΕΡΜΑΝΙΑ ἡ ΑΝΩ. ἔστι δὲ τῆς Βελγικῆς σὺν ταῖς δύο Γερμανίαις τὸ μῆκος ἀπὸ τῶν τοῦ Φρούνου ποταμοῦ ἐκβολῶν ἀρχόμενον, καὶ περαιούμενον πρὸς ἀνατολὰς τῷ ῥήνῳ ποταμῷ τῷ παρὰ τὴν ΜΕΓΑΛΗΝ ΓΕΡΜΑΝΙΑΝ πρὸς τῇ κεφαλῇ τοῦ ποταμοῦ ὡς εἶναι αὐτοῦ μῆκος στάδια βχπέ. τὸ δὲ πλάτος αὐτῆς ἄρχεται μὲν ἀπὸ τοῦ Ἀδούλου ὄρους ἐ τοῦ κοινοῦ πέρατος τῶν Ἄλπεων, καταλήγει δὲ εἰς δυσμικὸν τοῦ Ῥήνου ποταμοῦ στόμα· ὡς γίνεσθαι τοῦ πλάτους στάδια δτοέ.

GALLIÆ BELLICÆ siue Germaniæ superioris inferiorisq; ambitus.

Gallia Belgica quæ vtramque Germaniam complectitur, circumscribitur a Septentrione, quidem Oceano Arctoo, insulam Britanniam alluente. Ab ortu vero amne Rheno, iuxta magnam Germaniam, ad fluuij fontem, & mõtem insuper Adulam, qui Alpibus adiacet. Ab occasu verò prouincia Lugdunensi & iam ante commemorato fluuio Sequana. A Meridie vero reliqua parte Galliæ Narbonensis. Est autem omnis illius gentis circumscriptio istiusmodi. Namq; a mari vsque ad Abriccam fluuium vocatur GERMANIA SVPERIOR. Est autem Belgicæ cũ duabus Germanijs lõgitudo a Phruni amnis ostijs si incipias, & desinas ortum versus ad Rhenum fluuium qui GERMANIAM MAGNAM alluit, ad fontes eius fluminis: vt sit eius longitudo stadiorum 2685. Latitudo vero eius incipit quidem a monte Adula & communi termino Alpium; desinit vero in ostium Rheni occidentale. Vt sit latitudo stadiorum 4575.

Ptol. Obrincum.

Phol. Phrudis.

ἔστι δὲ τῆς βελγικῆς ὁ πᾶς τῆς ἐπαρχίας κατὰ γῆν περιορισμὸς στάδια ··ερξ, στάδια··βτ'.
ἔχει καὶ ἡ κελτική σὺν ταῖς γερμαναις ἔθνη κδ'.

πόλεις ἐπισήμους λή.
ὄρη ἐπίσημα β'.
ποταμοὺς ἐπισήμους ζ'.
ἀκρωτήριον ἐπίσημον ἕν.
οἱ πάντες ἀπὸ τοῦ Σηκοάνα ποταμοῦ μέχρι τοῦ Ῥήνου ποταμοῦ λεγομένου δυσμικοῦ στόματος, αὐτοῦ τοῦ περίπλου παντὸς τῆς βελγικῆς παραλίας σὺν Γερμανίᾳ τῇ ἄνω καὶ τῇ κάτω εἰσὶν οὐ πλείους σταδίων γων'.
οὐχ ἧττον σταδίων γρπ'.

Est autem Belgicæ omnis prouinciæ secundum terram ambitus stadiorū 5160. (alijs) stadia 2300.
Habet autem Gallia Celtica cum Germanijs populos 24.
vrbes insignes 38.
montes insignes 2.
fluuios nobiles 7.
promontorium insigne vnum.
Omne spatiū a fluuio Sequana vsq; ad occidentale Rheni ostium, omnisq; periplus totius Belgicæ littoralis cum Germania superiore atq; inferiore, sunt non amplius quam stadia 3950.
non minus stadijs 3180.

ΓΕΡΜΑΝΙΑΣ ΜΕΓΑΛΗΣ ΡΕΡΙΠΛΟΥΣ.

Ἡ Γέρμανία ἡ μεγάλη περιορίζεται ἀπὸ μὲν ἄρκτων τῷ καλουμένῳ Γερμανίῳ ὠκεανῷ· ἀπὸ δὲ ἀνατολῶν τοῖς Σαρματικοῖς ὄρεσιν, καὶ μετὰ τὰ ὄρη τῇ κεφαλῇ τοῦ Οὐιστούλα ποταμοῦ, καὶ ἔτι αὐτῷ τῷ ποταμῷ· ἀπὸ δὲ μεσημβρίας τοῦ Δανουβίου ποταμοῦ τῷ δυσμικῷ μέρει.
Ἔστι δὲ ὁ δανούβιος ἀρχόμενος μὲν μεγέθος γ'. εἶτα β'. καὶ ἑξῆς μεγέθος α'. ἀμείβων καὶ τὸ ὄνομα, καὶ ἴστρος καλούμενος. ἀπὸ δὲ δύσιος τῷ ῥήνῳ ποταμῷ. καὶ ἡ μὲν ὅλη περιγραφὴ τῆς χώρας οὕτως ἔχει. τὰ δὲ κατὰ μέρος λέξομεν. ἀπὸ τῶν ἐκβολῶν τοῦ ῥήνου ποταμοῦ τοῦτ' ἔστιν ἀπὸ τοῦ λεγομένου δυσμικοῦ στόματος αὐτοῦ εἰς Οὐίδρου ποταμοῦ ἐκβολὰς στάδια τπ'.

GERMANIÆ MAGNÆ AMBITVS.

GERMANIA MAGNA circumscribitur a septentrione quidē Oceano quem Germanicum vocant; ab ortu montibus Sarmaticis, & post mōtes illos fonte fluminis Vistulæ, ac deinceps eodem porro amne. A meridie vero Danubij fluminis parte occidentali. Incipit autem Danubius magnitudine γ, tum β, ac deinceps α, mutatque nomen, & vocatur Ister. Ab occasu vero terminatur Germania Rheno flumine. Sic autem se habet distinctè omnis eius regionis circumscriptio. Ab ostio amnis Rheni hoc est, ab ore eius quod vocatur occidentale vsque ad ad ostia Vistulæ fluminis stadia 380

A Vi-

ἀπὸ δὲ τῦ Οὐίδρα πόταμῦ εἰς Μαραρμανὸν λιμένα στάδια τν΄.

ἀπὸ δὲ μαραρμανῦ λιμένος εἰς Ἀμασίου πόταμῦ ἐκβολὰς εἰσὶ στάδια χνέ, στάδια υό.

ἀπὸ δὲ τῶν τῦ Ἀμασίου ποταμῦ ἐκβολῶν εἰς τὰς πηγὰς τῦ αὐτῦ ποταμῦ στάδια βτύ, στάδια ατ΄.

ἀπὸ δὲ Ἀμασίου ποταμῦ ἐκβολὰς εἰς Οὐργίου ποταμῦ ἐκβολὰς στάδια φξ΄.

ἀπὸ δὲ τῶν ἐκβολῶν τῦ Οὐϊσεργίου ποταμῦ ἐπὶ τὰς πηγὰς τῦ αὐτῦ ποταμῦ στάδια αψπ΄, στάδια αχ΄.

ἀπὸ δὲ Ἰσεργίου ποταμῦ εἰς Ἀλβίου ποταμῦ ἐκβολὰς στάδιοι χκέ.

ἀπὸ δὲ τῶν ἐκβολῶν τῦ Ἀλβίου ποταμῦ ἐπὶ τὰς πηγὰς τῦ αὐτῦ ποταμῦ στάδια ετό, στάδιοι γτ΄.

καθ' ὃ τῦτο τὸ μέρος κεῖνται νῆσοι αἱ καλούμεναι Σαξόνων, εἰσὶ δ' ἐπ' αὐτὰς ἀπὸ τῆς ἐκβολῆς τῦ Ἄλβιος πόταμῦ στάδια ψν΄.

ἀπὸ δὲ τῦ Ἀλβίου ποταμῦ ἐκδέχεται ἡ καλουμένη Κιμβερικὴ χερσόνησος μέγιστη τυγχάνουσα. ἣ ἔστιν ἀπὸ τῆς τῦ Ἀλβίου ποταμῦ ἐκβολῶν ἐπὶ τὸν ἐξοχὸν τῆς χερσονήσου, τὸν μετὰ τὸν Ἄλβιον ποταμὸν κειμένου στάδιοι φό, στάδιοι ύ.

ἀπὸ δὲ τῆς πρώτης ἐξοχῆς τῆς χερσονήσου ἐπὶ τὸν ἐφεξῆς κειμένου ἐξοχον τῆς αὐτῆς χερσονήσου στάδια αχ΄. στάδια αρ΄.

ἀπὸ δὲ τῆς δευτέρας ἐξοχῆς τῆς χερσονήσου εἰς τὸν ἐφεξῆς καὶ ἀρκτικωτάτην ἐξοχὴν τῆς αὐτῆς χερσονήσου στάδια αυύ, στάδια αρ΄.

A Vidro fluuio vsque ad portum Mararmanum stadia 380.

A portu Mararmano ad fluuij vsque Amasij ostia sunt stadia 655, stadia 470.

Ab Amasij fluminis ostijs ad fontes vsque eiusdem fluuij, stadia 2310, stadia 1300.

Ab Amasij fluminis ostijs vsque ad ostia Visurgis, stadia 560.

Ab ostijs Visurgis amnis vsque ad fontes ejusdem, stadia 1780, stadia 1600.

A Visurgi fluuio vsque ad Albis fluminis ostia, stadia 625.

Ab ostijs Albis fluuij vsque ad fontes eius sunt stadia 5370, stadia 3300.

Ad hanc partem sitæ sunt insulæ quæ vocantur Saxonum: Ad eas ab ostiis Albis navigatio est stadiorum 750.

Ab Albi vero flumine sequitur ea quæ vocatur CIMBRICA CHERSONESVS, estq; maxima. Ab Albis vero fluminis ostijs vsq; ad primam eius Cherſonesi exstantiam quæ post fluuium Albim sita est, sunt stadia 550, stadia 400.

A prima illa extensione Cherſonesi ad eam quæ proxime consequitur in eadem Cherſoneso, stadia 1600, stadia 1100.

A secunda verò extensione eius Cherſonesi ad eam quæ deinceps sequitur, quæque omnium illius Cherſonesi maximè est septentrionalis stadia 1450, stadia 1150.

Ab

ἀπὸ δὲ τῆς ἀρκτικωτάτης ἐξοχῆς τ̃ χερσονήσου εἰς τὴν μετὰ τὴν ἐπιστροφὴν αὐτ̃ πρώτην ἐξοχὴν στάδια χν́, στάδια φν́.

Ab extensione maximè Septẽtrionali eius Chersonesi vsque ad extensionẽ quæ primam eius reflexionem sequitur, stadia 650, stadia 550.

ἀπὸ δὲ τῆς μετὰ τὴν ἐπιστροφὴν αὐτῆς πρώτης ἐξοχῆς εἰς ἀνατολικώτατον αὐτῆς στάδια ψκ́, στάδια φκ́.

Ab extensione ea quæ post primam reflexionem erat vsque ad partem maximè Orientalem, stadia 720, stadia 520.

ἀπὸ δὲ τοῦ ἀνατολικωτάτου αὐτῆς χερσονήσου ἐπὶ τὴν ὑπὸ τὴν ἐξοχὴν αὐτῆς ἐφεξῆς στάδια β, στάδια αφ́.

Ab parte Chersonesi maximè Orientali ad extensionem eam quæ illi deinceps subest, stadia 2000, stadia 1500.

ἀπὸ δὲ τ̃ ὑπὸ τὴν ἐξοχὴν αὐτῆς ἐπὶ τὴν πρὸς τὰς ἀνατολὰς ἐπιστροφὴν αὐτῆς στάδια ψν́.

Ab extensione ea quæ illi subest vsq; ad reflexionem eius Orientem versus, stadia sunt 750.

ἐνταῦθα τῆς Κιμβρικῆς χερσονήσου ὁ περίπλους πληροῦται, ἐπὶ πολὺ μὲν διηκούσης εἰς τὸν ὠκεανὸν, πλαγίας δὲ παραβεβλημένης ἐπὶ τὴν ἤπειρον τὴν πρὸς τὴν ἕω· ὡς ἀποτελεῖν καὶ κόλπον μέγιστον κατὰ τὸν Σύμβον ποταμὸν ἔτι τὴν ἐνδοτέρω καὶ αὐτοῦ παρεκτεινόμενον. ἔστι δὲ ὁ πᾶς τῆς χερσονήσου περίπλους στάδια ην́, στάδια ατό.

χρ. Σουήβον.

Hic finitur periplus Cimbricæ Chersonesi, maxima parte in Oceanum extensæ, latera verò proijciens versus continentem Orientalem. Adeo vt terminet maximũ sinum iuxta Sueuum amnem, & interius quoque extendatur. Est autem ambitus totius Chersonesi stadiorum 8050, stad. 1370.

κατοικεῖ δὲ τὸν μὲν αὐχένα τῆς χερσονήσου τὸ ἔθνος τῶν καλουμένων Σαξόνων· αὐτὴν δὲ τὴν χερσόνησον ἔθνη πλεῖστα, ὑπὲρ δὲ τὴν χερσόνησον κεῖνται νῆσοι τρεῖς Αλοκίαι καλούμεναι. εἰσὶ δ' ἐπ' αὐτὰς ἀπὸ τῆς χερσονήσου στάδια φν́, στάδια φ́.

Incolit autem ceruicem quasi eius Chersonesi gens, quæ vocatur SAXONVM; ipsam verò Chersonesum gentes plurimæ. Supra Chersonesum verò sitæ sunt insulæ tres quæ dicuntur ALOCIÆ, estque ad eas a Chersoneso nauigatio stadiorum 550, stad. 500.

ἀπ' ἀνατολῶν δὲ τῆς χερσονήσου κεῖνται νῆσοι δ' αἱ καλούμεναι Σκανδιαί. τρεῖς μὲν μικραὶ, ὧν εἰς τὴν μέσην ἀπὸ τ̃ χερσονήσου εἰσὶ στάδια β, στάδια αψ́.

Ad ortum verò illius Chersonesi sitæ sunt insulæ quatuor quæ vocantur SCANDIÆ; Harum tres quidem paruæ sunt, estque ad earum mediam a Chersoneso interuallum stadiorum 2000, stad. 1700

Vna

μία δὲ μεγίστη καὶ ἀνατολικωτάτη, καλεῖται δὲ ἰδίως καὶ αὕτη, ΣΚΑΝΔΙΑ· κειμένη κατὰ τὰς ἐκβολὰς τοῦ Οὐίστουλα ποταμοῦ, ἀφ' ὧν εἰσὶν εἰς αὐτὴν στάδιοι αχ', στάδια ασ'.

ἔστι δὲ ὁ πᾶς τῆς Σκανδίας περίπλους στάδια βφ'. στάδια β'.

ἀπὸ δὲ τῆς πρὸς ἀνατολὰς ἐπιστροφῆς τῆς χερσονήσου ἐπὶ
* γρ. * Σύμβου ποταμοῦ ἐκβολὰς στάδια ασξ'.

Σουίβου. ἀπὸ * Σύκου ποταμοῦ ἐπὶ * Οὐίλδου ποταμοῦ ἐκβολὰς
* γρ. στάδια ων'.

Σουίβου. ἀπὸ δὲ τοῦ Ἴλδου ποταμοῦ ἐκβολῶν εἰς Οὐίστουλα ποτα-
* γρ. μοῦ εἰσὶ στάδιοι ψ'.

Οὐιάσου ἀπὸ δὲ τῶν ἐκβολῶν τοῦ ποταμοῦ τοῦ Οὐίστουλα ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τοῦ αὐτοῦ ποταμοῦ εἰσὶ στάδιοι β, στάδια ων'.

ἔστι δὲ τῆς Γερμανίας τὸ μῆκος ἀρχόμενον μὲν ἀπὸ δύσεως καὶ Ἀσκιβουργίου πόλεως, περαιούμενον δὲ
* γρ. * Οὐίστουλα ποταμοῦ ἐκβολὰς· ὡς εἶναι τὸ παῦ μῆκος
πρὸς. Ο. τῆς ἐπαρχίας στάδια ατν'.

τὸ δὲ πλάτος αὐτῆς ἄρχεται μὲν ἀπὸ τῆς ἐκτροπῆς τοῦ πρὸς μεσημβρίαν ῥέοντος ποταμοῦ, ὃς καλεῖται Ἀράβων. καταλήγει δὲ πρὸς τὰς ἄρκτους κατὰ τὴν ἐπιμηκεστέραν γραμμὴν, τουτέστι κατὰ τὴν Κιμβρικὴν χερσόνησον καὶ τὴν ἀρτικωτάτην αὐτῆς ἐξοχὴν· ὡς εἶναι τοῦ πλάτους στάδια ϛσν'.

ἔστι δὲ τῆς μεγάλης Γερμανίας ὁ κατὰ γῆν ἐπιορισμὸς στάδια βτ', στάδια ασν'.

ἔχει δὲ ἐν αὐτῇ ἔθνη ξη'.

πόλεις ἐπισήμους δ'.

ὄρη ἐπίσημα ζ.

Vna vero maxima maximeque orientalis, quæ propriè vocatur SCANDIA, quæ ad ostia Vistulæ fluuij sita est, a quibus ad ipsam sunt stadia 1600. stadia 1200.

Estque ambitus totius Scandiæ, stadiorũ 2500. stadia 2000.

A reflexione Chersonesi Orientem versus, ad Sueui fluminis ostia, stadia sunt 1260.

A Sueuo flumine ad Viadi fluminis ostia sunt stadia 850.

A Viadi fluuij ostijs ad Vistulam amnem sunt stadia 700.

Ab ostijs fluminis Vistulæ vsque ad eius fontes sunt stadia 2000, stadia 850.

Incipit autem Germaniæ longitudo ab occasu, & ab opido Asciburgio, finiturque ad Vistulæ fluuij ostia: Vt sit omnis eius prouinciæ longitudo stadiorum 1350.

Latitudo vero eius incipit ab excursione *Arabonis* amnis Austrum versus fluẽtis, desinitq; Septentrionem versus ad lineam extremã, hoc est secundum Cimbricam Chersonesum, & extensionem eius maxime Septentrionalem: vt sit omnis eius latitudo stadiorum 6250.

Est autem Germaniæ magnæ ambitus terrestris stadiorum ..... stadiorum ....

Habetque gentes in se LXVIII.

Vrbes nobiles IV.

Montes eximios VII.

Ποταμοὺς ἐπισήμους	δ΄.	Flumina nobilia	IV.
Κιμβρικὴν χερσόνησον.		Chersonesum Cimbricam.	
Λιμένα ἐπίσημον	α΄.	Portum insignem	I.
Ἑρκύνιον δρυμὸν.		Saltum Hercynium.	
Γαβράτα ὕλην.		Siluam Gabretam.	
Οἱ πάντες ἀπὸ τοῦ Ῥήνου ποταμοῦ τουτέστιν ἀπὸ τοῦ καλουμένου δυσμικοῦ στόματος αὐτοῦ μέχρι τῶν ἐκβολῶν τοῦ Οὐίστουλα ποταμοῦ, τοῦ περίπλου τῆς παραλίας τῆς μεγάλης Γερμανίας στάδια	.γ΄. στάδια..λ΄.	In vniuersum a flumine Rheno hoc est ab ostio eius occidentali vsque ad ostia Vistulæ fluminis, peripli littoralis magnæ Germaniæ, stadia sunt	.. stadia ...

Hactenus Marcianus.

Sequitur nunc ÆTHICVS. Ac habuit ille quidem legitque citra controuersiam autores quosdam eximios, notat enim ab ijs scriptoribus qui nunc exstant nusquã prodita, certo argumento, multa superioris æui nobis distinctius nota futura fuisse, si, qui ea scripserunt, laborum suorum vigiliarumque iacturam passi non essent: sed vbique tanta deprehenditur hominis vanitas rerumque imperttia, vt quantam gratiam ipsi debemus ob paucula quæ habet bona, tantum fœdis ipsius erroribus vitijsque offendamur. Audiamus ipsum. *Iulius Cæsar*, inquit, *bissextilis rationis inuentor, diuinis humanisque rebus singulariter instructus, quum consulatus sui fasces erigeret, ex Senatusconsulto censuit omnem orbem iam Romani nominis admetiri, per prudentissimos viros & omni Philosophiæ munere decoratos. Ergo a Iulio Cæsare & M. Antonio Coss. orbis terrarum metiri coepit, id est, a Consulatu suprascripto vsque ad Consulatum Augusti tertium & Crassi, annis* XXI, *mensibus* V, *diebus nouem Zenodoxo omnis Oriens dimensus est, sicut inferius demonstratur. A Consulatu item Iulij Cæsaris & M. Antonij vsque in Consulatum Augusti decimum, annis* XXIX, *mensibus* VIII, *diebus decem a Theodoro Septentrionalis pars dimensa est, vt euidenter ostenditur. A Consulatu similiter Iulij Cæsaris vsq; in Consulatum Saturnini & Cinnæ a Polycleto meridiana pars dimensa est, annis* XXXII, *mense* I, *diebus decem, sicut definitione monstratur. Ac sic omnis orbis terræ intra annos* XXXII, *a dimensoribus peragratus est: & de omni eius continentia perlatum est ad Senatum.* Quis non ab eo qui ita orditur exspectet distinctas trium istorum geodetarum obseruationes? Quid autem ille? Aurum promisit, vix præstat carbones. Orbis ipsi totus Oceanus est. Totq; Oceani partes facit, quot sunt orbis. Narrat ergo nobis, quot maria, insulas, montes, Prouincias, oppida, habeat Oceanus Orientalis, Occidentalis, Septentrionalis. At ego singulorum obseruationes ordine digestas, prout Senatui Romano oblatæ sunt, exspectabam. Imprimis vero illius Theodori, qui Septentrionalem partem lustrauit: Huius enim notas credideram nostro instituto accommodatas. Prætereà in Oceano ponit ille mare Caspium, mare Tiberiadis, & mare Asphaltites: quo nihil potest dici aut cogitari ineptius. Inter insulas Oceani

Orien-

Orientalis ponit Rhodum: Montes quoque, (rem stupendam) Oceani nobis recenset, & prouincias, & oppida. Ac postquam Taprobanem atque Idumæos posuit inter gentes Oceani Orientalis, adcenset ijsdem quoque Quados & Frisones, & Caninefates, & Teutones & Cimbros, & Allobroges. Quid est miscere omnia & confundere si hoc non est? In Occidente vero Noricum adnumerat insulis. Agrippinam, Moguntiacum, Argentoratum, Betos ponit inter oppida Oceani Occidentalis. Rhenum vero in indiculo fluminum ne commemorat quidem, sed pro Rheno flumen quoddam refert Bicornium Occidentalis Oceani, additque postea prodigiosa ista. *Fluuius qui Bicornius dicitur, nascitur in campis Germaniæ, inundans eandem regionem a Petabio: currit millia* CCCCII. *Fluuius Araris nascitur a Petauione veniens, relicta cauda ortus sui; statim ei fluuius Rhodanus occurrit, & simul vnum faciunt. In mare ingrediuntur egressi Arelatum. Sed hic, quem fluuium Bicornium diximus, ante coniunctionem Rhodani, in superuis aliud nomen accepit præter Bicornium: nam in prouincia Germania fluuius Rhenus dicitur, alibi, vt diximus, Bicornius, alibi fluuius Araris appellatur. Ita ergo hic fluuius tribus nominibus nuncupatur, quum sit vnus & dimidius. Quod Araris, vt supra diximus, ducit a mari Petauionensi vsque ad mare Tyrrhenum contra insulas Baleares; eius autem medietas habet aculeum pertortuosum Lugduno, vbi nascitur. Vbi autem inruit in Oceanum occidentis, an in mare Tyrrhenum, in præsente potest videri, quia ab aqua ad aquam videtur currere. Pergit millia* DCCCLII. *Fluuius Rhodanus nascitur in medio campo Galliarum, & occurrit ei Bicornius supra dictus, cursu inuersuque quo diximus.* Hæc non sani hominis sed ægri somniantis sunt: quare illa omittamus. Ad rem nostram hæc faciunt, quod gentibus Occidentalibus adcenset, *Gothos, Thuringos, Heruios, Marcomannos, Longobardos, Sueuos, Alanos, Alamanos, Amsibarios, Burgundiones, Hunnos, Franciscanos* (Francos voluit dicere) *Tungros, Bastarnas.* In Septentrionalis plagæ descriptione illud lepidum est, quod montibus Oceani adnumerat Germaniam. Atque hæc quidem Æthicus in priore Cosmographiæ suæ parte: in posteriore vnus est locus qui referri istuc possit. *Europæ,* (inquit,) *flumen Rhenum est ab occæsu. Huic ab oriente Alania est, in medio Dacia, vbi est Gothia: deinde Germania, vbi plurimam partem Sueui tenent: Pannonia, Noricus & Rhætia habent ab Oriente Mursiam, a meridie Istriam, ab Africo Alpes Penninas, ab occasu Belgicam, a Circio fontem Danubij, & limitem qui Gallias & Germaniam a Danubio dirimit: a Septentrione habet Danubium & Germaniam. Gallia Belgica habet ab oriente limitem fluminis Rheni & Germaniam.* Cæterum consectantes omnia & subsidia vndique conquirentes, par est ex ANTONINI quoque ITINERARIO ea excerpere quæ ad nostrum faciunt institutum. Primum autem notari velim, nihil in eo libro extare quo Germania vera, hoc est, Transrhenana illustrari possit: Non fuit illa Romanis percognita, vt initio huius operis diximus: Quæ igitur proferemus, ea ad limitem pertinebunt imperij Danubio & Rheno impositum. Nos ea quæ ad Danubium pertinent primum percurremus. Est enim hodie vt Germania Transrhenana sic quoq; Transdanubiana: ex quo amnes, hoc est imperij Romani limitem transgressi Germani sedes in Romano solo collocarunt, in Germania inferiore & superioris parte Frãci; in Rhætia prima, Heluetia, Rauracis, Turgauia, Allemanni. Sed vt in Rheno vbique ripa dextera Barbarica fuit, læua Romana: sic in Danubio dextera Romana fuit, sinistra Barbarica. Romanam ripam vrbes & castra ad Danubium Rhenumque ornabant: Barbarica maxima parte iacuit inculta.

ITER DE PANNONIIS IN GALLIAS per Mediterranea loca, id est, a Sirmio per Soppianas Treueros vsque.

Sirmisch. A Sirmio Lauriacum, m. p. CCCC XXXXVII. Sirmium agnoscit Strabo, etiam Zosimus. patria fuit Probi Imperatoris, qui etiam illic occisus est. Meminit eius quoque Ammianus in Constantij historia, extant quoque in codice rescripta Diocletiani & Maximiani AA. facta Sirmij.

Augusta Vindelic.	m. p.	CC XVI.
Ad Fines,	m. p.	C XXVI.
Ad Treueros,	m. p.	CC XXXI.

PANN. INF.

Primum ergo a Sirmio Lauriacum.

Iliz. Vlmos, m. p. XXVI.
Habet Vlmos tabula itineraria inter Carnuntum & Scarabantiam.

Palma. Cibalas, m. p. XXXIV.
Cibalis κιβαλὶς Ptolemæo & Zosimo nota in Pannonia inferiore.

Marouiza. Mursam, m. p. XXII.
Ptolemæo μυρσία Colonia, qua Drauus in Danubium se exonerat: Frequens eius mentio in vita Licinij Gallieni.

Baranauuor. Antianas, m. p. XXIV.
In Notitia Imperij pro Tribunus cohortis Arrianis lege Antianis.

Soppan. Soppianas, m. p. XXX.
Ammianus lib. XXVIII. locat in Valeria: sed non semel errat ille in topothesia.

Mussburg. Limusam, m. p. XXII.
Ad tertium lapidem abest ab Altemburgo.

Zepi. Silicenas, m. p. XVI.

Valcum, m. p. XXVIII. *Veliz.*

Mogetianum m. p. XXX. *Zika.*

Sabaria, m. p. XXXVI. PANN. SVPER.
Clusio est *Stain am Angern*. Meminit eius Ammianus Marcellinus lib. XXX. A Ptolemæo in Pannonia superiore locantur σαουάρια & σκαραβάντια. Plinius hæc Norico adiudicat. In Norico, inquit, Colonia D. Claudij Sabaria, & oppidum Scarabantia Iulia habitantur. Duas istas mansiones habet quoque Tabula itineraria, via quæ Arrabonem ducit Carnunto.

Scarabantia, m. p. XXXIV. *Scapring.*

Murenum, m. p. XII. *Martz.*

Vindobona, m. p. XXII. *VVien.*
Straboni Vendum: Ptolemæo ἰουλιόβωνα. Aurelius Victor in vita M. Antonini vocat Vendobonam, ipsumque ibi obijsse narrat. Triumphi, inquit, acti ex nationibus quæ regi Marcomaro ab vsque vrbe Pannoniæ, cui Carnunto nomen est, ad media Gallorum protendebantur. Ita anno imperij octauo decimoque, æui validior, Vendobonæ interijt, maximo gemitu mortalium omnium: Adstipulatur quoque Nicephorus Callistus libro III. In Notitia Imperij malè legitur sub dispositione Ducis Pannoniæ primæ & Norici Ripensis, Præfectus Leg. X. Vindomanæ. Et, Præfectus classis Istricæ Carnunto, siue Vindomanæ a Carnunto translatæ.

Comagenas, m. p. XXIV. *Holupurg*
In Notitia Imperij sub Duce Pannoniæ primæ lego, Equites promoti Comagenis.

Cetium, m. p. XXIV. NORIC.
Necesse est ad montem fuerit cognominem, qui Ptolemæo quoque laudatur in descriptione Norici; κήτιος μαιορ. ὄρος. *Seissel maior.*

Arlape,

Erla. Arlape, m. p. xx.
Notitia Prouinciarum sub Duce Pannoniæ ponit Equites Dalmatiæ Arlapenses: Præfectum quoque classis Arlapensis.

Nideren Vaulsec. Lacum Felicis, m. p. xxvi.
Equites sagittarij Lacus felicis in Notitia Prouinciarum agnoscuntur.

Loych. Lauriacum, m. p. xx.
Austriæ nunc est oppidum. Notitia Imperij præfectum classis Lauriacensis agnoscit: & Præfectum Leg. II. Lauriaco.

Sequitur iter Augustam versus.

Lambach. Ouilabim m. p. xxvi.
Dicitur quoque Colonia Aurelia Antoniniana Ouilabis: sita ad Drauum fluuium in confinibus Austriæ & Bauariæ.

Iouiacum, m. p. xxxii.
In Notitia Imperij sub Duce Pannoniæ primæ ponitur Præfectus militum Liburnariorum Iouiaco.

Saltzburg. Iouauim. m. p. xxviiii.
Lege Iuuauiam, vnde castrum Iuuense. Auentinus adserit esse Ptolemæi πρόσλιχον. In Notitia Imperij sub Duce Pannoniæ primæ & Norici, legitur, Præfectus Leg. I. Noricorum militum Liburnariorum cohort. V. partis superioris ad Iuuense. Tabula Peutingeriani habet Iuauo haud procul a Fluuio Iuauo. Otto Frisingêsis grauis scriptor. *Iuuauia quæ nunc Saltzburga dicta, Baioariæ metropolitana sedes esse noscitur.*

Dietmanung. Bidaium, m. p. xxxiii.
Hoc etiam expressit Tabula Peutingeriana.

VINDELIC. Pontem Oeni. m. p. xviii.
Meminit eius quoque Tabula miliaria, & Notitia Imperij sub dispositione Ducis Prouinciæ Rhætiæ primæ & secundæ, recensens Equites Stablesianos iuniores Pontê Aeni, nunc Fatianis.

VVasserburg. Isiniscam, m. p. xx. *Ismaning*
Ad Isaram fluuium, inter Monachium & Frisingam.

Ambre, m. p. xxxii. *Emering.*
Simlerus putat esse Prug iuxtà Furstenfeld: quum Embring pagus vicinus & situm & nomen seruet.

Augustam Vindelic. m. p. xxvii. *Augsburg.*

Sequitur ad Fines eunti,

Rostrum Nemauiæ, m. p. xxv. *Memmingen,*
Alibi legitur Vemania: In Notitia Imperij Vimaniabis.

Campodunum, m. p. xxxv. *Kempten.*
Hodie vocant Campidonam. Strabo Vindelicorum oppida ait esse Βεργάντιον & Καμπόδυνον. Meminit quoque eius Notitia Imperij.

Nemauiam, m. p. xv.
Istud hoc loco etiam agnoscit Tabula Itineraria: Necesse est vel hic corruptum esse locum, vel mansione præcedente vbi legitur Rostrum Nemauiæ. RHAET. *VVangen.*

Brigantia, m. p. xxiv. *Bregentz.*
Notum est Straboni, Ptolemæo, Ammiano Brigantium, vnde & Lacus Brigantinus.

Arborem Felicem, m. p. xx. *Arbon.*

Ad Fines, m. p. xx. *Pfin.*

Vlterius Treuiros tendenti eundum, GALLIA MAX. SEQ. *VVindisch.*

Vindouissam LEG. m. p. xxx.
Meminit eius Tacitus lib. IV. histor. Sedes fuit legionis Romanæ. Notitia Prouinciarum vocat Vindonense castrum. Lazius adserit ruinas eius exstare in cœnobio

bio Heluetiorum Kuninxfelden, haud procul a Sempach. Episcopi Vindonissenses leguntur Gammatius in Lugdunensi, & Bubulcus in Epaonensi Concilio.

Mulnhausen. Artalbinnum, m. p. XXIII.
Tabula miliaria habet post Augustam Rauracorum Arialbinnum.

Brisach. Montem Brisiacum, m. p. XXX.
Hinc dicta regio Bris-gaw, quæ nunc Brisgoia.

Strasburg. Argentoratum, m. p. XXXVIII.

Zabern. Tabernas, m. p. XIV,
Sunt & aliæ Tabernæ ad Rhenum: sed hoc iter ad mediterranea deflectit Treuiros, vt ex itineraria tabula manifeste apparet.

BELG. PR. Decem pagos, m. p. XX.
In Lotharingia est hodie.

Duose. Diuodurum, m. p. XX.

Metz. Ptolemæo διόδορον. Tacitus lib. I. histor. Mediomatricum oppidum esse scribit. Tabula itineraria diserte Diuodurum Mediomatricorum.

* * m. p. XII.

Triers. Treueros, m. p. XVI.

ITER PER RIPAM PANNONIÆ a Tauruno in Gallias ad Legionem XXX vsque.

A Tauruno Lauriacum	m. p. DCLXXVII.
Inde Augustam Vindelic.	m. p. CCCXXII.
Argentoratum,	m. p. CCCXXII.
Ad Legion. XXV.	m. p. .....

Grieckschweyssenburg. Taurunum oppidum est inferioris Pannoniæ, Ptolemæo σαύρορον, est enim ad Saui & Danubij confluentes: Arrianus ταυρῶνον exserte vocat. Hodie dicitur Belgradum, vel Albagræca, Griechsweissenburg. Plinius. Alter amnis Bacuncius in Saum Sirmio oppido influit, vbi ciuitas Sirmensium & Amantinorum, Inde XLV m. p. Taurunum, vbi Danubio miscetur Saus. Turca eam possidet iam inde ab anno MDXX. PANNON.

Primum a Tauruno Laurinum.

Ad Laurinum, m. p. XXV.

Salankaemen. Ritti, m. p. XXVIII.
Ptolemæo ῥίκτιον. Liber notitiæ habet Ricti. Tabula Peutingeriana vitiosè Bittio.

Cametz. In medio, Acuminci, m. p. C XIII.
Numeri male habent. Acumincum octo mill. pass. distat a Rittio. Tabula itineraria recte Acuminum VIII. Ptolemæus vocat ἀκιμίνκον & addit λεγειῶν, quod illic legionis castra fuerint. Ammian. lib. XIX. Proinde vallo prope Acumincum locato celsoque aggere in speciem tribunalis erecto, naues vehentes quosdam legionarios expeditos, alueum fluminis proximum ripis obseruare iussæ. Non est idem cum Acinco quod Ptolemæus vocat ἀκιγκον. Meminit vtriusq; Notitia.

Cudelasz. Cusi, m. p. XXXIII,
In Notitia Prouinciarum sub Duce Pannoniæ secundæ sunt Equites Dalmatæ Cusi.

Bonmonster. Bononiam, m. p. XVI.
Ptolemæus etiam hanc agnoscit in Pannonia superiore.

Coroska. Cucci, m. p. XVI.
Inde Equites sagittarij Cucci, & cuneus Equitum promotorum Cuccis, in Notitia. Tabula itineraria habet Cuccium.

Zata. Cornacum,
Ptolemæo κόρναικον. In notitia Equites Dalmatæ Cornaco.

Erdenburg. Teutiburgium, m. p. XVI.
Ptolemæus, τευτοβόργιον. Sunt qui existimant esse oppidulum Quinqueclesiense, *Funfkirchen*. Notitia imperij habet sub Duce Pannoniæ secundæ Riparienses Equites promotos Teutiburgio, & Cuneum equitum Dalma-

Dalmatarum Teutiburgio, &, Præfectum legionis II. Herculeæ Teutiburgio. Tabula itineraria vocat Tittoburgum deprauatè.

Videſupra Murſam, m. p. XVI,

Meczek. Ad nouas, & Aureum montem, m. p. XXIV.

Notitia, Equites Dalmatæ Nouis, &, Præfectus leg. VI Herculeæ cohortis V partis ſuperioris Aureo monte. Montem Aureum Probus Imperator vineis conſeuit, teſte Sex. Aurelio in eius vita.

Videſupra Antianas, m. p. XXIV.

VALER. Altinum in medio Lugione, m. p. XXV.

Boſock. Hic obijſſe L. Verum Imp. ait Capitolinus. Victor eum morbo conſumptum ſcribit apud Vendobonam. Meminit Altini Notitia Imperij. Cuneus Equitum Fortenſium Altino. Lazius putat vocari Tolna. Lugionis meminit quoque Tabula itineraria. Ptolemeo eſt Λαγίωνον. Simlerus putat hodie Batha vocari.

Anyauara Tholna. Ad ſtatuas, in medio Aliſca, ad latus ripa alta. m. p. XXVIII.

In Notitia Imperij offendo, Equites Dalmatæ ad ſtatuas: &, Auxilia Vrſarentia pone Nauata, nunc ad ſtatuas: Rurſum, Præfectus Leg. II, adiutricis cohortis partis ſuperioris Aliſcæ: &, Equites Dalmatæ Ripa alta. Et, Cuneus equitum Stableſianorum Ripa alta nunc Corraduza.

Pax. Luſſunium, m. p. XVIII.

Λαγόνιον Ptolemæo. Sub Duce Valeriæ Ripenſis ponitur Cuneus Equitum Conſtantianorum Luſſonio, nunc Interciſa.

Almaz. Annamatiam, in medio Interciſa.

Tabula Itineraria habet quoque Annamatiam. Interciſa nomen habet a flumine oppidum interſecante: ita Auſonius Arelatam dixit interciſam Rhodano.

Præcipitis Rhodani ſic interſica fluentis

Vt mediam faciat nauali ponte plateam.

Vetus Salina, in medio Matrica, m. p. XVII. *Adom.*

Ptolemæus Salinũ habet, σαλίνον. Poſteriores non veteres Salinas ſed militariter dixerunt Vetuſſalinas. Notitia Imperij. Equites Dalmatæ Vetuſſalinæ. Tabula itineraria corrupte habet Vetuſano. Matrica Simlero eſt *Theten.*

Camponam, in medio Acincum. LEG. I. ADLVT. *Cepel.* m. p. XXIV.

Notitia ſub Duce Valeriæ Ripenſis ponit Equites Dalmatas Campanæ. Acincum Ptolemæo eſt ἀκίγκον. Hodie Budam vocant, & *Offen.* Ammianus lib. XXVI. Valentinianus Acincum prope caſtra commouit, nauigijſque ad repentinum caſum coniunctis, & contabulato celeri ſtudio ponte per partem aliam tranſijt in Quados. Spartianus, in vita Hadriani hic locat Legionem ſecundam adiutricem.

Ad lacum Felicis, in medio Crumero, m. p. XXVI. *Videſupra*

De lacu Felicis iam ante diximus. Sed Simlerus recte alium hunc a priore eſſe putat: ipſe vocari ab Hugaris ait Viſegrod, a Germanis Mindenburg. Crumerum ille interpretatur *Comorn* inſulam. In Notitia imperij ſub Duce Valeriæ Ripenſis ſunt Equites promoti Crumero. Sed & infra Crumeri fiet mentio, in Itinere ab Acinco Cumero quo caſtra conſtituta ſunt, Vide etiam l. vlt. C. de caſtrenſi pecul. & l. vlt. C. de appar. præf. prætor.

Azaon, in medio Bregetion. LEG. I. ADIVT. *Bontudæ.* m. p. XVIII.

Primam vocem Simlerus ſuperiori iteneri adjicit, legitque in medio Crumeros Aſaon. Bregætij quoque meminit Ptolemæus, qui βρεγαίτιον in Pannonia ſuperiore ponit; & in eo legionem primam auxiliarem. Hic Valentinianus Imp. Quadorum legationi reſpondens ex ſuffuſione ſanguinis obijt. Lazius *Bontudam* vocari hodie

hodie ait. Pircheimerus *Bregnitz*. Tabula itineraria vocat Brigantium, sed error est. Brigetio est in Pannonia prima, Brigantium ad lacum Podamicum.

Ad muros, & ad statuas, in medio Arabon, m. p. xxx.

Ad muros Simlero est *Summereyn*. Ad statuas, Lazio est *Colocza*. Arabonis fluuij meminere Ptolemæus, & Marcianus Heracleotes. Tabula itineraria Arrabonem ponit trigesimo miliari a Brigantio. Notitia Prouinciarum Equites promotos locat Arrabone. Nomen hic est oppidi quod hodie vocatur *Rab*.

Ebesburg. Quadratum, in medio Flexum, m. p. xxvi.

Φλήξ meminit quoque Ptolemæus. Notitia habet Equites Mauros Quadrato, Cuneum equitum Dalmatarum Flexo. Et equites promotos Flexo. Spiegelio Flexum est Vienna Austriæ.

Gerulatam, in medio Carnuntum, Leg. xiiii. gemina. m. p. xxx.

Gerulata est *Homburg*. Meminit eius quoque Notitia Imperij. Carnuntum est *Sant Peternel*, vel *Passaw*, nobile & vetus oppidum: Meminere eius Paterculus, Liuius, Plinius, Victor, Ammianus. Sed hic illud ponit in Illyride, lib. xxx. Exinde, inquit, Carnuntum Illyriorum oppidum introijt, desertum quidem tunc & squalens, sed ductori exercitus perquam opportunū. Notitia Imperij habet sub Duce Pannoniæ primæ Præfectum Legionis xiv Geminæ militum Liburnariorum cohortis partis superioris Carnunto. Rescripsere hinc ad Præfectum Sardiniæ, Valentinianus, Valens, & Gratianus, vide Codicis lib. ix. Tit. i. lege 19. Diocletianus quoq; post depositum imperium hic mansit. Ptolemæo est καρνοῦς, qui ei Flexum protinus subijcit, cum Legione xiv. quam ille Germanicam vocat, quum sit Gemina: vide Dionem lib. lv.

Æquinoctium & Alanouam, in medio Vindebona. leg. x. Gemina. m. p. xxx.

Æquinoctium & Alanouam agnoscit quoque Notitia Imperij: illud est Vischmund Simlero: hoc Eberstorf. Sed a Carnunto ad Æquinoctium tabula itineraria Peutingeri non notat nisi xiv m. p. De Vindebona iam ante diximus.

Comagenas,	m. p. xx.	*Holnpurg*
Cetium,	m. p. xxx.	*Sotwvig.*
Arlape,	m. p. xx.	*Hæc ante habuimus*
Lacum Felicis,	m. p. xxv.	*Vide pag. 125.*
Lauriacum, leg. iii,	m. p. xx.	

Sequitur hinc iter Augustam Vindelicum.

Otilabim,	m. p. xvi.	
Iouiacum,	m. p. xxvii.	
Stanacum,	m. p. xviii.	*Vacen-kirchen.*
Boiodurum,	m. p. xx.	*Boyter.*

Ptolemæo est Βοιόδουρον in Vindelicia. Tabula Peutingeriana habet Castellum Bolodurum corrupte; Sunt qui putant esse Bassow.

Quintianas,	m. p. xxiv.	*Kintzen.*

In Numo Imperatoris Neruæ legitur Quintanorum Colonia Augusta: meminit quoque eius Notitia Imperij. Vicus hodie est ignobilis.

Augustas,	m. p. xx.	*Azelburg*

Equites Stablesianos seniores Augustanis locat Notitia; Est & numus Goltzij cum inscripsione col. avg. tib. Auentinus adserit esse Regenspurg.

Reginum,	m. p. xxiv.	*Rocking.*

Castra quoque Regia habet liber notitiæ. Itinerarium, Regino, sunt qui putent esse Regensperg. Diaconus lib. 2. Longobard. cap. 7. scribit ad Regis montem Bisontes nutriri.

Abusi-

Abensperg. Abusinam, m. p. xx.
Vitiosè legitur in Tabula Itineraria Arusena. Notitia habet Tribunum cohortis III. Abusina sub Duce Rhætiarum. Bauariæ oppidulum nunc est.

Pfal. Vallatum, m. p. XVIII.
Simlero est Veilenbach.

Summontorium, m. p. XVI.
Hochenvvart. Liber Notitiæ habet Submontorium, locatque ad ripam primam in Rhætia, vbi præfectus Legionis III Italicæ.

Augspurg Augustam Vindelicûm, m. p. xx.

Inde porrò Argentoratum sic,

Guntspurg. Guntiam, m. p. XXII.
Est ad confluentes Guntzij fl. & Danubij. In Panegyrico Maximiniano dicta, sic legitur, A ponte Rheni vsque ad Danubij transitum Guntiensem deuastata atque exhausta est penitus Allemannia.

Kelmuntz Cælium montem, m. p. XVI.
Huius stationis mentio fit in libro Notitiæ, qui sub Duce Rhætiarum ponit Tribunum cohortis III. Herculeæ Pannoniorum Cælio.

Hæc supra habuimus Campodunum, m. p. XIV.
Nemauiam, m. p. XV.
Brigantiam, m. p. XIV.
Arborem felicem, m. p. XX.
Fines, m. p. XX.

VVinterthur. Vitodurum, LEG. m. p. XXII.
Qui putant esse Constantiam, inter quos sunt Cœnalis, & Rob. Gaguinus, multum errant: Nam Finibus Vindouissam tendenti non magis per Constantiam iter est, quam Roma Florentiam per Neapolim: esset enim regrediendum.

De his ante. Vindonissam, LEG. m. p. XXIV.

* * * *

Augst. Rauracos, m. p. XXVII.
Artalbinnum, m. p. XXVII.

* * * *

Ensisheim Vruncim, LEG. X. m. p. XXII.
Montem Brisiacum, LEG. XV. m. p. XXII.

Schlestat. Elcebum, LEG. XIX. m. p. XXVIII.
Ptolemæi hæc est ἔλκηβος, qui eam ponit in Triboccis.

Strasburg Argentoratum, LEG. VIII. m. p. XXVIII.
Ptolemæo hic ponitur λεγίων ἢ σεβάστη. Dio quoque legionem Augustã locat in Germania superiore; quod de Argentorato capiendum est.

Hinc deinceps ad Vetera castra sic,

Bruomad Brocomagum, m. p. XX.
Ptolemæo est βρευκόμαγος, duobus milliaribus infra Argentoratum. Ammianus huius meminit lib. XVI. Audiens, inquit, Argentoratum Brocomagum, Tabernas, Salisonem, Nemetas, Vangiones, & Moguntiacum ciuitates barbaros possidentes territoria eorum habitare, (nam ipsa oppida vt circumdata retibus lustra declinant,) primam omnium Brocomagum occupauit.

Kochersperg. Concordiam, m. p. XVIII.
Ammianus loco quem dixi. Dum hæc aguntur, Rex Chonodomarius reperta copia discedendi, lapsus per funerum strues cum satellitibus paucis, celeritate rapida properabat ad castra, quæ prope Triboccos & Concordiam munimenta Romana fixit intrepidus.

Speijer. Nouiomagum, m. p. XX.
Meminit huius Ausonius in Mosella,

Et tandem primis Belgarum conspicor oris
Nouimagum, Diuicasta inclyta Constantini.

Bingen. Bingium, m. p. XXV.
Infra Moguntiacum est. Tacitus Histor. lib. II. Tutor Treuiris comitantibus vitato Moguntiaco, Bingium concessit, fidens loco, quia pontem Nauæ fluminis abruperat. Ammianus lib. XVIII. Ciuitates occupatæ sunt septem, Castra Herculis, Quadriburgium, Tricesimæ, Nouesium, Bonna, Antunnacum, & Bingium.

Andernach. Antunnacum, m. p. XVII.
Antonacense castellum vocatur a Fortunato lib. X. In Notitia Imperij sub Duce Moguntiacense præfectus ponitur militum Acicensium Antunnaco.

Boppard. Baudobricam, m. p. XVIII.
Sub Duce Moguntiacense Præfectus militum Balliſtariorum Bodobricæ ponitur in notitia Imperij.

Bon. Bonnam, m. p. XXII.
Tacitus Bonnam non semel nominat & castra Bonnensia. Ptolemæo est Βώννα. Goltzius in numo Augusti habet COL. IVLIA BONNA.

Coln. Colonia Agrippina, LEG.

Dournmagen. Durnomagum, LEG. VII. ALA.

Burijch. Buruncum, LEG. V. ALA.
E regione Dusseldorpij.

Nuyz. Nouesium, LEG. V. ALA.
Notissima ex Tacito.

Gelb. Geldubam, LEG. VIII.

Vide pag. 9°. Hic optimum siser crescere, Tiberij quoque mensis peritum, refert Plinius.

Gellern. Calonem, LEG. VIII. ALA.

Santen. Vetera castra, LEG. XXX. VLPIA.
Ptolemæus ἑτέρα ἐν ᾗ λεγιὼν ἐλπία, Vetera in qua Legio XXX. Vlpia.
Atque hactenus quidem perductæ sunt stationes a Tauruno ad legionem vsque XXX. Quæ sequuntur duo loca adiectitia sunt & supernumeraria.

Burginacium LEG. VI. ALA. *Kranenburg.*
Harenacium LEG. X. ALA.
Fuere his locis alarum castra: Sunt autem alæ equestres copiæ. Qui Arenatium putant olim ita situm vt nunc Arnhem, nimium quantum errant: oppida enim ista omnia fuerunt in ripa Gallica, quum Arnhemium sit in ripa Germanica. Idem iudicandum de Grinnibus & Vada. An igitur translati sunt vici ex insula in continentem? An Rhenus ipse cursum mutauerit translato in occasum alueo? alterutrum factum necesse est. Oppidorum istorum non semel meminit Tacitus in libris præsertim Historiarum. Vnus nobis iste sufficiat. Tantum belli superfuit, inquit, vt præsidia cohortium alarum, legionum, modicis vicis quadripertita Ciuilis inuaserit, decimam legionem, Arenatij, secundam Batauoduri, & Grinnes, Vadamque, cohortium alarumque castra.

ITER A LAVIACO.

Veldidenam,	m. p. CC. LXVI. sic.	*Septem loca priora iam ante huiusmus.*
Ouilabim,	m. p. XXVI.	
Iouiacum,	m. p. XXXII.	
Iouauim,	m. p. XXVIII.	
Bidaium,	m. p. XXXIII.	
Pontem Æni,	m. p. XVIII.	
Isiniscam,	m. p. XX.	
Ambre,	m. p. XXXII.	
Ad pontes Terseninos	m. p. XL.	

Simlerus legit Tesfenios, & putat esse *Schoflerem.*

Parthanum,	m. p. XX.	*Partenkirch.*

Ad fluuium Loysam, in Vendelinis.

Veldidenam,	m. p. XXIII.	*VVilten.*

Vbi nunc monasterium prope Æni pontem.

ITER

ITER A LAVRIACO

Per medium Augustam Vindelicûm vsque Brigantiam, m. p. CCC. XI. sic

Omnia hæc iam ante explicata sunt.

	Ouilabim,	m. p. XXVI.
	Iouiacum,	m. p. XX.
	Iouauim,	m, p. XXVIII.
	Bidaium,	m. p. XXXIII.
	Pontem Aeni,	m. p. XVIII.
VIND.	Isinisçam,	m. p. XX.
	Ambre,	m. p. XXXII.
	Augustam Vindelicûm,	m. p. XXXVII.
	Rostrum Menauiæ,	m. p- XXV.
	Campodunum,	m. p. XXVII.
	Nemauiam,	m. p. XV.
	Brigantiam,	m. p. XXIV.

ITER A PONTE AENI

	ad castra,	m. p. CL. sic,
IN NORICO *sunt.*	Turum,	m. p. XLIIII.
	An Ptolemæi Teurnia τεϱνία?	
	Iouisuram,	m. p. LXIV.
	Ad castra,	m. m. XLII,

ITER A PONTE AENI

	Veldidenam,	m. p. XC. sic,
	Albiancum,	m. p. XXXVIII.
	Mastiacum,	m. p. XXVI.
	Veldidenam,	m. p. XXVI.

ITER AD AEMONA.

Per Sisciam,

	Sirmium vsque	m. p. CCC. XL. sic, *Leibach.*

Aemonam Ptolemæus non ignorauit: itaque inter Pannoniam superiorem & Italiam sub Norico ponitur ipsi Pannoniæ ciuitas Emona ἤμωνα. In concilio Aquileensi Maximus legitur Aemonensis Episcopus. Plinius quoque habet Coloniam Aemoniam.

Prætorium Latouicorum,	m. p. XXXIIII.	*Brodanich.*

Latouici Plinio Pannoniæ gens, Ptolemæus in Pannonia superiore sub Norico ponit λατοβίκας: qui etiam Πϱαιτώϱιον nominat.

Nouiodunum,	m. p. XXVI.	*Neumarcl*

Ptolemæo νοϱιοδύνον.

Quadratum,	m. p. XXVIII.	*Radmansdorff.*

Est ad Sauum flu.

Siscium,	m. p. XXVIII.	*Sissег.*

Scisciæ meminit quoque Dio lib. XLIX. Sita est ad Sauum fluuium expugnata a Tiberio. Strabo lib. VII. ἐγγὺς δὲ τῆς σεγεστικῆς ἐστὶ καὶ ἡ εἰς Ἰταλίαν Σίρμιον ἐν ὁδῷ κείμενα τῇ εἰς Ἰταλίαν. Ptolemæus per tertiam vocalem scribit σισκία, ponitque in Pannonia superiore. Habet quoque eam tabula itineraria. Huius vrbis multa adhuc & præclara monumenta exstare scribit Bõfinius: ex aduerso eius in flumine est insula Segestica.

Varianas,	m. p. XXIII.	*Varasdinum.*
Menneianas,	m. p. XXVI.	*Mansprug.*

Videtur esse Prolemæi Magniana μαγνίανα.

Inicerum,	m. p. XXVIII.	*Cernice.*

Lazius putat esse Cernicum supra Veticam regalem. Sed mansio Augusti in Prætorio est.

Picentinum,	m. p. XXV.	*Pekarie.*
Leuconum,	m. p. XXVI.	
Cirtisam,	m. p. XII.	

Ptolemæo κέϱτισσα, in Pannonia inferiore.

Cibalas, m. p. XXII.

Ptolemæo κιβαλὶς: meminit quoque eius Zosimus.

Iltz. Vlmos, m. p. XXII.

Sirmisch. Sirmium, m. p. XXVI.

Vtrumque iam ante habuimus pag. 124. a.

ITER A VINDOBONA

Poetouionem, M. P. CLXXXIV. sic.

Furstenfeld. Aquas, m. p. XXVIII.

Scarabantiam, m. p. XXXI.

Sabariam, m. p. XXXIV.

Iam ante hæc habuimus, pag. 124. b.

Arrabonam, m. p. XX.

De hoc dictum, pag. 138. a.

Alicanum, in medio Curtam, m. p. XL.

Lazius dubitat sitne hoc Ptolemæi Olimacũ ὀλειμακὸν. Curtæ quoque meminit Ptolemæus, qui eam vocat κόρσαν.

* * * *

Pettauv. Poetouionem, m. p. XXXI.

Ad Drauum sita est. Ptolemæus vocat παλαυΐον, locatque in Pannonia superiore: eidem libro octauo vocatur Bætubium βαιτοβίων. Ammiano est Petobio. Tabulæ itenerariæ Petauio.

ITER A POETOVIONE

Carnuntum M. P. CLXIV. sic

Hilicanum. m. p. XXX.

Alij legunt Hæclitanum, sed est id quod ante vocatum fuit Alicanum.

* * * *

Salle, m. p. XXX.

Ptolemæo nota est in Pannonia superiore τάλλα.

Sabariam, m. p. XXXI.

Scarabantiam, m. p. XXXIV.

Carnuntum, m. p. XXXVIII.

Priora duo ante habuimus: Carnuntum vero pag. 128. Sed de locis ad Danubium ista sufficiant: Progrediamur nunc ad Rhenum, & quæ illic oppida aut stationes nominet itinerarium Antonini ordine expendamus, nec nos vel difficultas rei vel obscuritas a laudabili opere absterreat.

ITER A MEDIOLANO PER ALPES GRAIAS

ITALIA

Argentoratum, M. P. DLXXVI. sic

Ticinum, m. p. XXII. *Pauia.*

Laumellum, m. p. XXII. *Lamello.*

Vercellas, m. p. XXVI. *Vercello.*

Eporædium, m. p. XXXIII. *Iurea.*

Vitricium, m. p. XXI.

Augustam Prætoriam, m. p. XXV. *Augst.*

Arebrigium, m. p. XXI. *Tuile.*

Bergintrum, m. p. XXIV. ALP. GR.

In vertice Alpium Graiarum hodie est cœnobium. *Sentron.*

Darantasiam, m. p. XVIII. *Munster.*

Casuariam, m. p. XXIV. *Solame*

Creditur ea esse quæ Ciceroni Ciuaro dicitur in finibus Allobrogum lib. x. epist. 14. ad Plancum. *est Fousigny.*

Bautas, m. p. XVIII. *Bona.*

Cenabum, m. p. XXV. *Geneue.*

Errant qui putant idem esse Bautas & Cenabum.

Equestrim, m. p. XVII. *Nyon.*

Plinio & Ptolemæo nota est Colonia Equestris.

Ad Lacum, Lausonium, XVII. *Losanne.*

Vrbam, m. p. XVIII. *Orbe.*

Arioricam, m. p. XXIV.

Visontionem, m. p. XVI.

Velatu- *Besançon.*

	Velatudurum,	m. p. XXII.
Mandure	Epamantadurum,	m. p. XC.
	Gramatum,	m. p. IX.
Large.	Largam,	m. p. XXV.
Enſisheim	Vruncim,	m. p. XVIII.
Briſach.	Montem Briſiacum,	m. p. XXIV.
Schleſtadt	Elcebum,	m. p. XXV.
Strasburg	Argentoratum,	m. p. XXX.

EX ITINERE A MEDIOLANO per Alpes Penninas

	Moguntiacum.	m. p. CCCCXIX. ſic,
Augſt.	Auguſtam Prætoriam,	m. p. XXV.
S. Bernard.	Summum Penninum,	m. p. XXV.
Martinach.	Octodurum,	m. p. XXV.

Octodurum deſcribit C. Cæſar commentario tertio. *Galba*, inquit, *ſecundis aliquot prœlijs factis, caſtelliſque compluribus eorum expugnatis, miſſis ad eum vndique legatis obſidibuſque datis, & pace facta, conſtituit cohortes duas in Nantuatibus collocare, & ipſe cum reliquis eius legionis cohortibus in vico Veragrorum qui appellatur Octodurus hyemare, qui vicus poſitus in valle non magna adiecta planitie, altiſſimis montibus vndique continetur. Quum hic duas in parteis flumine diuideretur, alteram partem eius vici Gallis ad hyemandum conceſſit, alteram vacuam ab ijs relictam cohortibus attribuit.* Sed & nos eius meminimus ſupra in geſtis Diocletiani. *Pag. 49.*

S Mauritz.	Tarnadas,	m. p. XII.

Agaunum vocant hiſtoriæ Eccleſiaſticæ; Atque hic a Sigiſmundo Burgundionum regis fratre exſtructum eſt cœnobium D. Mauricio ſacrum.

Noville.	Penne locos,	m. p. XIII.
Vivey.	Vbiſcum,	m. p. IX.
Bro.	Bromagum,	m. p. IX.
	Minnodunum,	m. p. VI.
	Auenticum Heluetiorum,	m. p. XIII.

Milden. VVuſtiſpurg.

Hoc Heluetiorum caput fuiſſe autor eſt Tacitus: loquens enim de Heluetijs a Cæcina profligatis, *Multa*, inquit, *hominum millia cæſa, multæ ſub corona venundata. Quumque direptis omnibus Auenticum gentis caput iuſto agmine peteretur, miſſi qui dederent ciuitatem.* Ammianus libro XV. ait eam ſuo æuo magna parte dirutam fuiſſe. *Alpes Graiæ & Pœninæ, exceptis obſcurioribus, habent & Auenticum, deſertam quidem ciuitatem, ſed non ignobilem quondam, vt ædificia ſemiruta nunc quoque demonſtrant.* Exſtat verò etiam hodie VVizerij in Heluetia inſcriptio iſtiuſmodi, AVENTICENSES INCOLÆ T. TERTIO SEVERO OB EIVS ERGA SE MERITA D. P. Et alia. DONATVS EXACTOR TRIBVTORVM IN HELVETIIS. Allemanni poſtea pagum vaſtarunt. Nunc ſubeſt Friburgenſibus.

	Petineſcam,	m. p. XIV.
Biel.	Solodurum,	m. p. X.
Soloturn.	Auguſtam Rauracum,	m. p. XXII.
Augſt.		

Rauricorum, vel vt Cæſar ſcribit Rauracorum, nobilis eſt in antiquis monumentis memoria. Auguſta eius tractus primaria vrbs fuit, olim Colonia Romanorum deducta a L. Munatio Planco. Eius nunc vix exſtat quicquam præter nomen & ruinas. Viſuntur adhuc in colle non procul a molendino geminæ ſtructuræ cauæ ex ſilice quadrato compoſitæ hemicycli figura, quarum vſus qui fuerit, aut eſſe potuerit, ignoratur. Subterranearum cryptarum reliquiæ paſſim apparent Liechſtallū vſque; effodiuntur ibi quotidie e ruderibus numiſmata aerea, argentea, aurea; gemmæ quoque ſignatoriæ quæ per vniuerſam Germaniam expetuntur. Hodie in tugurijs argillaceis & ſtramentitijs vix pauci coloni degunt. Hæc rerum eſt humanarum viciſſitudo.

Cambs. Cambetem, m. p. XII.
Mulnhausen. Stabula, m. p. VI.
Horburg. Argentuariam. m. p. XVIII.

Pagus est vicinus Colmariæ ad Ellum amnem, nobilis victoria Gratiani, ob cæsa ibi Germanorum x x x millia nullo pene suorum sanguine. Sed destructa est postea ab Attila. Ad nomen quod attinet, Germani ex Argentuaria fecere Arburg, quod posteà mutatum est in Horburg. Errant igitur qui Colmariam putant esse Argentuariam: multo enim post exstructa hæc est, ac non nisi ex ruderibus Argentuariæ. Non possum quin hoc loco ex amicissimi Colleri epistola ante hos annos XXIV flagrante Argentinensi bello ad me missa pauca inferam, sic ergo ille. Colmariæ sum adhuc.

Vide pag. 62.

Heic mea me longo succedens prora remulco
Lætantem gratis sistit in hospitijs.

Neque muto, dum hi venti mare hoc possident. Locus est amœnus, & vetustate percelebris. Breuis est via hinc ad pagum Horburg. Hæc est illa Argentuaria. Capiunt me talia: ideoque stans nuper in ista regione loci, incepi bustum illud tot Germanorum miserari.

Hoc stetit in campo vetus Argentuaria quondam
Nunc vbi vix humiles hæ coire casæ.
Forte viæ stratæ populo incedente nitebant,
Aut aliquod Patres hoc coluere forum:
Qua nunc molle latus super herbas explicat agnus,
Aut scindit latam vomer aduncus humum.
Quum, Germane, suas huc duxit Roma cohortes,
Sint tibi præcipuè Cæsaris arma dolor.
Atreci Italicas æquasti funere Cannas
Possis Annibalem tunc habuisse tuum.
Quid tibi non armis voluisti Roma licere?
Nulla tuam regio sedat auara sitim.
Tu nunquam humanos haurire e fonte cruores
Desinis, vnde tuus Romulus ante bibit.
Non in fraternam cecidit manus impia mortem.
Nil mirum, in quemuis si ferat arma nepos.
Primi Veientes armis Volscique petuntur,
Nec tunc vicinos pax erat inter agros.
Nonne fuit sæuum miseras rapuisse Sabinas,
Et post bellicrepos instituisse choros?
Crudeles equitum cum Dictatore Magistri,
Et tu quem mista virga bipenne præit.
Vt primo aduersum cœpistis habere Philippum,
In cinere & flammis Græcia tota fuit.
IVLI, *ni tua vidissent hostilia nostri,*
Plus posset proprio Marte præusta sudes.
Quam magis is pugnax, quanto mihi fortior esset,
Qui fereret nuda prælia torua manu?
Non vidit clypeum manus Herculis, & tamen illi
De bissex monstris palma superba cluit.
Ah, quid opus tantis in prælia nunc tormentis?
Compendi nimium facta ad Anerna via est.
Sponte sua nouit quiduis lacerare vetustas,
Nos tamen & muros frangimus ecce nouos.
Credo essent etiam quædam hic frustilla ruinæ:
Absumpsit penitus sed tamen illa dies.

Elcebum, m. p. VI. *Schlestad*
Hinc tota prouincia nomen traxit Elsses: hodie Alsatiam vocant.
Argentoratum, m. p. XII. *Strasburg*
Saletionem, m. p. VII. *Selts.*
Tabernas, m. p. XIII. *Reyn Zabern.*
Tria sunt loca quæ hoc nomen præferunt. Sunt Alsaticæ

ticæ quas Ammianus tres tabernas vocat, hodie dicuntur *Elsas-Zabern:* Sunt montanæ, *Berg-Zabern.* Sunt denique in Nemetibus Rhenenses, *Rein-Zabern.* Hic itinerarium designat tabernas ad Rhenum. Sunt autem etiam nunc in opidi cœmeterio duo simulacra quæ Mercurium referunt viatorem. Ostenditur & limes ingens ex vicino nemore illuc allatus cum hac inscriptione, N. H. DD. L. SILVANIVS PROBVS PONTES D. S. PP. quæ significat opus illud Neptuno sacrum fuisse, ac Siluanium Probum pontes ibi de suo dedicasse.

Speyer. Nouiomagum, m. p. XI.
VVormbs. Borbetomagum, m. p. XIV.
Oppenheim. Bauconicam, m. p. XIII.
Mentz. Maguntiacum, m. p. XI.

Leyden.

A LVGDVNO

Ad caput Germaniarum Argentoratum, m. p. CCCXXV.

Alphen. Albinianas, m. p. X.
Vtrecht. Traiectum, m. p. XVII.
Maurick. Mannariacum, m. p. XV.
Reynecom Caruonem, m. p. XXII
Arnhem. Harenacium, m. p. XXII.
Kraneub. Burginacium, m. p. VI.
Kelle. Coloniam Traianam, m. p. V.
Simlerus racte statuit Coloniam istam esse *Kellen*, vix mille passus remotum ab oppido Cliuorum. Pighius hic statuit castra legionis tricesimæ.
Santen. Vetera, m. p. I.
Cleue. Calonem, m. p. XVIII.
Nuys. Nouesium, m. p. XVIII.
Keulen. Coloniam Agrippinam, m. p. XVI.
Bon. Bonnam, m. p. XI.
Andernach. Autunacum, m. p. XVII.
Confluentes, m. p. IX. *Coblentz.*
Vincum, m. p. XXVI. *Bingen.*
Lege Bingium. *Numagen*
Nouiomagum, m. p. XXXVII.
Ad Mosellam est. Tria autem oppida hoc nomen habent. Primum est inter Brotomagum & Argentoratum ad Rhenum. Alterum ad Mosellam: Tertium ad Vahalim in Batauorum insula, de quo in Tabula Itineraria Peutingeri.
Treueros, m. p. XIII. *Trier.*
Diuodurum, m. p. XXXIIII. *Metz.*
Pontem Saruix, m. p. XXXIIII. *Sarbrug.*
Argentoratum, m. p. XXII. *Strasburg*

A TREVIRIS

Agrippinam per Legiones. *F. Bid.*
Bedam Vicum, LEG. XII. *burg.*
Amsanam Vicum, LEG. XII.
Ampsanos Germaniæ populos ait Strabo victos a Germanis, sed illi Transrhenani fuere: nec dubium quin Amsiuarij. Hic quis sit vicus nescitur.
Egorigium Vicum, LEG. XII.
Marcomagum, LEG. VIII. *Duren.*
Item est cum Marcoduro Taciti.

* *

Belgicam, LEG. VIII. *Bullingen*
Sunt qui putent esse *Balckhusen.*
Tolbiacum Vicum Supenorum, LEG. X.
Tacitus Tolbiacum in finibus locat Agrippinensium. *Zulg.*
Celebre imprimis oppidum prælio Francorum, quo *Zulpich.*
Allemannorum regno finis impositus est: postea quo- *Toupie.*
que Hermenfredi Thuringorum regis obitu, quem ibi *Vide cap.*
Hlotarius de muro præcipitem dedit. Nunc vicus est. *XVII.*
Supeni qui sint fuerintue, nescitur. Ego omnino exi- *pag. 77.*
stimo legendum hic, Tolbiacum vicus Vbiorum.

ITER

ITER A TREVERIS

	Argentoratum,	m. p. CXXIX. sic
Boppert.	Baudobricam,	m. p. XVIII.
	Salissonem,	m. p. XXII.
	Bingium,	m. p. XXIII.
	Moguntiacum,	m. p. XII.
	Brotomagum,	m. p. XVIII.
	Nouiomagum,	m. p. XVIII.
	Argentoratum,	m. p. XVIII.

Hæc ante habuimus.

ITER A COLONIA TRAIANA

Coloniam Agrippinam, m. p. LXXI. sic

De Colonia Traiana iam ante diximus.

Moy'andt	Mediolanum.	
Sambeck.	Sablonibus.	
Mierle.	Mederiacum,	m. p. X.
Tutderen, by Sithart	Theudurum,	m. p. IX.

Ptolemæus Μεδιολάνιον & Τευδέριον vltra Rhenum posuit; tabulas secutus falsas.

Falkenburg.	Coriouallum,	m. p. VII.
Gulich.	Iuliacum,	m. p. XII.
Berchem.	Tiberiarum,	m. p. X.
	Coloniam Agrippinam,	m. p. X.

CAP. XXII.

GERMANIA NOTITIAE IMPERII.

LIber Notitiæ Orientis & Occidentis (cuius symbolū biceps aquila, nam ante diuisum Imperium singulares aquilę in signis spectabantur,) cōtinens dignitatum omnium tam ciuilium quam militarium per Imperium Romanum indicem, scriptus est post itinerarium Antonini. Sub Antonino enim Imperium nondum diuisum fuit: itaque in eius itinerario nulla potest esse Constantinopolis mentio, aut Imperij Orientalis: itaque quod Byzantio additur, certum glossema est: At in Notitia distincte & exacte cōmemoratur Constantinopolis. Scripta autē est sub finem Principatus Theodosij circa annum CCCC XLI, antequam Attila Aquileiam vrbesque ad Rhenum sitas, quæ hic pleræque recensentur, everteret, & postquam Saxones Britanniam & littus Gallicum infestare cœpissent. In hac vero Notitia vrbes & castra per limitem vtrumque Imperij, Rhenum inquam & Danubium disposita commemorantur. Nos ex ea quæ ad nostrum institutum faciunt, describemus. Hoc tantum præmonebimus, Notitiæ istius autorem ita alicubi dispositionum superioris temporis facere mentionem, vt quæ postea acciderint mutationes indicet; quod argumentum est, non semper eosdem milites ijsdem locis stationes habuisse.

COMES ARGENTORATENSIS.

Sub dispositione viri spectabilis Comitis Argentoratensis.
Tractus Argentoratensis.

Sub huius inspectione erant Rauraci, quorum oppida plura fuere. Sed ea non commemorat autor Notitiæ, quia loca illa tunc vel a Gothis erant euersa, vel ab Allemannis occupata. Ipse suberat Duci Moguntiacensi.

DVX MOGVNTIACENSIS.

Hic vndecim ponuntur oppida & mansiones: *Salectio, Tabernæ, Vico Iulio, Nemetis, Alta ripa, Vangionis, Moguntiaco, Bingio, Bodobrica, Confluentibus, Antunnaco.*

Dispositiones militares sic fuere,

Præfectus militum Pacensium *Saletione.* *Zelts.*

Præfectus militum Menapiorum *Tabernis.* *Tsauerep.*

Præfe-

Germersē Præfectus militum Anderecianorum *Vico Iulio.*
Spier. Præfectus militum Vindicum *Nemetes.*
Altrip. Præfectus militum Martenſium *Altaripa.*

Meminit huius quoque codex Theodoſianus.

VVormbs. Præfectus militum ſecundæ Flauiæ *Vangiones.*
Ments. Præf. militum Armigerorum *Mogontiaco.*
Bingen. Præf. militum Bingenſium *Bingio.*
Boppardē Præf. militum Baliſtariorum *Bodobrica.*
Coblens. Præf. militum Defenſorum *Confluentibus.*
Andernæ. Præf. militum Acincenſium *Antonaco.*

COLONIENSIVM & TREVIRENSIVM oppida non tantum non ponuntur in hac Notitia, ſed ipſi quoq; Duces & Comites omittũtur.

DVX PANNONIÆ.

Sub diſpoſitione viri ſpectabilis Ducis Prouinciæ PANNONIÆ SECVNDÆ RIPARIENSIS ſiue Sauiæ octodecim depinguntur manſiones. *Cornacum, Teutiborgus, Burgenæ, Cuccis, Acimincum, Secundæ, Nouæ, Albano, Teutiborgus, Cornaco, Cuccis, Bononiæ, Cuſi, Acimincum, Rictum, Burgennæ, Tauruno,* & *Ad Herculem.*

Series diſpoſitionum hæc fuit,

Zazæ. Cuneus equitum Scutariorum *Cornaco.*
Erdenvv. Cuneus equitum Dalmatarum *Teutoburgio.*
..... Cuneus equitum Conſtantinorum *Burgenæ.*
Curuſcæ. Cuneus equitum Promotorum *Cuccio.*
Cametz. Ceneus equitum Conſtantium *Acuminci.*
..... Cuneus equitum Italicianorum *Secundis.*
..... Equites Dalmatæ *Nouis.*
..... Equites Dalmatæ *Albano.*
..... Equites Promoti *Teutoburgio.*
Equites Dalmatæ *Cornaco.*
Equites Sagittarij *Cuccis.*
Equites Dalmatæ *Bononiæ.* Bonmonſter.
Equites Dalmatæ *Cuſi.*
Equites Sagittarij *Acuminci.*
Equites Dalmatæ *Ricci.* Ratza.
Equites Dalmatæ *Burgenæ.*
Equites Promoti *Tauruno.*
Auxilia Herculia *Ad Herculem.*
Auxilia Nouenſia *Arſaciana*, ſiue *Nouis.*
Auxilia Auguſtenſia contra Bononiam in Barbaria in *Caſtello Onagrino.*
Auxilia Præſidentia in *Caſtris Herculis.*
Auxilia Aſcarij *Tauruno*, ſiue *Marſonia.* Griechs vveyſſenburg Belgradum.
Præfectus Legionis quintæ Iouiæ cohortis quintæ partis ſuperioris *Bononiæ.*
Præfectus Legionis ſextæ Herculeæ cohortis quintæ partis ſuperioris *Aureo monte.* Vide Anton.
Præf. Legionis quintæ Iouiæ *Burgenſis.*
Præf. Legionis VI Herculeæ *Teutoburgio.*
Præf. Legionis V Iouiæ, VI Herculeæ in *Caſtello Onagrino.*
Præf. militum Calcarienſium *Sirmij.* Vide Anton.
Præf. Claſſis primæ Flauiæ Auguſtæ *Sirmij.*
Præf. Claſſis II Flauiæ *Graio.* Cretz.
Præf. Claſſis Iſtricæ *Murſæ.* Vide Antonin.
Tribunus cohortis tertiæ Alpinorum Dardanorum Ala Sirmicenſis, *Sirmij.* Vide Anton.
Præf. Claſſis I Pannoniæ ſeruitij Claſſis Ægetenſium ſiue *ſecundæ Pannoniæ* nunc *Siſciæ.*
Tribunus cohortis III Alpinorum *Siſciæ.*
Tribunus cohortis I Iouiæ *Leonatæ.*
Tribunus cohortis I Thracum ciuium Romanorum *Caput Baſenſis.*

SVB DISPOSITIONE VIRI SPECTABILIS DVCIS PROVINCIÆ VALERIÆ RIPENSIS.

Viginti hic pinguntur mansiones, *Solua, Interciſa, Luſſonium, Conradenza, Altino, Odiabo, Crumero, Solua, Ad Herculem, Circi, Conſtantia, Campona, Matrice, Vetuſalina, Interciſa, Ad Nammantia, Luſſonio, Ripa alta, Adſtatuas, & Florentia.*

Diſpoſitiones fuere iſtæ.

Cuneus Equitum Scutariorum *Soluæ.*
Cuneus Equitum Dalmatarum *Incerciſæ.*
Cuneus Equitum Conſtantinorum *Luſſonio*, nunc *Interciſa.*
Cuneus Equitum Stableſianorum *Ripa alta* nunc *Conradenza.*
Cuneus Equitum Fortenſium *Altino.*
Hic ius dixere Valentinianus & Valens : Vide l. 1. C. vt armor. vſus Et l. 1. & 2. C. quibus equor. vſus conceſſ. Et l. 7. C. de Pœnis.
Equites Dalmatæ *Odiabo.*
Antonino eſt Ouilabis.
Equites Promoti *Crumero.*
Equites Mauri *Solua.*
Equites Dalmatæ *Ad Herculem.*
Equites Dalmatæ *Circi.*
Equites Dalmatæ *Conſtantiæ.*
Equites Dalmatæ *Camponæ.*
Equites Promoti *Matricæ.*
Equit. Dalmatæ *Vetuſſalinæ.*
Equit. Sagittarij *Interciſæ.*
Equit. Dalmatæ *Ad Nammantiæ.*
Equit. Dalmatæ *Luſſonio.*
Equit. Dalmatæ *Ripa altæ.*
Equit. Dalmatæ *Ad Statuas.*
Equit. Dalmatæ *Florentiæ.*
Equit. Sagittarij *Altino*, nunc *in Borgo* contra Florentiam.
Equit. Flauienſes *Ad Militare.*
Auxilia Herculenſia *Ad Herculem.*
Auxilia Vrſarenſia pone *Nauata*, nunc *Ad Statuas.*
Auxilia Vigilum contra *Acinco* trans in Barbarico.
Auxilia Fortenſia *Cirpi.*
Auxilia Inſidiatorum *Cardabianca.*
Præfectus Legionis I adiutricis cohortis quintæ partis ſuperioris *Bregetione.*
Præfectus Legionis II adiutricis cohortis partis ſuperioris *Aliſcæ.*
Præfectus Legionis II adiutricis partis inferioris *Florentiæ.*
Præfectus Legionis II adiutricis tertiæ partis ſuperioris *Acinco.*
Præfectus Legionis ſecundæ adiutricis in caſtello contra *Tautantum.*
Præf. mil. ſecundæ adiutricis *Cirpi.*
Præf. Legionis ſecundæ adiutricis *Luſſonio.*
Præf. Claſſis Hiſtricæ *Florentiæ.*
Tribunus cohortis *Vincentiæ.*
Trib. cohortis *Quadriburgio.*
Trib. cohortis *Iouiæ.*
Trib. cohortis *Ad Borgum Centenarium.*
Trib. cohortis *Aleſcæ.*
Trib. cohortis *Marinanæ.*
Præf. Legionis *Trans Acinco.*

DVX

DVX PANNONIÆ PRIMÆ.

Sub hoc XVIII pinguntur ſtationes, ſed omnes vitioſæ, ſunt enim eædem cum ijs quæ iam ante in Pannonia ſecunda commemoratæ ſunt. Ex recenſione diſpoſitionum quæ ſubiungitur poſſunt colligi hæc loca, *Ad Flexum*, *Arrabone*, *Quadriburgio*, *Æquinoctio*, *Gerolatæ*, *Quadrato*, *Vindomanæ*, *Carnunto*, *Arrianis*, *Ad Mauros*, *Lentiæ*, *Lacufelicis*, *Arlapi*, *Auguſtianis*, *Comagenis*, *Iouiaco*, *Lauriaco*, *Ad Iuuenſe*.

Diſpoſitio hæc eſt.

Cuneus Equitum Dalmatarum *Flexo*.
Cuneus Equitum Stableſianorum *Arrabonæ*.
Equites Promoti *Arrabonæ*.
Equites Sagittarij *Quadriburgio*.
Equites Dalmatæ *Ala Noua*.
Equites Dalmatæ *Æquinoctio*.
Equites Dalmatæ *Ad Herculem*.
Equites Sagittarij *Gerolatæ*.
Equites Promoti *Flexo*.
Equites Mauri *Quadrato*.
Tribunus Gentis *Marcomannorum*.
Præfectus Legionis X *Vindomanæ*.
Præfectus Legionis quartædecimæ Geminæ militum Liburnariorum cohortis partis ſuperioris *Carnunto*.
Præfectus Legionis X & XIV Geminatæ militum Liburnariorum *Arrabonæ*.
Præſectus Claſſis Hiſtricæ *Carnunto* ſiue *Vindomanæ* a Carnunto tranſlatæ.
Tribunus cohortis *Arrianis*.
Tribunus cohortis *Caratenſis*.
Equites Promoti *Ad Mauros*.
Equites Sagittarij *Lentia*.
Equites Sagittarij *Lacufelicis*.
Equites Dalmatæ *Arlape*.
Equites Dalmatæ *Auguſtianis*.
Equites Promoti *Comagenis*.
Præfectus ſecundæ Italicæ militum Liburnariorum *Iouiaco*.
Præf. Legionis Italicę partis inferioris *Lentiæ*.
Præf. Legionis ſecundæ *Lauriaco*.
Præf. Legionis primę Noricorum militum Liburnariorum cohortis quintę partis *Ad Iuuenſe*.
Præfectus Legionis Liburnariorum primorum Noricorum *Faſianæ*.
Præf. claſſis *Arlapenſis* & *Maginenſis*.
Præf. claſſis *Lauriacenſis*.
Tribunus cohortis *Boioduro*.
Tribunus cohortis *Auſturis*.
Tribunus cohortis *Cannabiacæ*.

DVX RHÆTIÆ

PRIMÆ ET SECVNDÆ.

Oppida hic depicta ſunt decem, *Auguſtanis*, *Phœbianis*, *Submontorio*, *Vallatio*, *Ripa prima*, *Cambiduno*, *Guntia*, *Fœtibus*, *Teriolis*, *Quintanis*. Diſpoſitiones ſic fuere,
Equites Stableſiani Seniores *Auguſtanis*.
Equites Stableſiani Iuniores *Ponte-Oeni*, nunc *Febianis*.
Equites Stableſiani Iuniores *Submontorio*.
Præfectus Legionis tertię Italicę partis ſuperioris deputatæ *Caſtra regina*, nunc *Vallato*.

Hohenwvardt. Præfectus Legionis III Italicæ partis ſuperioris deputatæ *Ripæ primæ Submontorio.*

Bargen. Præf. Legionis III Italicæ pro parte media prætendentis a *Vimania Caſſiliacum* vſque *Cambiduno.*

Præfectus militum Vrſarientium *Guntiæ.*

Præf. Legionis III Italicæ tranſuectioni ſpecierum deputatæ *Fœtibus.*

Præf. Legionis III Italicæ tranſuectioni ſpecierum deputatæ *Teriolis.*

Præf. Alæ primæ Flauiæ Rhætorum *Quintanis.*

Tribunus cohortis Nouæ Batauorum *Batauis.*

Fuſſen. Tribunus cohortis III Brittonum *Abuſina.*

Præfectus Alæ ſecundæ Valeriæ ſingularis *Vallato.*

Vribunus cohortis ſextæ Valeriæ Rhætorum *Venaxamoduro.*

Tribunus cohortis I Herculeæ Rhætorum *Parroduro.*

Tribunus cohortis V Valeriæ Frigum *Pintanis.*

Tribunus cohortis III Herculeæ Pannoniorum *Cœlio.*

Tribunus Gentis per Rhætias deputatæ *Teriolis.*

Præfectus Numeri Barbaricariorum *Confluentibus*, ſiue *Brigantiæ.*

Præfectus Alæ II Valeriæ Sequanorum *Vimania.*

Tribunus cohortis Herculeæ Pannoniorum *Arbore.*

CAP. XXIII.

GERMANIA TABVLAE PEVTINGERIANAE.

TAbulas iſtas nos ex maiore Peutingeriana, cuius editioni immortuus eſt Geographorum noſtri ævi Princeps Abrahamus Ortelius, depinximus, ea induſtria & fide, vt nihil in hac parte deſiderari poſſit. Sunt autem illæ non ad artem mathematicorum exactæ gradibuſque accommodatæ quales Ptolemaicæ, ſed itinerariæ tantum: adnotatis vbique locorum interuallis. Tales conuolutas habebant olim apud ſe belli Duces, quibus itinera ſua dirigebant: Itaque in his non latitudinum ac longitudinum ratio ex tabularum fundo ac dimenſione peti debet collata cum regionibus, ſed ex numeris adſcriptis. Confunduntur enim mundi cardines, neque vlla habetur ratio ortus, occaſus, Septentrionis, Auſtri: viarum tantum ſpatia ſignantur & interualla. Quod de Itinerijs Tabulis dixi, indicat manifeſte Vegetius libro tertio de re militari, Eius hæc ſunt verba. Ideoque omni cura, omnique diligentia prouidere debet dux, ne proficiſcens patiatur incurſum, ſed facile, ac ſine damno repellat illatum. Primum itineraria omnium regionum, in quibus bellum geritur, pleniſſime debet habere perſcripta: ita vt locorum interualla, non ſolum paſſuum numero, ſed etiam viarum qualitate perdiſcat: compendia, diuerticula, montes, flumina, ad fidem deſcripta cõſideret: vſque eo, vt ſolertiores duces, itineraria prouinciarum, in quibus neceſſitas geritur, non tantum adnotata, ſed etiam picta habuiſſe firmentur, vt non ſolum cõſilio mentis, verum aſpectu oculorum viam profecturis eligerent. Ad hoc à prudentioribus & honoratis ac locorum gnaris, ſeparatim debet vniuerſa perquirere, & veritatem colligere de pluribus. Vidit autem Peutingerianam iam olim B. Rhenanus qui eius quoque in libris ſuis rerum Germanicarum mentionem facit, de Francis agens, his verbis. *In charta Prouinciali quam apud Chunradum Peutingerum amicum noſtrum Auguſtæ vidimus, ſub vltimis Impp. depictam, & a Celte in quadam Bibliotheca repertam, planè veterem, ſic leguntur hæc oppida ab oſtijs Rheni adſcendendo, Caruo* XIII. *Caſtra Herculis* VIII. *Nouiomagus* VI. *Burginatium* V. *Colonia Traiana*

Cap VI.

Lib. I.

iana XL. *Vetera* XIII. *Asciburgium* XIIII. *Nouesium* XVI. *Agrippina supra Rhenum fluuium, quem linea protracta designat in dextro latere. Et a parte Germaniæ hoc vocabulum est adscriptum literis maiusculis*

FRANCIA.

versus ostia Rheni verò, hæc nomina leguntur, CHAMAVIQVIELPRANCI. *Item,* CHAVCIVAPLVARII, *Item (litteris inter has interiectis,)* CHREPSTINI. *Unde manifestè liquet, quod nos hic adstruimus, in Tencterorum loca, qui Rheno tantum ab Vbys discernebantur, vt Tacitus inquit, & testatur in Commentarijs Cæsar, demigrasse Francos.* Et rursum alibi. *In charta itineraria illa quæ est apud Chunradum Peutingerum, trans Rhenum supra Tenedonem, Iuliomagum, Brigobannem & Aras Flauias, nemus est depictum cum arboribus, & adscriptum maiusculis literis*

Ibid.

sylua martiana

Et supra hæc verba,

alamannia

In latere verò e regione Borbetomagi & Brocomagi superadditum,

sueuia

Sed posuit in latere pictor ille quod trans syluam melius locasset, ni vetuisset angustia membranæ, & Germanica velut aliena duxisset modicè attingenda, prouincias tantum describens. Eandem Tabulam designat Rhenanus nomine Cartæ Theodosianæ quum scribit. *Antiquissimus Tubonorum vicus est Helellum, quemadmodum in charta Theodosiana legitur.* Fuit autem Celtes iste cuius mentionem facit Rhenanus natione Francus, rei Geographicæ peritissimus, cuius quoque edidit epitomam, cum libro singulari de situ Germaniæ, & altero de situs Noribergæ: claruit auanno MCCCLXX sub Maximiliano Imperatore. Tabula ipsa in membranis erat descripta, charactere Longobardico, schedis accuratè conglutinatis, lata pedem Augustanum vnum circiter; longa vltrà viginti duos. Eam Moretus Antuerpiæ æri insciſam vulgavit paullo contra- *An. 1598*
ctiorem, ex qua nōs ista expressimus. Ad Rheni latus dexterum nullum vides iter notatum: quod argumentum est, tabulam tum factum, quum nulla adhuc ibi essent itinera, aut quum adhuc essent Romanis ignota. A Rheno ad littus vsque maris Oceani Germania magna est, quam claudit Oceanus Septentrionalis. In Germania Transrhenana statim ad Rheni ostia spectantur sparsæ variè litteræ, quas B. Rhenanus, vt potuit digessit; nos putamus legendum CHAVCI. AMPSIVARII. Et rursum, CHERVSCI. Et, CHAMAVI QVI ET FRANCI. A Lugduno quoque vsque ad Fanum Leuæ leguntur litteræ, quæ connexæ efficiunt PATAVIA: significatur autem eum esse tractum Batauorum in Gallia Belgica. Vera enim & Transrhenana Germania hic non describitur, neque vlla in ea ponitur vrbs, aut mansio. Quocirca operam ludunt, qui ob vocabulorum litterarumque vicinitatem referunt loca quædam ripæ Gallicæ ad ripam Germanicam, quod a multis factum in Arenacio, Grinnibus, Vadaque constat, quæ putarunt esse, *Arnhem, Rhenen, Wageningen*, eo locorum positu, quo nunc cernuntur. Præstat dicere, vel Rheni alueum mutatum esse, vel oppida ista ex ripa Gallica in Germanicam esse translata. Itinera igitur Germaniæ superioris & inferioris, ad læuam Rheni ripam hæc sunt.

I. Itinera ab ostio Rheni vsque Nouiomagum.



Lugdunum, *Leyden.*
Prætorium Agrippinæ, *Roomburch.*
Matilo, *Coudekerck*, quod olim *Kirckwerua* dictum fuit: Rhenus ei quondam fuit Septentrionalis.
Albamanis, Albiniana, *Alphen.*
Niger pullus, ... vbi nunc *Woerden.*
Fuit insigne diuersorij: Talia in Moesia, Ad scrofulas, Ad mulam, & in Sarmatia, Caput bubali.
Lauri, ...
Fletio, *Vleuten.*
Leuæ Fanum, *Leewen.*
Caruo, *Graue* Simlero, quod non probo: forte Cellern.
Castra Herculis, ...
Nouiomagus, *Nimwegen.*

Hic nulla mentio fit Traiectus, quod nunc est Vtrecht, Ammiano Vtricesium.

Alio itinere.

Lugdunum, *Leyden.*
Forum Adriani, *Voorburg.*
Flenium, *Delft.*
Tabli, *Alblas.*
Caspingium, *Giessen.*
Grinnes, Non est *Rhenen*; nisi alueus Rheni probetur transpositus.
Ad Duodecimum, ...
Nouiomagus, *Nimwegen.*
Sequitur fl. Patabus qui proculduio est Mosa. Batauus vero dicitur a Batauis.

A castello Menapiorum ad Baganum Neruiorum.
Castellum Menapiorum, *Cessel.*

Viro-

Virouiacum,	*Werveke.*
Turnacum,	*Doornicke.*
Pons Scaldis,	*Coude.*
Baganum Neruiorum,	*Banay.*

Idem Alio itinere.

Castellum Menapiorum,	*Kessel.*
Teruanna,	*Terwanen.*
Nemetacum,	*Arras.*
Camaracum,	*Cambray.*
Hermomacum,	.....
Baganum Neruiorum,	*Banay.*

A castello Menapiorum Augustam vsque Suessonum.

Castellum Menapiorum,	*Kessel.*
Teruanna,	*Teruanen.*
Temera,	*Tieure.*
Sammarobrina.	*Amiens.*
Augusta Veromanduorum.	*S. Quintin* vel potius *Vermand Abaye.*
Augusta Suessonum,	*Soisson.*
	Vel
Sammarobrina,	*Amiens.*
Setucis,	....
Rodium,	*Roye.*
Lura,	....
Augusta Suessonum,	*Soisson.*
	Vel
Luttomagi,	*Estaples* vel *Monstreul.*
Adlullia,	*Argoulles.*
Duroicum Regum,	*Rue.*
Semcis,	....
Rodium,	*Roye*
Lura,	....
Aug. Suessonum.	*Soisson.*

II. A Nouiomago ad Confluentes.



PRior tabula huic iungi potest. Super Rhenum legitur FRANCIA, vt significetur veteres Francorum sedes a Leuę fano ad Asciburgium vsq; porrectas fuisse, sed in ripa Germanica: tametsi postea ad Mœnum vsq; sese extenderint. Vox Burcturi, indicat Bructerorum regionē. Posteriores eos vocant Boructuarios, exstatq; inter Duisburgiū & VVerdam oppidū *Brouck*, eiusdem originis. Hæc in Germania magna. In Chisrhenana occurrunt ista.

Nouiomagum,	*Nimwegen.*

Arenatium alijs Arenacum; non est Arnhem: nam hoc est in ripa Germanica: Arenatium in Gallica, nisi Rhenus alueum mutarit.

Burginatium,	*Kranenburch,*
Colonia Traiana,	*Kelle.*
Vetera castra,	*Santen.*
Asciburgium,	*Asburg.*
Nouesium	*Nuys.*
Agrippinensis Colonia,	*Keulen.*
Bonna,	*Bonne.*
Rigomagus,	*Reinnegen.*
Confluentes.	*Coblentz.*

A Nouiomago Coloniam per Atuacam.

Nouiomagum,	*Nieumegen.*
Ceuelum,	*Graue.*
Blariacum,	*Blerick.*
Catuallium,	....
Feresne,	*Maeseyck.*
Atuaca,	*Maestricht.*
Cortouallium,	*Aken.*
Iuliacum,	*Gulick.*
Agrippina.	*Keulen.*

A Colonia Treueros.

Colonia,	*Keulen.*
Marcomagus,	*idem cū Marcoduro, Duren.*
Icorigium,	*Ruyt.*
Ausana,	*Palleschcid.*
Beda,	*Bidburg.*
Augusta Treuirorum,	*Triers.*

III. A Confluentibus vsque Argentuariam.



IN Germania magna ad ripam Rheni dexteram legitur, SVEVIA, quæ Taciti æuo, nondum exortis Allemannis, longè admodum lateque extensa fuit, sicut ante diximus. Posteà vero discrimen inter Sueuos & Allemannos, fieri cœpit. Etsi enim e Sueuis orti sint Allemanni, tamen crescente potentia distincti sunt populis & finibus. Sed cur Sueuos Francis viciniores posuit Allemannis? Crediderim voluisse autorem Tabulæ Sueuos Allemannis interiores facere, vt inter ipsos & Rhenum Allemanni interiecti essent, sed exclusum spatio, quod arctissimum esse res indicat, posuisse eos ad latus, maiusculo tamen charactere, vt significaret ipsos Allemannis etiam maiores ac potentiores esse. Hodie Sueui vtramque Danubij ripam occupant.

Confluentes,	*Coblentz.*
Bodobrica,	*Boppart.*
Vosauia,	*OberWesel.*
Bingium,	*Bingen.*
Moguntiacum,	*Mentz.*
Boncomica,	*Oppenheym.*
Borbetomagus,	*Wormbs*
Nouiomagus,	*Speyer.*
Tabernæ,	*Rheyn-Zabren.*
Saletio,	*Seltz.*
Brocomagus,	*Bruomat.*
Argentoratum,	*Strasburg.*
Helellum,	*Ell.*

Vicus est hodie ignobilis, ad Elli fluminis ripam, quem pauculi piscatores, pauciores incolunt agricolæ: sed nullus est in vicinia locus in quo plus antiquitatũ spectetur. Muris templi inserta sunt simulacra Mercurij, Dianæ, & aliorum Deorum. Sæpe etiam agricolæ vomeres suos impinguut in testudines subterraneas. Numismata ærea, argentea, aurea, sæpe erui narrant. Neque est dubium quin hiberna illic fuerint Romanorũ. Si in notitia Imperii recensitæ essent dispositiones Comitis Argentoratensis, qui Duci Moguntiacensi subditus fuit, plusculum lucis huic tractui accederet. Porro ad Helullum ferunt excitatum a mortuis Maternum, admoto ipsi scipione B. Petri a Valerio & Euchario, ipsius in diffundendo Euangelio collegis; quum accepissent hæc ab Apostolo mandata, *Hoc scipione defuncti Materni corpus contingite, hæc verba apprecati, vt* IN NOMINE IESV CHRISTI RESVRGAT.

Argentuaria,	*Horburg.*

Vernaculum nomen post euersionem hibernorum Romanorum factum est a Germanis: ac verisimile est initio dictũ Argeburg, voce semilatina, semigermanica: ex qua postea adiecta adspiratione factũ est *Horburg.* Sicut Argentoratum a via decumana per quam Allemanni, cum Attila profecti sunt, quæque adhuc nomen seruat, *die Straß*, dictum fuit *Strasburg.*

Ab Augusta Treuirorum Moguntiacum.

Augusta Treuirorum,	*Trier.*
Nouiomagus,	*Nymag*, pagus circa Berckastel.
Belgium,	*BaldenaW.*
Dumnum,	*Thaun.*
Bingium,	*Bingen.*
Moguntiacus,	*Mentz.*

Ab Augusta Treuirorum Argentoratum.

Augusta Treuirorum,	*Trier.*
Nouiomagum,	*Numagen.*
Decem pagi,	*Duose*, in Lothar.

Meminit horum Ammianus in actis Iuliani.

Pons Saraui,	*Sarpruck.*
Tabernæ,	*Berch-zauern.*
Argentoratum,	*Strasburg.*

IV. Ab Argentuaria Vemaniam.



Ad dexteram Rheni ripam legitur

a l a m a n n i a

angusto admodum inter littus & characteres istos spatio: vt intelligas, Sueuos Allemannis Orientem versus oppositos. Inter Allemannos & Rhenum depicti sunt montes cum siluis, additæque litteræ,

s i l u a m a r c i a n a

Hodie Siluam hanc vocant *Schuartzwald*, vel siluam nigram; est autem Hercyniæ pars: Ptolemæus vocat Heluetiorum eremum, ἑλβητίων ἔρημον. Suspicor Germanis primis olim dictã, vt & hodie multis locis, *Hartzwald*, Est autem *hartz* resina, *wald* verò silua: in his enim siluis plurimum ex arboribus resinæ colligitur. Ex Germanica voce alij Hartziniam, alij Orciniam teste Cæsare, alij Herciniam, alij Martianam fecere.

Ab Argentorato ad Aras Flauias: qua itur Augustam Vindelicûm.

Hellelum,	*Hell.*
Argentuaria,	*Horburg.*
Cambete,	*Kamps.*
Arialbinum,	*Pantzenheim.*

Est in Sequanis hodie pagus proximè *Othamer.* Multa in eo antiquitatis monumenta eruuntur.

Augusta Rauracûm,	*Augst.*
Vindonissa,	*Windisch.*

Inde transmisso Rheno,

Tenedo,	.....
Iuliomagus,	*Pfullendorff.*
Brigobannis,	.....
Aræ Flauiæ,	*Nordling.*

Ptolemæo Βωμοὶ Φλαύιοι.

Ab

Ab Augusta Rauracûm ad Vemaniam, qua itur Augustam Vindelicorum.

Augusta Rauracorum,	*Augst,*
Ad fines,	*Pfin.*
Arbor felix,	*Arbona.*
Brigantium,	*Bregnitz.*
Ad Rhenum,	.....
Vemania,	*Wangen.*

Antonino Nemauia. Vide pag. 125.

Viaca,	.....

Puto esse Ptolemæi Vianam, Græcè ipsi dicitur Βίαυα.

Augusta Vindelicûm,	*Augspurg.*

v. A fonte Danubij vsque ad Germanicum.



In Tabula Peutingeriana ad læuam Danubij ripam legitur

a r m a l a u s i

Quorum extra hanc tabulam nusquam terrarum fit mentio. Ego ignorantiam hic ingenuè profiteri malo, quam impudenter diuinare. Bene qui conjeciet, hunc vatem perhibebo optimum.

Aræ Flauiæ,	*Nordling.*
Samulocenis,	* *

Forte ea est qua Ptolemæo dicitur Alcimoennis ἀλκιμοεννὶς. Obstat hoc vnicum, quod Ptolemæus eam in Germania magna ponat, vltra Danubium, noster iste in Rhætia, ad dexteram fluminis ripam.

Grinario, *Gnaringen.*
Clarenna, *Rain.*
Ad Lunam, * *
Aquilea, * *
Alia hæc est ab ea quæ ad mare Hadriaticum sita est.
Opie, * *
Septemiacum, * *
Losodica, * *
Medianæ, * *
Iciniacum, * *
Buricianæ, *Burchaym.*
Vetonianæ, *Winten.*
Germanicum, *Foburg, Cluuerio.*

Ab Arbore Felice per Augustam Vindelicorum vsque ad Oenum.

Arbor Felix, *Arbona.*
Brigantium *Bregnitz.*
Ad Rhenum, ...
Vemania, *Memmingen.*
Vide quæ ad Antonini itinerarium notauimus pag. 125.
Viacu, ...
Augusta Vindelicorum, *Augspurg.*

Hinc iter læuorsum per Pomonem deflectit *Ad Lunam*, via quæ ducit Gemimacum.

Rapæ, *Sconge.*
Nauoris, ...
Cambodunum, *Freysing.*
Ptolemæo est καμβόδουον: qui inter Lycum & Ænum illud locat. Quantum igitur a vero aberrant qui Kempten esse putant? cuius situs est haud procul ab Augusta Rauracorum, accenseturque Algoiæ, oppidum imprimis celebre monasterio quod ibi fieri fecit Hildegardis Caroli magni vxor. Enimuero ab Augusta sequenti Danubium labentem non occurrit ea quæ nunc dicitur Campidonia, sed Monachium vel Frisinga: harum igitur est alterutra. Ioannes Auentinus putat hodie vocari Bargen. Vide eruditam Vindeliciæ tabulam ab ipso Landshuti editam.
Escon, ...
Abodiacum, *Happing.*
Vrusa, ...
Bratananium, ...
Isuniſca, *Isen.*
Antonino Isiniſca est. Vide pag. 125.
Ad Ænum,
Haud dubie ad flumen fuit, etsi nullum tabula habeat depictum.

VI. A Ger-

VI. A Germanico ad Arelate.



Ad læuam Danubij ripam Oceanum versus leguntur hæc verba,

m a r c o m a n n i

Et infra maiore littera

V A N D V L I

Marcomannorum meminere Paterculus, Tacitus, Dio, Ptolemæus, Capitolinus, Lampridius, Vopiscus, Eutropius, Victor, *Marcomannis Quadisque*, inquit Tacitus, *vsque ad nostram memoriam reges manserunt ex gente ipsorum, nobile Marobodui & Tudri genus: iam & externos patiuntur.* Capitolinus autor est, eos quum turbarent in limite Romano bello petitos fuisse a M. Antonino, Pannoniasque ab ipso victis Marcomannis, Sarmatis, Vandalis, & Quadis seruitio liberatas. Hodie Morauos eos vocant.

VANDALI qui & Vindeli & VVinili supra Boiohæmum & Marcomannos habitarunt, sedibus suis complexi plures populos, Gothones, Herulos, Longobardos, Theuringos, Anglos. Cis Danubium locantur, *Germanicum, Cesensum, Arusena, Reginum.* Liber Notitiæ in Moesia prima ponit Reginam. *Soruiodurum*, forte Soruiodunum, sed diuersum longe ab eo quod Antoninus in Anglia nominat. *Petrenses, Castellum Bolodurum*, Ptolemæus Βολόδρον agnoscit in Vindelicia ad Danubium: Antoninus Bolodurum vocat, Liber Notitiæ Boiodurum, ponitque in Pannonia prima vel Norico Ripensi. Lazius putat postea dictum Patauiam a Batauorum cohorte: Tabula nostra situm eius indicat, qua Iuuarus fluuius quem Iuuauum vocat Antoninus in Danubium se exonerat. Vltra eum ponitur *Ouilia*, quæ est ipsissima Antonini Ouilabis in itinere quod Iuuauiam ducit. Propius ad Danubium po-

ponitur *Marinianium*, quod Antoninus Marinianas vocat, Liber Notitiæ Mariniana; Marcellinus Castra Marciana; suntque in Pannonia, Lazius hodie vocari ait Margburg. *Blabericiacum*, *elegium*, *Ad pontes ises*, *Arelate:* quorum locorum situm fatemur nos nescire: nisi quod Ptolemæus Aredaten ponat in Noricis. Iam repetito nouo itinere ducit nos tabula a *Ponte Æni*, *Bedaium*, cuius in itinerario Antonini mentio facta est: sequitur vero fluuius *Afesias*, eoque transmisso *Artobriga*, Ptolemæo ἀρτόβεργα qui eam facit Vindeliciæ vrbem. Hodie vocatur Veltenburg, quasi arx Vindelicorum. Hanc excipit *Iuuauia* de qua diximus, tum *Tarnantonis*, *Laciacæ*, *Tergolape*, & sæpius dicta *Quilabis*; tum *Vetonianæ*, *Tutastio*, *Ernolatio*; de quibus diuinandum est. Porro quæ in Tabula sequuntur non duxi operæ esse depingere. Satis fuerit nosse, in Germania Transdanubiana legi

q u a d i

Et literis interspersis

L V T V G I

Quados Ptolemæus quoque & Arrianus & Tacitus ponunt in Germania, vicinos Marcomannis. Vtrosque Augustus Danubium transgressos in suas sedes expulit. Zosimus Batauiam quoque a Quadis occupatam autor est. Lutugi nusquam gentium leguntur: Ptolemæus Lingas nominat, & Lutos qui Omani, aliosque qui Buri dicti sunt. Ac fieri potest, vt ijdem populi intelligantur. Possent videri esse Silesij, ob viciniam Marcomannorum & Quadorum. Loca memorabilia sunt; *Vindobona*, *Æquinoctium*, *Carnuntum*, *Scarabantia*, *Sabaria*, *Arrabo*, *Brigantium*, *Aquincum*, *Vetusauo*, *Siscia*, de quibus ad Antonini itinerarium diximus. Infra Vindobonam legitur,

N O R I G O

quo significatur, Norico mediterraneo & Ripensi priora loca contineri; nam posteriora pleraque pertinent ad Pannoniam superiorem, itaque disertè legitur,

p a n n o n i a s u p e r i o r

Adduntur autem prioribus, *Mursa minor*, & *Mursa maior*, aliaque non magni momenti loca. Conspicitur quoque, vicinior Istriæ, *Emona*, & fluuius *Sauo*, & *Petauio* oppidum.

Supra hæc omnia vltra Danubium in Germania magna legitur

D V R

exesis litteris antecedentibus & consequentibus, nec dubium est, quin significati sint *Hermun* D V R *i*, quos Tacitus alijque vicinos faciunt Marcomannis & Quadis. Infra hæc sparguntur in longum hæ litteræ,

M E D I A P R O V I

Vt intelligatur, PROVINCIA quæ inter Noricum & Pannoniam interiecta est, vel quæ inter hasipsas & Liburniam iacet. Supra Pannoniam superiorem inter Danubium & Oceanum in Germania transamnana legitur,

S A R M A T E V A G I

Cis Danubium verò

p a n n o n i a i n f e r i o r.

Oppida ponuntur, *Tuttoburgo*, quod est Teutoburgium, *Cornacum*, *Cuccium*, *Sirmium*, *Bassianæ*. Tum ad Oceanum

s o l i t u d i n e s s a r m a t a r u m

Cis Danubium legitur

Mesia

MESIA SVPERIOR

Et ponuntur oppida, *Taurunum*, *Confluentes*, *Singidunum*, *Tricornium*, *Mons Aureus* de quo ad Antoninum quædam notauimus; si modo hic idem est cum illo; Ego sane diuersum puto, neque aliter pronunciabit quisquis seriem & itinera Antonini cum istis contulerit. Sequitur posteà minore littera,

mesia inferior

Et supra hæc vltra Danubium,

AMAXOBII SARMATÆ

Videntur autem ab hoc inde loco etiam vltra Danubium castella fuisse & oppida Romanorum: ponuntur enim *Arcidana*, *Centum putea*, *Bersouia*, *Ahibis*, *Caput bubali*, *Tiuisco*, *Tierua*, *Ad medium*, *Pratorio*, *Ad Pannonios*, *Gaganis*, *Masclianis*, *Tiuisco*, *Agnauiæ*, *Ponte Augusti*, *Sarmategte*, quod ego esse suspicor, Sarmatæ Getæ, aliæque stationes complures.

CAP. XXIV.

GERMANIA *vetus comparata cum hodierna per Bilibaldum Pirckheimerum, additis nostris obseruationibus.*

BIlibaldus Pirckheimerus patricius Norimbergensis & consiliarius Imperatoris Caroli V. ductus honesto patriæ suæ illustrandę, & earum quas nos nunc tractamus artium studio, ingenium suum adpulit ad Germaniam veterem cum hodierna conferendam, collectis ex Ptolemæo, Tacito, Antonino, Ammiano Marcellino, alijsque nominibus proprijs antiquis, ijsque ad vsum situmque hodiernum accommodatis. Librum suum inscripsit Hermanno Neuenario Comiti ac Episcopo Colonienſi, rerum Geographicarum amantissimo & peritissimo viro. Eius laboribus multum tribuet qui sciet, illum in Germania suo sæculo fuisse omnium fere eruditissimum. Erasmus noster hoc ei dedit Elogium. *Bilibaldum*, inquit, *inter Germanos primum commemorasse oportuit, quo duce primum efflorescere cœpit apud Germanos eloquentia, quam & morum pietate, & fortunæ splendore illustrauit. Nec tam obstat summa tentanti ingenium, quam Reip. negotia, parumque prospera valetudo, quum non alius sit prosperrima dignior*; quæ vltima verba ad podagram ipsius & calculi dolores referenda sunt. Hic ergo tanto ingenio, totque ad ista studia laudabiliter prosequęda præsidijs instructus, (fuit enim & pictor post Durerum, & cælator præ omnibus excellentissimus, & Mathematicarū artium scientissimus, adeo vt Cl. Ptolemæi Geographiæ librū primum ipse Latinitate donatum insigni commentario illustrarit) perambulata omni Germania applicuit animum ad veterum nominum cum recentibus collationem, adhibitis consultisque ijs quorum iudicio se iuuari posse existimauit, idque Noribergæ, hoc est, in Germaniæ ipsius theatro, & Mathematicarum artium schola, ductus instigatusque hac potissimum æmulatione, quod judicaret nihil esse absurdius, quam Germanis orbem vniuersum alijs hominibus describere, suam vero patriam obliuionis barathro demersam relinquere. Quod si Plinių audimus, neminem existimabimus huic operi aptiorem fuisse Bilibaldo, sui enim quisque situs diligentissimus autor est; ac ferè euenit, vt eos quisq; situs accuratissimè dicat, ex quibus ipse prodijt. Etsi vero in nonnullis ipse se dubitare fateatur, adeo quidem vt nihil a se certius adfirmari dicat, quam quod nihil fere adfirmet; tamen non minuet ingenuitas

nuitas ista viri summi pretium ipsius iudicij debitum, si modo meminerimus in tanta rerum priscarum obscuritate, multum esse, vel pauca adsequi. Quæ certa sunt, notata sunt asteriſco *: quæ incerta littera *f*, quæ significat fortè. Sed nos ipsum audiamus. *Admodum difficile est*, inquit, *veteris Germaniæ statum ac conditionem explicare, non solam ob priscorum scriptorum incuriam, sed quia serò tandem tota peragrata ac cognita est. Etenim quum veteres Germani bellis potius quam litteris operam impenderint, nil mirum, si res præclarè ab eis gestæ interciderint ac minus fideliter ab exteris sint relatæ scriptoribus. Quid enim Græci præter fabulas de Germania scripserunt? Romani vero, quoniam vbique fere propriæ studuerunt gloriæ, non tam gesta sua maximis extulerunt laudibus, quam incommoda a Germanis accepta callidè texerunt. Quis enim eorum clades a Carbone, vel L. Cassio, vel Aurelio Scauro, vel Seruilio Cæpione, vel M. Manlio acceptas exactè recenset? Breuissime tantum hæc refert Tacitus. C. vero Cæsar Cassium consulem occisum, exercitumque eius pulsum esse, nequaquam dissimulat. Quin & nulla præterquam Paterculi nuper inuenta extat historia, quæ Quintilij Vari cum legionibus internecionē explicat. Vnde non absre suspicari licet, tam Plinij libros* DE BELLIS GERMANICIS *quam Cornelij atque aliorum scripta ab inuidia esse suppressa, ne Germanorum gloria plus æquo excelleret. Accedit, quod Romani & Græci scriptores vt plurimum ob ignorantiam locorum aberrarunt; neque ij solum qui nunquam ad Germaniam accesserunt, sed & qui res in illa gesserunt: cuius rei vel præcipuum documentum esse potest. quod Cæsar flumen Scaldis in Mosam influere scribit, ac Strabo Lupiam & Visurgim ad Amisium in vnum deferri refert. Accedit, quod & nomina gentium, locorum, ac ciuitatum, vbique fere ob pronunciationis difficultatem deprauata sunt, & inuersa. Demum vero vniuersalis Germanorum transmigratio omnia confudit, ac ita perturbauit, vt in quibusdam potius coniecturam sequi necesse sit, quam quod aliquid certi asseri possit. Nihominus tamen operam dabimus, vt breuissimè, etsi non omnia, at quædam saltem loca tanquam e cæcis eruamus tenebris, nil in hac re doctioribus præiudicantes, sed libenter, vbi melius quam nos senserint, herbam porrigentes. Proinde, licet scriptores plerumque Germaniam a Gallia per Rhenum fluuium diuidi adserant: constat tamen Romanos eam quoque prouinciam quæ vltra Rhenum est, primam & secundam appellasse Germaniam: quod profectò minime fecissent, si Germaniæ quicquid vltra Rhenum est, auferre voluissent, qui quidem etiam ante Romanorum aduentum in Galliam transierant, illamque incolebant: vnde & lingua & legibus a Gallis vt Cæsar refert, differebant. Ab ea igitur Germaniæ parte initium faciemus, quæ vltra Danubium sita, & a Romanis olim subacta est; indeque ad Rhenum ac inferiorem accedemus Germaniam, demumque ad Germaniam transgrediemur magnam. Verum sub initium hoc scire refert, Romanos Rhætiam, Vindeliciam, & Noricum ab Augusti tempore vsque ad Odoacris irruptionem, hoc est, per annos circiter quingentos posseditse: qui quum Italiam occupasset, omnes ferme Romani nominis incolas in Italiam reduxit, ne irruentibus Germanis caderent in prædam.*

RHÆTIA.

Rhætiæ nomine continebatur olim quicquid terrarum inter Rhenti fontes, nec non montem Adullam & Ænum fluuium iuxta Alpes continetur: præterea inter Danubium & Italiam, Veronam vsque & Comum: ita vt & Alpes quæ nunc Curienses & Atheſinæ vocantur, Tridentinæ item & Tyrolenses, & Æni vallis incolæ omnes sub Rhætorum nomine comprehenderentur, excepta Vindelicia, quæ proprium sortita est nomen. Hanc Rhætiam licet iam multi & varij inhabitent populi, maximè verò Alpestres ac Sueui, illaque pluribus & varijs ornata

nata sit ciuitatibus, paucissima tamen existimamus habere Romanæ antiquitatis vestigia.

Rhætia Romanis alia prima fuit, alia secunda: planè vt ad Rhenum Germania alia prima alia secunda. Rhætia prima Alpes continet quæ nunc Grisonũ dicuntur, siue Rhætica iuga. Eius incolæ vocantur Rhæti Alpestres. Extendit quoque se vltrà Rhenum & Acronium lacum, occidentem versus. Hanc Claudianus ita descripsit,

Sed latus Hesperiæ quo Rhætia iungitur oræ
Præruptis ferit astra iugis, panditque tremendam
Vix æstate viam. Multi ceu Gorgone visa
Obriguere gelu. Multos hausere profundæ
Vasta mole niues, cumque ipsis sæpè iuuencis
Naufraga candenti merguntur plaustra barathro.

Eam à secunda dispescit Lycus amnis: à quo ad Ænum vsque sese porrigit Rhætia secunda; Est enim Ænus Rhætiæ Noricique terminus. In vtraque pars ea quæ Italicæ vicinior est, Alpestris dicitur: quæ remotior planiorque ac Danubio vicinior, Ripensis: quicquid interiectum est, vocatur Rhætia mediterranea. Vindelicia ad Rhætiam secundam pertinet. Quocircà quum Rhætis Vindelici opponuntur, caue alios capias Rhætos quam qui ad occasum Lyci amnis degunt. Habet ergo Rhætia Danubij & Rheni fontes. In hoc tractu nata est Sulpitilla Bissula, delicatissimis (ita vocat Scaliger) Ausonij versibus decantata, ex quibus intelligas, iam tum Rhætiam Germaniæ adiudicatam fuisse.

Bissula trans gelidum stirpe & lare prosata Rhenum,
Conscia nascentis Bissula Danubij,
Capta manu, sed missa manu, dominatur in eius
Delicijs, cuius bellica præda fuit.
Matre carens, nutricis egens, nesciuit herai
Imperium, * * * *
Fortunæ ac patriæ quæ nulla incommoda sensit,
Illico inexperto libera seruitio.
Sic Latijs mutata bonis, Germana maneret
Vt facies, oculos cærula, flaua comas.
Ambiguam modo lingua facit modo forma puellam,
Hæc Rheno genitam prædicat, hæc Latio.

Sed nos hoc agamus. Sic ergo Bilibaldus.

In Rhætia iuxta Rhenum & non longe ab illius fontibus sunt,

Curia,	*Chur* *
Bregetium,	*Bregnitz* *
Sublauio,	*Brixen* f.
Abusiacum,	*Fuessen* *
Matreio,	*Matran* *
Campodunum,	*Kempten* *.

Iuxta Danubium verò

Targetium,	*Stulingen* f.
Bracodurum,	*Pfulendorff* f.
Dracuina,	*Ehingen* f.
Viana,	*Weyssenhorn* f.
Pheniana,	*Laubing* f.

In Mediterraneis

Drusomagus,	*Memmingen.*
Rostro Nemauiæ,	*Mundelheym.*
Tarodunum,	*Riedling.*
Aræ Flauiæ,	*Nordling* vel potius *Heidenheym.*
Rinsiana,	*Giengen.*
Alcimoens,	*Werd*, vel *Eystauia*, vel *Albus-burgus.*

Et hæc omnia coniecturaliter.

Cuiuis augere hæc procliue fuerit ex ijs quæ ex Ptolemæo, Antonino, Notitia Imperij, & Tabula Peutingeriana

na a nobis allata sunt; nobis in tam recisa operis breuitate non licet omnia diducere.

VINDELICIA.

VINDELICIA *adhæret Rhætiæ, vel potius ei inclusa est. Terminatur autem ab ortu flumine Æno, a meridie Alpibus, ab occasu Lyco flumine, a Septentrione Danubio. Eam nunc potissimum incolunt Bauari tum inferiores tum superiores. Iuxta Lycum verò Sueuorum pars. Strabo hic ponit* LOCATIOS *seu* CLAVTENATIOS *&* VENONAS, *quos ait Vindelicorum esse fortissimos.*

Quomodo Vindelici Rhætorum pars sint, quomodo ab ijsdem seiungantur iam diximus. Illud non videtur omittendũ, hanc veterum Allemannorum primam sedẽ fuisse; qui se posteà vsq; ad Mœnum amnem diffudere. Victoriam Drusi de Vindelicicis celebrauit Horatius.

Ciuitates autem antiquæ in Vindelicia sunt,

Augusta Vindelicorum, *Augspurg*, *

Damasia, *Diessen* * *iuxta lacum Ambre* *

Meminit eius Strabo.

Ambra, *Amper, apud lacum & fluuium eiusdem nominis* *.

Antoninus hanc nominat: Simlero est Brug: alijs Frisinga.

Parthanum, *Parthenkirch* *

Etiam huius meminit Antoninus: est autem ad Lysam fl. In notitia vocatur Parrodunum.

Inutrium, *Mittenwald* *

Ptolemæo ἰνάτριον.

Cambodunum, *Kemmat* *

Ptolemæo καμβόδυνον. Appianus putat esse Monachium.

Pontes Scaphoni, *Scheffelern, nunc monasterium super fluuio Isara* *

Carrodunum, *Kreynburg, iuxta Wasserburgum* *

Quatuor habet Ptolemæus in Germania oppida huius nominis. Primum putat Appianus esse Krakow Poloniæ. Secundum est istud Pyrchaimeri ad Ænum in Vindelicis. Tertium Pannoniæ superioris quod Ortelius in Stiria existimat esse Kharnburg. Quartum super Tyram fluuium in Sarmatia Europæa.

Vallatum, *Feilenbach* *

Antoninus hoc commemorat.

Fruxinum, *Freysing* *

Ex quo veterum hanc vocem petiuerit noster Bilibaldus, nescio: altissima ni fallor eius memoria exstat apud Ottonem eius vrbis Episcopum, patruum Friderici Barbarossæ, & apud Ottonis capellanum Radeuinum.

Isiniſca, *Isen, iuxta Frisnigam* *

Antonino est Isinisicus.

Mocenia, *Montzing* *

Pagus est ad dexteram Danubij ripam: Exstat autem eius memoria non in libris, sed in lapide antiquo, teste Auentino.

Pisonium, *Wischelburg, inter Straubingam & Deckendorff* *

Vnde hoc nomen petijt Bilibaldus? Videtur mihi eos sequutus, qui Flexum, cuius apud Ptolemæum, Antoninum, & in Notitiæ libro, tabulaque itineraria mentio fit, crediderunt vocatum aliter Pisonium. Lazius autor est, in archiuis oppidi Presburg haberi, locum illum a Pisone cuius opera Tiberius Pannones deuicit, Pisoniũ vocatum fuisse. Sed vnde archiuis illis fides?

Medellum, *Melding apud Muldorff* *

Lege Medullum. Ptolemæus vocat μέλλον: non est mihi dubium quin de his locis intelligendus sit Victruuius libro VIII, cap. 3. sic scribens. In Alpibus natione Me-

ne Medullorum est genus aquæ, quam qui bibunt, efficiuntur turgidis gutturibus. Strabo eos locat supra Isaræ in Rhodanum influxum: manifesto errore, nisi pro Rhodano legas Danubium.

Atilia, *Altenburg, non longe a Neuburgo iuxta Danubium* *

Non legitur apud eos qui exstant scriptores veteres: Auentinus nomen istud eruit ex veteri inscriptione: adeundus ipse in Annalibus & Bauaria.

Cæsarea, *Keschling, non longe ab Ingolstadio.*

Mentionem eius facit Antoninus in suo itinerario.

Sumontorium, *Hohenwardt, monasterium* *

Notum ex Antonino, & Tabula itineraria. Liber notitiæ adcenset Rhætiæ. Velserus legit Sumuntorium.

Abudiacum Danubianum, *Abach* *

Tabula Peutingeriana locat Auodiacum inter Esconem & Vrusam; quæ & aliud nominat Auodiacum inter Ad nouas & Coueliacas. Sed prius est Danubianum: postetius Happing, ad Æni & Vtij confluenteis: vbi etiam hodie spectari rudera antiquæ vrbis testatur Auentinus, Antonino vocatur Abuzacum. Ptolemæo ἀβουδιακον.

Aurisium, *Rhed* *

Ad Ænum flumen in Bauaria superiore: Non legitur hoc nomen apud scriptores veteres: Suspicor igitur ex lapidibus erutum: nam & ruinas ibi ingentes exstare hodie testis Auentinus est.

Abusina, *Abensperg* *

Ad Danubium iacet, inter ruinas veterum structurarum: meminit eius Liber Notitiæ; Etiam Antoninus: appellatio tracta a fluuiolo cognomine. Tabula nostra itineraria habet corrupte Arusena.

Epona, *Ebenburg, supra nouam ciuitatem* *

Auentinus vltra Danubium locat. Et fieri potest vt ibi conspiciantur castri alicuius rudera; sed lapis quem citat non vrbis sed Deæ nomen significat. Deceptus ergo ab Auentino Bilibaldus ex Dea vrbem fecit.

Artobriga *iam Veltenburg monasterium supra Ratisponam; certissimum, ex magnis adificiorum ruinis.*

Ruinas ibi ingentes exstare non negauerim: sed quum illic omnia plena fuerint castrorū, vnde cōstat ibi fuisse ac non alibi Artobrigam? Auentinus nō procul inde duplicem facit Artobrigam, maiorem & minorem; duobus a se inuicem passuum millibus: illam ait Cenum quoque appellatam, hanc Valentiam, nomenque in Principum ac Pontificum instrumentis retinere, ac dici vulgo Artzburg: Conferenti Itinerarium Antonini cum Tabula Peutingeriana, apparebit, Artobrigam inter Salzburgum & Oetingam, quæ Pons Æni est, sitam fuisse, vbi nunc Lauffen Oppidum, vel Lampolting, vel Kirchstain.

Abudiacum, *Happing, iuxta Roßenheym* *

De hoc diximus paullo ante ad Abudiacum Danubianum.

Tigurina metropolis Norici, vel Augusta Tiberij, seu Reginopolis, *Regensperg* *

Tigurinum nomen peritum est ex vita S. Seuerini, qui Noricorum creditur fuisse Apostolus circa annum Domini CCCCLXXX. Sed puto legendum ibi Tiburnium: quo modo expresse habet Leo III. Iuxta muros, inquit, Tiburniæ ciuitatis quæ a Tiberio Cæsare Augusto ædificata est, quæ modo vulgo appellata est Reginaspurch. Notitiæ liber videtur appellare Castra Regina, Antoninus Regium, Tabula Peutingeriana Reginum, a fluuio cognomine, qui ex aduerso eius in Danubium labitur: Hodie vocant Ratisponam.

Regium, *Rocking, non longe a Ratispona* *

Imo Regium ipsissima est Ratispona.

Vetera castra, *Pfeteren.*

Sequutus est Auentinum Pircheymerus; vnde autem ille hanc vocem traxerit, nescio. Si ex marmore aliquo, aut saxo, benè habet. Locus ei ad Danubium XV lapide Orientem versus a Ratispona inter ruinas. Vetera castra ad Rhenum nemo ignorat.

Augusta Acilia, *Sraubing, nempe ciuitas antiqua, quæ & hodie Azelburg vocatur.* *

Vnde hoc petiuerit Bilibaldus nisi ab Auentino non video. Sed Auentinus vnde? Audax facinus, tot fingere Augustas in vna Vindelicia, & veram illam germanamque oppugnare. Augustam Vindelicorum ipse ad Isaram locat: & postea dat nobis, Augustam Aciliam, Augustamque Tiberij.

Quintianis vel Quintanorum Colonia, *Kuntzing iuxta Felshouen, certissimum.*

Notitiæ liber habet Quintanas, Itinerarium Quintianas. Coloniæ nomen præfert numus Neruæ. Est ad fluuium Vilsz, quem Eugippus in vita S. Seuerini vocat Quintanicum.

Bocodurum vel Bocodurum vel Bolodurum, vel Batabis, Ptolemæo Poedicum, *Passaw, certissimum, propter confluentiam Æni in Danubium.*

NORICVM.

NORICVM *incipit ab Æno fluuio, protenditur ad ortum Pannoniam vsque superiorem; a meridie autem terminatur monte Caruanca & Alpibus Noricis ad Italiam vsque; a Septentrionibus autem Danubio: nunc verò habitant occasum versus Bauari, ad ortum verò est prouincia quæ Ens ex fluuij Anassi nomine vocatur, & Austriæ pars: ad meridiem autem Styria: In Alpibus verò habitant Carnici, partimque Croaci, gens Sclauonica; Comprehenditur quoq; Norici nomine Comitatus Goricensis & Ziltensis, regionesque adiacentes. Ciuitates verò in Norico fuerunt.*

Pontes Æni, *Oeting* *

Doctissimus Philippus Cluerius, quo nemo accuratius Germaniam illustrauit, rectè notat, Pontem Æni fuisse, vbi nunc est Alten-hohenaw: alijs est VVasserburg. Vide itinerarium Anton. pag. 155.

Bidaio, *Laufen.* f

Ptolemæo est βάδαχον. Simlerus adserit esse Dietmaning.

Iuuauium, *Zalzburg* *

Teurnia vel Berunum, *Pernau, certum, apud lacum Kemsee.*

Teurniam nominat Plinius. Ptolemæo est τεύρνια. Berunum agnoscit Stephanus.

Aredata, *Lintz* f

Antonino & Notitiæ est Arlape, vnde classis Arlapensis. Apud Ptolemæum pro Ἀρελάτη scribendũ Ἀρελάπη, vt & in itinerario Peutingeriano: nunc est Pechlarn in Austria, ad fluuium Erlaph. Lazius, Ardacher monasterium esse ait, quod & Aram Lapideam vocari dicit.

Gamanodurum, *Braunaw,* f

Ptolemæus vocat γαμανόδυρον.

Ouilabis, *Lambach, monasterium nunc est super fluuium Ens.* *

Vide quæ notauimus ad Antonini Itiner. pag. 125.

Lauriacum, *Lorch. monasterium iuxta ciuitatem Ens.* *

Vide pag. 125, & 139.

Gessodunum, *Ips.* f

Ptolemæo est γησόδυνον in Norico. Lazius putat esse Gastentall.

Claudionum, *Melck* *

Ptolemæo κλαυδιώιον in Norico. Plinius Claudiam vocat; Lazius putat esse Clagenfurt, oppidũ Carinthiæ.

Cetio,

Cetio, *Zeyſſelmaur.* f

Vide pag. 124. in Itinerario Antonini.

Auguntum, *Neuenſtat, vel prope, quia nomen repugnat.* f

Vacorium, *vel ut aliqui putant, Scarabantia, Gretz,* f.

Ptolemæo ϐακόριον eſt in Norico: Sabellicus & Iouius contendunt eſſe opidum inter Alpium rupes ad Drauum amnem, ac dici Italis Villaco, Germanis Villach. Lazius mauult eſſe Altentorfen: qui tamen in tabula ſua adſerit eſſe Straesburg ad amnem Gurcam. Tabulæ Itinerariæ Vocarium dicitur, locaturque inter Alpem & Cucullos. Hac itinerum & interuallorum ratione ductus Philippus Cluuerius ait eſſe vicum VVagram. At Scarabantia cur eadem credatur cum Vacorio nihil cauſſæ eſt.

Pedicum, *Pruck ſuper flumen Mura,* f.

Ptolemæo eſt ποίδικον. Lazius ponit in campis Perckfeldt, circa Villacum, ad Drauum amnem. Auentinus adſerit eſſe Salisburgum ſiue Iuuaniam, idque ex veteribus deplomatibus conſtare; exſtare imo pagum in vicinia, qui nomen hodieque ſeruet. Ego arbitror ab ipſo deſignari Preding.

Virunum, *Iudenburg,* f.

Meminere eius Plinius & Antoninus. Ptolemæus populis Germaniæ accenſet Virunos ϐιρούνους, ad Sueuum flumen. Meminit quoque Berunj Suidas in Βηρούνιον. Von video, quomodo Berunum ante dixerit Bilidaldus eſſe Pernauw, ad lacum Kemſee, & hic dicat eſſe Iudenberg. Tabula Itineraria Peutingeri Varunum ponit intet Iuennam & Matucaium.

Zelia, *Cili, certum.*

Zelliæ regionis meminit Paulus Diaconus lib. IV. hiſtor. Longob. Cela Ptolemæo ϛηλιον Norici oppidum eſt, Plinio quoque notum: vocatur quoque municipium Selianum. Onuphrius ex marmorea inſcriptone citat CL. CEL. Claudiam Celiam,

Iulium Carnicum, *Villach, certum.*

Simlerus Zuglio vocari putat, Ptolemæo eſt καρνικον.

PANNONIA.

PANNONIA *terminatur ab occaſu Norico, ab ortu verò Pannonia inferiori, a meridie parte Iſtriæ ac Illyridis, a Septentrionibus autem Danubio. Nunc verò illam inhabitant Auſtriæ populi, ac Styri, nec non Sclauorum gentes Croati & Carni. Pannonia inferior habitatur iam ab Hungaris, Sclauis, Siculis, Iazygibus, Hunis, Septemcaſtrenſibus, & pleriſque alijs nationibus: Hungari tamen prædominantur.*

Pannoniam etiam Ptolemæus diuidit in ſuperiorem & inferiorem. Prima ſiue ſuperior erat Conſularis: Secunda ſiue inferior Proconſularis. Primam occupant hodie Auſtria, Stiria, Carinthia, Carniola. Secundam Hungaria. Sunt & aliæ diſtinctiones. Pannonia Sauia ſiue Ripenſis, in qua Notitia imperij locat Riparienſem & Valeriam, hodie vocatur *Windiſchland*, eſtque interamnana, Drauo & Sauo fluminibus intercluſa, habens in ſe Pannoniam Bubaliam, & Sirmienſem, quæ etiam Amantina dicitur.

In ſuperiore Pannonia ſunt ciuitates.

Iuliobona, vel Vindobona ſeu Vindomana, aut Fauianis, *Vienna, Wien,*

Iuliobonam præter Ptolemæum nemo vocat: ſed & in codicibus eius vitium eſt; verum enim eſt ϐινδόϐωνα Vide quæ ad Antonini Itinerarium annotauimus, pag. 123.

Sabaria colonia Diui Claudij, *Stain am Anger* *

De hac diximus pag. 124. Gaſpar Bruſchius narrat, anno CIↃ IↃ VIII. ſepulchrum Ouidij illic inuentum, teſtudine magnificum, & epitaphio ornatum. Etſi vero totum iſtud fabuloſum ſit, tamen vel ad impoſturæ memoriam deſcribam epitaphij illius verſus, prout eos Tobias Fontius in volumine monumentorum edidit,

FATVM NECESSITATIS LEX.
HIC SITVS EST VATES QVEM DIVI CÆSARIS IRA
AVGVSTI PATRIA CEDERE IVSSIT HVMO.
SÆPE MISER VOLVIT PATRIIS OCCVMBERE TERRIS,
SED FRVSTRA, HVNC ILLI FATA DEDERE LOCVM.

Carnus, *Preſburg* f

Vide quæ diximus pag. 128 ad itinerarium Antonini. Situm fuit inter Sauum & Drauum amnes.

Muriola, *Mureck* f

Imo Muroela μυρόελα, nota Ptolemæo, qui eam ponit in Pannonia ſuperiore.

Bregetium, *Rab, certum, propter confluentiam Rabonis vel Arabonis in Danubium.*

Ego vero non video cur ob eam cauſſam Bregetium ſit, ac cur non potius Arrabona ſit Rab, nomine oppido cũ flumine communi, vt fit in multis? Certe notitiæ liber caſtra militum locat Arrabonæ. Quod quum ita ſit, conſequens eſt, vt Bregetium ſit Gran, quod vulgo vocant Strigonium, ad confluentiam Grannæ & Danubij. Itineraria tabula diſtinguit inter Brigantium & Arrabonem. Antoninus Bregetione locat LEG. I ADIVTRICEM, inde ducit viatorem ad Muros & Statuas, ita vt in medio ſit Arrabona, quæ omnia Strigonio conueniunt, Rabæ ſiue Arrabonæ competere non poſſunt. Sed Rab hodie vocant Iaurinum.

Carnunto, *Petternell* f

Ergone Bilibaldo non ſunt idem Carnus & Carnuntum?

Petouium ſiue Patauium, *Petau, certiſſimè.*

De hoc iam ante non ſemel. Situm eſt ad læuam Drauiripam.

Nouidurum, *Laibach* f

Et ſub Norico Pannoniæ Emona, *Clemona* *

Meminere eius Plinius, Ptolemæus, Capitolinus, Herodianus, Antoninus.

In Pannonia inferiore ſunt

Vimundria, *Agran* f

Salinum, *Ofen* f

Nihil minus. Salinum eſt Ζαλίνον Ptolemæi, eſtque idem cum eo quod Antoninus vocat Vetuſſalinas, liber Notitiæ Vetuſſalinam: nunc dicitur accolis Adom. At Ofen eſt Buda, quam veteres Aquincum vocauere.

Teutoburgium, *Senna Eredet: certum, propter confluentiam Dari in Danubium.*

Germanice dicitur Tantz. Lazius exiſtimat, Teutoburgium Ptolemæi, Amantiam Antonini, & Quinque Eccleſias eidem loco congruere. Simlero eſt Erdemoud. Vide itiner. Anton. pag. 126.

Milatis, *Vilack* *

Sirmium, *Simach.*

Onuphrio colonia eſt. De ea diximus ad Itinerarium pag. 124.

Taurunum, *Alba Græca, certum, propter confluentiam Danubij & Saui.*

Σαύρρον Ptolemæo. Germani vocant Griechſſweiſſenburg, Hungari Nandor alba, Itali Belgrado. Turcæ Beligrado, teſte Leunclauio.

Hermonactus, *Kilia* f

Mihi potius videtur Hermonaſſa Plinij & Pomponij eſſe

esse in Moesia inferiore, haud procul ab Istri ostijs.

Zeugma, *Clausenburg* f

Daciæ vrbs est. Lazius putat esse opidum quod Germani Mulenbach vocant, Hungari Zazsebes, ad Marisium flmen.

Zarmisgethusa, *domus Venationis Zarmidis regis, nunc Corona, apud Septem castra.*

Bis eius meminit Ptolemæus, semel lib. III, vbi vocat Ζαρμισογέθουσαν: semel VIII, vbi Ζαρμιγέθουσαν. quo pacto etiam nominatur ab Vlpiano Tit. XV. de censibus. Inscriptiones aliquot habent COLONIA VLPIA TRAIANA AVG. DACIA ZARMIS.

Reliqua propter variarum gentium incursiones coniectore indigent.

Augeri hæc possunt ex ijs quæ ad Ptolemæum, Itinerarij Antonini, Notitiam Imperij, Tabulam Peutingerianam attulimus. Non omittam hoc loco Seuerinum, ad quod Traianus ponte Danubium strauit, de quo Dion, & numi veteres, in quibus legitur, PONS TRAIANI DANVVIVS. Exstant hodieque illius pontis reliquiæ, cum inscriptione,

PROVIDENTIA AVG.

VERE PONTIFICIS.

VIRTVS ROMANA QVID NON DOMET?

SVB IVGVM ECCE RAPITVR ET DANVBIVS.

Paullo supra Seuerinum est Viminatium, Ptolemæo Βιμινάτιον, legionis sedes in Mysia superiore, nota Antonino & libro Notitiæ. Procopius vocat Βιμινάκιον Meminit quoque eius Spartianus in Seuero.

Nunc vero transcenso Rheno ad Heluetios perueniamus, licet Heluetiorum deserta in Cisrhenana ponantur regione.

HELVETII.

HELVETIORVM *nomine continebatur, quicquid nunc Suitenses & confœderati possident, Rauracos vsq;, & Basileam.*

Omnis ciuitas Heluetiorum, inquit C. Cæsar in quatuor pagos diuisa est; Sunt autem, TIGVRINI, quorum vrbs hodie *Zurich*, TVGENI die Zuger, est enim caput gentis Zug; VVBIGENI, ab oppido & flumine Orba, quæ Antonino est Vrba. AMBRONES, qui cætera tenuere.

In Heluetijs sunt

Lacus Brigantinus, *in quem Rhenus influit, nunc lacus Constantiæ est. Hunc Ceretos & Vindelicos Strabo attingere refert.*

Vocatur & Acronius, & Podamicus: sed Brigantinus ab oppido Brigantio: Eũ accuratè describit Ammianus lib. XV. his verbis. Inter mõtium celsorũ anfractus impulsu immani Rhenus discurrens extenditur penes Lepontios, & in deciduas cataractas inclinatione peruia funditur vt Nilus. Iamque adiutus niuibus liquatis ac solutis altaque diuortitia riparum adradens, lacum inuadit rotundum & vastum, quem Brigantiam incola Rhætus appellat, perque quadraginta & sexaginta stadia longum parique penè spatio latè diffusum, horrore siluarum squalentium inaccessum, nisi qua vetus illa Romana virtus & sobria iter composuit latum, Barbaris, & natura locorũ, & cœli clementia refragante. Hanc ergo paludem spumosis strependo verticibus amnis irrumpens, & vndarum quietem permeans pigram, mediam velut funali intersecat libramento, tanquam elementum perenni discordia separatum, nec aucto, nec imminuto agmine quod intulit vocabulo & viribus absoluitur integris, nec contagia deinde vlla perpetiens, Oceani gurgitibus intimatur. Quodque est impendio mirum

mirum, nec ſtagnum aquarum rapido tranſcurſu mouetur, nec limoſa ſubluuie tardatur properans flumen, & confuſum miſceri non poteſt corpus. Quod ni ita agi ipſe doceret aſpectus, nulla vi credebatur poſſe diſcerni. Sic Alphæus oriens in Arcadia, cupidine fontis Arethuſæ captus, ſcindens mare, vt fabulæ ferunt, ad vſque amatæ confinia progreditur.

Arbor felix, *Arben*, *

Gannodurum, *Coſtentz, forte.*

Videtur genuinum eſſe, Ganſtadt: ex quo poſtea factum Conſtantia.

Vitodurum, *Winterduer*, *

Meminere eius Antoninus, & Tabula itineraria.

Turegum vel pagus Tigurinus *Zurich*, *

Nomen videtur traxiſſe ab amne Tauro, vel Turo. Ditio iſta poſtea pertinuit ad Allemannos; itaque in litteris Baſilicæ martyrũ Turegenſium ſcribit Ludouicus rex, Curtim noſtram Turegum in Ducatu Allemannico in pago Turgauenſi. Otto Frigingenſis Sueuiæ accenſet: nimirum quia Allemanni Sueuorum pars, aitque ſitum oppidum in faucibus montium verſus Italiam, ſuper lacum; vnde Leuianus fluuius effluit. In monumentis Heluetiæ legitur, GENIO PAG. TIGVR.

Auanticum, *Bibelſpurg*, *

Gallis dicitur Auenches, vide Itinerarium pag. 133.

Solodurum, *Soleturn*, *

Vindoniſſa, *Windiſch. Apud monaſterium Kuningſ-felden, in quo eſt ſepultura Comitum de Habſpurg.* *

Vide quæ ad Itinerarium diximus. Pag. 125.

SEQVANI ET HEDVI.

Verſus Sequanos & Heduos vbi nunc eſt Burgundia & Lotharingia, ſunt,

Veſontium, *Biſantz*,

Ptolemæo οὐισόνσιον: Iulianus Apoſtata in epiſtolio vocat *Βικενλίωνα.*

Naſium, *Nanſe, Gallis Nancy*, *

Meminit eius quoque Ptolemæus.

RAVRACI.

Poſt Heluetios habitabant RAVRICI, *quorum caput* Auguſta Rauracorum, *Augſt, pagus nunc ſupra Baſileam miliare vnum* *

De hac vide quæ ad Itinerarium notauimus: pag. 133.

Baſilea, *Baſel, creuit ex ruinis Auguſtæ*, *

Non eſt igitur priſci æui: De hac dicemus in vrbium accuratiore deſcriptione.

MEDIOMATRICES.

Strabo deinde Mediomatricos ponit.

Notos Cæſari, Plinio, Ptolemæo: pertinent autem ad Galliam Belgicam: Neceſſe eſt olim potentiores fuerint, quum eorum fines præterfluere Rhenum ſcripſerit Cæſar: Horum ſedes, inquit Strabo, relicto natali ſolo Rhenoque traiecto inuaſere Tribocci: Poſteriore æuo pertinuere ad VVeſtraſiam. Fuit autem Mediomatricũm metropolis Metæ, *Metz*, quo Cynegium tranſlatum eſſe teſtatur Notitia Imperij: vide pag. 54.

TRIBOCHI.

Poſt Mediomatrices TRIBOCHI *tenuerunt terram quæ nunc Alſatia dicitur, ad Sequanos vſque, & Hunnorum tergum. Siquidem dum Hunni rerum potirentur, quicquid ad ortum poſſidebant, Oſterreich nominabant; quicquid autem ad Occidentem, Weſtenreith. His Strabo Triuſgros adiacere refert, apud quos tum temporis Romani Imperatores pontem ſuper Rhenum ædificabant.*

Cæſar

Cæsar Triboces vocat, Ptolemæus τριβόκκους, Ammianus Tribuncos. Est hodieque in Alsatia pagus veterem nomenclaturam seruans *Zum dreyen Buchen*. De Triusgris non habeo dicere: nisi quod opiner apud Strabonem locum vitiose scriptum, & pro τριθάγροι vel τριθόγροι reponendum Treuiri, τριθάροι vel τριθύροι.

In Tribochis sunt

Mons Brisiacus vel Breucomagus, *Breysach:* *

Est hodie in ripa Germanica: in Gallica tamen fuisse olim egregiè demonstrat Rhenanus, his verbis. Antoninus, inquit, in Itinerario suo nullas Transrhenanas vrbes commemorat, sed tantum prouincialeis, puta Rauricas, & Germanicas Germaniæ primæ & secundæ, Rhæticas, & Pannonicas, & aliarum Prouinciarum Romanis subiectarum. Vnde & titulus libello factus, Itinerarium prouinciarum omnium. Quare vel hoc argumento liquet, alueum Rheni hic mutatum, qui ab altera parte quondam prætercurrerit oppidum, quum adhuc in Gallica ripa staret. Cuius rei indicium est adhuc eius loci humilitas per quem olim Rhenus fluxit. Hinc inundante fluuio non secus ac stagnum quoddam siue lacus aquis repleri solet. Præterea aliquatenus Basileensi Episcopo obnoxius est etiamnum Mons Brisiacus, propter nescio quam annuam pensitatiunculam. Nam quando olim Galliæ accensebatur, hoc est, Rauricorum siue Sequanorum inferiorum tractui, cui dubium esse possit, ad Basileensem olim diœcesim oppidum pertinuisse? Luitprandus Ticinensis qui sub Henrico Germaniarum rege vixit, & huius filio Othone primo, autor est, suo æuo insulam fuisse Rheno cinctam, sic enim scribit libro quarto, Est in Alsatiæ partibus castellum Brisecgauue patrio vocabulo nuncupatum, quod & Rhenus, in modum insulæ cingens, & naturalis ipsa loci asperitas munit. Vicini huic monti fuere BRISIGAVI, qui in seniores & iuniodistincti sub Romanis militarunt: Adi Notitiam Imperij. Sed in eo fallitur Bilibaldus, quod putet Breucomagum esse idem cum monte Brisiaco: quum duobus infra Argentoratum milliaribus situs sit, Antonino Brecomagus dicitur, Ptolemæo βρευκόμαγος: Germanis accolis *Bruomat*.

Argentoratum, *Strasburg*, *

Tabernæ, *Zabern*.

Non desunt qui Argentoariam Colmar, Elcebum vero Schlestat esse putent: sed falluntur: Nam super Rheni ripam Argentoaria & Elcebus erant.

De his diximus ad itinerarium Antonini, pag. 134. Hoc certum est, ex ruinis Elcebi conditum esse Selestadium, quod ita quidam dictum putant quasi Elces Tadt, hoc est, Elcebi tractum, vt refert Rhenanus eius oppidi ciuis, rerum Germanicarum peritissimus.

VANGIONES.

Sequuntur nunc VANGIONES, *Spirenses, quamuis vsus obtinuit, vt Vangiones Wormatienses, Nemetes vero Spirenses dicantur, sed præposterè.*

Imposuit Bilibaldo Ptolemæus, qui in sua Germania, Rheni labentis cursum sequens Vangiones Nemetibus præposuit. Sed non semel peccauit Ptolemæus in locorum positionibus. Vangionum esse VVormaciam contra Ptolemæum probat consensus mortalium

Φήμη δ' ὅ τί γε πάμπαν ἀπόλλυται, ὧν τινα λαοὶ
Πολλοὶ φημίζωσι, θεὸς δέ τίς ἐστι καὶ αὐτή.

Sigebertus quoque Gemblacensis non contemnendus scriptor, (vixit autem ante hos annos quingentos)

VVormatiam Vangionum vrbem vocat. Est & hodie VVormatiæ inscriptio antiqua, in qua diserte legitur, VANGIONVM SPECVLA. Seriem quoque locorum ad Rhenum sic exsequitur Ammianus libro XVI. Audiens, inquit, Argentoratum, Brocomagum, Tabernas, Salisonem, Nemetas, Vangiones & Moguntiacum ciuitates Barbaros possidentes territoria eorum habitare, primam omnium Brocomagum occupauit. Et in Notitia Imperij sub Duce Moguntiacensi ponuntur ordine, Tabernæ, Vicus Iulius, Nemetes, Alta ripa, Vangiones, Moguntiacum. Ipsum iter Ptolemæum erroris conuincit.

Borbetomagus, *Speyer.* f

Imo *Wormbs.* In libro prouinciarum & ciuitatum Galliæ exsertè, CIV. VANGIONVM, hoc est, VVormacia: ipsa quoque vox Germanica adludit ad priorem partem nominis Borbetomagi.

Ptolemæus Argentoratum Vangionibus attribuit.

NEMETI.

Hærebant his NEMETI, *quorum fines ad Treuiros vsque extendebantur.*

Νέμεται Ptolemæo, Latinis non Nemeti sed Nemetes vel Nemetæ, sunt supra Vangionas: horum vrbs Augusta Nemetûm apud Æthicum. Sed Bilibaldum decepit Ptolemæi versio.

Ciuitates Nemetum fuere

Rufiniana, *Wormbs.*

Imo Ῥεφίανα, sine epenthesi syllabæ peregrinæ: *Speir.*

Neomagus, *Oppenheym vel Spira potius, quamuis non desint, qui Rufinianam Speyr, Neomagum vero Wormbs esse putent: Bauconiam autem Oppenheym.*

Vide Tabulam Peutingerianam. pag. 145.

TREVIRI.

His iuncti erant TREVIRI *occidentem versus, quorum olim fines latissimi erant: nam a Rheno ad Mediomatrices vsque extendebantur, pariter & ad Menapios, & ad Mosam, ita vt quicquid hodie a Moguntiaco per Treuirensis Episcopi ditionem & Mosellæ montis seu Obrinci tractum ad Arduennam & vltra, nec non quicquid per prouinciam nunc Westenreych & Lucelburgium continetur, id omne Triuirensis fuerit ditionis.*

Horum ditionis amplitudinem ex Cæsare & Tacito cognoscere est: Etiam hodie Ecclesiastica iurisdictio perampla est. Ætate Luitprandi Ticinensis qui sub Othone I. Augusto scripsit, videtur ad Lotharingiam pertinuisse, sic enim scribit sub finem operis. Quum hæc epistola in sancta Synodo legeretur, aduenerunt qui prius defuerant religiosi, a Lotharingia Henricus Treuirensis archiepiscopus, & quæ sequuntur. Itaque Treuirensem agnoscunt Tullensis, Metensis, & Virodunensis.

Ciuitates vero sub Treuirensibus fuere iuxta Rhenum istæ,

Moguntiacum, *Mentz,* *

Bingium vel Vingio, *Bingen, Hic Nauus fluuius in Rhenum exit,* *

Legio Traiana, *Drechshausen, quasi Traiani domus.*

Ptolemæo τραιανὴ λεγίων.

Vosauia, alias Ficelia, *Oberwesel: ibi cæsa & sepulta est Mammæa mater Alexandri Imperatoris.* *

De Mammæa Eliogabali amita video idem ab alijs quoque narrari: inter quos est etiam Adolphus Occo Augustanus in libro Numismatum: sed vnde hæc ipsi? Mammæam filio quum interficeretur adfuisse, confessum est. Eusebius autem Alexandrum Moguntiaci occisum prodit, Orosius apud Moguntiacum. Græcus Chro-

Chronologus ὑπὸ τὸν παπυλιῶνα, ἐν Μογουντιακῷ. Aurelius Victor in vico Britanniæ qui Sicila dicitur, Lampridius in Britannia, vel vt alij volunt in Gallia, in vico cui Sicila nomen est; Eutropius in Gallia. Vosauiæ id factum quod sciam nemo scribit antiquorum.

Bodobriga, *Boparten*, *

Antonino est Baudobrica; pag. 130. sed transpositæ sunt mansiones. Bingio enim vicinior est Bodobrica quam Antunnacum.

Confluentes, *Coblentz: ibi Rigodulum est oppidum Ammiano: quamuis etiam nunc non longè a Treuirorum Augusta pagus sit qui hodie quoq; Rigol appellatur. Et hic erat limes Germaniæ superioris, quem Obrincus fluuius dirimebat; Inde Germania sequebatur inferior.*

Confluentium meminit quoque Antoninus pag. 135. & Notitia Imperij pag. 137.

In mediterraneis autem ciuitates sunt,

Augusta Treuirorum, *Trier*, *

Nouiomagum superius, *Nymag pagus circà Berckastel.*

Vide Itinerarium pag. 135.

Pontes Sarui, *Sarpruck, certum.*

Est Pons Saraui, de quo in Itinerario pag. 135. vbi tamen vitiose legitur Saruix. Saraui meminit in Mosella Ausonius,

Nauiger vndisona dudum me mole Sarauus
Torta veste vocat, ---

Et versus Mediomatrices,

Durocortorum, *Arencourt, iuxta portum S. Nicolai.*

Ptolemæo est Δυροκόρτορον, qui in Rhemis illud ponit, pag. 99. Straboni tamen vocatur Δυρικόρτορα, Cæsari Durocortorum, Stephano Δυροκότερον, neque est dubium quin sit Reims.

Matricorum siue Diuodurum, *Diedenhoven in ripa Mosellæ, a Francis Theodonis villa vocata, regia Caroli Magni,* *

Matricorum nomen factum est ex decurtatione vocis Mediomatricum; nec video qui ante Blondum hac voce ita vsus sit. Διοδόρον Antonino pag. 135. est Diuodurum; Galli vocant Tionuille. Meminit eius quoque Tacitus lib. 1. histor. Treuiros inquit, vt socios, secure adiere. Diuoduri (Mediomatricorum id opidum est) quanquam omni comitate exceptos, subitus pauor exterruit.

Cæterum non parua est disceptatio, quis sit fluuius Obrincus, quem Ptolemæus supra Moguntiacum statuit. Quidam enim illum Nauam, qui iuxta Bingium in Rhenum defluit, esse putant: alij etiam Rhenum trangressi Mœnum esse censent; sed proculdubio Mosella est, licet Ptolemæus in eius situ (forsitan ex aliorum relatione) deceptus videri possit. Equidem si Naua esset, sequeretur, quod Mosella penitùs a Ptolemæo esset omissa: Atqui planè incredibile est, fluuium adeò insignem fuisse neglectum, & longè minorem Nauam recensitum, qui & ipse non supra, sed infra Moguntiam labitur. Mœnus verò per Obrincum non designatur, nam planè ineptum videri posset, in descriptione superioris & inferioris Germaniæ transscenso Rheno Mœnum describere, & eum quasi humeris vltra Rhenum transportare.

RIPVARII.

RIPVARII *dicti sunt, qui in Treuiris ad Mosellæ habitarunt ripam, nec non inter Mosellam Rhenum & Mosam: A Francis Ripuaria vocata est Neustria & Austrasia.*

Sunt qui eos Ripuariensis & Ripariolos vocent. Sic Pannonia quoque Ripensis & Ripariensis dicta fuit, a ripis. Neustriam hic poni non commemini. Chronicon vetus majoris monasterij distinctè & exsertè, Neustria, inquit, est, quicquid a Parisiis & Aurelianis interiacet inter Ligerim & Sequanam inferius ad Oceanum.

VBII.

A Confluentibus verò, VBIORVM *incipiebat ditio, quorum fines ob fidem egregiam mirum in modum a Romanis fuerunt aucti: Traduxit hos Agrippa ad ripam vlteriorem, sed non inuitos, vt Strabo ait.*

Exstare hodieque ruinas oppidi veteris *Upen*, ex quo Latini Vbios mollius dixere, testatur Lindanus: vide Baronium in Martyrologio ad XXI Octobris.

Horum vrbes erant,

Antunaco vel Antunnacum, *sed forsitan potius in Treuiris quam Vbijs est ponendum*; *Andernach. Ibi conditum est corpus Valentiniani Imperatoris.* *

Rigomagus, *Reinmegen. Hic Arar in Rhenum influit.*

Arar Bilibaldo est Thie Aer; non Galliæ Narbonensis fluuius: ac forte illum quoque intellexit Æthicus.

Bonna, *Bon, certum: ex cuius opposito Genosia est, vbi Drusus teste Floro Rhenum ponte iunxit.*

Verba Flori nescio quis dum corrigere parat, deprauauit. Sic legenda sunt. Victor Drusus in tutelam prouinciarum præsidia atque custodias vbique disposuit, per Mosam flumen, per Albim, per Visurgim. Nam per Rheni quidem ripam, L. amplius castella direxit, BONNAM & GENOSIAM pontibus iunxit, classibusque firmauit. Inuium atque inaccessum in id tempus Hercynium saltum patefecit. Vulgò legitur contra veterum codicum & rei fidem, Bononiam & Gessoriacum.

Agrippinensis Colonia, Vbiorum caput, *Colln.* certum.

Nouesium, *Neuss.* *

Non videtur hoc loco mihi prætermittendum itinerarium quod è Colonia in Daniam ducens ab Alberto Stadensi Abbate insertum est operi ad annum MCLII.

Vadas, inquit, è Colonia ad *Nussiam* VI mill. pass.
Inde *Xanthis* IX.
Arnhem VII.
Seist VI.
Traiectum I.
Ibi intra nauem, & descende vsque *Muthen*, & ita per mare *Stauriam.*
Et sic *in Daniam.*

In mediterraneis Vbiorum sunt,

Marcodurum, *Duren.* *

Duromagus, *Durmegen* *

Iuliacum, *Gulich.* *

Coriouallum, *Ach: Sed hoc ad Menapios pertinebat potius quam ad Vbios.*

Alij malunt esse Valkenburch. vide pag. 136, & 142.

Lugodunum, *Sevenberg.*

Hic grauis est error: Non est aliud his locis Lugodunum quam Batauorum, vide Tabulam Peutingerianam pag. 124, ex qua illud necessario colligitur.

Gelduba, *Nunc diruta est: pagus vocatur Gelb, iuxtà arcem Linen Episcopi Colonienſis.*

MENAPII & MORINI.

Vbijs versus occidentem harebant MENAPII, *quorum fines olim latissimi erant; ad Castellum enim protendebatur oppidum, eratque sub ditione eorum tractus ille qui iuxta montes est quos nunc Eyfliam appellamus, ac quicquid inde est vsque ad Morinorum terminos; nec non Comitatus Namurcia, Ducatus Limburgensis & Falkenburg, ac trans flumen Mosam pars Hannoniæ ad Picardiam vsque & Eburones. Habitarunt enim vtramque Mosæ ripam, auctoribus Cæsare & Tacito. Paludes verò Menapiorum quorum & Strabo meminit, inter Eyfliam & Limburgensem sunt Ducatum; Regio illa hodie alta*

die alta palus vocatur, estque hominibus fere inaccessa, & vix structis quibusdam semitis permeabilis. Sunt & circa Geldriæ confinia Menapiorum paludes, in ea regione quæ hodie vocatur die Vogtey von Geldern, iuxta Venlo & Kempen. Strabo hos nouissimos ad vtramque fluminis ripam esse dicit. Menapijs adhærebant MORINI, *quorum portus Gessoriacum, nunc Cales.*

Non est omitendum, Menapiſci pagi crebram fieri mentionem in legibus Caroli magni ab Anſegiſo monacho collectis, atque in illis deſignari Flandros: Morini dicti ſunt ab ingenti lacu qui accolis vocatur Moer, ſituſque eſt inter Furnas & VVinoxbergam.

Caſtellum, *Keſſel iuxtà Moſam, oppidum: dirutum.*

Eſt & aliud Caſtellum in Morinis monti impoſitum, quod vulgò Caſſel vocant.

Vaganum, *oppidum non procula Caſtello, Wagenheym.*

Nullum fuit in rerũ natura Vaganum: Βάγανον agnoſcit Ptolemæus, idque locat non in Menapijs ſed in Neruijs. Tabula Peutingeriana exſertè habet Baca coneruio, quod dubio procul eſt Baganum Neruiorum, quod nunc vocatur Bauay. VVagenheym, iuxta Caſtellum Menapiorum nullum eſt. VVoggenum eſt haud procul a Ruremunda.

Teruana, *Terwanen,* *

Ptolemæo eſt mediterranea vrbs Morinorum. pag. 97. De ea Eraſmus noſter ſic, Exſtat, imo exſtabat hoc nomine in Picardia ciuitas Epiſcopalis quam vulgus Terrouanam vocat. Ea quum hæc ſcriberemus, magna vi oppugnabatur a duobus Regibus, Henrico VIII Britanniæ principe & Maximiliano Imperatore, adiuuantibus & Burgundionibus noſtratibus. Deditio facta eſt, dimiſſi milites incolumes; poſteà noſtris opinor agentibus, oppidum indignè deletum eſt. Incidit extrema calamitas poſt Eraſmi obitum regnante Carolo V. die xx Iulij Anni CIↃ IↃ LIII. Hodie eius neque vola exſtat neque veſtigium.

Tornacum, *Dornick.* *

Meminere eius Antoninus & Liber notitiæ, p. 54. Tabula Peutingeriana, pag. 142, Turnacum nominat. Hieronymus quoque loco quem citauimus. pag. 65.

Geſſoriacum nauale, *Gent. certum.*

Imo nihil certius quam Geſſoriacum eſſe Bononiam, quæ Gallis Bouloigne, noſtris Beunen vocatur: in Tabula Peutingeriana infra flumen Patabum legitur maiuſculis litteris BELGICA; ad littus vero maris, Geſſoriaco quod nunc Bononia. Idem ergo ſunt, Iccius portus, Cæſari nominatus, Geſſoriacum nauale Ptolemæi, & Bononia poſterioris æui, quam Panegyriſtes Conſtantini vocat Bononienſe oppidum.

Lugodunum *Workum, vel mons S. Gertrudis.*

Errauit doctiſſimus Bilibaldus, primum quod in Vbijs poſuit Lugodunum, nunc quod in Menapijs aut Morinis.

δὶς ταὐτὸν εἶπεν ὁ σοφὸς ἐυριπίδης.

Batauorũ eſt Lugodunũ ad Rhenũ, nec poteſt ipſis eripi.

Iccius portus vel Geſſoriacum, *Cales.* *

Iam dixi quid ſit: Caletum recentius eſt, quam vt poſſit eſſe vetus illud nauale.

TVNGRI.

Notiſſimi ex Cæſare, Plinio, Tacito, Ptolemæo, alijs: ſedem habuere inter Scaldim & Moſam.

Tungrorum ciuitas, *Tongren.* *

An hi primi Germanorum Rhenum tranſmiſerint quæſitũ a nobis eſt capite primo iſtius operis. Clara omnino ciuitas, vnde & Tungerheym vicus, & Tungerſee, oppidum nomen traxere: A B. Materno primum ad fidem Chriſtianam conuerſi ſunt, fuitque ex eo diu apud

ipsos sedes Episcopalis : Inde anno Christi Domini nostri CCCC XLIV, translata est Traiectum Mosæ; Anno vero D CC X Leodium. Destructa primnm est ab Attila. Fontem Tungrorum a Plinio celebratum suspicor esse in vico Spa.

Namurcum, *Namur.*

Vnde huius vrbis Romanam vetustatem petat Pyrckheimerus, non video. Nulla eius exstat mentio ante tempora Francorum, & constat sub S. Huberto omnia hæc loca ab Arduenna sylua occupata fuisse, ipsumque primum in Taxandria & Brachbanto fidem propagasse.

Leodium, *Ludich.* *

Leodicum scribebat ad me semper quum in illis locis ageret Iustus Lipsius. In eius originibus inuestigandis alij Gallicam vocem sequuntur, & dicunt nomen habere a Legione, alij eam quæ ad Latinam accedit. Anno Christi DCXCIX fertur sub S. Huberto creuisse ciuitas, ac tum demum muro cincta fuisse. Idē moriens S. Lamberti martyris sigillum reliquisse ciuibus dicitur cum hac epigraphe, SANCTA LEGIA ROMANÆ ECCLESIÆ FILIA; si Molano est fides. Veteres eius non meminere.

Atuacum vel Atuacutum, *Maestricht.* *

Ptolemæo est ἀτυάκιον, qui eam in Tungris ponit. Atuacum nusquam legitur. Itinerarium Antonini, & Tabula Peutingeriana, sine quibus omnis de locis Germaniæ superioris & inferioris inquisitio oberratio est, ostendunt, non posse esse nisi Traiectum Mosæ. Qui Ptolemæum explicant, tribuunt hoc nomen Tungrorum oppido; Ortelius Antwerpiæ: Vicit amor patriæ.

Samobrina, *Cameracum Cameryck, certum, vel potius S. Quintinus.*

Quomodo certum, Bilibalde, si ipse dubitas, hæresque sitne hoc an illud? Primum nulla est vspiam Samobrina. In Ptolemæo legitur Σαμαβρίβα, quæ Ciceroni, epistola ad Trebatium, si modo recta lectio est, vocatur Samarobrina, quomodo etiam apud Antoninum & Cæsarem appellatur. Ego itinerarias rationes considerans ijs suffragor qui putant esse *Amiens.*

BATAVI.

Deinde BATAVORVM *sequebatur regio. Obtinebant autem Batani quicquid a sectione Rheni inter Mosam & Rheni comprehendebatur ostia. Cæterum hoc prætereundum non est, quod licet Ptolemæus tria Rheni ponat ostia, Tacitus tamen non nisi duorum mentionem faciat; Vnum est, vbi Mosæ commiscetur & Vahalis vocatur; Alterum verò quo Germaniam præterluehitur, donec Oceano misceatur. Strabo quoq; duo ostia Rheni ab Asinio tradi refert, eosq; accusandos ait, qui plura dicunt; idemq; Pomponius Mela sentire videtur. Nostro autem æuo tria Rheni ostia esse scimus, quorum tertium Isala vocatur. Vtrum igitur tertium illud ostium Taciti tempore haud fuerit, sed posteriore eruperit tempore, indagatione nequaquam indignum videtur. Duæ namq; iam insulæ inter Rheni sunt ostia, Batauorum & Caninefatum; quorum altera Velauia dicta est. Retinet & tertium ostium Insulæ nomen, estq; regio ea pars Geldriæ & diœcesis Traiectensis, nuncq; Insula superior appellatur. Comprehenditur & magna pars Hollandiæ sub Batauia; nec non ea terræ portio, quæ patrum nostrorum ætate Oceano est submersa. Tacitus Batauos virtute inter Germanos fuisse præcipuos refert, & Chattorum olim populum, ob seditionem in eas sedes transgressos. Proinde licet Batauia hoc tempore multis ornata sit ciuitatibus, paucis tamen antiqua remanent nomina:*

Rhenus communis est Gallię Germaniæque terminus: Is circa initium soli Batauici diuisus, qua Gallicam ripam contingit Vahalis, qua Germanicā, Rhenus vocatur; media inter duos veluti amnes relicta insula Batauorum:

uorum: quo fit, vt Batauos in duarum potentissimarum gentium confinio positos alij Germanis, alij Gallis adscribant: Nec dubium mihi est, quin vel Galli a Vahali, vel Vahalis a Gallis nomen traxerit. Duobus hisce alueis Drusus tertium addidit, perfosso ob suas commoditates spatio quod Rhenum inter & Isalam interiectũ est, & flumine maiore per alienum alueum in lacus admisso. Hinc ortum est nomẽ fossæ Drusianæ. Habemus ergo tria nunc Rheni cornua, dextorsum Fleuum, qui Ptolemęo est τὸ ἀνατολικὸν στόμα; Læuorsũ Vahalim, qui Plinio Helius, Græcis τὸ δυτικὸν στόμα dicitur; & mediũ inter hæc cornua Rhenum, qui per Lugdunum & castra Romanorum leui agmine fluens in Oceanum Germanicum sese olim exonerauit ad vicum Cattorum, littore, quod, quia Britanniam respicit, Britannicum olim vocari potuit, æquè atque herba ea quã Frisij Romanis stomacace laborantibus demõstrauerunt, Britannica vocata est: credibile est enim, vt ait Plinius, confines Oceano Frisios illam Britanniæ velut propinquæ dicauisse: nec mirabitur nomen Britannicum in Batauia, qui sciet posteriore æuo hoc omne littus etiam vltra Sequanam vocatum fuisse Saxonicum. Tria illa ostia designauit Plinius, quum dixit, Rhenum a Septentrione in lacus, ab Occidente in amnem Mosam se spargere, ac medio inter hæc ore modicum nomini suo custodire alueum. Merito quidem ille modicum dixit, nam abactis per diuergium Drusianum aquis factus est Rhenus multò quam anteà angustior & exilior: adeo quidem, vt quibus religio fuit plura Rheno quam duo cornua adscribere, ij præterito medio, Fleuum tantum & Vahalim commemorent. Atque hoc mihi videtur fecisse etiam Annali secundo Tacitus. Tandem verò obstructo etiam arenis ore isto, quum non sufficerent hauriendis aquis duo illi aluei, eoque perpetuis inundationibus essent expositi quotquot Batauorum insulam & extra eam loca depressiora populi habitabant, visum fuit e re publica, Rhenum effossis nouis aliquot alueis, præsertim qua iam ipse se exonerauerat, abducere, & aggeribus admotis intra alueos illos constringere. Sic diducta est Lecca; sic Isala; sic elices illi qui inter Fleuum & medium Rheni ostium fuisse olim perhibẽtur Egmundæ, Schoreli, Crabbedami, quorum adhuc spectantur vestigia, nisi quis posteriora ista non nisi naturæ opera fuisse malit. Petrus Nannius, *Hollandiam*, inquit, *a Frisia olim æsturia Oceani aut Rheni diuidebant, cuius etiam alueus siccus videtur non procul a pago cui nomen Schorel, vetusque suum nomen obtinet.* Et rursum, *Egmunda, ab angusto Rheni ostio Eng-mondt etiam nunc dicitur, credo quod stagna Rheni ibi suum emissarium in Oceanum haberent. Certe intra secundum lapidem ad viculum nomine Crabbendam visitur alueus Rheni, qui nomen suum antiquum retinuit, licet a Rheno destitutus.* Ac suspicor, quo tempore accolæ effossionem Leccæ moliebantur, eodem quoque Rhenum abductum in alteram partem trium illorum oppidorum quæ Tacitus omnesque veteres semper in opposita, hoc est, læua ripa Rheni locant, Arenaci inquam, Vadæ, & Grinnium. Quando autem medium illud ostium obstructum, & quando Lecca ita vt dixi essossa fuerit, malo Cornelij Aurelij (qui Erasmi Dauentriæ & in Sion sodalis non præceptor fuit) quam meis verbis explicare: is ergo sic scribit. *Meatum fluminis Rheni qui ab oppido Grinnes prope Dorestadium a tergo nostram Batauiam vsque in Oceanum perpetuo decursu alluebat, hoc modo obstructum esse, haud semel ex vetustissimis Traiectinorum Chronicis legimus. Tempore enim Hungeri, (qui vndecimus a Willebrordo præsidebat Episcopus) quum Dani iuxta S. Frederici prophetiam, Traiectum totamque Hollandiam hostiliter*

Floridam & graphicam eius calamitatus descriptionem pete ex Annalibus Dousæ. Superat ea omnẽ pictorum & poetarum elegantiã.

liter denaſtaſſent, viſæ ſunt in cœlo ſtellæ inter ſe concurrere, fulgura louiſque tela acrius ſtridere, flumina ſupra modum augeri & increſcere; quod vtique non tantum ad præſens damna inferre, verumetiam & aliqua ſignificare futura Iſidorus teſtatur. Quid multis? tanta Circio diutiuſculè flante facta eſt ex Catuico verſus Leidas maris inundatio, vt ad Traiecti mœnia piſces marini caperentur. Surſum quoque Rhenus tam grandi pridem niue peractus veterem ſecum Iordanis adducens tragœdiam, conuerſus eſt retrorſum. Quidum (concertantibus inuicem aquis ventorum violentia) in mare deſcenſum non haberent, omnem propere, egreſſus ripas, inuadit continentem, mox pecora inuoluens & homines, triſtem vbique ſui excurſus relinquebat imaginem, ita vt etiam ipſa Sicambrorum Batua Deucalionis ſeculum lugeret innouatum. Tum arbores ſiluæque propter marini gurgitis ſalſedinem arefactæ tandem effractis truncis, ventorum turbine ſunt diſiectæ: quas ad hanc quoque diem vidimus apud Veteres aquas alibique e terræ viſceribus erui, & cuneis inſciſſas ſarciendis domorum tectis tegulatim coaptari. Hoc igitur malo adflicti, & animi conſternati omnes qui circumcirca morabantur, Batuani ſcilicet & Traiectini, Batauí quoque & Hollandi, ſibi poſteriſque ſuis de maiore periculo prouiſuri, deliberato diu cenſuere decreto, vt ab vrbe Doreſtadio ab vtraq; ripa modici amnis a Rheno deorſum Viennam verſus ſtillantis, Leccam dicunt, aggeres conſtruerent, & in eos effoſſis ruderibus, manufacto meatu Rheni fluenta deflecterent. Quod & vnanimi ſtudio ardentique opera, & plurimis denique impenſis pro communi vtilitate elaboratum eſt, & efficaciter abſolutum. Qua ex re quoniam & adſcendentibus è pelago nautis, & rurſum è Rheno deſcendentibus in mare commodior via & quidem compendioſiore tractu adoleuit, paullatim prior ille meatus Rheni tum pridem interceptus & obſtructus adeò cum tempore euanuit, vt ibi iam boues paſci videas, vbi olim (maximè inter Doreſtadium & Traiectum) videre licuit natare carinas. Ita Rhenus & nomen apud nos & flumen amiſit. Quanquam deſuper Woirdenum, Arcemque Godefridi Præſulis, tenui alueo, deinde paullo effuſiore Leidas ſubintrans, iam prope Rynsburgũ, haud procul a regali ſacrarũ virginum Abbatia facit ſtationẽ, quod dudũ ſupernè obſtructo eius antiquo meatu, ſcopuli etiã in Catwico vbi pelago influebat redintegrati ſunt. Referunt hæc pleriq, in annũ Domini 1060; Hac igitur occaſione factum eſt vt Lecca & Iſala effoderentur. Habuit tamen ea res illud incommodi, quod qui ad medium Rheni alueum magna iam parte obſtructo oſtio arefactum ſiti erant, non haberent viam qua merces ſuas poſſent in Oceanum, ex quo ingens quæſtus, exportare, vel inde ad ſe admittere. Quocirca ſtatuerunt effoſſo tranſuerſo meatu huic incommodo mederi. Placuit ei rei Goudam, & VVoudam, exiguos riuos diducere, & cum Iſala Rhenoque coniungere. Sed quum periculum eſſet, ne ſi id adgrederentur, aquæ ex Iſala in agros ſuos effunderentur natura humiliores, occurrerunt etiam huic malo oppoſitis ad primam Iſalæ admiſſionem ingentibus obicum repagulis, quibus naues ex Iſala in Goudam tuto adueherentur, obſeruata ea fluminis æſtu marino ſeſe attollentis aut ſubſidentis, altitudine, quæ interiori foſſæ eſſet æqualis, quod & Corbulonem olim in foſſa illa quam a Moſa ad Rhenum duxit, vbivbi illa ſita fuerit, obſeruaſſe, veriſimile eſt. Foſſa illa ab Iſala ad medium vſque Rheni alueum vocatur Gouda, inde ad lacum vſque Harlemenſem, VVouda. Catarractis ad Iſalam additum eſt telonium, & telonio arx a Florentio Comite, Guilielmi Romanorum regis filio. Illexit autem loci opportunitas multos, vt etiam in aggere vel propter eum ſedes figerent, creuitque paulatim frequentia in iuſtam ciuitatem,

tem, templo etiam ex vicino loco, vbi ligneum ſteterat, in mediam ciuitatem tranſlato. Deprehenſum eſt tamen, Iſalæ aquas intumeſcentibus ſupra Traiectum Rheni vndis ita interdum attolli, vt ipſas quoque aggerum moles perfringeret. Itaque conſenſu Ioannis Naſſouij Epiſcopi Traiectenſis impoſitus eſt etiam Rheno obex ex aduerſo Viennæ, loco qui a Friſijs (nam Friſiorum hæ olim ſedes fuere ſub Radbodo) vocatus eſt Vrieſwijck quaſi Friſiorum vicus. Ex eo igitur tempore contractus eſt admodum imminutuſque Iſalæ alueus, adeo vt iam intra primos illos aggeres læta cernatur camporum planities circa Iſelſtenium, Montfortium, & Oudewatriam. Errauit igitur Bilibaldus, quũ credidit tertium Rheni oſtium Inſulam vocari; dicitur enim Fleuus, admiſſo per foſſam Druſianam in Iſalam Rheno. Eſt autem Y-ſala nihil aliud quam aqua vel amnis Salæ; nam Y & A Germanis aquam ſignificant. Sic Goud-a, VVoud-a; amnes Goudæ & VVoudæ. Cur autem ad ſimilitudinem ſuperioris illius Iſalæ, inferius iſtud foſſatum Iſala diceretur, cauſſam non inuenio, niſi analogiam. Errauit quoque in eo Bilibaldus, quod credidit regionem hic aliquam vocari ſuperiorem Inſulam; quum ſit regio Tranſiſalania; vtpote trans Iſalam ſita; in qua ſunt, Dauentria, Campi & Swolla. Minuta alia ſciens prætereo, neque enim eſt propoſitum nobis omnia conſectari. Sunt ergo ea quæ ſequuntur confuſa, permiſtis ſedibus gentium.

Ttaiectum, *quod inferius appellatur, nunc* VTRECHT.

Non meminit eius niſi Antoninus: miror præteritum a concinnatore tabulæ Itinerariæ, qui Antonino fuit poſterior.

Portus Manarmanis, vel Naualia, *Campen*, *

Atqui hæc diſtinguit Ptolemæus, Μαναρμανὶς λιμὴν Becano eſt Harlingen, Mercatori Oldemardt, alijs ſinus qui in Friſia inter Maharnam & Dungerdeel conſpicitur: Ego ijs ſuffragor qui aiunt eſſe Geelmuden. Naualia, Ναυαλία videtur mihi Tacitus ad Rhenum collocare: nec cauſſa eſt cur amnem fuiſſe exiſtimem. Neutrum igitur reſpondet hodierno oppido Campen. Nec video, cur Gerardus Nouiomagus dixerit Manarmanim portum a Ptolemæo poni inter Vidrum & Amaſim: quum ipſe reclamet Ptolemæus, vide p. 101.

Vetera, *Santen, certum.*

In vita S. Victoris narratur, eius ſociorumque corpora in paludes vicinas raptata fuiſſe. Hæc oſſa imperante Maximiliano Auguſto ſub fundamentis templi S. Victoris reperta creduntur, & ob inſignem magnitudinem Imperatori oſtenſa, teſte Gerardo Nouiomago, Santen nomen habet a martyribus: vocauerunt enim locum Chriſtiani ad Martyres, & ad Sanctos, vel ad ſanctos Martyres, vide (pag. 49) ea quæ ex Helinando narramus geſta ſub Diocletiano.

Tiberiacum, *non longè a Santen, Berck: quamuis aliqui putent Tiberiacum inter Coloniam & Iuliacum eſſe ſitum, & forſitan eſſe Bergheym.*

Recte illi: ponitur enim ab Antonino inter Iuliacum & Coloniam Agrippinenſem.

Baganum, *retinet nomen antiquum, Bagenheym; ibi habitabant Arenatij.*

Baganum Neruiorum fuit, Bauay: Arenatij populi nulli fuerunt. De oppido Arenatio iam ſæpe diximus.

Neomagus, *Neumagen.*

Colonia Traiana, *Keyſers Weerdt.*

Calciaci, *Calcar, Tacitus.*

Nugæ. Nuſquam meminit Tacitus Calciaci. Vicum, Tolbiacum in finibus Agrippinenſium lego, lib IV, Hiſtoriarum. Et tamen Calcariam illic Romanorum

fuisse ad calcem exstruendis castris faciendam non negauerim: Offendo similem Calcariam ad Danubium, cuius eundem vsum fuisse suspicor.

Tametsi ciuitates istæ supra insulam Batauorum sunt sitæ, & ad Belgas pertinebant. Inde per miliaria duo distabat Batauodurum, *nunc penitus excisum: exstat tamen arx nomine Batenburch. Dordracum prætereà & Briel hodie portus admodum famosi sunt:*

Sed recentes. Dordrechtum est traiectus amnis Dortæ, qui nunc à maioribus fluminibus haustus est: vitiosè igitur dicitur Dordracum.

BVSACTERI PARVI.

Post Batauos & vltra Rhenum BVSACTERI PARVI, *quos quidam* BRVCTEROS *esse volunt, à Ptolemæo ponuntur. Tenebant ij eam Germaniæ terram quæ iuxta Rhenum est, & versus Boream tendit: hodie Frisiæ pars est. Horum iam vrbes sunt Dauentria Deuenter, & Suollis Swol.*

Bructeri qui Busacteri, insedere ea loca quæ nunc tenēt VVestphali, Sutphanienses, Benthemij, Salandij, Twentij, Drentij, vicini Cattis, Frisiis, Ampsiuariis: Bructerorum nominis vestigia aduertas in Bruck, Oldēbruck, Osenbruck, Quakenbruck.

Inter Busacteros & Frisios VIDRVS *fluit fluuius, ac in mare exit Frisium. Hodie Nigra appellatur vnda, estque nauigabilis.*

Vecta amnis receptis Regga & Aa fluminibus, qua se in paludes Rheni exonerat iuxtà Geelmuyden, vocatur Swarte water, & Isalæ siue Fleui ostio in Oceanum sese effundit. Apud Tacitum, Annali I in expeditione Germanici pro Visurgi amne lege Rhenum vel Vidrum, qui est die Vecht.

SICAMBRI.

Supra hos iuxta Rhenum habitabant SICAMBRI, *à quibus Franci ortum sumpsere, quod quidem multis argumentis ostendi potest. Nugentur Gallici scriptores quicquid velint, de Troianæ gentis origine & ciuitate illa magna Sicambria appellata, meris mendaciis constructa, omnia enim illa fabulosa sunt. Horum pars sub Octauiano Cæsare in citeriorem Rheni translata est ripam: qui verò remanserunt, posteriori tempore* FRANCI *sunt dicti & eam occuparunt terram quæ hodie adpellatur Franconia, seu Francia Orientalis: vnde & per Francofordiam, hoc est Francorum Traiectum, Galliam inuaserunt, quam & hodie tenent. Horum ciuitas erat Asciburgium, nunc Asburg, locus ruinis tectus, terra verò illa Meursensis nunc ditionis est.*

De Sicambris alibi diximus; neque enim induci possum vt credam eorum partem in antiquis sedibus relictam. Pag. 96.

Quod ergo de Sicambris trans Rhenum agentibus alicubi forte legitur, id κατὰ μνήμην capiendum est, sicut hodie Pannonios dicimus, & Rhætos, & Rauracos eos qui priorum loca insederūt. Nomen ipsis à Siga amne, vnde & Sigodunum oppidum. De Francis egimus non semel. Cap. VIII pag. 45. In Gallia nemo nunc sanus est, qui non originem suam Germanorum fortissimæ genti debere malit, & cap. XV pag. 71. quam Troianis, aut qui negare possit primos ipsorum reges Merouæum & Chlodouæum è Germania transmisso Rheno in Galliam penetrasse. Sic sunt humana. Galli primi in Germaniam venerunt: postea Germani duce Ariouisto in Galliam; à quo tempore deinceps illas terras sæpius petiuere. Sicambrorum verò legionem ad Danubium quoque consedisse, atque ibi ciuitatem ædificasse, docet inscriptio reperta tempore Matthiæ Coruini Hungariæ regis, quum fundamenta iacerentur arcis Beatricis reginæ: Ea sic habet, LEG. SIGAMBRORVM

HIC PRÆSIDIO COLLOCATA CIVITATEM ÆDIFICAVERVNT QVAM EX SVO NOMINE SICAMBRIAM VOCAVERVNT. De Asciburgio ridenda est audacia Græcorum, existimantium quia ἄσκ & πυργ Græca sunt, oppidum ab Vlysse creatum fuisse. Quasi Asch pariter & burg Getmanicæ voces non sint. Est autem eius nominis pagus quidam infra Coloniani; est & oppidum ad Mœnum, supra Francofurtum, & mons Asciburgius Ptolemæo, vide pag. 105.

SVEVI LONGOBARDI.

Post hos SVEVI *habitant* LONGOBARDI, *Hodie pars Marchiæ Comitatus & Montensis ducatus terra illa fuisse videtur.*

Non sunt iidem Ptolemæo Lacobardi & Longobardi: illos enim facit Ptolemæus Rheni accolas, hos Albis: nec sunt hi cum ilis confundendi.

Per horum & Sicambrorum terram tria labuntur flumina, quæ omnia se in Rhenum exonerant. LVPIA *die Lipp, quæ apud Vesaliam cum Rheno miscetur, extatque hodie castellum supra illius ripam à Romanis fundatum, Lupia nomine, ac Ter Lip vocatur. Secundus amnis* RVRA, *hoc est die Roer appellatur, in Cattorum montibus ortum sumens, ac in Rhenum iuxta Roeroort influens, Adranus, vt coniecturare licet, à Tacito vocatus. Tertius fluuius* ANGRA, *hoc est, die Hanger, & apud Angeroort Rheno admiscetur.*

Adrana est die Eder: ea supra Cassellam in Fuldam voluitur.

TENCTERI.

Posteà TENCTERI *dicebantur & Ingriones, inter Rhenum & montes, vbi hodie pars Hassiæ cum Rheno iungitur, dicta der Hochruck, ditiones Comitum de Nassaw, Koningstein, &c. Wederauia, & silua occidentalis, hoc est, der Westerwaldt, Francofordiam vsque. Per horum fines insignis labitur fluuius, qui magnam Hassiæ partem interluit Lona nomine, ac iuxta oppidum Lonsteyn in Rhenum exit: Quidam Lippam esse voluerunt, sed falluntur: nam Lupia hodie nomen suum retinet, ac longissimo spatio infra Lonam in Rhenum labitur; & ideò dubium est, num Lona Romanis scriptoribus cognita fuerit. Tacitus Tencteris equestris disciplinæ laudem tribuit, quemadmodum Cattis pedestris.*

Si Ingriones sunt iidem cum Plinii & Taciti Ingæuonibus, errauit sine dubio Ptolemæus dum Scandinauiam ad Rhenum transtulit: mihi religio sit illud dicere, & malo Tencteros simpliciter reponere apud Ptolemæum, quos video ab ipso præteritos.

INTVEGRI.

Posteà erant INTVEGRI *vbi hodie est ditio Palatini, Heidelberg & Bergstras.*

Ptolemæo sunt ἰντυέργοι. pag. 103.

VARGIONES.

His iuncti erant VARGIONES, *vbi nunc Franconia quæ Orientalis vocatur, esse creditur, cum diœcesi Wirtzburgensi.*

CHARITINI.

Sequebantur CHARITINI, *nunc Ducatus Wirtenbergensis cum adiacente sibi Sueuiæ parte.*

Ptolemæo καρῖνοι. pag. 103. Sunt qui eosdem cum Cattis esse putent.

VESPI.

Sub his erant VESPI. *Hodie Marchionatus Ladensis cum prouincia quam Prisgaudiam vocant.*

Ptolemæo ϑιατοί pag. 104. Sunt autem Vsipetes Taciti.

HELVETIORVM EREMVS.

Inde erant HELVETIORVM *deserta, nunc Silua nigra, cum regionibus sibi adnexis.*

Ammiano dicitur Martiana sylua: estq; Hercyniæ pars, quam C. Cæsar ab Heluetiorum, & Nemetum, & Rauracorum finibus recta fluminis Danubii regione ait pertinere ad fines Dacorum, Comment. VI.

FRISII.

Iuxta Oceanum verò supra Busactores FRISII *colebant, tam occidentales quam orientales, gens hodie latissimè protensa; non solùm enim usque ad Amasium protenditur flumen, vt Ptolemæus refert, sed ad Albim vsque pertingit. In horum finibus Amasius vel Amasia qui die Eems in Oceanum exit.*

Frisii alii fuere maiores alii minores. Hi Rheno discreti à Batavis Septentrionem versus sternebantur: Illi paludibus distincti à minoribus, littora occupabant Germaniæ vsque ad Chaucos. Hodie vocant Oostfrieſen & VVestfrieſen. Omnis Northollandia cum tractu Vltraiectino Frisiorum quondam fuit. Ora vero littoris Septemtrionalis dicta fuit Britannica primum, postea Saxonica. At Bilibaldus Frisiorum ditionem extendit latius quam fuerit olim sub Romanis.

Frisiorum hodie vrbes sunt, Leouardia Lewerden; Groninga civitas insignis. Embda, Embden;

Phabiranum, *Bremen* f. vel Tecelia.

Teceliam quæ Ptolemæo τεκελία, putant quidam esse Teckelenburch, nec diffitentur, situm non congruere. Non est dubium, quia in Texelia insula oppidum olim fuerit eius nominis.

CHAVCI.

Supra hos colebant CHAVCI *qui appellabantur parui, vsq; ad flumen Visurgim. Deinde ad Albim vsque Chauci habitabant maiores, nunc Saxoniæ pars ac Ducatus Luneburgensis esse censetur, nec non Episcopatus Bremensis & Hildesheimensis. Tacitus hos ad Chattos vsque deducit, ac inter Germanos nobilissimos vocat, & singulari iustitia excellere scribit.*

Si Chauci καῦχοι, καῦκοι, & Poëtis Chayci, ad Visurgim vsque porrecti fuerunt, non debuere Groningenses & Bremenses ad Frisios referri.

SAXONES.

Deinde ad collum Cimbricæ Chersonensi SAXONES, *quemadmodum & nunc habitabant.*

At quantam ex eo creuit validissima gens?

Ciuitates eorum hodie sunt,

Treua, *Heymberch* f.

Litimeris, *Lubeck civitas insignis, vel Mulheym*, f. *quia Lubeca noviter condita.*

Ptolemæo est λερμίερς.

Leuphana, *Mulheym vel Hanofer.* f.

Videtur fuisse Leuæ fanum, cuius mentio est in Tabula Peutingeriana, pag. 142: conspicitur ibi inter Fletium & Caruum. Ptolemæo vocatur λεφάνα.

PHARODENI.

Post Saxones a Chalusso amne qui hodie Drauenna esse censetur, ad flumen Sueuum, nunc die Spree, habitabant PHARODENI.

Gemma Frisius censuit esse Mechelburgenses.

Horum ciuitates sunt.

Laciburgium, *Sund*, f. *sunt enim qui Rostoch esse putent.*

Alisus, *Non Brandenburg*, f. *Wismer, Mullen.*

Nihil hic recti.

Omnes

Omnes hæ ciuitates nouæ sunt, à Sorauis Sclauis conditæ: Nunc terra illa Saxoniæ & Ducatus Megaloburgensis pars est. Hunc enim totum tractum maritimum ad Vistulam vsque cum magna parte prouinciarum mediterranearum olim Sclauini, Sorabi, ac Viltzi occuparunt, cum quibus & Carolus Magnus ac Daniæ postea reges multa gesserunt bella. Ab iis maior pars ciuitatum quæ nunc florent est condita. Supersunt autem adhuc reliquiæ illorum. Magna gens & planè misera ac contempta, ab omnibusq; oppressa.

SVEVVS *verò fluuius iuxta ciuitatem Sundensem in mare se exonerat Germanicum, quæ Marionis altera censetur.*

Contra sentit & disputat de Sueuo Iodocus VVillichius.

SIDENI.

Deinde erant SIDENI *ad Viadrum seu Gutallum vsque fluuium, qui hodie est Odera, amnis insignis, & qui non minorem suscipit fluuium Neussam nomine, ac iuxta Caminum ciuitatem Episcopalem in mare exit Germanicum. Hodie pars est ducatus Megaloburgensis ac Stetinensis. Ciuitates verò ibi sunt,*

Limiosaleum, *Lebus.* f.

Iouincium, *Bernaw.* f.

Vnde hoc Iouincium petitum sit: nescio: ausim adserere esse commentitium, & a Danubio huc translatum.

Virunum. *Augermundt.* f.

Virunum & Berunum in Noricis ponunt Plinius & Antoninus, non ad mare Septentrionale, vide pag. 156. Quo vobis mentes?

Stetinum & Gripswaldia nunc ciuitates insignes.

RVTICLII.

Sub his RVTICLII (*Ptol.* ῥυτίκλειοι) *incolebant ad Vistulam vsq;, hodie die Weyxel.*

Ciuitates horum sunt,

Rugium (*Ptolemæus* ῥύγιον) *Camin, certum propter exonerationem Viadri.*

Scurgum, (*Ptol.* σκέργυν) *Grandnitz.* f.

Kolperg, Stolpe, Louenburg, ciuitates nouæ.

Vltra verò Viadrum, hodie est DVCATVS POMERANIÆ, *& ditio antiquorum Ducum Saxoniæ, qui appellantur de Lowenburg.*

Et iuxta exonerationem Vistulæ in mare est Dantiscum hodie Emporium celeberrimum.

Ptolemæo est Gedanum, quod à Codano situs nomen habet. Codan, Cdan, Gdan, Gdansky, Dantsick.

SVEVI ANGILI.

Internarum autem gentium maximam esse SVEVORVM ANGILORVM *Ptolemæus scribit. Hi fuere qui posterioribus temporibus insulam Britanniam nunc ab illis* ANGLIAM *dictam occuparunt. Erant hi magis orientales Sueuis Longobardis, qui posteà in Italia consederunt. Hos Tacitus paucos, sed nobiles & bellicosos esse scribit.*

Sueuorum amplissimam fuisse nationem in Germania testantur Cæsar, & Tacitus. Orosius quinquaginta quatuor etiam gentes fuisse ait. Nunc ad Danubium spectantur. Anglorum inter Sueuos meminit quoque Tacitus, vide p. 94. Sunt & hodie in Cimbrica Chersoneso siue ducatu Schlesuicensi, Angelen.

SVEVI SEMNONES.

Iuxta erant SVEVI SEMNONES, *vbi nunc est Marchia Brandenburgensis dicta, & ad Albim vsq; protendebatur, ac vltrà illum etiam habitabant, vsque ad Sueuum fluuium. Hi postea omnes populariter demigrarunt, ita vt nec vestigium vllum Sueuorum ibi remanserit.*

Senonum Germanorum siue Sueuorum meminit quoque Velleius, Peucerus Sorabos esse putat, eorúq; nominis vestigia exstare in Sorber, Seruesta, Seruesteyn.

BVRGVNTI.

Post hos gens erat BVRGVNTORVM. *Plinius Burgundiones vocat, qui & ipsi emigrantes in Gallia consederunt; vnde & ab eorum nomine Burgundia appellatur.*

Crediderim hosipsos originē trahere a Burgis ad Rhenum exstructis, factique aliquando secessione in illa loca abijsse, vnde postea sub tempora Valentiniani reuocati sint ad auxilia Romanorum.

BVSACTERI MAIORES, CHEMÆ, ANGRIVARII.

Cæterum inter Chaucos paruos atque Sueuos incolebant BVSACTORES MAIORES, *& sub his* CHEMÆ, *& deinde* ANGRIVARII, *quorum reliquiæ hodie quoque supersunt. Episcopus Colonienſis se ducem Angriuariorum adpellat; Nunc autem Ostphali & Westphali ibi degunt, & Monasterienses. Est & Badenbornensis & Bremensis ibi Episcopatus. Vltra Visurgim verò Episcopatus Hildesheymensis & Comitatus Rauenspergensis, vbi posteriore tempore habitarunt Normanni, qui Galliam vehementer adflixerunt. Et id ex vetusto Germanico autore disci potest, qui se ex ea gente originem habere gloriatur, quicquid de his somnient scriptores Gallici, & eos è Dania venisse autument. Angriuarios & Chamauos a tergo Dulgibinis & Casuarijs claudi Tacitus scribit, a fronte autem Phrisiis excipi. Per Westphaliam* AMISVS *fluit amnis insignis, ac in mare Frisium iuxta Emdam labitur. In hoc Drusus Bructeres nauali vicit prælio. Strabo Hamasiam appellat.*

Normanni origine sunt Dani, Sueones, Norwagi. Hi quod ante Saxones fecerant, & Angli, vicina primum Germaniæ, inde remotiora Galliæ, tempore Martelli & Pipini infestare adgressi, quacumque incedebant omnia ferro ac flamma vastabant, facta piratarum more in littora exscensione. Experta est ipsorum iniurias non semel VVestfalia, Frisia, Hollandia, Flandria, Brabantia: ipsa etiam Britannia & Gallia, vbi non prædas egere tantum, sed sedes quoque sibi fixere. Ac sub Carolo Magno subiugatis Nortalbingis, Obotritis, & Slauis vastatisq; insulis quæ ad Rheni & Scaldis ostia sitæ sunt, ductu Godefridi regis, qui iam Germaniæ imperium spe vorare ausus fuerat, etiam Aquense Palatium bello se petituros minabantur. Ac feciſſent, nisi satellitis cuiusdam sui perfidia Godefridus perijsset. Ea res Christianos a Paganis liberauit. Iidem tamen postea Gallias per annos non minus XL tenuere. In Germaniam superiorem aduerso Rheno nauigijs delati, depopularunt omnia, occiso etiam Sallo Mediomatricū Episcopo. Sub Carolo tandē simplice Galliarum rege dux ipsorum Rollo persuasus religionem Christianam amplexus est, Gilla etiam regia filia in vxorem ducta, totaque Neustria cum Britannis super Ligerim in dotem accepta, quam a sua gente Normanniam appellauit.

Ciuitates verò Basacterorum sunt,

Mediolanum, *Munster*, f.
Teuderium, *Paderborn*, f.
Siatuanda, *Osenbruck*, f.

Et vltra Visurgim ducatus Brunsuicensis itemque Hildesheimensis ciuitas.

Tulisurgium, *Brunswyck.*

LACOBARDI & DVLINGI.

Postea erant LACOBARDI, λακκόβαρδοι, *sub quibus* DVLGVMNII, δολγόμνιοι, *vbi nunc est Marchia antiqua & Episcopatus Meydeburgensis.*

Ciuita-

Ciuitates verò sunt,
Mesouium, *Meydburg vel Milden.*
Halberstadensis Episcopatus.

TEVTOMARI & VIRVNI.

Inter Saxones & Sueuos erant TEVTONARI & VIRVNI τευτονόαροι καὶ ϝίρϝνοι.
Horum ciuitates nunc sunt,
Treua, *Hauelburg,* f. *ciuitas & episcopatus.*
Welsenach.

TEVTONES & AVARPI.

Posteà TEVTONES & AVARPI, τεύτονες & ἄυαρποι.
Quorum ciuitates nunc sunt,
Berlin, & Brandeburgensis ciuitas.

ÆLVÆONES.

Inter Ruticleos verò & Burguntos habitabant ÆLVÆONES, Αἰλϝαίωνες.
Horum ciuitates nunc sunt,
Scurgum, *Grandniz,* f.
Ascariçadis, *Toren,* f.

LINGÆ.

Sub Semnonibus habitabant LINGÆ: λίγγαι, *quæ nunc pars est Lausatiæ.*

LVTI MANI & LONGI DIDVNI.

Sub Burguntis autem LVTI MANI & LONGI DIDVNI, λάτοι οἱ μανοι καὶ λόγγοι δίδουνοι, *vbi nunc est Stargardia in Pomerania.*

CALVCONES.

Sub Ilingis ex vtraque parte Albis degebant CALVCONES, καλύκωνες, *vbi nunc est Heritzberg, & pars Misniæ, circa Seruestam, Zerbst.*

CHÆRVSCI.

CHÆRVSCI, χαιρουσκοὶ, *inter Albim fluuium habitabant, & Visurgim, diremebanturque ab Angriuarijs, vt Tacitus scribit, lato aggere, quem illi extulerant, quo a Cheruscis dirimerentur, quum Drusus Germanicus Cheruscos adgressus fuisset, Arminius cum illis trans Visurgim instructa acie stetit. Is enim Romanos & Cheruscos interfluebat. Unde planè constat, Cheruscos eam inhabitasse terram quæ hodie Saxoniæ pars est, cum Duringia vniuersa. Saltum verò Teutoburgensem in quo Varus cum Romanis legionibus cæsus est, haud procul ab Amisia teste Tacito abfuisse constat. Drusi verò trophæa Ptolemæus quasi ad ortum Visurgis ponere videtur. Id si verum est, circa Fuldense fuerunt monasterium; nam & Strabo refert, Drusum quum inter Salam fluuium & Rhenum belligeraret, oppetijsse.*

CHAMAVI.

CHAMAVI, καμαυοὶ, *eam tenebant terram quæ nunc est Misnia, vsque ad Melibocum montem.*

BONOCHÆMÆ.

Versus ortum autem Albis habitabant BONOCHÆMÆ, βονοχαῖμαι, *circà Cottowitz & Dresen.*

BATINI.

Supra hos erant BATINI βατεινοὶ, *vbi nunc est Ducatus Sagensis.*

CORCON-

CORCONTI.

Et adhuc ſuper hos habitabant CORCONTI κορκοντίοι *ſub monte Aſciburgio, vbi hodie Gorlitz eſt & Pantzen, cum reliquis ciuitatibus vſque ad Poloniam.*

LVTI BVRI.

LVTI BVRI, λῦτοι οἱ βῦροι, *vſque ad Viſtulam portendebantur. Hodie Sileſia eſt, vbi & Vratiſlauienſis ciuitas eſt, quæ Budorgis cenſetur, & Poloniæ pars vſque ad fluuium Viſtulam.*

SIDONES.

Inde SIDONES σίδωνες *erant, vbi nunc Ducatus Oppolenſis.*

COGNI.

Poſt illos COGNI κόγνοι, *vbi hodie ducatus eſt Teſchenſis.*

VISBVRGII.

Demum verò erant VISBVRGII ϊσβῦργιοι *ſupra ſiluam Hercyniam: nunc pars eſt Moraniæ circa ciuitatem Olmicenſem.*

CASVARI, NERTEREANES, DANDVTI.

Rurſus ſupra Sueuos Ptolemæus ponit CAVSAROS καισαρῶς, NERTEREANES νερτερέανας, DANDVTOS δανδῦτος, *vbi forſitan hodie eſt ditio Comitum de Hennenberg, & regiones quæ vocãtur Puchen & Ron cum ciuitatibus Smalcaldia, Koberga, Egra, & reliquis.*

TVRONI & MAROVINGI.

Sub his autem TVRONI & MAROVINGI τῦρωνοι καὶ μαρῦιγιοι *colebant, forſitan, vbi hodie ea regio eſt, quæ vocatur Palatinatus ſuperior, circa Ambergam, vſque ad ſyluam Bohemorum. Verum hic nihil certi adſirmamus.*

CATTI.

Iterum ſub Chamauis erant CHATTÆ χάτται, *ſiue vt Tacitus appellat Catti, Cheruſcis ad occaſum contigui ac propinqui; Nam, vt Tacitus ſcribit, quum Druſus ex improuiſo Cattos inuaſiſſet, Cheruſcis in animo fuit Cattos iuuare, ſed a Cæcina prohibiti ſunt. Quapropter abſque dubio patet, Cattos vicinos fuiſſe Cheruſcis, & eam habitaſſe prouinciam quæ hodie Haſſia vocatur. Nam, vt Cornelius inquit, apud illos colles rareſcere incipiunt, nec terra adeò paluſtris eſt, quemadmodum in Germania inferiore. Hi ſuccedente tempore Cheruſcos ſubegerunt, indeque cum Hermunduris ob ſalis flumen contendentes, penitus cæſi fuerunt, quum victores diuerſam aciem Marti & Mercurio ſacraſſent, & forſitan ob illos ſalis fontes pugnatum eſt, qui hodie apud Hallenſes in Miſnia cernuntur.*

Horum ciuitates fuerunt,

Stereontium, *Caſſel. f.*

Pheugarum, *Marpurg. f. Cornelius Tacitus refert, Mattium caput gentis fuiſſe, quod & ſummis laudibus attollit.*

TVBANTI.

Supra Cattos habitabant TVBANTI τῦβαντοι. *Hodie ea regio Eſſfeld cenſetur, & ſilua Hartz.*

TEVRIOCHÆMÆ.

Inde ad Sudetes montes erant TEVRIOCHÆMÆ τευριοχαίμαι, *iam Foytlandia eſſe putatur.*

VARISTI

VARISTI.

Sub montibus erant VARISTI, *ὑαρίσοι, vbi nunc ciuitas est Babenbergensis, et montana quæ Babenbergensia vocantur, cum oppidis Holfeld, Kulmbach, Peyrreut, Hoff. Cæterum nec hoc præterundum, in hac regione montem esse piniferum dictum, ex quo quatuor insignia et nauigabilia oriuntur flumina, quæ ad quatuor mundi tendunt plagas. Ægra enim ad ortum fluit, et in Bohemia cum Albi miscetur. At Naxus versus Austrum fluens in Danubium tandem exit. Sala autem ad Septentrionem labens et ipsa ab Albi excipitur. Mœnus vero versus occasum in Rhenum se exonerat.*

CVRIONES, CHÆTVORI.

Sub Martungis erant CVRIONES, *κυρίωνες, inde* CHÆTVORI, *χαιτύωροι, et Parmæ Campi, πάρμας κάμπους, vbi hodie Austriæ pars est Cisdanubiana, iuxta Krems, Znaem, et Niclasburg.*

MARCOMANNI.

Inde habitabant MARCOMANNI, *μαρκομανοί. Hodie regio illa Morauia est, quæ se ad* SVDINOS, *σουδινὰς, extendebat, et Danubium vsque, vbi hodie ciuitas est Presburgium. Gessit hæc gens maxima bella cum Romanis, præcipuè Antoninorum tempore. Ciuitates nunc habet insignes Olmicensem Eburum fortassis, et Brunensem.*

QVADI.

Sub silua autem Hercynia QVADI *erant, κάδοι, vbi nunc sunt oppida Kam, Kalmuntz, Grafenau, vsque ad Lunam siluam. Apud hos vt olim hodie quoque ferri perdurant mineræ.*

BÆMI.

Sub silua vero Luna, seu potius inter syluam Lunam gens magna erat BÆMORVM, *qui et* BOIOHÆMI *vocabantur, ac vndique claudebantur syluis. Eam regionem Marobodnus obtinebat Romanis olim bellis clarus: sub quo tum, vt Tacitus refert, Sueuicæ etiam gentes, Semnones et Longobardi, nec non Marcomanni erant, ad quos ab Arminio pugna victus concessit. Verum Sclauinorum posteà gens, quum multitudine sua totam fere inundaret Europam, etiam inuasit terram, ac expulsis veteribus colonis vniuersam occupauit. Et licet illi hodie quoque Bohemi vocentur, nequaquam tamen Germanica sed Sclauonica vtuntur lingua, quæ & veterem illorum redarguit originem. Nunc in regni formam est redacta, ac multis vrbibus insignita, diues frumenti, pecoris, piscium, ac minerarum, admodumque populosa, nec non potentissimis Baronibus magnaque nobilitate decorata. Huius regionis ciuitates esse censentur,*

Coridurgis, *Præg.* f.
Medoslanium, *Pisa*, f.

Hi hodie ad Danubium ferè extenduntur, ac ideò TERACATRIAS *&* RACATAS *quoq; occuparunt.*

Hactenus Ptolemæum Bilibaldus sequutus est, nominibusque antiquis ac pene obsoletis nomina recentia aptauit, quanta quidem potuit dexteritate. Sequuntur Germaniæ populi a Tacito positi quos Ptolemæus omisit.

MARSI Taciti.

Plures alias Germanicas gentes Tacitus ponit, inter quas & MARSOS *recenset. Scribit enim, quum Drusus Germanicus Marsos adoriretur, quos & magna clade affecit, quod exciuerit Bructeros, Tubantes, & Usipetes, vt saltus, per quos exercitui regressus patebat, insiderent. Vnde liquet, has gentes omnes haud longe a Rheno abfuisse, licet Ptolemæus*

Tubantes etiam supra Chattos statuat. Porrò Marsorum reliquiæ adhuc in Germania permanent: nam Saxonum Insulæ vbi Albis in mare se exonerat, hodie a Diet-marsis, hoc est, a populis Marsis habitantur, & a Marsorum nomine appellantur.

Atqui Marsorum sedes non vna. Initio Sicambris fuere contermini: posteà haud procul Teutoburgensi saltu. Horum fuit templum Taufanæ celeberrimum, referente Tacito. Strabo diserte, Populos quosdam ad ripam Rheni sitos Romani in Galliam traduxere, vt Sicambros; quædam in interiora migrauerunt vt Marsi. Sunt qui huc referant Otmarsenses.

BRVCTERI Taciti.

BRVCTERI *a Ptolemæo haud nominantur: nisi quis Busactores paruos pro Bructeris accipere velit. Hos Drusus pugna nauali in fluuio Amisio deuicit. In horum terram immigrarunt Chamani & Angriuarij, pulsis Bructeris.*

MATTIACI Taciti.

Præterea & MATTIACOS *Tacitus recenset, qui ipsi a tributis, quemadmodum & Batani exempti erant, ac solum ad vsum reseruati bellorum.*

Quin Ptolemæi Ματτιακὸν sit Taciti Mattium, non est cuipiam dubium: Est ergo oppidum quod Marpurgum nunc vocant, ad Lohnam amnem: Ab eo fontes Mattiaci Plinio, aquæ Mattiacæ Macellino, pilæ Mattiacæ Martiali, populi Mattiaci Tacito, ac simpliciter Mattiaci pro militibus ex eo tractu delectis in Notitia Imperij. Qui Zelandos esse putant, non aliud habent quod suæ opinioni obtendant, quam quod illi socios vocent Maets. Quis autem non videt quam illud infirmum argumentum sit? Neque enim id ipsi soli faciunt. Et quis scit an semper fecerint? minus quippe nunc vsurpant quem olim. Eodemque iure possent Harlemenses dicere, se esse Busas, aut à Busis Medorum populis ortos, quia socios Busos ipsi vocant. Tacitus certe libro de moribus Germanorum ita Mattiacos describit, vt doceat eos non esse in ripa Gallica, sed vltrà Rhenum, vltraque veteres imperii terminos, sede quidem finibusque in suâ, hoc est Germanica ripa, sed mente animoque Romanis coniunctos, cætera similes Batauis, nisi quod ipso adhuc terræ suæ solo, & cœlo acrius animentur, quæ sanè Zelandis non competunt.

VSIPII & TENCHTERI Taciti.

VSIPIOS & TENCHTEROS *Cattis proximos esse scribit Tacitus: Vsipiorum verò Ptolemæus ne meminit quidem.*

Vispos habet Ptolemæus, Οὐίσπας. Tacitus Vsipios & Vsipetes. Iunguntur ferè semper Tenchteris; quos Ptolemæus corruptè vocat Τιγγέρας. Sedes ipsis cum Had. Iunio statuerim, vbi nunc Sutphanienses. Tacitus eos laudat. Tenchteri, inquit, super solitum bellorum decus, equestris disciplinæ arte præcellunt: nec maior apud Cattos peditum laus, quam Tenchteris equitum. Sic instituere maiores; posteri imitantur. Hi lusus infantium: hæc iuuenum æmulatio: perseuerant senes.

HERMVNDVRI Taciti.

HERMVNDVROS *non refert Ptolemæus, sed Tacitus. Albim quoque in Hermunduris oriri scribit. Id si verum est, pars erunt Bohemiæ.*

Hermunduros de Sala amne cum Cattis certasse, eosdemque ad Danubium vsque ditionem suam extendisse constat.

constat. Fida, inquit, Tacitus Romanis ciuitas; eoque solis Germanorum non in ripâ commercium, sed penitus, atque in splendidissima Rhætiæ prouinciæ colonia. Passim sine custode transeunt, & quum cæteris gentibus arma modo castraque nostra ostendamus, his domos villasque patefacimus, non concupiscentibus.

ARII & HELVECONES Taciti.

ARIORVM, HELVECONVM, *ac reliqua apud Tacitum Germanorum nomina nunc penitus exoleuerunt.*

Arios & Heluecones Tacitus Lygijs adcenset. Lygiorum, inquit, nomen in plures ciuitates diffusum: valentissimas nominasse sufficiet, Arios, Helueconas, Manimos, Elysios. Sunt autem Heluecones Taciti iidem cum Plinij Hilleuionibus, quorum gentem in Scandinauia ait quingentos pagos incolere. Videtur eos Mela vocare Hermionas, nisi vitium fecerint eius codices; Ego suspicor esse eos qui nunc Hallandiam incolunt.

PEVCINI & BASTARNÆ Taciti.

PEVCINOS *autem &* BASTARNAS *Plinius Dacis conterminos esse dicit. Supersunt & hodie in Transsyluania, quæ Sibenburgensis appellatur, Germanorum reliquiæ. Vtrum verò posteà illuc migrarint, an semper ibi habitarint, nil certi quod adfirmem habeo.*

Bastarnis in Thracia locum concessum à Probo imperatore autor est Zosimus. Iornandes ait eos à Septentrione Dacos contingere.

RVGII Taciti.

Sane RVGIORVM *terra hodieque nomen retinet, pluresque principes de titulo Rugiorum contendunt, veluti Marchiones Brandeburgenses, Megalburgenses, & Pomeraniæ duces. Superest & insula Rugiorum ex opposito fluuij Sueui, vbi is in mare exit. Hi posterioribus temporibus magnum nomen sortiti sunt.*

Hodie vocant Rugen-landt. Sidonius recensens populos Septemtrionales, inquit,

---- pugnacem Rugum comitante Gelono
Gepida trux sequitur. ----

Et rursum, carmine V.

Pannonius, Neurus, Chunus, Geta, Dacus, Alanus,
Bellonotus, Rugus, Burgundio, Vesus, Alites.
Bisalta, Ostrogothus, Procrustes, Sarmata, Moschus,
Post aquilas venere tuas. ----

Sub Theodorico Ostrogotho Rugi Ticinum ceperunt, Adeundus imprimis Ennodius in vita S. Epiphanij.

SVIONES Taciti.

SVIONVM *deinde ciuitates Tacitus ponit, quos classe etiam valere scribit. Forsitan hodie sunt Sueci & Dani, post quos mare est glaciale, quod Tacitus pigrum vocat. Siquidem & Plinius refert, immensas insulas non pridem in Germania compertas, quæ procul dubio Suecia, Dania, & Noruagia sunt, quæ longissimo tractu terrarum ab ortu in occasum excurrunt, ita vt Islandia, quæ gradus septem in longitudine habere creditur, vsque ad* LXIII *gradus protendatur: In latitudine verò a gradibus* LV *vsque ad gradus* LXXII *sint cognitæ, cum insulis adiacentibus, veluti Islandia sive glaciali, Finlandia, Vermerlandia, Gronlandia, vsque ad homines siluestres, qui ob mores feroces Wiltlappmanni vocantur. Vltimus verò limes Christi cruce signatus est, quem nemo absque regis licentia transcendere potest, & cum comitatu magno. Et is limes continet in latitudine gradus* LXX *circiter. Inde non longè*

erecta est arx, quæ vocatur Warthauß, vel domus præsidij. Veniunt tamen quotidie a Septentrionibus terraque incognita ac a mari glaciali homines quidam barbari, Caroli vocati, mercimoniorum gratia in Gronlandiam, cum magno exercitu, &, vt pro comperto habetur, ex altera parte poli Septentrionalis. Hoc plane constat, Sueciam continentem & non vndique mari circumfluam esse. Norvegiæ ciuitas principalis, & emporium hodie est Bergen, quæ habet in longitudine gradus XXIV. 16. *in latitudine verò gradus* LXI. 15. *Sueciæ autem ciuitas præcipua est Stockholmia, quæ continet in longitudine gradus* XLII. 38. *in latitudine gradus* LX. 30. *Daniæ caput regni est Hafnia, quæ Copenhauen dicitur, longitudine gradus* XXXIV. 24. *latitudine gradus* LV. 30. *obtinens. Inter insulas verò Daniæ Gotlandia hodie quoque nomen retinet, suntque in illa ciuitates, Ecclesia Pharensis & ciuitas Visbuy.*

Suionas & Sitonas amplissimis Sueuorum gentibus in Germania adcenset Cornelius Tacitus: ad illam hodie pertinet Norwagia; ad hanc Suecia, cui nunc feliciter imperat serenissimus eius regni Gothorumque insuper & Vandalorum &c. Rex, Gustauus secundus, ad quem nuper a nobis discessit cooptatus in consiliariorum ipsius numerum eruditissimus & prudentissimus vir Ianus Rutgersius. Ei nos tali apobaterio perfunctoriè, ob temporis inopiam, lusimus.

D. IANO RVTGERSIO
DVRDRECHTANO,

Sereniſſimi Suecorum, Gothorum, Vandalorum &c. Regis

GVSTAVI II.

Conſiliario, ἀποβατήριον.

ERgo sub Arctoo frigentem cardine mundum
Vandalicoque petes subdita sceptra Deo?
Quosque tibi pridem debebat patria honores,
Oblatos alio sub Ioue Iane geres?
I fœlix tua te quo fors vocat. Vltima non est
Laus hæc, Principibus complacuisse viris.
Imprimis Regi, qui quo præstantior est, hoc
Plus quoque virtutis, plusque decoris habet.
Non cadit in viles animas cognoscere diuos,
Nec licet exiguis rebus adesse tibi.
Magnos magna decent. Sueonasq; Gothosque Batauus
Consilio posthac dirigat iste suo.
Interea dulceis absens procul æstima amicos,
Sisque horum in longis noctibus vsque memor.

SITONES

SITONES Taciti.

Inde SITONVM *sequuntur gentes; Et hunc finem Sueuiæ esse Tacitus refert: forsitan hodie Lyflandia est. Pomponius Mela Hermiones vltimos Germaniæ esse dicit.*

SARMATÆ EVROPÆI.

Cæterum Ptolemæus vltra Viſtulam Sarmatiam auſpicatur Europæam, quam eo quoque tempore quemadmodum & nunc, multæ Germanorum habitabant gentes, veluti GOTHONES, ALANI, RVGII, SCYRI, VANDALI *& cunctæ aliæ Gothorum nationes: Poſt horum tranſmigrationem* SCLAVINI, *vt dictum eſt, ingreſſi ſunt, & terras illas occuparunt, aut etiam alios expulerunt; Gens fuit multitudine ſua numeroſiſſima, & quæ hodie præter Poloniam, totam Ruſſiam cum Moſcouia vſque ad mare glaciale & Tanaim, ac vltra illum etiam multa poſſidet. Cæterum* SINVS VENEDICVS *cum magna parte mediterraneæ regionis, quæ hodie Pruſſia eſt, nec non Liuonia vniuerſa, quæ olim fuit* GOTHIA *orientalis, vſque ad Naruam fluuium, qui in ſinum exit Venedicum, hodie militiæ Teutonicæ ſanctiſſimæ virginis Mariæ paret: ſuntque ibi Eccleſiæ Cathedrales quamplurimæ, veluti Sambienſis, Rigenſis, Vpſalenſis, & vltima Reualienſis. Ciuitates verò Elbinga, Armel caſtrum, Mariæ burgus, Mons regalis, Riga, Vpſala & Reualia, quæ habet in poli altitudine gradus* LXII. *In mare autem exeunt poſt Viſtulam Chronus, hodie Paſſuria, deinde Pregora, vel Chershin, poſteà Armele fluuius magnus, die Memel, vocatur & Niemen Sclauonice, per Moſcouiam fluens, ac in mare Prutenicum tribus oſtijs exonerans. Quidam hunc Chronum eſſe putant. Inde eſt Hilligefluuius, Rubonis fortaſſis. Polet deinde, Turnus forſan. Poſteà ingens fluuius qui Duna & Zuina ac Binda vocatur, ex Moſcouia oriens apud Rigam in mare erumpit, forſitan Cherſinus eſt. Inde iuxta Reualiam Ana fluuius exit. Demum autem Narua fluuius magnus, & ipſe ex Moſcouia fluens, ac in Oceanum Sarmaticum iuxta Flauienam ſe exonerat, Liuoniamque a Moſcouia diſterminat. Oſtia fluuij huius in eleuatione poli habent* LXIV *gradus vel circiter. In mediterraneis autem & haud longe inde ciuitas magna eſt Nouogardia dicta, quæ graduum eſſe fertur* LXVI, *non multum a mari glaciali. Eſt autem hoc tempore* MOSCOVIA *cum terra illa vniuerſa magno duci Moſcouiæ ſubiecta, cuius ditio quum verſus occidentem a mari Balthico incipiat, per quingenta milliaria Allemannica & magna quidem orientem verſus ſe extendit, quemadmodum Moſcouitæ pro certo adſirmant; ita vt longè Tanaim & Volgam, hoc eſt, Rha fluuium ſuperet, & per Aſiaticam Scythiam excurrat. Ioannes enim præſentis Ducis Baſilij pater multa ſuo adiecit imperio, veluti terram quæ Permeſka nominatur, cum Corela, & vltimam quoque Iuhram, ex qua olim egreſſi ſunt Hungari qui in Pãnonia ſedes fixerunt: quod non ſolũ ex communi patria liquet nomine, ſed quod & lingua eadem vtuntur qua Hungari, licet incomptiori. Sunt verò prædictæ gentes non ſolum Barbaræ, ſed & ferinæ ac belluinæ, pane carent, & ex venatione ferarum & piſcium viuunt: & quia nihil aliud poſſident, tributi nomine nil niſi animalium pelles & piſcium dentes magno duci Moſcouiæ ſoluunt, ex quibus cultellorum fiunt manubria, præcipueque apud Turcos in pretio habentur. Sed & TARTARI Koſanenſes qui iuxta caſtrum Koſam quod ſuper flumen Volham ſitum eſt, vnde & nomen ſortiti ſunt, Moſcouitæ ſubſunt imperio, ac illius iuſſa bella capeſſunt. Moſcouiæ verò ad ortum Tartari adiacent Sauolhenſes, nec nõ Tartari Nohaienſes, Sabolenſes, qui ſe cæteris præſtare putãt. Hi ad mare ſe extendunt Caſpium. At Nohaienſes admodum ſunt Septentrionales, & quotidie Moſcouiã ſuis infeſtant excurſionibus.*

A Septentrione vero Moscouia Occano terminatur glaciali, A meridie autem vastissimis campis, nec non Lithuania & Russia, a qua nostris temporibus Ioannes dux Nouogardiensem ducatum cum ciuitate eiusdem nominis maxima & Mozaicensem ducatum abstulit. Præsens vero dux Basilius Ploskouiensem & Smolensem ducatus, cum pluribus alijs Lithuanis & Ruthenis ademit. Vtuntur autem Moscouitæ ac Rutheni lingua Sclauonica, ritumque obseruant Græcum: reliquis vero gentibus quibus Moscouitæ & Lithuani imperant, singulis proprius est sermo. Ciuitas in qua Dux ipse vt plurimum degit, Moscouia, *quem admodũ & regio ipsa, appellatur, fluitque per eam eiusdem nominis fluuius vastus. Vrbs est ingens, sed tota ferè lignea, præter castrum & palatium Ducis, quæ ex lapidibus sunt constructa, distatque a ciuitate Smolensi, quæ in Russia est, centum milliaria Germanica. Smolensis vero ciuitas a Vilna ciuitate ingenti Ruthenorum abest milliaria* CXX. *At Vilna a Cracouia regia ciuitate Poloniæ per milliaria centum: ita vt à Cracouia vsque ad Moscouiam* CCCXX *sint milliaria Germanica magna. A Nurenberga autem Cracouiam milliaria sunt centum & aliquanto amplius. Sunt autem gentes illæ incomptæ & admodum barbaræ, extremæ prætereà seruituti subiectæ; ita vt omnia quemadmodum inter Turcas dominorum propria esse censeantur, princepsque Moscouiæ cunctarum rerum proprietatem habeat: vsumfructum vero subditis vtendum relinquat, non diutius tamen quam sibi placet. Porro Moscouitarum terra pars est Sarmatiæ Europeæ, vbi Ptolemæus Hyperboreos et Basilicos ponit Sarmatas, nec non Modocas a quibus forsitan Mosci sunt deriuati. Prætereà* Hippophagi *Sarmatæ ibi degebant, nec non* Socatæ, Suardini, *et* Asei, *et iuxta Borealem Tanaidis inflexionem Perierbidi, gens magna. Iuxta Australem verò Taxamatæ. Vltra Tanaim verò quo se longissimè Moscouia extendit,* SARMATIA *inquit* ASIATICA, *et deinde Scythia est, iuxta Rha fluuium, vbi a Ptolemæo Phthirographi & Materi cum alijs quamplurimis ponuntur gentibus. Deinde erat terra incognita, vbi hodie* Pomeska, Corella, & Iuhra *vel Hungaria prisca, quæ cuncta Moscouitæ sunt subiecta. In Moscouia oritur fluuius Edel, id est Rha vel Volga; nec non Tanais, ex terra plana ac palustri, cum multis alijs, Znina, Moska, Ocha, Mimula, & alijs quibusdam.*

LITHVANIA.

LITHVANIA *Moscouiæ versus Boream est coniuncta, ad occasum verò, vbi regio est* Samogithia, *Liuoniæ & Prussiæ adnectitur. Ab ortu autem fluuijs terminatur* Oskol, Jugra, *& Donucytz, qui se omnes in Tanaim exonerant. At meridiem versus Poloniæ & Russiæ adiacet. Hæc gens superioribus annis admodum obscura & Ruthenis subdita fuit. Verum quum succedenti tempore duces nacta esset bellicosos, ita præualuit, vt totam Russiam suo subijceret imperio; quin & Liuoniam, Prussiam, & Poloniam assiduis infestauit incursionibus; adeò vt nisi milites cruciferi cum aliorum Christianorum Principum subsidio illis obuiam iuissent, tam de Polonia quam de Prussia actum fuisset. Nec tamen ita reprimi potuit, vt non maximas clades Christianis inferret, ab ijsque pariter acciperet. Durauit bellum infestissimum multis annis; donec tandem deficiente regia stirpe Polonica Jagellus magnus Lithuaniæ Princeps fidem Christianam vnà cum regno Poloniæ & relicta Ludouici regis filia Heguide accepit, ac post susceptum baptismum Vladislaus est vocatus. Contigere hæc sub annum salutis* CIↃ CCC LXXXVI. *Ab eo tempore Lithuania, Samogithia, & Polonia in stirpe illa permansere. Subsunt autem magni ducis Lithuaniæ imperio gentes multæ & principes quamplurimi, tam Lithuani quam Rutheni. Ciuitas principalis* Vilna *est, admodum magna, ad fluuium eiusdem nominis con-*

nis condita. Oritur quoque in Lithuania fluuius Boryſthenes, qui deinde per Ruſſiam fluens in mare exit Ponticum. Lingua gentis quadripertita eſt: paullatim tamen lingua ſubintrauit Polonica, nec non Germanica. Sequitur verò Lithuania & Samogithia ritum Eccleſia Romanæ. Ptolemæus GALINDOS, BODMOS, SVDINOS, SEVINOS, HAMAXOBIOS, & CARIONAS *ibi poſuiſſe videtur.*

RVSSIA.

RVSSIA *ſiue* ROXOLANIA *& ipſa in Sarmatia poſita eſt Europæa: eſtque duplex, Alba & Rubea, ſeu inferior. A ſolis ortu flumine terminatur Tanaide & paludibus Mæotidis: A Septentrionibus autem Moſcouiæ & Lithuaniæ adiacet: A meridie verò* Valachia, Moldauia, *& Carpathomontibus diſterminatur. Ad occaſum autem Poloniam & Moſcouiam contingit. Eam regionem olim inhabitarũt* MASSAGETÆ, *qui &* ALANI, *&* Hamaxobij. *At per totum latus Mæoditis* IAZXGES *&* ROXOLANI, *nec non* CHVNI. *At occaſum verſus* PEVCINI *&* BASTERNÆ, AMADOCI, *&* NAVARRI, TYRANGETÆ, SAVROMATÆ *&* GYTHONES, *cum alijs nationibus Gothicis. Siquidem ex his regionibus emigrarunt Gothi, Alani, Scyri, Gepidæ, Heruli, Taiphali, Carpi, et reliquæ cunctæ gentes Gothicæ, quemadmodum ex certiſſimis hiſtoriis oſtendi poteſt. Nam Alani et Roxolani inuaſtiſſimis campis ad Tanaim uſque habitarunt, qui hoc tempore Tartarorum incurſionibus penitus ſunt deſolati et inculti. Ad fluuium verò Dnieper, qui eſt Boryſthenes, et Deneſter, qui eſt Tyras,* GOTHI *reſidebant. Vnde digreſſi in duos diuiſi ſunt populos: nam qui ad ſolis ortum ſunt progreſſi, ac Tauricam Cherſoneſam cum multis alijs occuparunt locis,* Oſtrogothi, *hoc eſt Orientales Gothi ſunt dicti. Qui vero occidentem verſus perrexerunt,* Viſigothi, *id eſt, occidentales Gothi ſunt appellati. In horum locum Sclauini ſucceſſerunt, quemadmodum patet ex lingua. Cæterum hoc tempore Ruſſia magno Duci Lithuaniæ et principibus qui ſub ipſo ſunt, eſt ſubdita, præter ea quæ Moſcouitæ abraſerunt. Sanè etſi regio illa pecoris, frumenti et mellis ſit fertiliſſima, præcipuè ea quæ* Podolia *nuncupatur, per Tartaros tamen ac Turcas admodum eſt vaſtata. Tartari enim Præcopenſes qui et Vlani, ex Tartarica Cherſoneſo quotidie illam inuadunt et ſpoliant. Turcæ vero poſtquam noſtra ætate Bialogrod ſiue nigrum Caſtrum vbi Tyras, hoc eſt, Deneſter in Pontum influit, nec non Kiliam, hoc eſt, album Caſtrum, non longè a Danubij oſtijs occuparunt, nunquam ab infeſtatione Ruſſiæ ceſſarunt. Sed et Tartari Præcopenſes munitionem circa Boryſthenem exſtruxerunt, nomine Ozarkou, ex qua Ruſſiam inuadunt et ſpoliant. Rutheni enim licet olim ſuper flumen præſidia quædam conſtituiſſent, per quæ Tartari tranſgredi prohibebantur, ea tamen propter anaritiam reliquerunt: vnde iam Tartaris liber patet aditus. Habet et Ruſſia ciuitates complures eximias, quæ magna ex parte vaſtatæ ſunt, inter quas fuit* Chiouia *vrbs ampliſſima ad Boryſthenem fluuium ſita, forſitan Olbia ſeu Boryſthenes a Ptolemæo et Strabone vocata, iampridem a Tartaris euerſa. In illa reſidebat Ruthenorum metropolitanus, cui ſubditi fuere omnes Ruſſiæ, Lithuaniæ, Moldauiæ, et Valachiæ Epiſcopi. Hodie* Leopolis *principalis eſt ciuitas, deinde Halitz, ambæ iuxta fluuium Tyram ſitæ cum pleriſque alijs. Nam Smolenſis, nec non Pleſcouienſis, et Nouigradenſis Ducatus cum ciuitatibus ſuis Ruthenis, vt dictum eſt, per Moſcouitas ſunt adempti. Rutheni vero Sclauonico loquũtur ſermone, et vt plurimum Græcorum fidem ſequuntur. Inhabitant et Ruſſiam* Armeni, *qui magnas exercent mercaturas; nam ad Ægyptum, Perſiam, et Indiam vſque penetrant; inter Turcas et Mahumetanos liberè et vbique ſine vectigali negotiantes. Ita enim Machumetes conſtituit, quoniam ab*

Armenis

Armenis educatus & multis beneficijs affectus est. Cæterum quia Tauricæ Chersonesi facta est mentio, sciendum est, quod Ostrogothi illam post primam occupationem vsque in hodiernum diem inhabitant. Nam licet Imperatores Græci peninsulam illam aliquando possederint, & Genuenses Caffam, quæ est Theodosia, occupauerint, Tamerlanusque decantatus Tartarus illam ceperit, a quo tempore eam Tartari Vlani, qui & Præcopenses seu Crimnenses ex oppidi nomine ita vocati, possederunt ac inhabitarunt, qui & ipsi postea a Turcis fuerunt subacti & ad tributum soluendum coacti; Ostrogothi tamen semper montana, licet sub trituto, possederunt: Loquuntur autem Germanicè, qua lingua omnes Gothi, vtpote Germani, vsi sunt. Superfuere & ad ætatem vsque nostram duces Gothorum nobilissimi de Mancup dicti, qui castrum Mancup semper a Tartarorum vi defenderunt. Donec Mahumet Turcarum Imperator Caffam expugnauit, Tartarosque & peninsulam suo subiecit imperio. Tunc ille & castrum Mancup cepit, & duos duces fratres de Mancup gladio percussit, in quibus & tota illa Gothorum nobilitas cessauit. Gothi verò qui adhuc in montibus supersunt, vt plurimum vineas colunt, & inde vitam sustentant. Proinde & hoc sciendum, quod ex omnibus nationibus Gothicis nulla amplius in Germania supereſt, exceptis Scyris, qui & nunc quoque Stiriy & Stirenses appellantur, & Turcilingi, qui & Thuringi. Sed nec hoc ignorandum est, eam gentem quæ hodie Turcarum appellatur nomine, a Tartaris ortum sumpsisse: quod non solum vna & eadem lingua, ritus, victus, & vestitus, sed & equitandi ac bellandi vsus, nec non fraudes, perfidia, & innata barbaries feritasque satis ostendunt. Falluntur igitur, qui Turcarum gentem antiquissimam aut Turcimanos esse putant: quum paulo plus sint quam trecenti anni, ex quo Tartarorum nomen anteà penitus incognitum, sit auditum: post quorum aduentum Ottomanus se a Tartaris seiunxit, & cum suis Turcarum nomen adsumpsit, Tartarique idcircò hodierno etiam die Turcas clientes suos esse dicant: ac Deum ob peccata ipsorum Turcas sit extulisse conquerantur, quum anteà non solum illorum fuerint subditi, sed rustici etiam, idque Turcarum nomine significari adserunt. Proinde gentes Sclauonicæ non solum magnam partem Europæ, sed & Asiæ partem occupauere, supersuntque hodie in montibus Iberiæ atque Albaniæ. Sunt & versus mare Hyrcanum Circassi, gens bellicosissima, quæ lõgo tempore Ægypto cum Syria sub seruorum nomine imperauit. Habitant & ibi GAZARORVM gentes, quæ hodie Abgazari & Abgazelli a Græcis vocantur, nec non Mengrelli. Apud has gentes Tartari Sauolenses tela & alia comparant necessaria; & hi omnes ex Sclauorum gente originem traxere, linguaque vtuntur Sclauonica, & Christi fidem secundum ritum Græcorum sequuntur. Quin et per totam Turciam, præcipuè apud milites, Sclauonica in vsu est lingua, ita vt Constantinopolis ipsa iam non amplius prisco nomine, sed Cæsaris domus Sclauonica vocetur lingua. Sed et paullo ante in aula Soldani Ægypti, milites, vtpote magna ex parte Circassi, Sclauonice loquebantur. Supra mare Hircanum et meridiem versus Zagathai habitabant Tartari, non amplius iam in campis, sed in ciuitatibus lapidibus constructis, ex quibus præcipua est Sarmacanda, quam Iaxartes maximus Sogdianæ fluuius interluit, qui et in mare Caspium se exonerat. Huius conditor Tarmerlanes fuisse dicitur, cum quibus dum Sophi rex Persarum bellum nostra gereret ætate, a Selymo Turcarum Imperatore inuasus et victus est: qui etiam quicquid in Armenia possidebant, vna cum Taurisio regni capite ipsi ademerunt.

VANDALI.

Cæterum qui Vinulos seu Vendos, reliquamque Sclauorum gentẽ Vandalorum nomine honestare contendunt, planè falluntur.

tur. Constat enim classicorum scriptorum autoritate, Vandalos ex Gothorum ortos esse gente, quemadmodum & SCIROS, GEPIDAS, ALANOS, ac reliquos Gothicæ nationis populos; inter quos nihil præter solam interfuit nomenclaturam. Iisdem enim institutis eademque vtebantur lingua, Germanica nempe, quemadmodum dictum est, & ex reliquiis quoque Gothorum, quæ montana Tauricæ Chersonesi præsenti adhuc ætate obtinent, discere licet; quum Sclauorum, Vendorum, & Viltzorum loquela penitus a Germanica sit diuersa. Quin & diu antequam Sclauorum nomen esset auditum, Vandali populariter cum liberis & vxoribus e patria emigrarunt, iamque Lusitaniæ partem tenuerunt, ac in Africam traijcientes, Carthaginem cum vniuersa illa prouincia suo subiecerunt imperio. Sed & Ostrogothi pariter & Visigothi Christiani iam susceperant fidem, quum Sclaui sub initium omnis religionis adhuc essent expertes: quorum tanquam nouorum hostium nomen sub Mauritio primùm auditum est, excursionesque eorum a Iustiniano non parum sunt repressæ, donec immensa multitudine superantes, magnam Europæ & Germaniæ quoque occupauerunt partem; quod quidem Procopij aliorumque plurium auctorum constat testimonio. Egressi sunt autem ex Scythia, quemadmodum & multæ aliæ barbaræ nationes: & vt Solinus Græcus scriptor refert, ex profundo Bersiliæ, dominatique sunt omni peruiæ terræ, vsque ad mare Ponticum. Sub initium autem Gazari a Græcis appellati sunt, quemadmodum & hodie a Saracenis vocantur. Nihil igitur Vandalis ac Vendis præter nominis consonantiam quandam vnquam commune fuit, licet Sorabi, Viltzi, Vendi, ac reliquæ Sclauorum gentes a Vandalis derelictam occupauerint terram, quemadmodum & multas alias regiones suo subiecerunt imperio, prioribus expulsis habitatoribus. Siquidem nulla vnquam gens e Scythia egressa tam copioso numero vt Sclaui, habitabilis terræ partem inundauit. Nam quicquid est a mari Sarmatico & Balthico ad Pontum vsque & Adriaticum mare, nec non a Tanaide fluuio vsque ad vmbilicum Germaniæ cum tota Sarmatia Europæa ac magna parte Asiaticæ, nec non Bohemia, Dalmatia, & Illiride, sua replenerunt multitudine. Quod si ijsdem artibus quibus regna parantur, etiam conseruarentur, proculdubio omnium gentium essent potentissimi. Verum quemadmodum homines, ciuitates, regna, & nationes sua habent initia & incrementa; ita etiam quum ad fatalem deueniunt periodum, rursus decrescere & pessum ire incipiunt, donec tandem penitus deficiant atque euanescant. Nihil enim in hac mundana machina firmum ac perpetuo stabile esse potest.

MONTES ET SILVÆ IN GERmania Transrhenana.

Ex montibus Ptolemæus primum ponit SARMATICOS, *qui nunc Hungariam, Poloniam, ac Germaniam disterminant, vocanturque Cremnitz & Semnitz.*

Σαρματικὰ ὄρεα τὰ ὁμώνυμα τοῖς ἀλπτίοις, inquit Ptolemæus, pag. 103. Scepusienses hodie vocari scribit Ludouicus Decius.

Montes vero qui supra caput Danubij sunt, hodie pars sunt siluæ nigræ, iuxta oppidum Villingen.

Τὰ ὑπὲρ τὴν κεφαλὴν τοῦ Δανουβίου. pag. 103. Rhætiæ accensentur.

HELVETIORVM EREMVS *hodie superior pars est siluæ nigræ, cum silua Brigantina, quæ ad Alpes vsque pertingit.*

Ἑλλητίων ἔρημος Ptol. pag. 104. porrigitur vsque ad Alpes.

ABNOBI MONTES *varia sortiuntur nomina, multosque extendunt ramos: A silua enim nigra per ditionem Marchionis Badensis & Ducis Wirtembergensis, Nicrique fluminis ripas excurrentes, per Sueuiam vsque ad fluuium Cocerum, ac inde ad Tubarim progrediuntur. Hinc Franconiam versus ac Babenbergam tendentes, siluam saltuosam, hoc est,* Steygerwald *constituunt.* A Nicero verò *ad amnem Mœnum,* Ottenwald, *siluam Ottonicam: ac vltrà illam* VVesterwald *silua occidentalis nominantur. Dehinc ad Cattos, hoc est, Hassiam pertingunt, a qua etiam Franconiam diuidit, ibique* Spesshart *appellantur, & vsque ad Westphaliam & Rheni ripas Coloniam vsque se extendunt.*

Ptolemæo Ἄ͂ενοβα ὄρη, pag. 103. Origo vocis Germanica est. Abnow vox collem terrenum & campum pascuum, quem augiam vocant, significat. Proinde Tacitus de Danubij fonte agens, molli & clementer edito montis Abnobæ iugo illum fluere ait. Beatus Rhenanus Danublum existimat nomen quoque inde traxisse, quasi, *die Abnaw.* Ego tamen aliam eius vocis arbitror esse originem; vt sit Thon proprium, aw (quod aquam vel flumen notat) adiectitium, coniunctim verò flumen Thonis, Thon aw, Danubius, vel vt in numismatis Traiani legitur, DANVVIVS.

MELIBOCVS *verò mons inde initium sumit, & ad ortum tendit, nunc Hartzwald, & montana sunt Misnensium, cum argentifodinis: Planè appendix est Abnoborum montium.*

Μελίβοκον ὄρος Ptolemæo pag. 103. εὖ καὶ σοφῶς Rhenanus, eos qui in Hassia vocantur Catzenelbogen, docuit esse Cattos Meliboci montis accolas. Nil potuit magis εὐστόχως.

Deinde silua est SEMANA *hodie silua Thuringorum.*

Σημανὰ ὕλη. Ptolemæus pag. 103. Pars est Hercyniæ, Cæsari Bacenis.

Sub montibus autem Sudetis GABRETA *est silua, nunc Bohemorum dicta; quoniam Bohemiam vndique per gyrum circumdat & claudit.*

Γάβελα ὕλη Ptolemæo pag. 103. *Brit* vel *Breet* Germanis latum significat: Nomen habet a re.

AEGISCIBYRGII *verò montis nomine montana illa continentur, quæ per Silesiam ad Poloniam & Cracouiam vsque se extendunt.*

Dubium non est, quin Ptolemæus montem voluerit significare, consulatur ipse, pag. 105.

SVDETI *montes esse censentur, qui nunc montana Babenbergensia vocantur, & ditio Marchionum Brandenburgensium, vbi ciuitates sunt Holfeld, Culmbach, Peyurreut, Hoff, cum Foytlandia.*

Σύνδιλα ὄρη Ptolemæo vel σύδηλα. pag. 103.

Sub his montibus prædicta Gabreta est silua, quæ & ipsa pars est siluæ Bohemicæ.

Sed & sylua Hercynia initium inter hos & Sarmaticos sumit montes, quæ immenso proceenditur tractu: Nam Cæsar scribit, neminem huius Germaniæ esse, qui se audisse aut adijsse ad initium huius siluæ dicat, etiam quum itinere quadraginta dierum processerit, aut quo ex loco oriatur, acceperit: Latitudine verò nomen dierum itinere expedito patere, multarumque gentium fines propter magnitudinem attingere. Hanc olim, vt ex varijs patet scriptoribus, Germani inhabitarunt, fuitque ibi Germania magna: sed illam postea occuparunt Poloni, gens Sclauonica, eamque hodie cum Moscouitis & Lithuanis tenent.

Ὁ ἑρκύνιος δρυμὸς Ptolemæo pag. 103. Eratosthenis Orcinia dicitur. Mela dierum LX iter eam occupare ait. Describitur accurate a C. Cæsare Commentario VI de bello Gallico. Plinius Hercynium saltum & iugum vocat. Sed ad C. Cæsarem adnotat Rhelliçanus hæc verba.

verba. Bacenim, inquit, eandem ſiluam cum Hercynia omnium pene eruditorum conſenſus approbat. Latini namque partim & Græci eandem ſiluam Bacenim, Martianam, Gabritam, Semanam, & Hercyniam nominant. Germani verò iuxta Friburgum Briſgoiæ *SwartzWaldt*, prope Heidelbergam *OdenWaldt*, prope Herbipolim & Babenbergã *SteygerWald* vocant. A Mœno etiam fluuio ad Lhonam amnem iuxta Confluentiam *WesterWaldt*. Non procul a Mœni ripa, vbi Francfordiam, Aſciburgium, & Moguntiacum vrbes attingit, *Speſshart*. In Saxoniæ faucibus ad Mansfeldinam ditionem *Auff den Hartz*: A Thuringis *ThuringerWaldt*, & a Bohemis *BehemerWaldt* nuncupatur. Quæ ille a Conrado Celte obſeruata vtiliter adnotauit.

LVNA SILVA *& ipſa pars eſt ſyluæ Bohemicæ verſus meridiem vſque ad Danubium pertingens.*

Ἀξνα ὕλη Ptolemæo pag. 106. Lazio eſt *KuningWeiſerWaldt*.

IN RHÆTIA ET VINDELICIA.

ADVLA *mons, latus occidentale Rhætiæ terminans: Hodie ſunt Alpes iuxta Curiam & loca circumiecta.*

Ὁ Ἀδύλας ὄρος Ptolemæo pag. 109. & Straboni. Ex eo profluunt Rhenus & Addua. Accolæ variè vocant, montem S. Gothardi, der Vogel, Etzel, Bralium, teſte Simlero.

GRAIÆ *verò* ALPES *ſunt montes Atheſini & qui Æni vallis dicuntur, qui Italiam verſus extenſi ſunt.*

Γραΐας vocat Ptolemæus pag. 109. Plinius eas locat in Salaſſis. Montem Graium appellant Seneca in Epiſtolis, & Tacitus libro IV Hiſtoriarum. Æmilio Probo eſt Saltus Graius, in vita Annibalis.

POENÆ ALPES *ſunt iuxta principium Lyci amnis.*

Πόιναι Ptolemæo, pag. 109. Malim cum Strabone & Latinis omnibus Ποινίνας dicere, à Pœnis qui hac Italiam ingreſſi: Neque ignoro in inſcriptione veteri legi PENNINAS, ſed non eſt ab illis talibus petendum in re aperta veriloquium. Hodie vocant *Val Pelinna*. Alii Mont maiore de S. Bernhardo, vel Groſs S. Bernhartsberg.

OCRA MONS *hodie ſunt Alpes circà Iuuanum*, hoc eſt, *Saliſburgum.*

Ὄκρα Ptolemæo & Straboni: Pars hæc Alpium eſt humillima quà ad Carnos accedunt.

MONTES IN NORICO.

LETIVS MONS *in Norico eſt. Hodie Scyrorum vel Scyrenſium montana.*

Κέτιος ὄρος. Lazius monte illo totum tractum contineri ait qui vulgò *Kalēberg, Schneberg, Denſberg, Hertzberg, Hengſtberg, Smering* & *Plaitz* vocatur.

CARVANCÆ *montis nomine hodie Carnorum, Croatienſium, & Gorcenſium Alpes continentur.*

Καρβάγκας Alexandrino dicitur, qui tamen in deſcriptione Italiæ quum iterum nominandus eſſet, vocauit eum Caruſadium.

Cæterum hoc quoque ſcire refert, Germaniæ montes & ſiluas, licet diverſis appellentur nominibus, ab Alpibus tamen omnes incipere, ac poſteà ſemper continuo quaſi tractu hinc inde diſcurrere, rurſuſq; in ſeipſos reflecti, ac magna ex parte ad montana Bohemiæ & ſiluam illam concurrere.

Cæſar BACENIM *ſiluam infinita magnitudine eſſe ſcribit, & inter Sueuos ac Cheruſcos diſcurrere. Ex quo patet, Bacenim eſſe, quam Ptolemæus ſiluam Semanam, hoc eſt, Duringorum ſiluam vocat. Is enim eo tempore Sueuos Albis fluuij accolas à Cheruſcis dirimebat.*

IN GERMANIA CIS RHENANA sunt montes isti.

IVRA *vel* IVRASSVS *mons, cuius nomine Suitensium hodie continentur Alpes, vsque ad Allobroges.*

Mons est Galliæ Narbonensis, quem ibi accolæ vocant Iour, Iurat, Pierreport, & Mont S. Claude. Ab Helvetiis, nam à Rheno ad Lemannum vsq; lacum porigitur, varia nomina sortitur. Prope Basileam in Rauracis vocatur Botzberg, inde meridiem versus Schaffmat; posteà Ober & Niderhauwensteyn. Ac tandem VVasserfal. Alibi quoque Leerberg & Blamberg. Porrò vnius à Basilea diei itinere ad pagum Dachfelden est locus, quē quia Iura ibi pertusus est, vocant Pierreport, & Pierre Pertuss. Fertur C. Cæsar illac ducens exercitum, quum obiectu saxi videret iter sibi præclusum, petram ita pertudisse, vt sub ea pediti, equiti, curribus via pateat, saxo supra pontis instar imminente. Crassities ei pedum XLVI: ab eo ad viam quæ infra sternitur, spatium fere pedum XVIII: à superficie ima ad summam XX. In fronte saxi leguntur hi versus, priore tantum voce à nobis suffulta.

Hic nimis ANGVSTI VIA DVCTA PER ARDVA MONTIS FECIT ITER PETRAM SCINDENS IN MARGINE FONTIS.

Est enim ad caput amnis Byrsæ, qui illic scaturiens riuulorum aliquot auctus aquis extra Basileam Rheno miscetur.

VOGESI *montana sunt quæ hodie per Hunorum tergum ac Lotharingiam extenduntur.*

Galliæ Belgicæ mons est, ex quo Mosa profluit, separatque Burgundos à Lotharingis. Oritur ex eodem quoque Mosella, atque ibi Kratzer vocatur: nam ad Mosæ fontes dicitur Mont de Faucilles. Hunnorum tergum vocat Bilibaldus Hundsruck, tractum scilicet ad Mosellam, quem Ausonius in Idyllio appellauit Arua Sauromatum. Hunni enim sunt Sarmatæ: quibus Valentinus & Gratianus agros adsignauit his locis. Imperite quidam vocant Dorsum caninum.

ARDVENNA *olim latissimè patebat. Hodie pars illius est Eyflia. Strabo ait, Arduennam Morinos, Atrebates, Eburones & Menapios attingere.*

Straboni ἀρδένναι est. Nam Ptolemæus eius non meminit. Ortelius existimat nomen ei datum à *Venen*, quod significat stagnantia & palustria loca è quibus cespites ad ignem effodiuntur. Ergo Hard Venen, sunt loca altiora & sicciora eque paludibus istiusmodi eminentia. Batani similiter habuere Hooghe-Venen: quibus opponuntur *leghe Venen*. Non potuit locis illis & siluis aptior è re dari appellatio. Circa Leodiū & in agro Brachbantensi ac Namurcensi siluæ adhuc tales sunt.

MONTES VLTRA VISTVLAM.

Montes RYPHÆI & HYPERBOREI *de quibus prisci tam multa scripsere, nusquam hodie comparent, licet tota Europæa & Asiatica Sarmatia vndique à Germanis Polonis & Moscouitis sit peragrata & cognita: sed omnia sunt plana vsque ad mare glaciale, vbi colles quidam eminent admodum mediocres; amnes verò maximi, veluti Rha qui & Volga, Tanais & Duna, quæ & Zuina, ex siluis, terra plana ac palustri, & nequaquam ex montibus aliquibus oriuntur.*

Recte. Notauit idem iam olim Strabo. Horum inquit locorum ignoratione factum est, vt audirētur qui Rhiphæos montes & Hyperboreos commenti sint, aliaque de ora Oceani mendacia traderet Pytheas Massilienſis. Eos igitur missos faciamus. Poetarum enim commenta sunt. Vide ipsum lib. VII. Esse tamen gentes Hyperboreas & Hypernotias disputauit idem contra Eratosthenem libro primo.

DE

DE FLVMINIBVS GERMANIÆ, qui in Rhenum influunt.

Flumina verò Germaniæ sunt quamplurima, quæ partim in Rhenum, Danubium, Albim, & Vistulam exeunt: quædam & sine aliorum incremento in Oceanum se exonerant Germanicum. ATHESIS *verò licet in Alpibus & Germania oriatur, in smum tamen influit Adriaticum.*

Oritur is in Rhætia. Germani eum vocant Esch, & accolas eius Eschlender.

In Rhenum igitur influunt amnes insigniores, ILA *non longe à Fletkirchio.* ARA, LYMACIA, & RVSIA, *flumina rapidissima quæ ex Eluetiorum montibus ortum sumunt.*

Ara Latinis Arola est, orituque haud procul à fonte Rhodani, ac Solodurum & Vindonissam præterlapsus ad Confluentes Rheno miscetur.

Deinde NICERVS *siue* NECCARVS *fluuius celeberrimus, in quem decurrunt* COCERVS *&* IAGESTA *nec non alia quædam flumina ignobiliora.*

Ausonius Nicrum dixit,

Hostibus exactis Nicrum super & Lupodunum.

Meminere eiusdem Panegyristes ad Constantinum Magnum, Fl. Vopiscus, & Ammianus, qui propter eũ narrat insigne quoddã munimentum, celsum pariter & tutum, exstructum à Iuliano parabate; sed quum metueret, ne illud vndarũ appulsu paullatim subuerti posset, euitasse id periculum, abducto aliorsum fluminis impetu, sicut à nobis narratum est capite XII. p. 29. Oritur autem in silua Martiana.

Posteà MOENVS, *vel vt quidam appellant, Moganus, qui in Rhenum ex opposito Moguntiæ exit, fluuius magnus & nauigabilis. Verum priusquam se exoneret, multos alios recipit amnes. Et primum* REGNESVM *qui & Radiãtia & Tramaricus vocatur: is postquam* PEGNESVM *per Nurmbergam fluentem suscepit, per Babebergensem labitur vrbem, à qua haud longè miscetur Mœno. Ab hoc flumine Carolus Imperator qui Magni nomen sortitus est, fossam in Almonem, qui in Danubium influit, ducere est aggressus, ac integram æstatem exercitum in opere detinuit, vt hoc pacto à Rheno in Mœnum, ex illo in Regnesum, inde per fossam in Almonem, & ex eo in Danubium, atq; ita in mare nauigari posset. Verùm ob ingruentes, vt fertur, tempestates, ab opere cessare est coactus. Manent tamen adhuc manifesta tanti conatus vestigia, inchoataq; fossa pluribus in locis cernitur, præcipuè tamen iuxta Burgum album, nunc Weissenburgum.*

Ptolemæo est μέν: In qua voce obseruatum est, literas conficere numerum CCCLXV, totidem quot sunt in anno dies. Fuit autem hic Francorum quondam & Alemannorum terminus. Mogani nomen ante Regionis tempora non legitur: estque fictitium: vt ex eo commode Moguntiæ vox formaretur. Reliquiæ fossæ Carolinæ quæ supersunt, patent adhuc duorum milliũ passuum longitudine & trecentorũ pedum latitudine.

Deinde TVBERA *in Rhenum cadit, non parui nominis amnis.*

IN RIPA GALLICA.

NAVS *multis alijs auctus fluminibus iuxta Bingium in Rhenum incidit.*

Nauam vocat Ausonius in Mosella.

Exinde MOSELLA, *qui, vt superius est ostensum, Obrincus est, apud Confluentes in Rhenum exit. Verum prius* SARVM *fluuium magnum supra Treuirensem suscipit vrbem, qui Sarus antea Bleissa & Nida quoque augetur.*

Mosellam eruditissimis versibus descripsit & laudauit Ausonius, qui etiam SARAVI meminit. Sarram vocat antiqua inscriptio, quę habet CASTRA SARRÆ. Ad eam est oppidum Sarpruck, Antonino & Itinerario Pons Saraui.

ARAR *quoque ex iugis Treuiricis, hodie Eyflia, exortus, multis et ipſe auctus torrentibus et fluuiis, ſupra Rigomagum in Rhenum euoluitur.*

De hoc alibi diximus.

IN RIPA GERMANICA.

Ex alia Rheni parte LONA *amnis inſignis per Haſſiam fluit et multis auctus fluuiis iuxta oppidum Lhonſteyn in Rhenum excurrit.*

Mirum, tam nobilem fluuium priſcis non commemorari: vide pag. 170.

Sequitur deinde fluuius ANGRA.

Deinde RVRA *vel Adranus.*

Tacito eſt Adrana, Cattorum fluuius: nunc vocant *die Eder*: Exonerat autem ſe in Viſurgim, ſicut ante diximus.

Ac demum LVPIA, *qui apud Veſaliam Rheno miſcetur.*

Crebra eius apud Tacitum mentio: Straboni eſt Λυπίας: mirum quid Vadiano in mentem venerit, vt diceret eſſe Nicrum: quid Spiegelio & Irenico vt docerent eſſe Lonam: αὐτὸ τὸ πρᾶγμα βοᾷ.

Nouiſſimè verò MOSA *Rheno iungitur.*

Μόζα Ptolemæo: Oritur hic Vogeſo monte. Tabula Peutingeriana eum vocat Patauum.

RHENVS *verò diuiditur in* VAHALIM *hoc eſt, die Waal, et* ISVLAM *qui nunc die Yſſel vocatur, nec non in* LECCVM, *id eſt die Leck; et per hæc tria oſtia maxima exonerat ſe in Oceanum Germanicum, totamq; inundat Selandiam, Hollandiam, et Friſiam.*

Quæ de Rheno Mela ſcribit, habes p. 85: quæ Plinius p. 89. quæ Ammianus pag. 159. Noſtra lege pag. 167. & deinceps.

FLVMINA GERMANIÆ IN Danubium labentia.

DANVBIVS, vel vt in Traiani numis legitur, Danuius, Græci eſt Δανάβιος, vnde nomen habeat, diximus pag. 186. Iſtrum vocant, præſertim a Saui inde confluentia. Hic Germaniæ eſt auſtrum verſus terminus. Qua deſinit Germania, ſequuntur Sarmatæ, Getæ, Beſſi. Ouid. libro 3. Triſtium,

Sauromatæ cingunt fera gens, Beſſique, Getaque,
Quam non ingenio nomina digna meo!
Dum tamen aura tepet, medio defenditur Iſtro
Ille ſuis liquidus bella repellit aquis.
At quum triſtis hiems ſqualentia protulit ora.
Terraque marmoreo candida facta gelu,
Dum patet & Boreas, & nix iniecta ſub Arcto,
Tum patet has gentes axe tremente premi.
Nix iacet, & iactam non ſol pluuiæque reſoluunt,
Indurat Boreas, perpetuamque facit.

Et Valerius in Argonanticis lib. VIII.

Haud procul hinc ingens Scythici ruit exitus Iſtri,
Fundere non vno tantum quem flumina cornu
Accipimus, ſeptem exit aquis, ſeptem oſtia pandit.

Amnes verò qui in Danubium influunt inſigniores hi ſunt.

ILERA, *die Iler.*

BERNICVS, *die Wernitz.*

LYCVS *fluuius ingens et rapidus. Hic multis auctus amnibus iuxta Leſchſmund, haud longè ab Auguſta Vindelicorum Danubium incurrit.*

Αὐκὼ. Separat hic Rhætiam primam à Vindelicia ſiue Rhætia ſecunda.

ALMONVS *fluuius, quo in tota Germania nullus eſt piſculentior, iuxta Kelliam exit in Danubium.*

NABVS

NABVS *verò ex monte pinifero oriens ac* VILSVM *adſumens, iuxta Ratiſponam voluitur in Danubium : pariter et* REGNVS, *in quo reperiuntur conchæ margaritas producentes.*

At ISARA *fluuius rapidus et ingens ab Alpibus per totam lubens Bauariam, quum multos accepit amnes iuxta Filſhouen Danubium influit.*

LENVS *verò fluuius maximus ac rapidiſſimas, quum per Æni vallem et Bauariam fluxit, ac per Iuuauum vel Saltzam et multos alios auctus amnes, tandem iuxta Boeodurum, nunc Patauium, cum tali impetu in Danubium ruit, ut per longiſſimum ſpatium curſum ſuum ſeruet, nec Danubianis admiſceatur aquis, quemadmodum perſpicuè ex vndarum colore apparet.*

Hic teſte Tacito & Ptolemæo Rhætos Noritoſque interfluit. Arrianus Henum ἔνον vocat, Diaconus Hinum. Straboni eſt Ateſinus ἀτησινὸς. Hodie dicitur *Inn.* Sunt qui per œ ſcribant Oenus, οἶνος.

ILZA, *Iltz.*
TRAVNA, *Traun.*
ENESVS, *Ems.*
IGLA, *die Igel.*
LEITA, *Leyta.*
MARCHIA vel MORAVA, *die Marck.*
ARABON, *Rab.*

Frequens eius mentio in Itinerario.

VVAG.
GRANA.
DARAS DRAVVS *die Trab, qui* MVRAM *vel Murum die Mur ſuſcipit, fluuius inſignis. Inter hunc & Danubium Turcarum Imperator Ladiſlaum Hungariæ regem deuicit.*

Straboni eſt Δρᾶος, Plinio Draus, Ptolemæi δάρος, eſt is quem nunc Darin vocant.

TYBISCVS *die Teyß: vaſtum flumen.*
SAVS *die Sau, amnis maximus. Is iuxta Taurunum, hoc eſt, Albam Græcam Danubio miſcetur.*

Σάος Straboni, Ptolemæo Σάβος, Trogo Sabus.

MOSCHVS.
RHABOSVS.
CIABRIVS.
ALVTAS, *forſitan Baralat. et Seretius amnis.*
HIERASSVS, *nunc Pruth fluuius.*

FLVMINA GERMANIÆ

quæ poſt Rhenum exeunt in Oceanum.

VIDRVS *hodie Vnda nigra in Chattorum montibus oriens.*

Diximus de eo pag. 170.

AMASVS *vel* AMISIA *nunc der Eens. In hunc fluuium Strabo Viſurgim & Lupiam deferri ſcribit, errore manifeſto, quum Lupias in Rhenum, Viſurgis verò longe ſupra Amaſum in Oceanum exeat.*

Ἄμαος Ptolemæo eſt, Straboni Ἀμασία, Tacito Amiſia, Melæ & Plinio Amiſius.

VISVRGIS *Weſera fluuius inſignis. Hic Fuldam, Ederam, Weram, & Nidam amnes ſuſcipit, per Saxoniam & iuxta Mindenſem, Werdenſem, Goingenſem ac Bremenſem labens ciuitates, tandem ſe in Oceanum exonerat.*

Οὐισόυργις Ptolemæo, Straboni Βισυργὶς, Dioni Βισυργίς.

ALBIS *die Elb, magnus eſt Germaniæ fluuius in montibus Bohemiæ oriens. Suſcipit autem* MVLTAM, *flumen magnum, quod Pragenſem præterlabitur ciuitatem. Deinde* EGRAM, *ex monte pinifero, vt dictum eſt, fluentem: poſtea* SALAM, *ac* ORTELLAM. *Demum ciuitatem Hamburgum præterlabens, in Oceanum Germanicum vaſto euoluitur ore.*

tur ore. Ad huius exitum Saxonum insulæ sunt positæ, quas, vt dictum est, hodie Dietmarsi inhabitant, gens indomita, & multis victoriis contra Daniæ reges, Sclesuicenses duces, & nobilitatem clara.

Albis in Bohemiæ montibus iugoque Hercynio vndecim fontibus oritur; quorum aquæ iunctæ flumen efficiunt. Elb autem Germanis vndecim notat. Atque hæc fluuij appellationisque origo.

CHALVSVS *fluuius, Dydorus esse censetur.*

Ptolemæo est χάλȣσος.

SVEVVS die Spre. *Oritur & hic amnis in Bohemiæ montibus, ac iuxta Sundensem ciuitatem, hoc est, Laciburgium, in Oceanum exit.*

De origine non controuerterim: At in Sundinensi agro nullus est fluuius: Rostochij vero, quod quidam Laciburgium esse putant, non Sueuus sed Varna cernitur. Oritur supra Budessam ad Austrum in pago quem Speunpergk vocant; inde per Spreinwald siluam, quæ a Sueuo nomen traxit, Berlinum præterlapsus, in Hauellam sese exonerat, qui ipse in Albim effunditur. Hæc nos ex Iodoco VVillichio adnotauimus, qui se diligenter omnia explorasse, ac plus quam XXX millia passuum a Silua Sueuica ad arcem Lubenauiam monoxylo seu lintre vectum scribit.

VIADRVS *hodie est Odera, fluuius magnus. In hunc Neusa quæ per Silesiam & Vratislauiensem ciuitatem fluit, illabitur. Tandem apud Caminium in mare irrumpit.*

Cur Viadrum vocent quem Ptolemæus sine canina littera appellat ȣ̓ίαδον, alibi vero ἰαδȣ̃αν; caussa nulla est. Sunt qui eundem credant cum Plinij Guttalo.

VISTVLA *quæ &* ISTVLA *seu Iustula aut Vandalus appellatur, fluuius est ingens, & vltra quem Ptolemæus Sarmatiam Europæam auspicatur. Oritur in montibus Sarmatiæ, et Cracouiam alluit. Inde per Poloniam fluens, Drauenitz fluuium, quem quidam Drauennam esse volunt, suscipit. Deinde duobus ostijs apud Dantiscum et Elbingum in sinum Codanum exit.*

Hæc quidem satis incuriose. Drauenna Vistulæ pars est, circa VVarsauiam, ita enim intelligere me ex accolis cõmemini, vectus secundo amni Sendomiria Dantiscum vsque, Poloni Drwenzam vocant. Sed quam multi in Vistulam labuntur? Dextera San, VVysprz, & nobilis ille Buck: læua Piczay, Bzura, Bolo. Vistulam Marcellinus vocat Bisulam, Ptolemæo est ȣ̓ιςȣ̃λα, Plinio etiam Vistillus: quis Iustulam vocet, nescio.

Post hunc CHRONVS, *qui Possaria esse censetur, in mare fluit.*

Inde PREGORA *fluuius.*

Post eum est MEMVLA *amnis magnus, qui et Niemen vocatur, in Lithuania oriens, et in mare erumpens Prutenicum.*

Posteà HILGE *fluuius.*

Deinde POLER.

Hunc sequitur DVNA, *qui et Zuina.*

Tum BINDA, *ingens fluuius, qui et ipse in Lithuania oritur, ac iuxta Rigam ciuitatem in mare irrumpit. Forte is apud Ptolemæum est Chersinus.*

Inde ANNE *fluuius.*

Tandem est NARVA *qui supra ciuitatem Reualiensem iuxta Flautẽnam sese in mare exonerat. Hic est limes inter Liuoniam quæ crucigeris paret, et Moscouiam. Ostia fluuij huius in eleuatione polari graduum* LXII *esse feruntur.*

FLVMINA IN PONTVM EVXINVM labentia.

TIRAS, die Nester, *qui iuxtà castrum nigrum in mare exit.*

Plinio

Plinio est Tyra, Herodoto τύρης. Hesychio τύρις. Stephano τύρας.

BORYSTHENES *der Nieper, in Lithuania ortum sumens, & per medium ferè Russiæ labens.*

Βορυσθένης Ptolemæo. Leunclauius Brisnam accolis vacari ait.

TANAIS Don: *Oritur in Moscouia, ex terra plana, & nequaquam ex montibus.*

Hic Europam ab Asia diuidit: idcirco Lucanus,

----- qua vertice lapsus
Riphæo Tanais diuersi nomina mundi
Imposuit ripis, Asiæque & terminus idem
Europæ, mediæ dirimens confinia terræ
Nunc hunc, nunc illũ, quà flectitur ampliat orbem.

Et Ouidius lib. IV Ποντικῶν.

Quique duas terras, Asiam Cadmique sororem
Separat, & cursus inter vtramque facit.

Ad eam habitare pygmæos autor est Statius lib. I. Siluarum.

Credas ad Tanain ferumque Phasin
Thermodontiacas calere turmas,
Hic audax subit ordo pumilonum
Quos natura breui statu peracto
Nodosum semel in globum ligauit.
Edunt vulnera, conferuntque dextras,
Et mortem sibi qua manu minentur
Ridet Mars pater & cruenta Venus,
Casuræque vagis grues rapinis
Mirantur pumilos ferociores.

Ex siluis oriri non ex montibus qui illic nulli sunt, tradidere etiam Orpheus, Herodotus, Isidorus.

RHA *fluuius maximus oritur in Moscouia: quumq; sub initium versus Septentriones fluat, mox ad orientem flectit, longeque Tanaim ambit: tandem ad meridiem conuersus, per Sarmatiam Asiaticam, & campos planissimos Tartarorum vagatur, ac per viginti quinque ostia maxima in mare Caspium, quod nunc mare de Bachau vocatur, sese exonerat, iuxtà ciuitatem Derbes.*

Ptolemæo ῥᾶ, Rhutenis Volga, Tartaris Edel vocatur: Diaconus eum nominat Atel.

Oriuntur autem in Moscouia præ cæteris tria maxima flumina, nempe Zwinna, Tanais, & Rha. Proinde mercatores Germani tria maxima flumina eodem vocant nomine, nempe DANVBIVM *vel Istrum,* DVNAM, *qui & Zuina, ac* TANAIM: *& quum de longinqua peregrinatione iactitant, tres se Danubios vidisse adserunt.*

DVINA Ptolemæo τυρόντ Turuntus dicitur: sunt qui putent esse Ptolemæi Rubonem.

QVIS IN HIS MODVS SCIENTIÆ.

Proinde in his omnibus nihil certi adfirmamus, nisi vbi veritas semetipsam manifestè prodit. Quis enim in re tam dubia, & vbi propter variarum gentium transmigrationem omnia sunt immutata non aliquando aberraret?

Præsertim quũ primi autores de eius quam quærimus regionis situ magis audita quam visa prodiderint, neque ipsi omnia certa habeant atque explorata?

Plane enim constat, numeris haud confidendum esse, quos Ptolemæus in his oris nequaquam ex obseruatione certa, sed ex aliorum scriptis aut dictis, vel per instrumentum quoddam Mathematicum, seu iuxta coniecturam adsignauit: quod & ipsemet ingenuè fatetur.

Conqueritur, ἕνεκεν τῆς ἀπανίης καὶ ἀδιαβεβαιώτου τῆς ἱστορίας multa ignorari τῶν μὴ ἀκριβῶς ἐφοδευθέντων.

Porrò in Germania Cisrhenana nequaquam absurdè à fluuiorum aliquando situ credibilis sumi potest coniectura. At in Germania Transrhenana, nullus à scriptoribus recensetur fluuius (præter Danubium, Mœnum, & licet multi alij sint & insignes) cuius adminiculo vel parumper ad veritatem accedi posset. Vbique igitur coniectura potius quam vlla vtimur certitudine: ita tamen, vt nemini legem præscribamus, ne à nostra discedat opinione. Nam quicunque ostendere poterit, se nobis rectius sentire, huic non solùm non repugnabimus, sed etiam gratias habebimus gratissimas, si nos melius informare valebit.

Certè ex collatione Itinerarij Antonini & Tabulæ Peutingerianæ cum hodiernis locis, aliquid accedit lucis ad cognitionem locorum Cisrhenanorum & Cisdanubianorum. Nos post Bilibaldum ausi sumus illorum subsidio multa definire, quæ videmus ab ipso fuisse præterita. Neque hoc quisquam ipsius amantior ægrè feret. Credimus enim ipsum quoque (quæ fuit viri magni sollertia) eadem deprehensarum fuisse, si habuisset eadem subsidia. Et relinquimus adhuc multa aliorum diligentiæ: Si quis experiri vires ingenii sui volet, habet in quo se exerceat. Ptolemæus ipse multa ignorauit; Quæ prodidit, obscura sunt, deprauata sunt à descriptoribus, præsertim in numeris, multa quoq; mutata, ob migrationes gentum & mutatas locorum appellationes inuoluta. Antonini itinerarium mirifice deprauatum est. Tabula Pentingeriana Delio indiget natatore. Et hæc quidem cis Rhenum ac Danubium. In magna verò Germania manent adhuc pleraque incerta. Eius enim flumina quidem aliquot recenset Ptolemæus, cæteri nihil.

Ego ita in plerisque me dubium esse fateor, vt ignorem etiam, cuinam genti patriam meam Nurenbergam, quæ Segodunum esse censetur, adscribere debeam. Hoc tamen pro comperto habeo: Noricos quum a Romanis expellerentur, vltra Danubium & in hanc regionem concessisse, quæ & hodie ab his nomen retinet, & Norica vocatur: qua continetur quicquid ab exitu fluuij Almonis in Danubium Norimbergam vsque protenditur: ita vt Albus burgus nunc Weissenburg in Noricis esse dicatur. Sed & procul dubio Norimberga quasi mons Noricus a Norica regione nomen accepit. Traiectusque amnis Regnicij per milliare vnum a Norimberga distans, Germanice Furt, in Norico agro reputatur: a quo deinde occasum versus ac Septentriones Francia Orientalis seu Franconia ortum auspicatur. Sitas est autem Norimberga non solum in Germaniæ, sed & totius Europæ vmbilico: Tantum enim distat a flumine Tanai, quantum a Gadibus: Ab Oceano quoque Germanico quantum a mari mediterraneo. Altitudo eius polaris graduum esse censetur XLIX ½. *Vera autem longitudo est graduum* XXVII, *minut* 22: *quæ quidam longe distat a descriptione Ptolemaica.*

Is enim Segoduno adsignat latit. XXXI. 30. longit. XLIX. 0. Vide pag. 107, quæque pag. 96. diximus ad ipsum Ptolemæum.

FINIS LIBRI PRIMI.

P. BERTII

COMMENTARIORVM RERVM

GERMANICARVM

LIBER SECVNDVS

qui est

DE GERMANIA

A CAROLO MAGNO deinceps.

CAPVT I.

De IMPERIO FRANCORVM, *eiusque incremento.*

DEPVLSIS limite Imperij præsidijs Romanis, castrisque ipsorum omnibus per Attilã, Francos, & Allemannos, subuersis, nihil obstitit, quo minus transmisso Danubio & Rheno, Germani Pronincias inuaderét Romanorum. Ac iacuit aliquamdiu desertus vterque imperij limes; victoribus populis ad interiora Galliæ Rhætiæque, ipsamque adeo imperij sedem Italiam summo ardore grassantibus; donec tandem fatigato potius quam cohibito impetu, fixere ipsi in limitibus sedes, & tanquam in vacuo solo vel nouas vrbes condidere, vel destructas a se restaurauere, nouis etiam vbi id visum fuit nominibus impositis. Factum id ad Rhenum a Francis, in Rhætia & Norico ab Allemannis & Longobardis, vtrobique a Gothis, Vandalis, Normannis: Horum tamen maior in vastandis oppidis quam in exstruendis cura fuit. Estque hæc caussa, cur vetera locorum vocabula, paucis exceptis, interierint: mutatis enim dominis par erat nomina quoque oppidorum mutari. Estque in hac nominum comparatione tanta obscuritas, vt interdum quoque diuinandum sit. Hæc res nobis ex Elcebo Sicecstadium fecit; ex Argentorato Strasburgum, ex Brocomago Brocomat, ex Argentuaria Argburgum, ex Saletione Seltzam, ex Borbetomago VVormbs: nam in Transrhenana Germania, nullæ sunt vrbes quæ suam originem Romanis debeant. Cæterum de imperio hic constituendo obtinendoque, duo inter se populi Germanorum ingẽtibus statim animis certauerunt, Franci & Allemanni: quibus quamdiu a Romanis oppugnabantur Mœno amne disiunctis, facile fuit pacem inter se amicitiamque colere: pulsa ea formidine, impatiens consortis ambitio in mutua ipsos arma compulit. Allemanni igitur secundis rebus elati, vires suas ex eorum potius quos hactenus oppugnarant imbecillitate, quam ex Francorum virtute metientes, non contenti Germaniæ parte ea quam a Mœno vsque ad Danubium & Rheni fontes cum Sequanorum agri magna parte ac Valle Pœnina, & Rhætia possidebãt, ipsum quoque Galliarum imperium adfectarunt. Sed obstabant Franci, qui Rhenum post Burgundiones transgressi, superata inferiore Germania sedes iampridem fixerant in Gallia. Hos igitur armis adoriri consilium Allemannis fuit. Conscripto ergo ingenti exercitu progressi sunt vsque ad Coloniam Agrippinensem. Hlodoueus Francorum rex consilio ipsorum, neque enim cœlari potuit, cognito, ad Tolbiacum cum copijs occurrit. Erat eo tempore adhuc idololatra Hlodouæus, neq; salutari veritate, satis clara, flecti se passus fuerat ad obsequium Deo præstandum, licet multis admodum Gothildis vxoris suæ, genere Burgundicæ precibus ad eam rẽ inuitaretur, propriaque ipsum conscientia etiam eo impelleret. Sed quum flagrante pugna aciem suam videret inclinare, neque eius sustinendæ humanam vllam rationem conspiceret, tum vero oculis in cælum sublatis, lacrymabundus, Christe bo-

ne, inquit, bellorum potens, Stator & conseruator imperiorum, voueo spondeoque, me sacra tua quæ hactenus respui, susceperturum, & meo populo, veræ pietatis exemplo & legibus præiturum, si tu, qui SOLVS VINCIS, SOLVS IMPERAS, SOLVS REGNVM DONAS, victoriam mihi de Allemannis concesseris, meque huic periculo exemeris. Adfuit inuocanti Christus. Vix enim completa fuit oratio, quum repente Allemanni, tanquam cœlo tacti, terga dedere, & victoriam, quam iam prope in manibus habebant, Francis concessere. Francus voti damnas haud multo post Remigio doctore religionem Christianam capessit. Perijt autem eo die cum Rege vniuersa gloria Allemannorum, neque multo tempore Allemanni præter commune nomen quicquam in Germania possederunt. Victores enim Franci non ante quieuere, quam sub suam potestatem Gallias Germaniamque omnem redegissent. Hlodouæus certe victoriæ illius vsus opportunitate, traiecto Rheno, omnem, quam latè patebat, Allemanniam peruasit, ab ostio Mœni vsque ad Sueuiam, atque inde porro etiam vltra Danubium occupata Rhætia cum Nigra silua & lacu Brigantino, Algoia, & parte ea Heluetiæ quæ est inter Rhenum & Vrsam amnes, omnique tractu Rauracensi & Elcebensi qui nunc Basileensibus & Argentinensibus paret, regnumque Allemanniæ in Ducatum vertit. Habuit ergo sub suo imperio vniuersum Rheni tractum a fontibus eius vsque ad Oceanum, cum terris omnibus in ripa Gallica sitis quæ Franciæ Teutonicæ deputabantur. In Germania vero Transrhenana ditionem omnẽ quam ad ea vsque tempora possederant Germani, ac præterea Franciam orientalem, siue Austrasiam & Thuringiam. Hoc ille imperium ad posteros suos transmisit, cum Francia occidentali, quæ a mundi plaga Neustria, a sermone Romania dicebatur. Victi vero Allemanni quum grauius premerentur a Hlodoueo, alij superatis Alpibus in Italiam ad Ostrogothorum regem Theodericum generum Hlodouei profugere, alij Francis in seruitutem cessere. Et exstat apud Cassiodorum exemplar epistolæ ad Hlodouæum regem Francorum missæ a Theodoro, qua ille socero de victoria gratulatur, ipsumque monet, vt fortuna vtatur moderatè, vtque Allemannos, proquibus intercedit, benignè habeat, missis etiã in eam rem legatis cum mandatis specialibus, & ad firmandam amicitiæ fidem, nobili quodam cytharœdo, quem Boetius, grauissimus eius seculi Philosophus, probarat. Verba eius epistolæ ita sese habent. *Gloriosæ quidem vestræ virtutis affinitati gratulamur, quod gentem Francorum priscæ ætate residem feliciter in noua prælia concitastis, & Allemannicos populos causis fortioribus inclinatos victrici dextera subdidistis. Sed quoniam in auctoribus perfidiæ irreserabilis videtur excessus, qui etiam primariorum plectibilis, pro culpa debet esse vindicta; Motus vestros in fessas reliquias temperate, quia iure gratiæ merentur euadere, quos ad parentum vestrorum defensionem respicitis confugisse. Esto illis remissius, qui nostris finibus calantur exterriti. Memorabilis triumphus est, Allemannum acerrimum sic expauisse, vt tibi eum cegas de vitæ munere supplicare. Sufficiat, illum regem cum gentis cecidisse superbia. Sufficiat, innumerabilem nationem partim ferro, partim seruitio subiugatam. Nam si cum reliquis confligis, adhuc cunctos superasse non crederis. Accipe in talibus caussis frequenter expertum. Illa mihi feliciter bella prouenerunt, quæ moderato fine peracta sunt. Is enim vincit assiduè, qui nouit omnia temperare, dum iucunda prosperitas illi potius blanditur, qui austeritate nimia non rigescit. Cede itaque suauiter genio nostro, quod sibi gentilitas communi remittere consueuit exemplo. Sic enim fiet, vt & meis petitionibus satisfeciss videamini, nec sitis solliciti ex illa parte, quam ad nos cognoscitis pertinere. Quædam quæ ad nos*

pro

pro vestris vtilitatibus peruenerunt, per harum portitores verbo vobis insinuanda commisimus, vt cautiores effecti, optata possitis victoria constanter expleri. Vestra siquidem salus nostra gloria est: & toties regnum Italiæ proficere iudicamus, quoties de vobis læta cognoscimus. Cytharœdum etiam arte sua doctum, pariter destinauimus expetitum, qui ore manibusque consona voce cantando, gloriam vestræ potestatis oblectet. Perstitit nihilo socius in proposito Hlodoueus, omnesque Allemannos, quod id rebus suis ita conducere existimaret, pro seruis habuit. Ita ergo introducta est in Germaniam seruitus, res superioribus sæculis inaudita, sicut ex Cæsare & Tacito constat. Sed seruorum non vnus ordo fuit. Fiscalini, vel fiscales serui, & setui regij dicebantur qui Regi se & res suas debebant: Ecclesiastici, qui à rege aut duce monasterio ad colendos agros donati erant. Et exstant eius seruitutis multis in Germaniæ locis vestigia. Prima autem post regem in Allemannia potestas erat Ducum, secunda Comitum; qui sub se habebant Centenarios, iunctosque consiliis Ratzenburgios. Huc spectant illa regis Hlodouei, *Volumus atque iubemus vt missi nostri diligenter inquirant, quot liberi homines in singulis comitatibus maneant. Hinc verò ea diligentia & ratio examinetur per singulas centenas, vt veraciter sciant illos, atque describant, qui in exercitalem ire possunt expeditionem.* Etsi verò ex regum liberis reges caperentur, potior tamen habebatur ratio electionis ex populi consensu, quam successionis ex natalibus. Aimoinus de Faramundo. *Regem verò cæterarum more nationum Franci sibi eligentes, Faramundum solio sublimant regio.* Hunibaldus. *Anno* CCCCV *omnes Duces, proceres, & nobiles Francorum in mense Martio conuenerunt apud Neopagum pro noui regis electione facienda.* Et paullo post: *Hi omnes cum cæteris vno consensu Faramundum de regio genere ortum in regem elegerunt.* Nimirum hoc illud est quod de Germania quoque testatur Tacitus, *Reges*, inquit, *ex nobilitate, Duces ex virtute sumunt.* Ado de Clotario ad annum DCIXXXVI. *Clodoueus rex decessit, Franci Clotarium filium eius regem constituunt.* Et mox, *Clotarius quatuor annos regnans obiit, cuius loco Franci Theodoricum fratrem eius eligunt.* Et anno DCLXIX. *Franci Danielem quendam clericum post abiectionem tonsuræ in regno stabiliunt, atque Chilpericum nuncupant.* Et rursum. *Franci Theodericum Dagoberti solium regem super se constituunt.* Similia quoque habet Gregorius Turonensis. *Franci*, inquit, *erecto Childerico Eudonem sibi vnanimiter regem adsciscunt.* Et rursum: *Tum Franci qui quondam ad Childebertum adspexerant seniorem, ad Sigebertum legationem mittunt, vt ad eos veniens, derelicto Chilperico, ipsum per se regem stabilirent.* Et haud multo post. *Collectus est ad eum omnis exercitus, impositumque super clypeo sibi regem statuunt.* Et alibi. *Sigebertus Francis consentiens, more gentis impositus clypeo, rex constitutus est.* Ac rursum. *Burgundiones & Austrasij cum reliquis Francis pace facta, Clotarium in tribus totis regnis super se regem leuauerunt.* Ado iterum, *Mortuo rege Pipino filij eius Carolus & Carolomannus consensu omnium Francorum reges creati sunt.* Et alibi. *Mortuo Pipino Franci facto solemniter conventu ambos sibi eius filios reges constituunt, ea conditione præmissa, vt totum regni corpus ex æquo partirentur.* Idem post alterius excessum. *Carolus autem fratre defuncto, consensu omnium Francorum rex constituitur.* Hæc igitur Francorum regni fuere primordia. Iuuit constitutionem & confirmationem regni vehementer religionis Christianæ studium, cui non minus quam armis incrementa debentur imperij; neque enim plus potuerunt potentiorum arma ad populos deuincendos, quam inermis sanctorum quorundam zelus pietatem Christianam ad profanas & barbaras gentium propagantium. Horum cura domita

sunt

sunt fera Germanorum pectora, & quos non potuerunt Romanorum aquilæ superare, eos sub iugum misit facilis & benigna Christi lex. Ita Franci salutaré Christi doctrinam, præeunte, vt diximus, Hlodoueo, admiserunt: Fuit autem eius dux fœmina facti. A Francis Allemanni ad fidem perducti sunt, amissa simul & viuendi & credendi libertate. Ab ijsdem Thuringi, Boioarij, Saxones, Sclauini, Nortmanni edocti, impietatem & profanitatem idolorum abiecerunt. Postremum verò Catti quoque & Frisij (pertinaces enim isti præ cæteris fuere) religionem receperunt. Sed non est nostri instituti hæc omnia persequi distinctius. Vtinam modo cœlestem priorum impetum posteriores profana dominandi ambitione & inexplebili auaritia non corrupissent! Certè illorum pietati non responderunt posteri, sed vbi ipsi in spiritu seuerunt, ibi istorum plerique in carne messuerunt; siue id humanarum rerum vitio factum est, primum virtutis impetum atque ardorem cum tempore remittentium; siue pia fraude, quod statuerent in ea seculi deprauatione non posse nisi cum externo splendore & pompa Christianam legem defendi & conseruari: siue denique simplicitate quadam principum & iudicij infirmitate, dum crederét, quæ Christo dari vellent, optime in istum ordinem conferri. Equidem quum profusas illas Hlodouei, Pipini, Caroli Magni, Ludouici Pij, aliorumque largitiones video, subit animum meum dubitatio, vtrumne illi plus Christianitati profuerint dando, an obfuerint: &, An vt ipsis tam multa dare fuit laudabile, ita alijs honestum fuerit tam amplas opes in terris accipere & possidere. Vidit hoc & notauit in hac ipsa caussa Otto Frisingensis Episcopus, Frederici Barbarossæ patruus, qui quum se expedire non posset, solo Ecclesiæ facto rem defendit: quasi idcirco rectè factum esset, quia factum esset ab Ecclesia. *Si dicis*, inquit, *seculari personæ dare licuisse, quod istam ex sanctitate officij habere nec decet nec expedit; ad hoc, fateor, aliud effugium nescio, nisi quod sanctos Apostolicæ fidei viros, Siluestrum, Gregorium, Vlricum, Bonifacium, Lampertum, Gothardum, aliosque complures ea cognoscimus habuisse. Ego enim, vt do meo sensu loquar, vtrum Deo magis placeat hæc Ecclesiæ suæ quæ nunc cernitur exaltatio quam prior humiliatio, prorsus ignorare me profiteor. Videtur quidem status ille fuisse melior, iste felicior. Adsentior tamen Romanæ sanctæ Ecclesiæ, credendaque quæ credit, licitè possidenda quæ possidet, credo.* Quasi non potuerit ipsa quoque Romana Ecclesia in hoc negotio errare; & canon recti non sit ratio, sed homo. Probentur igitur quia ab Ecclesia profecta sunt etiam ista, quæ Biturigibus aræ Cardinalis inscripta leguntur in æde S. Stephani,

Hic des deuote, cœlestibus associo te,
Mentes ægrotæ per munera sunt ibi lotæ,
Ergo venitote gentes de sede remotæ,
Qui datis estote certi de diuite dote,
Te precor accelera, spargas hic dum potes æra,
Et sic reuera securè cœlica spera.
O si tu scires, quantum data profit ibi res,
Tu iuxta vires donares quod dare quires.
Te miser a pœna dum tempus habes aliena.
Vt tibi sit pœnæ venia, sit aperta crumena.
Consors cœlestis fabricæ, qui porrigit est is.
Ex hoc sum testis, vos hic mundare potestis.
Crede mihi, crede, cœli donaberis æde.
Nam pro mercede Christo dices, mihi cede.
Hic datur exponi paradisus venditioni.
Currant ergo boni, rapientes culmina throni.
Vis retinere forum? mihi tendas pauca obolorum,
Pro summa quorum reserabitur aula polorum.
Hic si largè des, in cœlo fit tua sedes.
Qui serit hic parcè, parcè comprendit in arce.

Quid

Quid tardas? tantum nummi mihi des aliquantum.
Pro solo nummo gaudebis in æthere summo.

Ita Ecclesiastici homines spirituali dignitate abusi, potentiam Christi in licentiam verterunt, & ex animarum medicina aucupium fecerunt honorum & diuitiarũ, longe ijs dissimiles, quorum nomen profitebantur, hoc est, Apostolorum. Insederunt igitur in Germania Episcopi antiquas Romanorum Præsidum sedes per Rheni & Danubij ripas, honoribus ipsorum commodisq; etiam ad se translatis: hoc vno dispares, quod quum Præsides illi neque perpetui essent, neque ab Imperatorum suorum, a quibus mittebantur inspectione immunes; hi quos semel obtinuerant Episcopatus semper possiderent, exempti insuper ab omni ciuilis potestatis iurisdictione, ipsisque etiã Principibus & Regibus, a quibus ad id dignitatis culmen euecti fuerant, formidabiles. Ad Rhenũ cessere Episcopis Basilea, Argentoratũ, VVormatia, Spira, Moguntia, Colonia, Traiectus; vt in interioribus omittã, Treuiros, Tungros, Metas, Vesuntionẽ. Ad Danubium insedere, Augustã, Frisingam, Ratisponã, Salisburgum, Patauium, aliasq; vrbes insignes. Hoc autem ipsos studio consectatos esse, & facto suo iuris diuini speciẽ prætendisse testatur apud Gratianum Lucius Papa Distinctione xxx. *Vrbes*, inquit, *& loca in quibus primates præsidere debent, non a modernis, sed multis ante aduentũ Christi tẽporib. statuta sunt.* Ipsa quoq; Diœceseos vox, quæ antea mere politica fuerat, trãslata est ad iura Ecclesiastica: In notitia Imperij legũtur Vicarius Diœceseos Asianæ, Vicarius Diœceseos Põticæ, Vicarius Diœceseos Thraciarum. In Italia quoque Diœceses enumerantur XVII sub dispositione præfecti prætorio Italiæ. Sub dispositione præfecti prætorio Galliarum fuere Diœceses Hispanicæ VII, Gallicę XVII. Harum plereq; omnes postea abiere in Episcopatus, versa etiã in ius & præscriptionem consuetudine, adeo vt nunc absurdum sit Principibus & Regibus adscribere Diœceses. Præterea sicut sub Præsidibus erãt Duces & Comites, ita sub Archiepiscopis fuere Episcopi. Quemadmodum ergo sub Præside Maximæ Sequanorũ qui Vesontione residebat erant, Rauraci; ita postea sub Archiepiscopo Vesontino fuit Episcopatus Basileensis: Sic ergo creuit Ecclesiasticorum potentia in Germania, cui vires & robur addiderunt vicinorum per Galliam atq; Italiã Episcoporum societates. Fuit autem primarum & Metropolitanarum Ecclesiaarum cura, mittere ad paganos vicinos qui illos ad fidem conuerterent. Fecit id primum Treuirensis, qui Agrippinensi & Moguntino est antiquior. Postea Moguntinus, Francorum regum suasu, qui Christianitatis propagandæ laudẽ cum imperij gloria coniunxerunt. Hic ergo ad Saxones, Frisios, Allemannos, Baioarios misit: Transdanubiani, statim inde ab Apostolorũ temporibus doctrina Christi imbuti sunt. Iuxtà monachorũ vero congregationes, quæ opimioribus locis, & maxime oppõrtunis factæ sunt, constat oppida quædã fuisse constituta: Confluxerũt enim ad ea loca è vicinis ac remotioribus sedibus qui vel operã cœnobijs præstabant, vt serui; vel qui ab asylis immitatẽ sperabant, vt sontes: ita creuere cœnobia in pagos, pagi in vrbes. Ac initio crediderim oppida pleraq; tumultuario opere & rustico fuisse exstructa. Hlodoueus certe Argentorati ligneum templum condidit. Quum autẽ non sit veresimile regio isto opere quicquã tunc fuisse in ea vrbe splendidius, consequens est casas fuisse adinstar tuguriorum rusticorum nostri seculi. Donec confirmato Francorum imperio splendidiora omnia esse cœperũt, & per vniuersam Germaniã excisis syluis cultiora. Non negauerim tamen, primos illos Ecclesiæ antistites rebus suis nondum stabilitatis iuri se Principali submisisse: quo enim colore admissi alias fuissent? sed postquam propagata religione cœperunt ipsi quoq; ciuium ad se animos pertrahere, fecerunt id quod factum videmus, & in Germanorum Republica nouam instituerũt iurisdictionem, ita a ciuili segregatam, vt in rebus Imperij nihil sine ipsis constitueretur.

CAPVT II.

Maiores CAROLI MAGNI *ex Ottone Frisingensi, additis nostris obseruationibus.*

SVb regibus Francorum Merouingijs magna fuit Præfectorũ Prætorio, quos Palatij magistros, & majores domus vocabant, potestas. Hi enim summæ rei præerant, & specie fulciendæ autoritatis regiæ, negotia omnia ciuilia & bellica administrabant. Stetit autem munus illud diu admodum in maioribus Caroli Magni, quorum hæc est series.



AUdiamus nunc Ottonem Frisingensem, patruum Friderici Barbarossæ, virum generi suo virtute respondentem.

Diebus Constantis Constantini filij, Beata Gertrudis virgo Pipini filia beato fine quieuit. Dagoberto quoque mortuo Clodoueus filius successit: nam alij filio Sigeberto dum adhuc viueret, Austrasiam reliquerat, eumque Cuniberto Colonienſi præsuli & Pipino commendauerat.

Ab hac oppidum Hollandiæ quod vocant montẽ S. Gertrudis, *Sint Geertruden berch*, nomen accepit.

Diebus Constantini Constantis filij, B. Arnulfo, qui maior domus fuerat, seculo abrenuncianti, post modum q3 in ecclesia Metensi pontifice facto, Angisus filius principatum maioris domus tenuit. B. Lampertus Traiectensem quæ post Leodium translata est, gubernauit Ecclesiam. Sub Iustiniano Constantini filio Pipinus filius Angisi maior domus effectus regnum Francorum administrauit, cuius anni in catalogo regum deinceps annotantur: reges enim ex hinc omnibus regni negotijs & honori nudati, solo nomine regnabant, maiores vero domus curam regni habebant.

Diebus Anastasij Imperatoris Dagobertus moritur rex Francorum. Pipino quoque maiore domus mortuo Carolus filius eius regnum Francorum per XXVII annos, regibus adhuc, sed sine honore ac vtilitate manentibus, administrauit. Hic magni Caroli auus, Reginfredum regnum inuadere volentem multis ac grauibus bellis pressit, ac ad vltimum relicta sibi tantum ad habitandum Andegauensium ciuitate, regno coercuit.

Detentus fuerat Coloniæ in carcere a Pletrude nouerca, Pipini vidua: sed elapsus Præfecturam Palatij a Reginfredo occupatam armis repetijt.

Is etiam victis Baioarijs Allemanniam quoque quam Sueuiam dicunt, cum Lanfrido duce eorum subiugauit. Gasconiam cum Eudone Aquitanorum duce deuicit. In Saxonia ac Frisia fortia bella gessit. Saracenorum qui cum vxoribus

ac liberis

ac liberis Aquitaniæ fines ingressi fuerant, CCCLXXXV *millia fudit, ex Francis tantum mille quingentis amissis.* Euocarat eos Eudo Vasconum præfectus. Domita Aquitania in Frisiam profectus, Radbodum bello petijt, veterem hostem, rebus secundis elatum, & occiso nuper ad Leodiēsem aram Grimoaldo Caroli fratre, genero suo, immaniorem. Hunc ergo instructa ad Amistrachiam atque Austrachiam Frisiorum insulas exercitu, supra Burdonem fluuium vicit, occiditque, copijs eius disiectis, gentilium sacris subuersis, idolis comminutis, atque ita præda grauis reuersus est ad suos, teste Aimonio. Nec multo post iterum in Frisiam duxit. Hermannus Contractus sic ista describit. Anno DCCCXXIX *Karolus nauali euectione regnum Frisonum ingreditur, interfectisque quamplurimis, Popponem ducem eorum interemit, subuersisque lucis, & fanis, victor cum præda magna regreditur.* Bonifacium quoque Anglum Martellus postulantem vt sub præsidio eius in Germania liceret doctrinam Christi salutarem inter Paganos docere, certis legibus admisit, dato etiam instrumento ipsi securitatis publico cuius hæc sunt verba. Dominis sanctis & Apostolicis in Christo Patribus, Episcopis, Ducibus, Comitibus, Vicarijs, Domesticis, seu omnibus agentibus, iunioribus nostris, seu missis decurrentibus & amicis nostris, illustris vir CAROLVS maior domus, benè cupiens vester. Cognoscatis, qualiter Apostolicus vir in Christo pater Bonificius, Episcopus, missus sancti Petri ad nos venit, & nobis suggessit, quod sub nostro mundiburdio vel defensione eum recipere deberemus. Quod ita nos gratanti animo feciſſe cognoscite. Proinde nos taliter visi, fecimus ei manum nostram roboratam dare, vt vbicumque vbi & vbi ambulare videretur, cum nostro amore vel sub nostro *mundiburdio & defensione quietus vel conseruatus esse debeat, hac ratione, vt iustitiam reddat, & vt similiter accipiat.* Et si aliqua causatio vel necessitas ei aduenerit, quæ per legem definiri non poterit, vsque ad nos quietus & conseruatus esse debeat, tam ipse, quam qui per ipsum sperare videntur: Vt ei nullus vllam contrarietatem vel damnationem aduersus eum facere debeat, nisi omni tempore sub nostro mundiburdio vel defensione quietus vel conseruatus residere debeat. Et vt certius credatur, manu propria subterfirmauimus, & de annulo nostro subtersigillauimus.

Hic rursum XX *imperij sui anno Gasconiam ingressus Eudonem occidit, ac sequenti anno contra filios eius bellum instauravit. Saracenos denuò Gallias intrare volentes iuxta Narbonam deleuit. Igitur dum regnum Francorum multis modis sub bellicosissimo principe Carolo augmentaretur, regnum Romanorum quod ad vrbem regiam* (Constantinopolim) *translatum fuerat, non solùm ab hostibus, amissis prouincijs imminuebatur, sed & intestinis malis intra se collidebatur.*

Quis autem sub finem vitæ Caroli Martelli status rerum fuerit, ex Annalibus Pythei cognosci potest, in quibus hęc leguntur An. DCCXL. Pax & quies regno Francorum per Carolum redditur ad tempus, Gothis superatis, Saxonibus, & Fresonibus subactis, expulsis Saracenis, Prouincialibus receptis.

Anno ab incarnatione Domini DCCXLII *Carolus Pipini filius moriens tres filios, Carolomannum, Pipinum & Grifonem reliquit. Horum Grifo, qui minor natu erat, consilio vxoris suæ Swanehildæ, Vdalrici Baioariæ ducis consanguineæ occupata Lauduno fratribus bellum indicit. Qui collecto milite Laudunum obsidione cingunt, fratremque in deditionem acceptum in castello iuxta Aluernam custodiæ mancipant.*

Ægidius præteritur: quod abnegato sæculo, otij amans, factus esset Episcopus Rhotomagensis.

Anno DCCXLIII *Pipinus & Carolomannus regnum diuidunt, Carolomanno Austriam, Allemanniam, Thuringiam: Pipino verò Burgundiam & Neustriam prouinciam sortito. Deinde multis prœlijs commissis anno ab incarnatione Domini* DCCXLVI *quum iam Fuldense monasterium fundari cœperat, Carolomannus aperit fratri suo, se seculo abrenunciare velle. Quod sequenti anno ad effectum perduxit. Verum Griso fratri rebellans Baioariam eiecto inde Tassilone duce occupat. At Pipinus Tassilonem restituit, fratriq;* XII *comitatus concessit: quibus ille non contentus, ad Waifarium ducem Aquitaniæ fugit.*

ANNO *ab incarnatione Domini* DCCLI, *quum regibus Francorum solo nomine regnantibus maiores domus omnem regni curam administrarent, Pipinus, qui hanc dignitatem per successionem acceperat, Burchardum Herbipolensem Episcopum, & Folradum capellanum suum ad Zachariam P. sciscitandi gratia misit. Pontifex ergo, melius esse, vt ille qui curam omnium haberet, rex diceretur, quam qui solum nomen regis gereret, remandauit. Eo tempore Hildericus ex antiquorum Francorum regum qui à Merouco Clodij filio Merouingi dicebantur, sanguine descenderat, inane regium nomen tenebat. Igitur anno ab incarnatione Domini* DCCLII *reuersis à Roma nuncijs auctoritate Zachariæ Papæ Pipinus à B. Bonifacio Moguntino Archiepiscopo, aliisque regni principibus in Suessiona ciuitate ad regnum eligitur.*

Anno DCCLIV *Pipinus à Stephano Papa primo à fidelitatis sacramento, quod Hilderico promiserat, cum alijs regni Francorum primoribus absoluitur: ac detruso Hilderico in monasterium, postmodum in regem vngitur. Hîc Merouingorium regno finito, Carolingorum cœpit. Ex hoc Romani Pontifices regna mutandi auctoritatem trahunt. Pipinus igitur re prius, ex hinc nomine simul ac re regnum Francorum gubernauit. Huius diebus floruerunt clarissimi regni Christi principes, Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus, Virgilius Iuuauiensis Præsul, Corbinianus Frisingensis Ecclesiæ antistes, & alij quam plures.*

De Bonifacio alibi non semel diximus. Virgilius Hibernus fuit, ac sub Tassilone eiusque filio Theudone Ecclesiam Iuuauiensem, quæ nunc Satzburgensis dicitur, fundauit. Corbinianus verò Frisingæ eodem tempore Ecclesiam erexit. Quinam præterea hoc tempore in Germania floruerint, diximus libro primo. Pag. 18.

Anno ab incarnatione Domini DCCLV *Pipinus ex rogatu Stephani Papæ contra Aistulphum Longobardorum regem mouit. Bonifacius à Fresonibus martyrio coronatur. Anno sequenti, quum Aistulfus ea quæ laudauerat irrita faceret, Pipinus eum denuò Papiæ obsessum promissa implere compulit. Anno dehinc proximo Constantini Augusti nuntij Pipino munera deferentes, ad eum Compendium veniunt. Tassilo quoque Baioariorum dux illuc cum maioribus suæ gentis veniens, regi filijsque eius fidelitatem sacramento promisit. Sequenti anno rex graui ac laborioso bello Saxones denicit, eosque tributarios fecit. His diebus B. Othmarus in insulam Rheni Stein relegatus, migrauit ad Dominum.*

Othomarus iste S. Galli Abbas fuit: damnatusq; in Synodo relegatus est in villam Podamicam lacus Acronij: inde delatus in insulam Rheni, nomine Stein.

Pipinus Waifarium Aquitaniæ ducem, adhuc rebellantem multis ac grauibus bellis pressit. Tassilo etiam Baioariorum dux post posita fide, auunculo suo Pipino rebellare attendit. Pipinus verò multis ac varijs bellis patratis, ad vltimum Walfarium interfecit, ac non multo post in reditu Turonis infirmatus, & inde Parisios depertatus, anno ex quo in regem vnctus est XIV, *ex quo verò principari post mortẽ patris cœperat* XXVI, *diem obijt, duos relinqueus filios, Carolum & Carolomannum.*

Obijt

Obijt anno DCCLXVII, octauo Calendas Octobris. Sepultus verò iacet Lutetiæ in Ecclesia S. Dionysij cum hæc inscriptione, PIPINVS REX PATER CAROLI MAGNI.

Anno ab incarnatione Domini DCCLXXIX *imperante adhuc Constantino* CAROLVS *diuiso cum fratre regno regnare cœpit.*

Carolo vtpote maiori natu Neustra obuenit cum regnis Burgundiæ & Aquitaniæ. Carolomanno Austria cum gentibus Transrhenanis. Carolus post Galienam, duxit Desiderij Longobardorum regis filiam vxorem, obstante licet Stephano Papa, quod minus benè vellet Desiderio: Sed eam Carolus fractus Pontificis importunis legationibus tandem dimisit. Aimo ad annum Christi DCCLXXII. Hoc anno, inquit, etiam Domnus Carolus rex repudiauit filiam Desiderij regis Longobardorum, anno postquam matris hortatu eam duxerat vxorem, & Hildegardem de gente Sueuorum præcipuæ nobilitatis fœminam in matrimonium accepit.

Sequenti anno Carolus in Wormacia generalem curiam celebrans, orationis causa limina Apostolorum visitare disposuit. Tertio regni sui anno Carolomanno fratre suo mortuo, vxoreq; illius cum filijs ad Desiderium Longobardorum regem fugiente, Carolus solus regnans cum exercitu Saxoniam ingreditur.

Vetuit nimirum Carolus ne patris sui hæreditatem adirent liberi, ipse monarchiam animo meditans: nec defuerunt in Italia qui, quod Longobardis male vellent, hanc ipsos subuertendi occasionem aptissimam iudicarent. Soror vtriusque Rothaidis, mater Rulandi eius qui in Saxonia egregiam Carolo operam præstitit, sepulta est Metis. Eius Epitaphium hoc est,

Hic ego quæ iaceo Rothaidis nomine dicor,
Quæ genus excelso nimium de germine duco.
Nam mihi germanus gentes qui subdidit armis
Ausonias, fretus Karolus virtute Tonantis.
Pipinus pater est, Karolo de principe cretus,
Aggarenum strauit magna qui clade tyrannum.
Pipinus proauus, quo non audacior vllus.
Ast abauus Anchise potens, qui ducit ab illo
Troiano Anchise longo post tempore nomen.
Hunc genuit pater iste sacer Præsulque beatus
Arnulphus, miris gestis qui fulget vbique,
Hic me spe cuius freti posuere parentes.

Ita ad Carolum solum tot regna deuoluta sunt, quæ ille florens æui, (vix enim annum expleuerat ætatis vigesimum) & viribus pollens, ex eo auxit, & ad posteros transmisit. Hic ille est Carolus, qui à virtute & magnitudine rerum gestarum MAGNI nomen in Occidente obtinuit, & cuius in Francia soboles vsque ad Hugonem Capetum per annos ducentos atque amplius, in Germania verò haud ita diu imperauit.

CAP. III.

MATRICVLA ORDINVM SACRI IMPERII ROMANI, *hoc est, eorum, qui ad Comitia euocari, inque ijs ius suffragij habere solent.*

COnsequens nunc videbatur, vt Caroli Magni gesta, cæterorumque Imperatorum percurreremus, atque inde regna regesque Bohemiæ, Hungariæ, Poloniæ, Daniæ, Sueciæ, Norwagiæ describeremus, adiectis Electorum tam Ecclesiasticorum quam secularium ditionibus, cum Ducibus & Ducatibus Austriæ,


MARE GERMANICUM
De Ooſterſche See
PRUYSSEN
POLONIA
GALLIÆ PARS
GERMANIA
ITALIÆ PARS
HUNGARIA
Milliaria Germanica comm.
10 20 30

Saxoniæ, Bauariæ, Sueuiæ, aliarumque regionum sub Imperio comprehensarum: sed quia hæc ipsa nisi ad vnum corpus referantur, videri possunt confusa adhuc esse atq; indigesta, præmittam Indiculum Otdinum S. Imperij, & seriem augusti illius consessus, in quo de rebus ad Rempublicam Germanicam spectantibus deliberatur atque decernitur, admota è regione tabula vniuersali Germanię, quæ, licet partes maxime Septentrionales non contineat, tamen in cæteris facilè ostendit quo quæque referre oporteat. In hac verò matricula proponemus eos omnes, qui ad Comitia Imperij euocati ius suffragij intra hos annos CCCC habuerunt. Eius conspectus docebit, quænam sint membra imperij; & quanta prudentia omnia ordinata à maioribus & constituta sint. Desumta autem sunt ista ex Tabulis publicis, quas Fredericus III Imperator Aug. in Comitijs Ratisponensibus anno Christi MCCCC LXXI conscribi, & in acta Imperij referri iussit, prout eas nuper vir Germanicarum antiquitatum peritissimus Melchior Goldastus amicus noster, in lucem protracta edidit: cuius fidei atq; industriæ hæc accepta ferenda sunt.

ORDINES IMPERII.

IMPERATOR CÆSAR AVGVSTVS.

REX ROMANORVM AVGVSTVS.

Septem Principes Electores.

Archiepiscopus Moguntinus, S. Romani Imperij Archicancellarius per Germaniam.

Archiepiscopus Treuirensis, S. Romani Imperij Archicancellarius per Galliam & regnum Arelatense.

Archiepiscopus Colonienſis, S. Romani Imperij Archicancellarius per Italiam.

Rex Bohemiæ, S. Romani Imperij Archipincerna.

Comes Palatinus Rheni, S. Romani Imperij Archidapifer.

Dux Saxoniæ, S. Romani Imperij Archimareschalcus.

Marchio Brandenburgiæ, S. Romani Imperij Archicamerarius.

Reges.

Rex Franciæ sub Anglis.
Rex Hungariæ.
Rex Poloniæ.
Rex Angliæ.
Rex Scotiæ.
Rex Hiberniæ.
Rex Daniæ.
Rex Sueciæ.
Rex Norwegiæ.
Rex Dalmatiæ.
Rex Croatiæ.

Archiduces.

Archidux Austriæ, qui solus hoc titulo præcellit.

Magni Duces.

Magnus Dux Burgundiæ.
Magnus Dux Lithuauiæ.
Magnus Dux Silesiæ.

Patriarchæ.

Archiepiscopus Aquilegiensis Patriarcha, solus.

Primates.

Archiepiscopus Magdeburgensis Primas Germaniæ.
Archiepiscopus Lugdunensis Primas Galliæ.

Archiepiſcopi.

Archiepiſcopus Salisburgenſis, Legatus Sedis Apoſtolicæ.
Archiepiſcopus Bremenſis in Saxonia.
Archiepiſcopus Biſantinus in Burgundia.
Archiepiſcopus Gneznenſis in Polonia.
Archiepiſcopus Lundenſis in Dania.
Archiepiſcopus Rigenſis in Liuonia.
Archiepiſcopus Pragenſis in Bohemia.

Magnus Magiſter.

Magnus Magiſter Ordinis Theutonici in Boruſſia.

Epiſcopi.

Epiſcopus Babenbergenſis, qui eſt immediatè ſub Romano Pontifice.
Epiſcopus Miſnenſis, qui etiam immediatè ſub Romano Pontifice.

Suffraganei Moguntinenſes.

Epiſcopus Herbipolenſis, qui & VVurceburgenſis.
Epiſcopus Vangionum, qui & VVormatienſis.
Epiſcopus Nemetum, qui Spirenſis.
Epiſcopus Argentinenſis, qui Straſsburgenſis.
Epiſcopus Aureatenſis, qui Eychſtetenſis.

Epiſcopus Pragenſis, Epiſcopus Olomucenſis } *Sunt à Carolo V. Imperatore in Archiepiſcopatum Bohemicum tranſlati.*

Epiſcopus Conſtantienſis, qui & Mersburgenſis ad Lacum Podamicum.
Epiſcopus Curienſis in Rhætia.
Epiſcopus Verdenſis in Saxonia.
Epiſcopus Auguſtanus in Vindelicia.
Epiſcopus Hildesheimenſis in Saxonia.
Epiſcopus Paderbornenſis in VVeſtphalia.
Epiſcopus Halberſtatenſis in Saxonia.

Suffraganei Treuirenſes:

Epiſcopus Mediomatricum, qui Metenſis.
Epiſcopus Viridunenſis.
Epiſcopus Leucorum, qui Tullenſis.

Suffraganei Agrippinenſes ſeu Colonienſes:

Epiſcopus Tungrorum, qui Leodienſis.
Epiſcopus Mimingerodenſis vel Mimingardefurdenſis, qui Monaſterienſis in VVeſtphalia.
Epiſcopus Traiectenſis in Hollandia, qui Vltraiectinus.
Epiſcopus Mimindonenſis, qui Mindenſis in VVeſtphalia.
Epiſcopus Oſenabrugenſis in VVeſtphalia.

Suffraganei Aquilegienſes ſeu Foroiulienſes:

Epiſcopus Taruiſinus in Marchia Veneta, *quæ imperitè vulgò dicitur* Vandalica.
Epiſcopus Polenſis vel Polanenſis in Hiſtria.
Epiſcopus Tergeſtinus, qui Trieſtenſis, in Hiſtria.

Suffraganei Parthenopolitani ſeu Magdenburgenſes:

Epiſcopus Martisburgenſis, qui Merſeburgenſis.
Epiſcopus Mœſianus, qui Michſnenſis.
Epiſcopus Neapolitanus, qui Naumburgenſis, olim Citicenſis.
Epiſcopus Brennopolitanus, qui Brandenburgenſis.
Epiſcopus Havelburgenſis.

Suffraganei Iunauenſes ſeu Salisburgenſes:

Epiſcopus Reginoburgenſis, qui Ratisbonenſis.
Epiſcopus Laureacenſis, qui Patauienſis ſeu Paſſouienſis.
Epiſcopus Tridentinus.
Epiſcopus Brixinenſis.

Epiſco-

Episcopus Fruxinensis, qui Frisingensis.
Episcopus Chiemensis, qui & Chiemseensis.
Episcopus Goricensis, qui & Gurcensis in Carinthia.
Episcopus Seccouiensis, qui & Segouiensis.
Episcopus Lubianus, qui Lauentinus in Carnia.
Episcopus Fabianensis, qui Viennensis in Austria: *Relatus legitur à quibusdam Matricularijs in Austriaco Imperij Circulo.*
Episcopus Neostadianus, qui Newstatensis: *nondum tamen sessionem in Comitijs, quod constet, tenuit.*

Suffraganei Hammapurgenses siue Bremenses:

Episcopus Vagrianus, qui Lubecensis, olim Aldenburgensis.
Episcopus Swerinensis in Megalopolia.
Episcopus Libussinus in Brandenburgia.
Episcopus Schleswicensis in Dania.
Episcopus Caminensis in Pomerania.
Episcopus Racemburgensis in Megalopolia Obotritorum.

Suffraganei Bisantinenses vel Burgundici:

Episcopus Rauracorum, qui Basilienſis.
Episcopus Aventicorum vel Antuatum, qui Lausannensis.
Episcopus Bellicensis.

Suffraganei Gneznenses seu Polonici:

Episcopus Vratislauiensis, qui Breslensis in Silesia.
Episcopus Plocensis in Masovia.
Episcopus Vladislauiensis, nunc Leslawensis, in Cuiavia.
Episcopus VVarmiensis in Borussia.
Episcopus Cracouiensis.
Episcopus Poznaniensis.
Episcopus Lublinensis in Polonia, *sub Alberto I. Imp. & Wenceslao Rege Bohemiæ & Poloniæ inter Ordines Imperij relati memorantur.*

Suffraganei Lundenses vel Danici:

Episcopus Ripensis.
Episcopus Arusiensis.
Episcopus Othoniensis, qui & Ottonis Swigensis.

Suffraganei Rigenses seu Liuonici:

Episcopus Curiensis, qui & Curlandinus.
Episcopus Reualiensis.
Episcopus Oeselienſis.
Episcopus Tarpatensis, qui Derptensis.

Suffraganei Pragenses vel Bohemici:

Episcopus Olomucensis in Morauia.
Episcopus Luthomischlensis.
Episcopus Blyzymenskianus, *de quo tamen nihil legitur in Recessibus & Actis Imperialibus.*

Suffraganei Rhemenses siue Belgici.

Episcopus Cameracensis; *qui nunc est Archiepiscopus Belgij, sed ab Imperatore & Ordinibus nondum confirmatus, nec pro tali habetur in Comitijs, vbi inter Episcopos adhuc locum suum tenere cogitur.*
Episcopus Atrebatensis, qui Arrasensis.
Episcopus Morinensis, qui Teruanensis.
Episcopus Tornacensis.
Episcopus Sancti Andomari in Flandria.

Suffraganeus Viennensis in Prouincia.

Episcopus Gebennensis, qui Geneuensis.

Suffraganeus Tarentasiensis in Gallia.

Episcopus Sedunensis, qui & Vallesianus, & Sittensis.

Suffraganei Lugdunenses in Gallia:

Episcopus Cabillonensis, qui Chalonensis vel Schalonensis.
Episcopus Matisconensis in Burgundia.

Sub Magno Magistro Ordinis Theutonici D. Mariæ, qui in Borussia obtinet dignitatem Archiepiscopi:

Episcopus Ermlandiæ.
Episcopus Heilspergensis.
Episcopus Culmensis, qui & Culmseensis.
Episcopus Premislauiensis.
Episcopus Pomezaniensis.
Episcopus Sambiensis, qui & Samlandiæ.
Episcopus Risenburgensis.

Sub Carolo IV. Imp. legitur Decretis Imperialibus subscripsisse, Henricus Episcopus Lumudensis, *qui cuias fuerit non queo diuinare, nisi quod putem, nomen esse corruptum.*

In Matriculis Maximiliano Primo imperante conscriptis, taxati & censiti leguntur sequentes Episcopi, de quorum mihi diœcesibus & suffraganeatibus nihil constat:

Episcopus Amersfordensis: *Sed hæc ciuitas spectat ad Episcopatum Traiectensem.*
Episcopus Camorensis.
Episcopus Sanctianus, *Bischoff von Sanctia.*
Episcopus Dauentrianus, *sed & hæc ciuitas spectat ad Episcopatum Trajectensem.*
Consirons Abts: *quem Episcopum in tribus notaui Matriculis hoc modo scribi.*

Sigismundus Imperator allaborabat, ut Ordines Hungariæ cum Germanis reuniret. Itaque in Recessibus sub eo factis subscripsisse inter Ordines Imperij leguntur:

Archiepiscopus Strigoniensis, qui Granensis.
Archiepiscopus Colocensis.
Episcopus Tragurinensis.
Episcopus Agriensis.

Et hi quidem tanquam origine Germani, & in prouincia Germanica residentes, ad decernendas grauissimas Imperij controuersias adhibiti fuerunt, in quarum decisionibus atque decretis variis expresse asseritur, eas nullibi quàm apud Germanos Principes, iure & stylo Germanico esse indicandas & determinandas. Hinc etiam Archiepiscopus Strigoniensis, tanquam Germanici Imperij Princeps, receptus est in Archiepiscopum simul Salisburgensem. Et Præpositus Strigoniensis fuit Aulæ Cæsareæ Vicecancellarius in Imperio simul & Regno. Sed & Agriensis Episcopus Recessui Nurembergensi, Anno 1413. inter Germaniæ Episcopas subscripsit.

Episcopi Angliæ numquam proprio suo nomine in Comitijs Imperij comparuerunt, sed Regis sui locum & personam semper repræsentarunt, tanquam Legati & Mandatarij.

MAGISTRI ORDINVM EQVESTRIVM,

QVI SVNT PRINCIPES IMPERII.

Magister Ordinis Dominorum Theutonicorum per Germaniam & Italiam.
Magister Ordinis Theutonici in Liuonia.
Magister Ordinis Iohannitarum per Germaniam.

Abbates

Abbates Principes.

Abbas Fuldenſis, Primas Germaniæ & Galliæ, & Archicancellarius Imperatricis.
Abbas Campodunenſis, qui Kemptenſis in Sueuia.
Abbas Murbacenſis in Alſatia.
Abbas Hersfeldenſis in Haſſia.
Abbas Augienſis, qui Reichenawenſis.
Abbas Sancti Galli in Heluetia.
Abbas Agaunenſis, ſiue Sancti Mauritij in Valleſia.
Abbas Altorphenſis, qui & VVeingartenſis.
Abbas Stabulenſis, qui & Stabelæſianus.
Abbas Tudenſis.
Abbas Prumienſis, qui Pfrimenſis.
Abbas Monaſterij Sancti Cornelij apud Indenos.
Abbas Sancti Vedaſti in Flandria.
Abbas Corbeienſis in Saxonia.
Abbas Cluniacenſis in Burgundia.
Abbas Salfeldenſis in Saxonia.
Abbas VVerdenſis in VVeſtphalia.
Abbas Gorſeenſis in Gallia.

Præpoſiti Principes.

Præpoſitus VVeiſſenburgenſis in Alſatia inferiore ad Rhenum.
Præpoſitus Elewangenſis in Sueuia Norica.
Præpoſitus Berchtholsgadenſis in Bauaria.

Abbatiſſæ Principes.

Abbatiſſa Tigurina, ſeu Thuricenſis.
Abbatiſſa Quintiborgenſis vel Quedelburgenſis in Saxonia.
Abbatiſſa Eſſenſis, quæ & Eſſendienſis.
Abbatiſſa Gandersheimenſis in Saxonia.
Abbatiſſa Gerenrodenſis in Saxonia.
Abbatiſſa Herfordenſis, vel Hereuordenſis in Saxonia.
Abbatiſſa Andelauienſis in Lotharingia.
Abbatiſſa Buchouienſis ad Federſeam.
Abbatiſſa Sacconiana, quæ Seckingenſis, in Rauracis ad Rhenum.

Duces.

Angriuariæ Dux, qui nunc Engeriæ.
Araſchoti Dux, *non eſt receptus inter Liberos Ordines Imperij, ſed eximitur ab Archiprincipe Belgij.*
Barrenſis Dux in Gallia.
Barthiæ Dux in Pomerania.
Bauariæ Superioris Dux.
Bauariæ Inferioris Dux.
Bergenſis Dux, qui & Montenſis.
Brabantiæ Dux.
Brigenſis Dux in Sileſia.
Britanniæ Dux in Gallia.
Brunnenſis Dux in Morauia, *von Brynn.*
Brunſuigiæ Dux.
de Brys Dux. †
Bullionenſis Dux in Belgio.
Buthunienſis Dux in Sileſia.
Caballonum vel Chablæſij Dux apud Allobroges.
Carinthiæ Dux.
Carniæ vel Carniolæ Dux.
Carnouiæ Dux in Sileſia, id eſt, Iegerndorphij.
Caſſubiorum Dux.
Cliuiæ Dux.
Croſnæ Dux in Sileſia.
Cuiauiæ Dux in Polonia.
Dalmatiæ Dux.
Dithmarſiæ vel Dithmaringiæ Dux.
Diuionenſis Dux in Burgundia.

Falckenbergenſis Dux in Sileſia.
Franconiæ Dux.
Geldriæ Dux.
Glogouiæ Dux in Sileſia.
Holſatiæ Dux.
Iawrenſis Dux in Sileſia.
Iuliacenſis Dux.
Lignicenſis Dux in Sileſia.
Limburgiæ Dux.
Lotharingiæ Dux.
Lotharingiæ Inferioris vel Lotharichiæ Dux.
Louanij Dux in Brabantia.
Lowenburgiæ Dux in Saxonia.
Lucenburgiæ Dux.
Lunenburgiæ Dux.
Maſoviæ Dux in Polonia.
Maſſæ Dux, *qui Matriculis eſt von Maſſa*, Politicographis *von der Moß.*
Megalopolenſis vel Meckelburgiæ Dux.
Meraniæ Dux.
Munſterbergenſis Dux in Sileſia.
Olſenſis vel Olsnenſis Dux in Sileſia.
Oppeliæ vel Opuliæ Dux in Sileſia.
Oſwicenſis Dux in Sileſia.
Plocenſis Dux in Polonia ſeu Maſouia.
Pomeraniæ Dux.
Ratiboriæ Dux in Sileſia.
Ratzeuiliæ Dux in Lituania: *qui tamen ad Comitia non vocatur, quia præter nudum titulum, nihil ab Imperio in feudum poſſidet.*
Sabaudiæ Dux.
Saganenſis Dux in Sileſia.
Sandomiriæ Dux in Polonia.
Schleſwicenſis Dux in Dania.
Schweidnicenſis Dux in Sileſia.
Sedinorum vel Stetinenſis Dux.
Stenauiæ Dux in Sileſia.
Stiriæ Dux.
Stormariæ Dux.
Strelicenſis Dux in Sileſia.
Sueuiæ Dux.
Teckenſis Dux in Sueuia.
Teſchinenſis Dux in Sileſia.
Troppauiæ Dux in Sileſia.
Valdimontij Dux in Lotharingia.
Vendiæ vel Vinidarum Dux.
Vratiſlauiæ Dux in Sileſia.
VVeſtphaliæ Dux.
VVirtembergiæ Dux.
VVolgaſti Dux in Pomerania.
Zbarauiæ Dux in Ruſſia: *de quo tamen nihil notatum in Actis Imperialibus, niſi quod Imperator illi ſcribat*; Illuſtri Principi, noſtro & Sacri Imperij fideli dilecto.
Zeringiæ Dux.
Znoymenſis Dux in Morauia, *von Znam.*

Landgrauij, qui ſunt Principes.

Landgrauius Alſatiæ.
Landgrauius Thuringiæ.
Landgrauius Haſſiæ.
Landgrauius Leuchtenbergiæ.
Landrauius Franconiæ.

Marchiones, qui ſunt Principes.

Marchio Miſniæ.
Marchio Oſtlandiæ, id eſt, Orientalis Miſniæ.
Marchio Landſpergenſis.
Marchio Moraniæ.
Marchio Luſatiæ.

Marchio

Marchio Budiſſinenſis.
Marchio Gorlicenſis.
Marchio Badenſis.
Marchio Hachbergenſis.
Marchio Roetelenſis.
Marchio Cambenſis, qui & Vochburgenſis, in Bauaria.
Marchio Hiſtriæ.
Marchio Burgouiæ.
Marchio Seguſianus, qui nunc Suzenſis, *ad pedes montium Italiæ.*
Marchio Stadenſis in Saxonia.
Marchio Antuerpianus, qui vulgò, Sacri Romani Imperij.
Marchio Nummeniæ in Lotharingia.
Marchio Franchimontij in Belgio.
Marchio Pontamuſſoni in Lotharingia.
Marchio Salutiarum, *inter Germaniæ Senatores receptus fuit, ſub Ludouico Bauaro Imperatore.*

Principes, ſimpliciter ſic dicti.

Princeps Delphinatus, vel Delphinus Viennenſis, qui eſt Primogenitus Franciæ.
Princeps Anhaltinus.
Princeps Hennenbergiæ.
Princeps Rugiæ.
Princeps Cabillonenſis in Burgundia, vulgò, *de Chalon vel Chalon.*
Princeps Aureatenſis, qui nunc Vraniæ vel Orangiæ, in Aquitania, *inter Germaniæ Senatores cooptatus fuit, ſub Ludouico Bauaro Imperatore.*
Princeps Sedani vel Eſſedani in Gallia.
Princeps Pedemontij, *ad pedes montium Italiæ.*
Princeps Veronæ & Vincentiæ.
Princeps Sueuiæ.
Princeps de Chimay in Belgio, *qui tamen nunquam ſuo nomine Comitiis interfuit.*
Princeps Arenbergiæ in Belgio.
Princeps Roſenbergiæ in Bohemia.
Princeps Tranſſyluaniæ in Hungaria.
VVaiwoda VValachiæ.
VVaiwoda Moldauiæ, *ſunt inter Principes Imperij allecti, ſed ſub patrocinio Principis Tranſſyluaniæ, à quo eximuntur.*
Princeps Mansfeldiæ: *qui tamen morte præuentus nihil principaliter in ciuilibus Imperij negotijs geſſit, dignitate cum perſona extincta.*
Princeps Liechtenſteini, *qui putatur ab Ordinibus recipiendus.*

Burggrauij, qui ſunt Principes.

Burggrauius Norimbergenſis.
Burggrauius Magdenburgenſis.
Burggrauius Zorbekenſis.
Burggrauius Miſnenſis.

Comites, qui ſunt Principes.

Altiſiodorenſis Comes & Princeps in Gallia, ſub Ottone IV. Imp.
Altorphenſis Comes & Princeps in Sueuia.
Artheſiæ vel Atrebatum Comes & Princeps.
Aſcaniæ Comes & Princeps.
Boloniæ ſeu Bononiæ Belgicæ Comes & Princeps.
Burgundiæ Comes & Princeps, *vulgo*, Hoch Burgund; *Gallis*, la Franche Conté.
Campaniæ ſiue Trecenſis Comes & Princeps in Gallia.
Ciliæ Comes & Princeps.
Croatiæ vel Crabatiæ Comes & Princeps, *qui videtur eſſe idem cum Ciliano.*
Flandriæ Comes & Princeps.

Goritiæ Comes & Princeps.
Habspurgiæ Comes & Princeps.
Hannoniæ Comes & Princeps.
Hennenbergenſis Comes & Princeps.
Hollandiæ Comes & Princeps.
Kiburgiæ Comes & Princeps.
Mersburgenſis Comes & Princeps in Saxonia.
Niuernenſis Comes & Princeps in Gallia: *qui nunc eſt Dux.*
Pictauienſis Comes & Princeps in Aquitania.
Prouinciæ Comes & Princeps.
Scepuſienſis Comes & Princeps in Hungaria.
Schirenſis Comes Palatinus & Princeps in Bauaria.
Selandiæ Comes & Princeps.
Siculorum Comes & Princeps in Hũgaria, *Zackler Graff, in perſona Sigiſmundi Bathorÿ.*
Sultbacenſis Comes & Princeps in Bauaria.
Tyrolis Comes & Princeps.
VVetinenſis Comes & Princeps in Saxonia.
VVirtembergenſis & Montbeliardi Comes & Princeps.
VVittelcbacẽſis Comes Palatinus & Princeps in Bauaria.

Domini, qui ſunt Principes, aut æquiperantur.

Dominus Roſtochienſis.
Dominus Stargardienſis in Megalopolia.
Dominus Friſiæ.
Dominus Marchiæ Venetorum, *vulgò perperam* Vandalorum.
Dominus Portus-Naonis in Foroiulij.
Dominus Mechliniæ in Belgio.
Dominus Molini in Burgundia.
Dominus Salinarum in Burgundia.
Dominus Preſſæ in Gallia Lugdunenſi.
Dominus Zerbeſtæ in Sexonia.
Dominus in Badenweiler.
Dominus Neoburgiani Principatus in Bauaria.
Dominus Neoſtadiani principatus in Palatinatu.
Dominus Simmereni principatus in Hunnorum tergo.
Dominus Grubenhagiani principatus in Brunſuigia.

Abbates, qui non ſunt Principes.

Alensbacenſis Abbas.
Alpenſis Abbas, qui nunc Herrenalbenſis.
Balentzabergenſis Abbas. ‡
Bayenhofenſis Abbas. ‡
Bebenhauſanus Abbas.
Beckenburgenſis Abbas.
Blanckenburgenſis Abbas.
Blauubeurenſis Abbas.
Brunnenſis Abbas. ‡
Cæſarienſis Abbas, qui & Kaiſſerheimenſis, & Keiſshemenſis.
Capellenſis Abbas in Heluetia.
Caſtellenſis Abbas.
Crucelingenſis Abbas.
Diſſentiſſenſis Abbas in Rhætia Curienſi.
Ebersheimmonaſterienſis Abbas in Alſatia.
Echternacenſis Abbas.
Elchingenſis Abbas.
Erbacenſis Abbas infra Moguntiam.
Eremitanus Abbas, qui Einſidelenſis.
Fabarienſis Abbas, qui Pfefferſenſis.
Gengenbacenſis Abbas.
Grentzlingenſis Abbas.
Hailbrunnenſis Abbas, qui & de Fonte Salutis.
Helmſtettenſſis Abbas in Brunſuigia.
Herdeſhuſenſis vel Hedeshauſenſis Abbas.
Himelhauſenſis Abbas: alij habent Hundelshauſenſis.

Hirſau-

Hirſaugienſis Abbas.
Holtzhauſenſis Abbas.
Ileishelmenſis Abbas. †
Ilertelingenſis Abbas. †
Ilirferanus Abbas. †
Ilomkomenſis Abbas. †
Iſnenſis Abbas.
Kunigsbrunnenſis Abbas.
Kuntzlingenſis Abbas.
Luderenſis Abbas.
Luneburgenſis vel Sancti Michaëlis Abbas.
Maidbrunnenus Abbas.
Marchthalenſis Abbas.
Maulbrunnenſis Abbas.
Maurimonaſterienſis Abbas in Alſatia.
Menbacenſis Abbas.
Minderawenſis Abbas, qui & VVeiſſenawenſis.
Monaſterienſis in Valle Sancti Georgij Abbas.
Munchenrodenſis Abbas.
Murenſis Abbas in Heluetia.
Ochſſenhuſenſis Abbas.
Paterniacenſis Abbas, nunc Peterlingenſis in Heluetia Gallica.
Pegauienſis Abbas in Saxonia.
Petershuſanus Abbas Conſtantienſis.
Reckenriedenſis Abbas.
Rickenhauſenſis Abbas.
Richlinghauſis Abbas.
Rittershuſenſis Abbas.
Rockenburgenſis Abbas.
Rodenſis Abbas.
Rotenhauſenſis vel Rockenhauſenſis Abbas.
de Salbelly Abbas. †
Salmanſwilerenſis Abbas, qui & Salomonisvillanus.
de Sant Biago Abbas. †
Sancti Blaſij Abbas ad Syluam Herciniam.
Sancti Egidij Abbas Norimbergenſis.
Sancti Hemmerani Abbas Ratiſponenſis.
Sancti Iohannis Abbas.
Sancti Iohannis Abbas in Thurtalo, id eſt, Valle Thuri fluminis in Heluetia.
Sancti Lucij Abbas Curienſis in Rhætia.
Sancti Matthiæ Abbas Treuerenſis.
Sancti Maximini Abbas Treuerenſis.
Sancti Petri Abbas in Hercinia.
Sanctorum Vlrici & Afra Abbas Auguſtanus.
Sancti Vrbani Abbas in Heluetia.
Scaphuſianus Abbas.
Schuſſenriedenſis Abbas.
Schuternenſis Abbas.
Schwartzachenſis Abbas.
Seeſteinenſis Abbas.
Steinenſis Abbas ad Rhenum.
Tegernſeenſis Abbas.
de Vadſaer Abbas. †
Vrſpergenſis Abbas.
VValckenriedenſis Abbas.
VValtſachſſenſis Abbas.
VVettingenſis Abbas ad Limagum.
Yrſinenſis vel Yrſeenſis Abbas.
Zinnenſis Abbas.
Zwifaltenſis Abbas.

Præpoſiti, qui non ſunt Principes.

Præpoſitus Salecenſis ad Rhenum.
Præpoſitus VVormatienſis.
Præpoſitus Aquiſgranenſis, qui & Aquenſis.
Præpoſitus Odenheimenſis.

Præpoſitus

Præpositus VValtkirchensis.
Præpositus VVettenhusanus.
Præpositus Chamburgensis.
Præpositus Veteris Oetingę.
Præpositus Xantensis.
Præpositus Tigurinus.
Præpositus Salodurensis.
Præpositus Lucernanus.
Præpositus Beronensis seu Monasteriensis in Ergouia Heluetiorum.
Præpositus Interlacensis, nunc Interlappensis in Heluetia Gallica.
Præpositus Burschedensis apud Aquisgranum.
Præpositus Arnuelensis prope Sarbruccam.
Præpositus de Emhedis. †

Abbatissæ, qui non sunt Principes.

Abbatissa Lindauiensis ad Lacum Podamicum.
Abbatissa Superioris Monasterij Ratisponensis.
Abbatissa Inferioris Monasterij Ratisponensis.
Abbatissa Rotomarensis.
Abbatissa Schennisensis.
Abbatissa Hegbacensis.
Abbatissa Baindtensis.
Abbatissa Guttencellensis.
Abbatissa Kauffingensis.
Abbatissa VVunschdorffensis.
Abbatissa Torensis.

Baliui, seu Commendatores Prouinciales Ordinum Equestrium.

Commendator Prouincialis Baliuatus Confluentiæ.
Commendator Prouincialis Baliuatus Alsatiæ & Bungundiæ.
Commendator Prouincialis Baliuatus Austriæ.
Commendator Prouincialis Baliuatus ad Athesim.
Magister Ordinis Iohannitarum per Marchiam, Saxoniam, Vendiam, & Pomeraniam.
Commendator Prouincialis Baliuatus Hassiæ.
Commendator Prouincialis Baliuatus Antritziæ. †
Commendator Prouincialis Baliuatus Ledessæ. †
Commendator Prouincialis Baliuatus Franconiæ.
Commendator Prouincialis Baliuatus Thuringiæ.
Commendator Theutonicæ Domus Altshausensis.
Commendator Iohannitarum Domus VVesselensis in VVederauia.

Comites.

Agennensis Comes. †
Albonij Comes in Burgundia.
Alendorphij Comes.
Altenburgij Comes, qui nunc Oldenburgensis.
Altorphij Comes in Bauaria.
Andechsiæ Comes.
Aquilæ pennatæ Comes, *von Arlen*, Gallicè, *de Penne aigle.*
Arbergæ Comes in Heluetia.
Arenbergæ Comes in Belgio.
Arnspergæ Comes in VVestphalia.
Arnstadianus Comes in Thuringia.
Badensis Comes in Heluetia.
Ballenstadianus Comes.
Barbiæ Comes.
Battenburgi Comes.
Beichsteinensis Comes. †
Beylsteine Comes.
Benthemij Comes.
Bergæ vel Bergensis Comes.
de Bene vel Bers Comes.

Bernburgi

Bernburgi Comes.
Beuchlingi Comes.
Bibenbachi Comes.
Bibersdorphij Comes.
Bilitionum seu Bellitzensis Comes.
Bitschij Comes.
Blanckenburgi Comes.
Blanckenheimi Comes.
Bobenhausanus Comes.
Bodwideli Comes.
Bogensis Comes.
Brandisii Comes.
Bredæ Comes.
Brennensis Comes.
Breubergæ Comes.
Brigantij vel Bregentianus Comes.
Bruchensis Comes.
Bruchhausanus Comes in Saxonia.
Brunckhorsti Comes.
Budingeni Comes.
Burckhausanus Comes in Bauaria.
Burensis Comes.
Calbensis vel Calwensis Comes in Suetia.
Castellanus Comes in Franconia.
Cattimœliboccorum vel Catzenelnbogensis Comes.
De Chaw Comes in Bauaria. †
De Chimay Comes in Belgio.
Claramontanus Comes. *Fortè*, Helbergensis.
Dagsburgi Comes.
Dassellanus Comes.
Delmenhorsti Comes.
Dietzensis Comes.
Diepholtij nobilis Comes.
Dillingensis Comes.
Duisburgi Comes in VVestphalia.
Diunæ Comes; *fortè Dhun vel Daun.*
Dorenbergæ Comes.
Ebersteini Comes.
Eckhartsbergæ Comes.
Egesheimi Comes.
Egmondanus Comes.
Eilenburgi Comes.
Embsanus Comes, *nunc* de Hohenembs, *olim* Amysi Dominus.
Erbacensis Comes.
Falckensteini Comes ad Rhenum.
Falckensteini Comes in VVedderauia.
Finnensis Comes in Dania, *de Fünen.*
Fistingiæ Comes in Lotharingia.
Frawenfeldiæ Comes in Heluetia.
Friburgi Comes in Brisgouia.
Froburgi Comes.
Fürstenbergæ Comes.
de Geex Comes in Heluetia Gallica.
de Geiln & Ruch Comes. †
de Geneuois seu Gebennesianus Comes, qui & Geneuensis.
Gengensis Comes.
de Gera vel Geraw Comes in Saxonia.
Gleichensis Comes.
Gleissbergæ Comes.
Granseensis Comes in Heluetia Gallica.
de Groyz vel Groitsch Comes.
Gronsfeldianus Comes. † *an* Kranichsfeld *in Saxonia?*
Greuembergæ Comes in Bauaria.
Grüningensis Comes.
de Gryers Comes in Heluetia.

de Gutzgow Comes.
Hadmarspergæ Comes.
Hagæ Comes in Bauaria.
Haigenlochi Comes in Sueuia.
Halſenſis Comes in Bauaria.
Hamburgi vel Homburgi Comes in Saxonia.
Hanouiæ Comes in VVedderauia.
Hardecki Comes in Auſtria.
Hartenſteini Comes.
Haſtburgi Comes. †
Heilgenbergæ vel Sancti Montis Comes.
Helffenſteini Comes.
Herenbergæ Comes in Sueuia.
Hirſpergæ vel Hirtzbergæ Comes.
Hochſtadianus Comes.
Hoenlohenſis Comes.
Hohenbergæ Comes ad Nicrum.
Hoiæ Comes.
Holenſteini Comes in Bauaria.
Holſteini Comes in Saxonia.
Hombergæ Comes in Rauracis.
Homburgi vel Honburgi Comes.
de Honde Comes. †
Honſteini vel Hohenſteini Comes.
Horburgi vel Horrenburgi Comes.
Hornanus Comes.
de Huſpch Comes. †
Iſenbergi Comes in Saxonia.
Iſenburgi Comes ad Rhenum.
Kefernburgi Comes.
Kirchbergæ Comes in Sueuia.
Kirchbergæ Comes in Bauaria.
Kirchbergæ Comes in Thuringia: *qui numeratur rectiùs infrà inter Burggrauios.*

Klettenburgi Comes.
de Kuke vel Kule Comes.
Kulenburgi Comes.
Künigſteini Comes.
Lauffenbergæ Comes ad Rhenum.
de Laxin Comes. †. *Forte,* Rapin.
Leiningenſis Comes.
Leiſsnecki Comes.
Lentzburgi Comes.
Leonſteini vel Lewenſteini Comes.
de Lieberawe Comes in Bauaria.
Liechtſtalli Comes.
Liechtenbergæ Comes in Alſatia.
Liechtenbergæ Comes in Thuringia.
Limpurgi vel Lünburgi Comes.
de Lindaw & Tappin Comes.
Linthelbergæ Comes.
Lippiæ Nobilis Comes.
Lobdeburgi Comes in Miſnia.
Loheni Comes in Belgio.
Lohræ Comes in Saxonia.
de Lorſtingen Comes. † *Forte,* Iuſtingen.
Loſenſteini Comes.
Luckenſis Comes. †
Lupfenſis Comes.
Lutzelſteini Comes in Lotharingia.
Manderſcheidi Comes.
Mansfeldiæ Comes.
Marcæ vel Marchæ Comes.
Maſaxiæ Comes.
Matiſconenſis Comes in Burgundia.
Melingenſis Comes.
Meſſershuſenſis Comes in Bauaria.
Metſchenſis Comes in Rhætia Curienſi.

Mettburgi

Mettburgij Comes.
Moerſiæ Comes.
Montalti vel Montis alti Comes in Rhætia Curienſi.
Montisfortis Comes in Rhętia Curienſi.
Morenſis Comes.
Mosburgi Comes in Bauaria.
Mullingenſis Comes in Saxonia.
Namurci Comes.
Naſſouiæ Comes.
Neoburgi Comes in Heluetia Gallica, *vulgò* VVelſchennewenburg, *Gallicè* Neufchaſtel.
Neoburgi vel Newenburgi Comes in Rhætia Curienſi.
Neoburgi vel Newenburgi Comes ad Danubium.
Noenari vel Newenari, *id eſt*, Nouæ Aquilæ Comes.
Neoſtadij ſeu Villæ nouæ Comes.
Niddæ Comes in VVedderauia.
Nydouiæ Comes in Heluetia.
Oberſteini Comes in Alſatia. *Fortè*, Eberſteini.
Oberſteini Comes in Saxonia.
Ochſſenſteini Comes.
Oetingæ Comes.
Orbæ Comes in Heluetia Gallica.
Orlemundi Comes.
Ortenburgi Comes in Bauaria, *qui nunc dicuntur* Antiquiores Comites de Ortenburg, *reſpectu eorum qui à Carolo V. Imp. creati ſub Auſtriacis degunt, ſed inter Ordines liberos & Comitiales non computantur.*
Oſtfriſiæ Comes.
Pfullendorphij Comes.
Phalagiæ Comes in Bauaria.
Phirreti Comes, qui & Ferrariæ, in Alſatia.
Plaini Comes.
Pleiſſenſis Comes.
Putinæ Comes.
Querfurdiæ Comes & Nobilis Dominus.
Radenbachi Comes. *Fortè infrà inter Barones*, Radenach.
Rapini Comes.
Raprechtswileri Comes.
Rauenſpurgi Comes in VVeſtphalia.
Remontij vel Romuntij, *id eſt* Rotundimontis Comes in Sabaudia.
Retzenſis Comes.
Rheingrauij, ſeu Comites Rheni.
Rheinſteini, qui & Regenſteini, Comes.
Rhineckiæ Comes in Heluetia.
Rhineckiæ Comes in Franconia.
Rifferſchiedi Comes.
Ritpergæ Comes.
Rochlizij Comes.
Rordorphij Comes.
Rorenſis Comes.
Rorsheimi Comes in Friſia.
Rotenburgi Comes ad Ruſam in Heluetia.
Rotenburgi Comes ad Nicrum in Sueuia.
Roteneckiæ Comes.
Rotenſelſæ Comes.
Rugrauij, ſeu Comites Aſperi.
Runckelij Comes.
Rutſchenfordiæ Comes.
Rũxingenſis Comes.
Salbini Comes. †
Salmenſis Comes.
de Sano Comes. †
Sarbruckæ vel Sarabrugarum Comes.
Sarunetum vel Sarganſi Comes.
Sarwerdæ Comes.
Schardfeldij Comes.
Schawenburgi Comes in Saxonia.

Schinenſis Comes. ‡
Schlick à Paſſaun Comes.
Schmalenegkiæ Comes.
Schrapelouiæ Comes.
Schwanenbergæ Comes.
Schwartzenburgi Comes in Thuringia.
Schwarrzenbergæ Comes in Franconia.
Schweinsheuti Comes. †
Schwerini Comes.
Scynenſis Comes.
Senogallienſis Comes.
Solmſenſis Comes.
Sondershuſanus Comes.
Sonnenbergæ Comes in Sueuia.
Spanheimi Comes.
Spiegelbergæ Nobilis Comes.
Steinfordiæ Comes.
Sternenbergæ Comes.
Stolbergæ Comes.
Straſsbergæ Comes in Heluetia.
Sultzenſis Comes.
Sumersburgi Comes in Saxonia.
Teckelnburgi Comes.
Tetnangiæ Comes.
Thierſteini Comes.
Thuni Comes ad Ararim in Heluetia.
Tieſſenſis Comes.
Tillenburgi Comes.
Toggenburgi Comes.
Torgauiæ Comes in Saxonia.
Thruhendingenſis vel VVaſſertruhendingiæ Comes.
Valdutiæ aut Vadutziæ Comes in Rhætia Curienſi.
Valendyſi aut Valangini Comes in Heluetia Gallica.
Velbergæ & Chlaminæ Comes.
Valdentiæ aut Validentiæ Comes.
Veldkirchiæ Comes in Rhætia Curienſi.
Veringiæ Comes.
Viandeni Comes.
Viennenſis Comes in Prouincia.
Vinariæ ſeu VVeimariæ Comes.
de Vinplingen & Varad Comes. †
Vrachi Comes.
VVarleæ vel VVærleæ Comes.
VVagriæ Comes.
VValdeckiæ Comes.
VValdinbergæ Comes. †
VValſeæ Comes in Saxonia.
VVangæ Comes in VVaggenthalo.
VVaſſerburgi Comes in Bauaria.
VVeiſſenfelſiæ Comes in Saxonia.
VVerdenbergæ Comes in Heluetia.
VVeringerodæ Comes.
VVertheimi Comes.
VVeſterburgi Comes.
VVeſtfriſiæ Comes.
VViedæ Comes.
VVildgrauij, *id eſt*, Comites Syluestres.
VVilliſouiæ Comes.
VVincenburgi Comes.
VVindeckiæ & Gaſterni Comes.
VVinterthuri vel Vitoduri Comes.
VViſsbadæ Comes.
VVirgenſteini Comes.
VVærdæ Comes.
VVolfratzhuſiæ Comes.
VVunsdorphij Comes.
Zigenhani Comes.
Zimbriæ vel Sigmaringiæ Comes.

Zolleranus

Zolleranus vel Hohenzolleranus Comes.
Zutphaniæ Comes.
Zweybrukiæ Comes.

Landgrauij, qui non sunt Principes, sed in Comitum dignitate.

Barensis Landgrauius, *in der Baar.*
Brisgouiæ Landgrauius.
Burgendiæ Landgrauius, seu Burgundiæ Helueticæ, *in Burgenden.*
Kletgouiæ, seu Kleckouiæ Landgrauius.
Nebelgouiæ seu Ranckwilæ Landgrauius.
Nellenburgi Landgrauius.
Sisgouiæ Landgrauius.
Stefrungensis Landgrauius.
Suntgouiæ Landgrauius.
Susenbergæ Landgrauius.
Tullingię vel Stuellingiæ Landgrauius.
Turgouiæ Landgrauius.
VValgouiæ Landgrauius.

Burggrauij, qui non sunt Principes, sed in Comitum dignitate.

Altenburgi Burggrauius in Misnia.
Altzeæ Burggrauius.
Beckelnheimi Burggrauius.
Bisantij Burgrauius in Burgundia.
Dhonæ Burggrauius.
Fridbergæ Burggrauius in VVedderauia.
Geilnhusæ Burggrauius.
Kirckbergæ Burggrauius in Thuringia: *qui nunc viuit, est vltimus suæ stirpis, & improlis.*
Ratisponæ Burggrauius in Bauaria.
Kheineckiæ Burggrauius.
Rietenburgi Burggrauius.
Rotenbergæ Burggrauius.
Starckenbergæ Burggrauius.
Strumburgi Burggrauius.
VVethini Burggrauius in Saxonia.

Barones & Liberi Domini.

Aarwangensis *Baro.*
Abensbergæ *Baro.*
Ahusensis & Landouianus *Baro.*
Alendorphij *Baro,*
Alpensis *Baro.*
Aldenburgi Baro prope Mersburgum in Saxonia.
Apoldæ Baro.
Appermontij Baro in Lotharingia.
Arbonæ Baro in Heluetia ad Lacum Potamicum.
Arburgi Baro.
de Archo Comes in Carnia.
Armontij Baro.
Arnshagæ & Lobdenburgi Baro.
Aspermontij Baro in Rucantiis Rhetiæ, *von Ruchenberg Germanicè dictus.*
Aurspachi Baro in Misnia.
Babenhausensis Baro est Fuggerus.
Balomphenbergæ Baro in Austria. †
Bappenheimi Maresealcus Baro.
Barri *Baro* in Alsatia.
Batenbergæ Baro: qui & Comes Batenburgi.
Baumgarten in Schwangaw & Erbach Baro.
Bechburgi Baro.
Bellmontij seu Bellimontis Baro in Rhætia.
de Belp *Baro.* †
Bergæ & Vallæ *Baro*, id est de *B*ergen & VValen; *sed supra numeratur inter Comites.*

Bibersteini Baro.
Bickenbachi Baro, *an est, qui supra inter Comites vocatur*, Bibenbach?
Billichdorphij Baro.
Blanckenbergæ Baro, *supra inter Comites vocatur*, Blanckenburg.
Blanckensteins Baro, *an est, qui supra* Comes Blanckenheimi?
de Blangeio Baro in Burgundia.
Blawensteini Baro ad Blauam in Rauracis.
Blesingi Baro. †
Blumeneckiæ Baro.
de Bonnl Baro.
Bonstettensis Baro.
de Boues Baro in Belgio.
de Brance Baro in Burgundia.
Brandensteini in Ranis Baro.
Bredenrodij Baro in Hollandia.
Brewbergę.
Bruckbergæ Baro.
Bruneckiæ Baro.
Bubenbergæ Baro.
Buchegkiæ *Baro.*
Buchheimi *Baro.*
Bulachi *Baro.*
Burgeli seu *Bergauiæ Baro.*
Burglensis *Baro* in Turgouia.
Bussnangi *Baro.*
Chemnatensis seu Kemnatensis *Baro.*
Colditij *Baro* in Saxonia.
Dachstuli *Baro.*
Degenbergæ *Baro.*
Diessenhofensis Dapifer Baro in Heluetia.
Droysligæ Baro.
Eberstalli Baro.
Eckiæ vel de Ecker Baro.
Eckertsawæ *Baro.*
Ehrenfelsiæ *Baro.*
Einskirchi Baro.
Elbrecht Schirichensis *Baro.*
Elgkouiæ Baro.
Ellerbachi *Baro.*
Eltzius in Pirmontij Baro.
Endæ *Baro.*
Eppsteini vel Eppensteini *Baro.*
Eschenbachi *Baro.*
Ettendorphij Baro.
Ezigelhemi *Baro.*
Falckenbergæ *Baro* in Rauracis.
Falckensteini *Baro.*
Falckensteini *Baro* in Heluetia.
Falckensteini *Baro* supra Herciniam.
Farwangensis *Baro.*
Feuchtwangensis Baro.
Finstingensis *Baro* in Heluetia.
Fleckensteini Baro.
Fluminis siue de Flums *Baro.*
Fraunbergæ vel Frauwenbergæ Baro.
Freyensteini *Baro.*
Freybergius: *vide Iustingen.*
Fridouiæ *Baro.*
Fronhofensis *Baro.*
Fronspergius: *vide* Mindelheim.
Fruotingensis *Baro.*
Frybergæ *Baro. Fortè* Friburgi, *qui nunc Comes.*
Gehmensis Baro, *zu Gemen.*
Gerawæ *Baro: qui suprà inter Comites.*
Geroltzeckiæ *Baro*, qui nunc Hohengeroltzeckius.
Geueræ *Baro, zu Ieuern.*

Giersbergæ

Giersbergæ *Baro.*
Girbadenſis *Baro.*
de Gmant vel Gmont *Baro* Camerarius. †
de Gœskon vel Goesken *Baro.*
Gradetzij *Baro.*
Graſsburgi *Baro*: *an eſt, qui ſupra inter Comites* Straſsberg?
Graueneckiæ *Baro.*
de Greytz *Baro*: *qui ſupra inter Comites* Groytz.
Grimmenſteini *Baro.*
Grünenbergæ *Baro*: *an qui ſupra inter Comites eſt*, Grüemberg?
Gundelfingiæ *Baro.*
Gutenburgi *Baro.*
Güttingenſis *Baro.*
Habachi *Baro.*
Hagenouiæ Baro in *Bauaria.*
Hagenbergæ *Baro.*
Haruſſianus *Baro.*
Haſenburgi *Baro* in Rauracis ad *Blauiam.*
Haſlen: *vide infrà* Reſti.
Hauſenſis *Baro* in Kintzinger thal.
Hedwigij *Baro.*
Heideckiæ *Baro.*
Heldrungiæ Nobilis Dominus.
Helingsbergæ *Baro.*
Henchouiæ *Baro.* †
Herchenfeldiæ vel Herchenfelſiæ *Baro.*
de Herſij *Baro.* †
Hewenſis vel Hohenhewenſis *Baro.*
Hilgellebeni *Baro.*
Hinsbergæ *Baro.*
Hoheneckiæ *Baro.*
Hohenfelſius in Reupoltzkirch *Baro.*
Hornbergæ *Baro.*
Hunenbergæ *Baro.*
Ilſungius in VVolckenburg *Baro.*
Itzſteine *Baro.*
Iuſtingenſis *Baro* eſt Freybergius.
Keyſerſtuli *Baro.*
de Kien *Baro.* † *an eſt* Kain *in Auſtria?*
Kienburgæ vel Kienbergæ *Baro.*
Kirchbergæ *Baro* eſt Fuggerus, *qui numeratur ſupra inter Comites.*
Klingenſis Baro, qui & de Altenklingen & Hohenklingen.
Klingenbergæ *Baro.*
Kniphauſanus *Baro.*
Kranichfeldiæ *Baro.*
Kriechingiæ Baro in VVeſtria.
Küningsbergæ *Baro*, qui nunc de Hohenkünigsberg.
Kunigseckerbergæ *Baro.*
Künigseckiæ *Baro.*
de Laittern ſiue Scalæ *Baro* in *Bauaria.*
de Landefeld Pincerna *Baro.* †
Landſpergæ *Baro* in *Bauaria* ad Lycum.
Langenbergæ *Baro.*
Lagenſteini *Baro.*
Leckiæ *Baro.*
de Lengentiers *Baro.* ‡
Luchtenburgi & Elſterburgi *Baro.*
Limburgi *Baro* in Sueuia.
Limburgi Pincerna *Baro* in Franconia.
Lindenus in Rechum *Baro.*
de Litt *Baro. Fortè* de Lich in VVedderauia.
Lohræ *Baro.*
Lothhofenus *Baro.*
Marckdorphij Mareſcalcus *Baro.*
Mechſelreinus in VValdeck *Baro.*
Mersbregæ & Beffortij *Baro.*

Meſskirchi

Meſskirchi *Baro.*
Milichlingius in *Burgmilichling Baro.*
Mindelheimi *Baro*, olim Fronſpergius, nunc Fuggerus.
Mintzenbergæ *Baro.*
Montenachi *Baro.*
de Montz *Baro.* †
de Mulens *Baro* in *Burgundia.*
Mynſingenſis *Baro* in Heluetia.
Neiffenſis *Baro.*
de Nerneſen *Baro.* †
Oberhofeni & Riedæ *Baro.*
Orangiæ *Baro* in VVeſtria.
Palmæ *Baro* in Heluetia.
Pemelbergæ *Baro.*
Pirfftingenſis *Baro.*
Plauiæ ſeu Plaweni *Baro* eſt Reuſſenus.
Pirmont: *vide* Eltzius.
Plantairæ ſeu Planæ terræ & Ymburgi *Baro.*
Pleſſæ *Baro* in Haſſia.
Pflugius in Schweinberg *Baro.*.
Polegij *Baro* in *Burgnndia.*
Polheimi *Baro* in Auſtria.
Polweili *Baro* in Alſatia.
Priſingenſis *Baro.*
de Prunis *Baro.*
Pudlitzij *Baro* in Merchia.
Puſchæ in Ravensberg Dapifer *Baro.*
Quadius in Reckhumb *Baro.*
Radebergæ *Baro.*
Radackiæ Pincerna *Baro.*
Redenachi vel de Radenacker *Baro.* *Fortè qui ſuprà inter Comites*, Radenbach.
Rappolſteini *Baro.*
de Raren vel Raron *Baro.*
Ratzuntzij vel Retzüntzij, id eſt, Rhætienſis *Baro.*
Rauenſteinij *Baro.*
Rechbergæ *Baro*, *qui nunc* de Hohenrechberg.
Regendorff: *vide* Rogendorch.
Regenſpergæ *Baro.*
Reichenſteini *Baro.*
Reiffenbergæ *Baro* in VVedderauia.
Reigelspergæ *Baro.*
Reſsbergæ *Baro.* †
Reſti in Haſle *Baro.*
Reuchtelbergæ *Baro.*
Reupolzkirch: *vide ſuprà*, Hohenfelz.
Reuſſen: *vide ſuprà* Plausa.
Rieneckiæ *Baro.* *an qui ſuprà inter Comites? & iterum inter Burggrauios?*
Rinhkenbergæ *Baro.*
Rinnenbergæ *Baro.* *Fortè* Roſnenburgi.
Rimburgi *Baro.* †
Roccæ vel Rupium *Baro* in *Burgundia.*
Rogendorphij *Baro.*
Rorbachi *Baro.*
Roſeneckiæ *Baro.*
Roſslauiæ *Baro.*
Ruſſengebergæ *Baro.* †
Rüſſeckiæ *Baro.*
Sainsheimi & Kottenheimi *Baro.*
Sangerhauſanus *Baro.*
Saltzæ *Baro.*
Samerhofenſis *Baro.* †
Saxi *Baro*, qui nunc Hogenſaxenſis vel de Alto ſaxo.
Schaffenburgi *Baro.*
Schalszwilenſis *Baro.*
Scharpfenekiæ *Baro.*
Schaumburgi vel Schomburgi *Baro* in *Bauaria* ad Amaſim.

Schelklin-

Schelklingenſis *Baro* in Sueuia.
Schellenbergæ *Baro* in Rhætia.
Schleidenſis *Baro*.
Schlewitzij *Baro*.
Schnabelbergæ *Baro*.
Schrambergæ *Baro*.
Schtralenbergæ *Baro*. †
Schwabachi *Baro* in Nortgouia.
Schwandenſis *Baro*.
Schwanfeldiæ *Baro*.
Schwartzenbergæ *Baro* in Heluetia.
Schwartzenbergæ & Hohenlandspergæ *Baro* in Franconia. *ſed ſuprà refertur inter Comites.*
Schwendius in Schafhauſen *Baro*.
de Semeruff *Baro*. †
de Senſerchen Pincerna *Baro*.
de Sepf *Baro*. †
Sibenbergæ *Baro* in *Belgio*.
Sidawiæ *Baro*.
Signowiæ *Baro*.
Schœnburgi *Baro* in Miſnia.
Sosburgi *Baro*. †
Spiegelbergæ *Baro* in Heluetia.
Staheleckiæ *Baro*.
Stahenwerchi *Baro*. †
Starckenbergæ *Baro* in Saxonia.
Stauffenſis *Baro*.
Stauffenbergæ *Baro*. *an eſt* Stubenbergenſis *in Auſtria?*
Sternenbergæ *Baro* in *Bohemia*.
Stiffelmoſtingiæ *Baro*.
Stoeffeliæ *Baro*.
Strættlingenſis Baro in Heuetia.
Strælawiæ *Baro*.
Taranti *Baro*.
Tautenbergæ Pincerna *Baro*.
Tegerfeldiæ *Baro*.
de Thurn & Fruetingen *Baro*.
de Thurn & VVallis *Baro*.
Torbergæ *Baro*.
Toſringiæ *Baro*.
Toſwachi *Baro*. †
de Trawsnicht *Baro*.
de Trimſs ſeu Hohentrimſs *Baro* in Rhætia.
Trinbergæ *Baro*.
Trogenſis *Baro* in Heluetia.
Truchburgi vel Trutburgi *Baro*.
Tuffenſis *Baro*.
Tuffenbergæ *Baro*.
Vatzij *Baro* in Rhætia.
Vergij *Baro* in *Burgundia*.
de Villars *Baro*.
Vilſpiburgi *Baro*. †
Vitendorphij *Baro*.
Vlamontij *Baro* in VVeſtria.
Vtzingenſis *Baro*.
VValtburgi Dapifer *Baro*.
VValtſeæ *Baro* in Sueuia.
VVannenbergæ *Baro*.
VVarbergæ Nobilis *Baro*.
de VVart *Baro*.
VVatenbergæ *Baro* in Rauracis ad Rhenum.
VVartenbergæ *Baro* in *Bohemia*.
VVartenfelſiæ *Baro*.
VVaſſerburgi *Baro* eſt Fuggerus.
VVaſſerſteltzij *Baro*.
VVediſchwili *Baro*.
VVeinſpergæ *Baro*.
VVeiſſenhorni *Baro*.

VVeiſskirchi *Baro.*
VVerdæ Baro apud Helgenſtat in Bauaria.
de VVermunt *Baro.* †
VVeuelinhouenſis Baro.
VVietlichſpachi *Baro.*
VVildenſteini *Baro.*
VVildenfelſiæ *Baro.*
VVinnenbergæ *Baro.*
VViperæ *Baro.*
de VViſſen *Baro.*
VViſſenburgi *Baro.*
de VVitte *Baro.*
de VVittermulen *Baro.* ‡
VVolckenſteini *Baro.*
VVoldenburgi *Baro.*
VVolſſteinius in Oberſultzburg *Baro.*
VVolhuſenſis *Baro.*
de VVoltemrotſa *Baro.* ‡
VVulflingenſis *Baro.*
VVurmenſtettenſis *Baro.*
Zanouiæ *Baro.*
Zelkingiæ *Baro* in Carinthia.
Zoluſelbergæ *Baro.* †
Ynburg: *vide* Plenaterra.

Aduocati, Vögt, *qui Baronibus æquiparantur.*

Aduocatus Auguſtanus in Vindelicia.
Aduocatus Aquenſis vel Aquiſgranenſis.
Aduocatus Turegienſis in Heluetia.
Aduocatus in Hunoltſtein.
Aduocatus de Monte.
Aduocatus Bethunæ in Flandria.
Aduocatus in VVendelſtein.

Equites, Ritter, *qui Baronibus æquiperantur.*

Societas Sancti Georgij in Sueuia.
Ordo Equeſtris in Hegouia.
Equites de Gerlaſſee.
Equites de Fridberg.
Equites de Baden.
Equites de Geilnhauſen.
Equites Aurei Velleris in Imperio.
Equites de Andlow.
Equites de Meldingen.
Equites de Strondeck.
Equites de Froſenberg. †
Pincerna de VVinterſtetten.
Nobiles de Planitz in Miſnia.
Nobiles de Platho in Saxonia.
Nobiles de Erenberg.
Nobiles de Stainach.

CIVITATES LIBERÆ IMPERIALES & Prouinciales, quæ immediatè Imperatorem, ſaluis cæteris Iuribus, recognoſcebant, & partim adhuc recognoſcunt: exſcriptæ ex Matriculis & Actis Imperialibus.

Abbatiſcella.
Agilsfeldia vel Aglisfeldia. †
Altenburgum in Miſnia.
Alena.
Amarsfordia.
Amſterdamum.
Andelauia.
Andernacum.
Antuerpia.

Aquile-

Aquilegium.
Aquiſgranum.
Arelatum.
Argentina.
Asburg, quæ & Haſenburg. † *Fortè eſt* Aſchenburg, *quæ ſequitur.*
Aſchaffenburgum.
Auguſta Vindelicum.
Bacheracum.
Bamberga, quæ Bapæberga, & Babeberga.
Baſilea.
Berma. † *Fortè* Brema, *vel* Berna, *quæ ſequitur.*
Berna.
Bernheimum.
Bibracum.
Biela, quæ & *B*ienna, & *B*ipennis.
Bingia.
Biſantium in Burgundia.
Bonna.
Bopardia.
Bopfinga.
Brackela.
Brema.
Bremgartum.
Briſacum.
Brixina.
Brunſuigia.
Buchorna.
Buchouia.
Budiſſinum in Luſatia.
Cameracum in Flandria.
Campena in Hollandia.
Campodunum.
Cella in Hamerſphacho.
Chemnitium in Miſnia.
Colonia Agrippina.
Columbaria.
Confluentia ad Rhenum.
Conſtantia ad Lacum Podamicum.
Corbeia in Saxonia.
Cracouia in Polonia.
Curia Rhætorum.
Dantiſcum in *B*oruſſia, quæ & Gedanum.
Dauentria.
Diepachum.
Dinckelsbuhela.
Donawerda.
Duchatum.
Dusburgum.
Egra ad Syluam Bohemicam.
Ehenheimum ſuperius.
Eimbeca.
Eiſenacum in Thuringia.
Elbinga in Boruſſia.
Erfordia.
Eſſelinga.
Eſſenum vel Eſſendia.
Forchheimum.
Franckenſteinum.
Franckofordia ad Mœnum.
Franckofordia ad Oderam.
Freiſtadium Sueuorum.
Friburgum in *B*riſgouia.
Friburgum in Vchtlandia.
Fridberga in VVedderauia.
Frideslaria.
Fruxinum, quæ Friſinga.
Fulda.

Geilnhuſa.
Gemunda in Sueuia.
Geneua.
Gengenbacum.
Gerenrodia.
Gienga.
Glarona.
Goſlaria.
Gottinga.
Gotzawa.
Griphiswaldia.
Groninga.
Grunberga, *alij habent* Gumberga, in Haſſia.
Hala Sueuiæ.
Hala Saxoniæ.
Halberſtadium.
Hamburga.
Hannouera.
Heidelberga.
Heidesfeldia.
Heilbrunna.
Hemgo, *alij habent*, Hunigouw. *Fortè*, Lemgow, *de qua infra.*
Herbipolis, quæ & VVirciburgum.
Hersfeldia.
Herwordia.
Hildeshemum.
Horna.
Ingelhemum ſuperius.
Ingelhemum inferius.
Iſenum in Sueuia.
Kauffbeura.
Kaufmansfarbrucka.
Keiſſersberga.
Landauia.
Lauginga.
Lauſanna.
Lautera ſeu Keiſſerslautera.
Lauternburgum vel Lauterbuch. ‡
Lemgouia.
Leodium.
Leuthkirchum.
Limpurgum ad Rhenum.
Lindauia.
Loupa.
Lubeca.
Lucerna.
Lugdunum Galliæ.
Luneburgum.
Magdeburgum.
Marcodurum.
Marpurgum.
Martispurgum vel Merspurgum in Thuringia.
Mechlinia.
Memminga.
Metis ſeu Mediomatrices.
Mindenum.
Moguntia.
Monaſterium in VVeſtphalia.
Monaſterium in Valle S. Georgij.
Mulhuſium in Suntgouia.
Mulhuſium in Haſſia.
Mulhuſium in Thuringia.
Narua in Liuonia vel Ruſſia.
Naumburgum.
Neoſtadium, *neſcio an in Franconia, an ad Hardam.*
Neoburgum in Rauracis ad Rhenum.
Neomagum in Geldria.

Norimber-

Norimberga.
Northeimum.
Northusium.
Nortlinga.
Nugardia in Russia, vel Nouogradum.
Nussia vel Nouesium.
Odernheimum.
Offenburgum.
Oppenheimum.
Oselia in Liuonia.
Padelbronna.
Patauium vel Passawa.
Pfullendorphium.
Praga in Bohemia.
Quedelnburgum.
Ratispona, vel Regenspurgum.
Ratstadium.
Rauenspurgum in Sueuia.
Reualia in Liuonia.
Reutlinga.
Rhinfeldia.
Riga in Liuonia.
Rosheimum.
Rostochium.
Rotenburga ad Tuberim.
Rotwila.
Rubeacum, vel Ruffachium.
Salisburgum.
Salodurum.
Sanctigallum, quæ & Gallopolis.
Scaphusia.
Schlewicum in Dania.
Schweinfordia.
Sedunum in Vallesia.
Selestadium.
Selingenstadium ad Mœnum.
Spira Nemetum.
Stadenum in Saxonia.
Sutium in Heluetia.
Sunda, quæ & Stralesunda.
Suolla in Hollandia.
Susatum.
Tarbatum in Liuonia.
Thorunum in Borussia.
Tigurum.
Tremonia.
Treueris.
Tridentum.
Tugium.
Tullum.
Turckheimum in Alsatia.
Valentianæ in Hannonia.
Vberlinga.
Veltkirchum.
Verda Saxoniæ.
Verda Sueuiæ, *quæ vulgò* Donawerda.
Verdunum Lotharingiæ.
Vesalia superior ad Rhenum.
Vesalia inferior apud Iuliacos.
Vienna Austriæ.
Vienna Prouinciæ.
Vlma.
Vltrajectum Hollandiæ.
Vnderwaldia, quæ & Syluania
Vrania.
Vratislauia in Silesia.
VValckenrieda.
VVangena in Algouia.

VVarburga vel VVartburga.
VVetzflaria.
VVila vel Villa Turgouiæ.
VVila vel Villa Sueuiæ, quæ & VVeilerſtadium.
VVeiſſenburgum in Nortgouia.
VVeiſſenburgum ad Rhenum.
VVimpina.
VVindesheimum.
VViſmaria.
VVormatia.
Zofinga.
Zwickauia.

CAP. IV.

CORPVS ORDINVM SACRI IMPERII *contractius.*

DEprehenſum eſt longo vſu, vaſtam iſtam tam ampli varieque diffuſi corporis molem, minus aptam eſſe rebus agendis, ſiue conuiendum alicubi eſſet, ſiue ſuffragia colligenda. Iam enim in eum numerum excreuerat ordinum multitudo, quæ ſibi ipſi moleſta eſſet; nimiſque impendioſum videbatur, omnes euocare. Delecti igitur ſunt ex iſtis omnibus quidam, qui quum de Republ. deliberandum eſſet, legeſque ſanciendæ, nomine aliorum conuenirent: Ex ſingulis vero collegiorum corporibus ſumta ſunt tetradia ſingula, eo quo ſequitur ordine ac modo.

Quatuor Electores Eccleſiaſtici.

Papa Romanus, S. Romani Imperij Archipatriarcha Oecumenicus ſeu Vniuerſalis.
Archiepiſcopus Moguntinus, S. Romani Imperij Archicancellarius per Germaniam & Sclauonias.
Archiepiſcopus Treuirenſis, S. Romani Imperij Archicancellarius per Gallias & Regnum Arelatenſe.
Archiepiſcopus Colonienſis, S. Romani Imperij Archicancellarius per Italias & Inſulas Marinas.

Quatuor Electores Laici, qui ex decreto Sigiſmundi Imperatoris ſunt Archiprincipes.

Rex Bohemiæ, S. Romani Imperij Archipincerna.
Comes Palatinus Rheni, S. Rom. Imperij Archidapifer.
Dux Saxoniæ, S. Rom. Imperij Archimareſcalcus.
Marchio Brandenburgiæ, S. Romani Imperij Archicamerarius.

Quatuor Reges.

Romanorum.
Franciæ.
Poloniæ.
Hungariæ.

Quatuor Patriarchæ.

Romanus.
Conſtinopolitanus.
Aquilegienſis. } *hi duo ſucceſſerunt invicem* } Alexandrini.
Rauennas. } *Orientalium:* } Antiocheni.

IV. Primates.

Magdeburgenſis.
Lugdunenſis.
Strigonienſis.
Gnetznenſis.

Quatuor Cancellarij.

Toletanus per Hiſpaniam.
Cantuarienſis per Britanniam.

Strigo-

Strigonienſis per Pannoniam.
Gnetznenſis per Sarmatiam.

Quatuor Archiepiſcopi.

Salisburgenſis.
Rhemenſis.
Mediolanenſis.
. . . . . .

Quatuor Epiſcopi.

Babenbergenſis.
Miſenenſis.
Ratiſponenſis.
Herbipolenſis.

Quatuor Duces.

Saxoniæ, *vel*, Brunſchwigiæ.
Bauariæ; *aliis*, Auſtriæ.
Sueuiæ; *alijs*, Pfallantiæ, vel Palatinatus.
Lotharingiæ; *aliis*, Burgundiæ.

Quatuor Archipalatini.

Rheni.
Saxoniæ.
Franciæ.
Hungariæ.

Quatuor Vicarij, ex Reformat. Sigiſmundi Imp. lib. 2. c. 20. §. 2.

Auſtriæ.
Mediolani.
Sabaudiæ.
Burgundiæ.

Quatuor Vicarij, ex vulgari Typo Colonienſi.

Brabantiæ.
Inferioris Saxoniæ.
VVeſtriæ.
Sileſiæ.

Quatuor Landgrauij, id eſt, Comites Prouinciales.

Thuringiæ.
Alſatiæ.
Haſſiæ.
Leuchtenbergæ.

Quatuor Marchiones, id eſt, Comites Limitanei.

Morauiæ.
Brandenburgiæ.
Miſniæ.
Badenſis.

Quatuor Burggrauij, id eſt, Comites Caſtellani.

Norimbergæ.
Magdenburgi.
Rheineckiæ.
Strombergæ.

Quatuor Hærgrauij ſeu Heregrauij, id eſt, Comites militares, ſeu verius, Belli Duces.

Brabantiæ.
Nortmanniæ
Vngariæ.
Ferrariæ.

Quatuor Comites.

Cliuiæ.
Sabaudiæ.
Schwa rtzenburgi.
Ciliæ; *aliàs*, Græciæ, *vel* Goritiæ.

Quatuor Pannerheri, id eſt, Bannerarij, ſeu Bandophori, qui ſunt Vexilliferi.

Bauariæ.
Mediolani.

Auſtriæ

Austriæ.
Poloniæ.

Quatuor Pfallantzgrauij seu Comites Palatini.

Sueuiæ.
Bauariæ.
Franconiæ.
Saxoniæ.

Liberi Domini seu Barones.

Limburgi in Franconia.
VVesterburgi.
Thusis & Rharæ.
Aldenwaldiæ.

Quatuor Strenui Comites.

Flandriæ.
Tyrolis.
Altenburgi.
Ferrariæ: *Fortè*, Ferreti, *id est*, *Pfirdt.*

Quatuor Domini Prouinciales.

Mirandulæ.
Scalæ, id est, Veronæ.
Paduæ seu Patauij.
Mediolani.

Quatuor Abbates.

Fuldensis.
Campodunensis.
VVeissenburgensis.
Murbacensis.

Quatuor Domus.

Austria.
Saxonia.
Braunsuigia.
Bauaria.

Quatuor Insulæ.

Sicilia.
Anglia.
Suecia.
Cyprus.

Quatuor Equites vel Milites.

Andelauiæ.	*in quorum decessorum locum surrogati sunt*	VVeissbach in Misnia.
Meldingæ.		
Strundeckiæ.		Calwitz in Misnia.
Frawenbergæ.		

Quatuor Mareschalci.

Bappenheimi.
Iuliaci.
Misniæ.
Finstingiæ; *aliis*, Friesingiæ.

Quatuor Ambacti seu Ministeriales.

Misniæ, *apud Albinum in Chron. Misn. fol. 321.*
Rhinfeldiæ, *apud Stumpfium in Chron. Heluet. lib. 12. cap. 12. in princ.*
. . . . . .
. . . . . .

Quatuor Aduocati.

Misniæ, *apud Albinum, dict. loc.*
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

Quatuor Venatores.

Carinthiæ, *apud Munsterum in Cosmograph. fol. 690. in pr.*
. . . . . .

. . . . . .
. . . . . .

Quatuor Venatores inferiores.

Horni, ſiue Hurni.
Vrachi.
Schombnrgi.
Metſchi in Rhætia Curienſi.

Quatuor Officiales hereditarij.

VValdburg Dapifer.
Radach Pincerna.
Marckdorff Mareſcalcus.
Kemnat Camerarius.

Quatuor Serui vel Miniſteriales.

VValdeck.
Hirten à Fulch; *alijs*, Herren à Filchen.
Arnſperg, *vel* Arenſperg.
Rabnaw., vel Rabenaw.

Quatuor Dapiferi hereditarij.

VVellerswalde, *apud Albinum fol. 321.*

. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

Quatuor Coquinarij, id eſt, Magiſtri Coquinæ.

Seldeneck.
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

Quatuor Ciuitates Inaugurales.

Aquiſgranum.
Arelatum.
Mediolanum.
Roma.

Quatuor Ciuitates Imperiales.

Auguſta.
Aquiſgranum.
Metum.
Lubeca.

Quatuor Ciuitates Regales.

Neapolis.
Lutetia.
Cracouia.
Buda; *alijs*, Hafnia.

Quatuor Ciuitates Electorales.

Praga.
Heidelberga; *alijs*, Amberga.
VVittenberga.
Cuſtrinum.

Quatuor Emporia.

Maſſilia.
Moguntia; *nunc*, Francofordia.
Venetia.
. . . . . *nunc* Antuerpia, *vel* Amſterodamum.

Quatuor Burgi, id eſt, Caſtra.

Altenburgum.
Magdenburgum.
Rottenburgum ad Tuberim.
Meckelburgum; alijs, Lucelburgum.

Quatuor Pagi.

Bamberga.
Vlma.
Hagenouia.
Seleſtadium.

Quatuor Vici.

Ingelheim.
Altdorff; *alijs, Altrip.*
Liechtenaw.
Denckendorff; *alijs, Deckendorf.*

Quatuor Villæ.

Orlamunda, *apud Albinum fol. 321.*
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

Quatuor Bergæ.

Munſterberga.
Fridberga.
Heidelberga.
Norimberga.

Quatuor Ruſtici:

Colonia.
Ratiſpona.
Conſtantia.
Salisburgum.

CAP. V.

CIRCVLI IMPERII.

DIuiſum eſt quòque Imperium Germanicum in Circulos. Circulum vocant Prouinciam vel Ditionem Imperij ſingularem certo iure ac ſocietate iunctam ad mutuam aduerſus hoſtiles incurſus defenſionem. Vaſtum enim illud Germanici imperij corpus quum viderent Proceres non poſſe ſimul facile moueri, placuit diſtinguere in certos Tractus, quibus ſingulis præeſſent conſilij capiendi præfecti quidam ſæculares, vt poſteà in Comitijs Imperij tanto expeditius per ipſos ea peragerentur quæ ad communem ſui tractus ſalutem pertinerent. Ac primum quidem ſex tantum circuli fuere conſtituti Auguſtæ, Anno CIↃ IↃ: Poſteà facti ſunt decem, Anno CIↃ IↃ XXII Noribergæ; quod tamen alij Treuiris factum adſerunt anno MDXI.

PRIMVS CIRCVLVS eſt FRANCONIÆ: in quo ad Conſilium euocantur Eccleſiaſtici iſti, Bambergenſis Epiſcopus, Herbipolenſis Epiſc. Eichſtettenſis. Epiſc. Tum, Magiſter Ordinis Teutonici, Præpoſitus Cambergenſis, Abbas S. Gilgenſ. in opido Noribergenſi. Seculares nobiles iſti, Marchio Brandenburgenſis: Comites, Hennenbergenſis, Caſtellenſis, VVertheim, Rheineck, Hohenloe. DD. Reichelſperg, Limpurg; Comites Horpach, & Schwartzenburg. Denique etiam Ciuitates liberæ, Noriberga, Rottenburgum, VVinſhemium, & Schwinfurtum.

SECVNDVS CIRCVLVS eſt BAVARIÆ, conſtans & ipſe tribus ordinibus: In Eccleſiaſtico ſunt, Archiepiſcopus Saltzburgenſis, Epiſcopus Paſſauienſis, Epiſcopus Friſingenſis, Epiſcopus Ratiſponenſis, Præpoſitus Berchtolſ-

Berchtolſgaden. Abbates VValdſachſenſis, Rodenſis, Keiſhaim, S. Haymerin Ratiſbona. Abbatiſſæ Alt Munſter & Ober Munſter in Ratiſbona. Seculares nobiles, Dux Bauariæ, Comes Palatinus Bauariæ, Landgrauius Luchtenbergius, Comes Hage, Comes Ortenburg, Baro in Stauffen. Dominus in Rhinfeden, Baro in Degenberg, & Oberſultzenperg, Denique Ciuitates Freiſtet, & Ratiſpona.

TERTIVS CIRCVLVS eſt AVSTRIÆ, in quo ordines tantum duo, Eccleſiaſticorum & Nobilium. In illo ſunt Epiſcopi, Tridentinus, Brixienſis, Goricenſis, Segouienſis, Labachienſis, Viennenſis, Magiſter Ordinis Teutonici. Et Magiſter in Eeiſchtal. In ſeculari ordine ſunt, Archidux Auſtriæ, Comes Schaumberg, Baro VVolckenſtain, Dominus Senſter, Dominus Roggendorff, Comes Hardeck. Sed præter iſtos Imperij proceres numerantur quoque in Auſtria Comitatus Thurn, Crentz, Ortenburg, Perneck, Garb. Baronatus liberi, Landſkron, VVanberg, Hohen, Oſterwitz, Neuberg, Guetéhag, Teufenbach, Mairhofen, Awerſperg, Dorneck, Saraw, Flartenſtain, Schwartzenaw', Tunnſtain, VVachanthall, Hoffkirchen, Eytzingen. Dominia, Aichelperg, Caltenprun, Maſſenperg, Stabenberg, Heggenberg, Stakenberg, Liechtenſtain, Leſenſtain, Puchaim, Luetkurt, Porges, Schonkirchen, Schifftenberg, Altenſperg, Hornſtein, Seiberdorff.

QVARTVS CIRCVLVS eſt SVEVIÆ, in quo tres ordines. In Eccleſiaſtico ſunt *Epiſcopi*, Curienſis, Conſtantienſis, Auguſtanus, *Abbates*, Kempten, Reichenow, S. Galli, Salmanſweiler, VVeigarten, VVeiſſenow, S. Blaſij, S. Petri, Maulbron, Schaffhauſen, Steyn am Rhein, Kreutzlingen, Petershuſen, Schuſſenriedt, Rockenburg, Ochſenhauſen, Cuningsbrun, Marchtal, Elchingen, Yſne, Munchrod, Aurſperg, Yrſee, Gegenbach, Schuttern, Diſidiſen. *Abbatiſſæ*, Lindauienſis, Rottenmunſter, Bucchaw, Guttenzell, Beund, Heppach. Poſtremum Magiſtri duo Ordinis Teutonici, in Alſatia, & in Burgundia. Secundus ordo habet Principes, Ducem VVirtembergicum, Marchionem Badenſem, Comites Helfenſtein, VVeiſenſtag, Oringen, Lauffen, Montfort, Furſtenberg. Marchionem Eberſtain; Comites quoque Tollern, Bultz Leobenſtain, Tubingen, Kirchberg, Tengen vel Dongen, Baronem Gundelfingert. Et Dominia, Stutgard, Tuſſen, VValdtpurg, Sonneberg, Valkenſtain, Kunſeck, Kunſeckzerperg, Baroniam Geroltzeck, & Ober Helwen. Tertius ordo habet ciuitates complures, Auguſtam Vindelicorum, Kauffbeurn, Vlmam, Memmingam, Kempten, Bibrach, Leukirch, Yſne, VVangen, Lindow, Rauenſpurg, Buchorn, Vberlingem, Conſtantiam, Pfullendorff, S. Galli oppidum, Schafhauſiam, Reutlingam, Eſlingam, Gmindam, VVeil, Hailbron, VVimfn, Hallam Sueuicam, Dinckenſpuel, Bopfingem, Alen, Nordlingen, Donawerd, Buchaw, Offenberg, Gengenbach, Zel im Hamerſpach, Rotweil.

QVINCTVS CIRCVLVS eſt RHENI, conſtatque tribus etiam ordinibus, Eccleſiaſtico, Principali, Ciuitatum liberarum. In primo ſunt Epiſcopi, VVormacienſis, Spirenſis, Argentinenſis, Baſileenſis, Veſontinus *Bezancon*, Sedunenſis *Zitten* in Valeſia, Geneuenſis, Lauſannenſis, Metenſis, Tullenſis, Verdunenſis. Abbates, Hirsfeldenſis, Morbacenſis, & S. Gregorij. In ſecundo ſunt Principes, Duces, & Comites ſeculares. Dux Lotharingiæ, Dux Sabaudiæ, Dux & Comes Spanheim, Marchio Badenſis, Dux Bipontinus Zweibruck, Comes Valdentz, Lantgrauius Haſſiæ, Princeps de Calim; Comes Naſſaw in Sarbruck', Comites Rheni, Dominus Rapholtzkirchen, Comites Bitſch, Salm, Hanaw, Lichtenberg, Leiningen, Falckenſtain, Dominus Morſpurg, &

Befort, Rapolſtain, Hohen, Rechperg, Blankenberg, Blammont in Lotharingia, Comites VVeisbaden, Itzſtain, Kuningſtain, Dominus ab Eppenſtain, Comes Iſenburg in Alſatia ſuperiore, Solms, Naſſaw in VVeilburg, Seniuigen, Hanaw, Dominus Munzenburg, Comites VVeſtenburg, VVitgenſtain, VValdeck, Pleſſe. In Tertio ſunt ciuitates liberæ hoc ordine, Mulhuſen in Sundtgow ſuperioris Alſatiæ, Baſilea, Colmaria, Kaiſerſperg, Turckhaim, S. Gregoris Munſter, Ober Eberhaim, Straeſburg, Roſenhaim, Schletſtadium, Hagenoa, VVeiſſenburgum, Landauia, Spira, VVormacia, Francofurtum, Fridberg in VVederaw, VVetzlaria, Metz, Toul, Verdun, Kaufmans Sarbruck, Beſano caſtrũ, Gleichhauſen caſtrum.

SEXTVS CIRCVLVS Imperij eſt QVATVOR ELECTORVM, Palatini ſcilicet Rheni, & trium Archiepiſcoporum, Moguntini, Treuirenſis, & Colonienſis. Tum ciuitatum liberarum, vt ſunt, Moguntia, Colonia, Treuiri, Getenhauſe. Principum & Dominorum, Palatini cum ſuo territorio, Comitis Naſſaw & Beilſtein, Domini in Reifferſcheidt & Rheineck; Præfecti Ordinis Teutonici Confluentiæ. Abbatis S. Maximini iuxta Treuiros; Præpoſiti Seltzenſis, Domini Nider Eiſenburg.

SEPTIMVS CIRCVLVS eſt WESTPHALICVS, conſtans tribus ordinibus, Eccleſiaſtico, Principali, Ciuitatum liberarum. Eccleſiaſtici ſunt, Epiſcopi Padebornenſis, Leodienſis, Vltraiectinus, Monaſterienſis, Cameracenſis, Oſnaburgenſis, Ferdenſis, Mindenſis. Abbates, VVerdenſis, Stablonenſis, S. Cornelis Munſter, Echternacẽſis, Corbeienſis, Heruordenſis. Abbatiſſa vna, Eſſenſis. In ordine Principum ſecularium ſunt, Dux Cliuiæ & Comes Marchiæ, Dux Iuliacenſis & Montenſis, Marchio Badenſis, Comes Embdanus ſiue Friſiæ Orientalis, Comei Sein, Comes Dillenburg, Comes Vernenberg, Comes Manderſcheid, Comes VVeida & Ringelberg, Comes Meurſenſis, Dominus Bronckhorſt. Comites Steinfurt, Bentheim, Dortmund, Oldenburg, Dominus Bidburg, Comites Hoya, Diepholt, Seaumburg, Domini Spiegelberg, & Vanenberg, Comites Arenberg, Dierenberg, Lippenſis, & Dominus in Somer auſſ. Ciuitates liberæ ſunt, Colonia, Aquiſgranum, Veſalia inferior, Marcodurum, Cameracum, Tremonia, Suſatum, Duysburgum, Heruordia, Brakel, VVartburg, Lemgouia, & VVerden.

OCTAVVS Imperij CIRCVLVS eſt SAXONIÆ SVPERIORIS. In hoc primus ordo eſt Epiſcoporum, in quibus, Miſnenſis, Merſpurgenſis, Naumburgenſis, Brandenburgenſis, Hauelburgenſis, Lubecenſis, Caminenſis. Abbatum, Saluelt, Rotterhauſen, Falckenrieten. Abbatiſſarum, Quedelnburg, & Genrode. Secundus ordo eſt Principũ ſecularium, in quo ſunt, Dux Saxoniæ Elector: Marchio Brandeburgicus Elector, Dux Pomeraniæ, Princeps Anhaltinus, Comites Schwartzenburg, Mansfeld, Stelburg, Hogenſtein, Buchlingen, Rappin, Mullingen, Gleiche, Leiſneck, VViderfels, Dominus Bernaw, Baro de Tautenburg, Comites Regenſtein, Ruſſo de Plaw, Dominus de Gratz, & Dominus de Schonburg. Tertius ordo eſt ciuitatum liberarum, vt ſunt, Dantiſcum, Elbinga, aliæque.

NONVS CIRCVLVS eſt SAXONIÆ INFERIORIS, in quo Archiepiſcopi Bremenſis & Magdebergenſis; Epiſcopi Hildesheimenſis, Lubecenſis, Suernienſis; Ratzenburgenſis, & Schleſwicenſis. Hos ſequuntur Principes, vt ſunt Rex Daniæ propter ditiones ad Imperium pertinentes, tum Duces, Lauwenburgenſis, Brunſwicenſis, Luneburgenſis, Meckelburgenſis, Halſatiæ. Comites, Roffain & Delmenhorſt. Tertio loco ſunt ciuitates liberæ, Lubeca, Hamburgum, Mulhauſen in Thuringia, Northauſen, Goſlaria & Gottinga.

DECIMVS

DECIMVS CIRCVLVS Imperij dicitur BVRGVNDICVS habetque præcipuos Belgij Principes, Ducem Burgundiæ, Dominos de Bergen & VVaelhem, Comites Egmondanum & Iselsteinium, Hornanum, Comitem Nassaw in Breda, Comitem Bergen: sed & Ciuitates Imperiales Antwerpiam aliasque.

CAP. VI.

Series Imperatorum a CAROLO *Magno vsque ad* MATTHIAM *Augustum.*

QVam late pateant Imperij partes, quæque ordine explicãda ei essent qui singula vellet ad vnguem exigere, facile potest intelligi ex inspectione Matriculę ordinum Imperij quam capite tertio proposuimus. Nam præter generalẽ communemq; Germaniæ descriptionem, oporteret ipsius quoq; Imperij formã cum suis incrementis, decremẽtis, mutationibus atq; Imperatoribus in medium proferre, tum regna singula cũ regibus, Electoratibus, Archiepiscopatib., Archiducatib., Ducatib., Comitatibus, Principatibus, Lantgrauiatibus, Marchionatibus, Burggrauiatibus, Baronatibus, Dominijs, Episcopatibus, Abbatijs, Ciuitatibus, Pagis, Arcibus, & si quæ plures sunt partes, partiumq; particulæ, vt thermæ, siluæ, fodinæ, fontes, flumina, paludes, montes, aliaq; istiusmodi: sed quum hoc omne infiniti laboris sit, neq; vsum vllum in vita insigniorem habeat, satis officio nostro feciſſe videbimur, si præcipua tantum commemorauerimus; relinquentes minora segmenta priuatæ cuiusque industriæ, inspectioni & adnotationi. Proderitq; vel in id noster hic labor, vt intelligat studiosus lector, quum tam multa tam breuiter dixerimus, magnam adhuc partem a nobis esse præteritam; ¡neq; enim profiteri audemus, nos tam arcto concluſos spatio omnia dicturos esse. Bibliotheca enim ad eam rem, opus esset, non libro. Primũ ergo spectabimus Imperatorum seriem, vitasq; ipsorũ strictim percurremus. Porro familię Germanicę ex quibus hactenus Imperatores delecti sunt, notantur hæ, Carolina quæ est Francorum, Saxonica, Sueuica, Bauarica, & Austriaca. Sed quæri potest, vnde ad Frãcos ius Imperij deriuatum sit? Vtiq, per Carolum Magnum, qui omnium in Occidente Imperij partiũ prouinciarumq; Dominus factus est, & præterea ad imperium ipse totam Germaniã cõtulit, quam Romani nunquã sibi totam subiecerunt. Certe qui hæc omnia possideat in Occidente, eum par est Monarcham & Imperij Occidentalis caput dici, vbi vbi sedes suas habeat. Quod si talis aliquis Italiam quoq; omnem & caput ipsum orbis Romã sibi subijciat, multo iã res ipsa clarior certiorq; futura est. Atque hæc omnia ita habuit Carolus, & quidem iure belli, quo diuinitus decidi coutrouersiæ tales & regna parari solent. Quid, quod Leo III desperatis rebus suis ad Carolum Magnum in Germaniam profugit, petijtque ab eo tanquam ab Imperatore præsidium? Nihil ergo ille Carolo dedit. Quid enim daret excussus? & excussus non imperio, (nam illud non ipse, non ipsius maiores habuerunt) sed sede Episcopali? Si Episcopatum petijsset Carolus, potuisset eum conferre Leo: nunc quum de Imperiali dignitate agitur, dicemusne eam potuisse dari ab illo qui rebus secularibus renunciauit? Iam populus Romanus non fecit Imperatorem Carolum, sed agnouit, agnitumqueper Episcopum suum coronari iussit. *Romani*, inquit Sigebertus, *vno omnium consensu Carolo regi imperatoris laudes acclamant, eumque per manum Leonis Papæ coronant.* Accessit postea Irenes quoque Imperatricis confessio, qua illa totum Imperium Occidentis Caroli esse profiteri est. Quocirca peccant omnino in iura maiestatis, qui Carolum dicunt imperium suum accepisse a Papa. CAROLINVM stemma sic se habet.



Habuit & concubinas Carolus. 1 Gesuindam ex qua nata Adeltrudis.
2 Reginam ex qua { Drogo Episcopus Metensis. Hugo.
3 Adelindam ex qua Theodoricus.
4 Hemeltrudim, ex qua Pipinus gibbosus.

1 CAROLVS I. Magnus.

CAROLVS natus Ingelhemij An. Christi DCCXLII, post obitum patris regnum cum fratre diuisit: eo post biennium extincto, nepotibusq; cum matre vidua ad Desiderium Longobardorum regem dilapsis, solus imperauit. Cum Saxonibus Ostphalis & VVestphalis, effera tunc & Pagana gente, totos annos XXXV bellum gessit, opera vsus imprimis Rolandi sororis suæ filij: eos tandem debellatos ad Christi fidem adegit, Frisijs quoque subactis & Bauaris, & Desiderio Longobardorum rege (qui in Italia imperium moliebatur) capto. Scholas instituit illustriores Lutetiæ, Osnaburgi, Bononiæ: alias, in singulis Episcopatibus & monasterijs, ipse Latinè, Græcè, Syriacè callens. Obijt Aquisgrani anno Christi DCCCXIV: regni sui XLVI: imperij post victos Longobardos XIV. ætatis LXXI. Ei positum est hoc monumentum Aquisgrani. SVB HOC MONVMENTO SITVM EST CORPVS CAROLI, MAGNI ATQVE ORTHODOXI IMPERATORIS, QVI REGNVM FRANCORVM NOBILITER AMPLIAVIT, ET PER ANNOS XLVII FELICITER REXIT. DECESSIT SEPTVAGENARIVS, ANNO DOMINI DCCCXIV INDICTIONE VLTIMA QVINTO KAL. FEBRVARII. Vxor eius Hildegardis obijt anno DCCLXXXVI: Sita autem est Metis, cum filia Adelheidi iuxta B. Arnulphum. Illius Epitaphium hoc est,

HOC TVMVLATA IACET PVSILLA PVELLVLA BVSTO
ADELHAID AMNE SACRO QVÆ VOCITATA FVIT.
HVIC PATER EST CAROLVS GEMINO DIADEMATE POLLENS
NOBILIS INGENIO FORTIS AD ARMA SATIS.

2 LVDOVICVS I. Pius.

LVDOVICVS Caroli M. F. viuo patre Aquisgrani designatus Imperator, pietatem domi haustam in omni vita exercuit, etiam ad superstitionem vsque & ludibria Episcoporum. Sub hoc Danorum rex Heroldus cum vxore Christianam religionem professus est Moguntiæ. Normanni Dorestatum vastant, Antuerpiam ferro & flamma deformant, VVitttham emporium ad ostium Mosæ positum euertunt, exacto à Frisonibus tributo. Fridericus Traiectensis Episcopus in VValachria occiditur. Synodus Parisijs celabratur de vsu imaginum. Filios haud satis pios expertus, moritur anno Christi DCCCXL, postquam regnasset annos XXVII, vixisset LXIV. Corpus eius Metis illatum sepulcro matris,

IMPERII FVLMEN FRANCORVM NOBILE CVLMEN
EXCITVS A SECVLO CONDITVR HOC TVMVLO.
REX LVDOVICVS PIETATIS TANTVS AMICVS,
QVOD PIVS A POPVLO DICITVR ET TITVLO,
HILDEGARD SOBOLES, CAROLI MAGNI PIA PROLES
IN PACIS METAS COLLIGIT HVNC PIETAS.
RVMELICVM VILLAM, ET QVIDQVE REFERTVR AD ILLAM
ARNVLPHI SANCTI CONTVLIT HVICQVE LOCO.
STIRPS A QVO PROCERVM REGVMQVE VEL IMPERATORVM
QVO CVM MVNERIBVS SISTITVR HICQVE LOCVS.

3 LOTHARIVS II.

Successit filius LOTHARIVS, qui vt in patrem impius, ita in fratres parum æquus fuit: ipsorum quoque arma semel, atque iterum expertus. Exstat hodieque formula compositionis Ludouici & Caroli aduersus Lotharium fratrem facta post prœlium Antissiodorense quo centum

atque

atque amplius millia hominem perierunt: in ea fidem ipſi populo & proceribus faciunt, certæ ac duraturæ inter ipſos concordiæ, data populo facultate, ſi fidem fallant, alium ſibi Principem deligendi. Ludouici iuramentum conceptum eſt lingua Romana, & ita ſonat. *Pro don amur & pro Xriſtian poblo & noſtro commun ſaluament, diſt di en auant, in quant Deus ſauir & potir me dunat, ſi ſaluarai co ceſt meon fradra Karlo, & in adiudha & in cadhuna coſa, ſi cum hom per droit ſon fradra ſaluar diſt, ino quidil imi altre ſi faret, & ab Ludher nul plaid nunquam prindrai. qui meon vol ciſt meon fradre Karle in damno ſit.* Carolus lingua Teudiſca iurauit in hæc verba. *In Godes minna, ind durch tes Xriſtianes folches, ind vnſer bedhero gehaltniſſi, fon theſemo dage frammordes, ſo fram ſo mir Got geWiZei indi mahd furgibit, ſo hald ih teſan minan bruodher LudhuWig, ... ſoſo man mit rehtu ſinan bruodher ſcal, in thin thaz er mig ſoſo maduo, indi mit Lutherem inno cheino thing ne gegango, Zhe minad willon imo ce ſcadhen werhen.* Sacramentum verò quod vtriuſque populus ſua quiſque lingua iurauit, ſic ſonat. Pro Romanis, *St LodhuWigs ſacrament que ſon fradre Karlo iurat, conſeruat, & Karlus meo ſendra de ſuo part non les tenit, ſi io returnar non lint pois, ne io, ne neuls cui eo returnar nit pois in nulla adiudha contra Lodhuwig nunc li iuer.* Pro Teudiſchis. *Oba Karl then eid then er ſinemo bruodher Ludhuwigs geſwor geleiſtet, inde LudhuWig min herro then er imo geſwor, forbrichchit, ob ih in nes arWenden nemag, noh ih, noh thero thein hes irWenden mag, imo ce follusti Widhar Karle ne Wirdhit.* Saxones igitur Lotharius in fratres concitauit, conceſſa etiam impunitate patrandi quiduis, & à religione Chriſtiana (quid non facit imperandi amor!) ad paganiſmum deficiendi. Moguntiæ quoque celebrata eſt Synodus aduerſus Gothſcalcũ monachum, qui Prædeſtinatianorum errorem recoquens, docuit. Sicuti Deus prædeſtinauit quoſdam ad vitam æternam, ſic etiam alios ad mortem æternam prædeſtinaſſe. Deum nolle vt omnes homines ſaluentur, ſed eos duntaxat, qui ſaluantur. Ieſum Chriſtum non eſſe mortuum pro redemtione totius mundi. Eos qui redemti ſunt, & pro quibus Chriſtus ſanguinem ſuum pretioſum fudit, non poſſe perire, quæque alia ex iſtis conſequuntur. Porrò Lotharius ſub finem vitæ abijt in cœnobium Prumiacenſe, obijtque monachus, anno Chriſti DCCCLV regni ſui XVI.

4 LVDOVICVS II.

Non fuit hic Getmanorum Imperator: ſed Italiæ. Ludouico enim patruo Caroli Calui fratri ceſſit Germania; cuius etiam in ea ordinanda, ac defendenda virtus conſpicua fuit: Imperatoris tamen titulus illi ob prærogatiuam Italiæ, & patrem datur. Imperauit annos XIX: obijt anno Domini DCCCLXXIV.

5 CAROLVS II. Caluus.

CAROLVS iſte Ludouici primi filius fuit, ex Iuditha: Homo inquies, regnandi auidus, bellicoſus, nouetcalibus artibus viuo patre prælatus fratribus. Hic quamdiu Galliam ſolam tenuit, patrem, fratres, patrueles bellis exercuit, multis iteratiſque fœderibus ad pacem fruſtra retractus. Defuncto Ludouico II protinus occupauit Italiam; & renitente licet Ludouico Germaniæ rege à Pontifice Imperator ſalutatur: Audita verò etiam Ludouici iſtius morte, magnis itineribus in Germaniam contendit, inuaſurus etiam illic omnia pulſis legitimis hæredibus: ſed prœlio rem cernens victus, & caſtris exutus eſt. Ergo Ludouici filij ita inter ſe tranſigunt, vt Carolomanno

manno Bauaria, Bohemia, Morauia, Austria, Carinthia; Ludouico Belgica, Hassia, Saxonia, Thuringia cum Sorabis: Carolo Sueuia, Alsatia, Lotharingia, teste Regiuone obtigerint. At Caluus Imperator vix expleto imperij biennio, dum Saracenos Italia pellere studet, a Iudæo medico intoxicatur, anno Christi DCCCLVII, regni sui XXXVI. Sub Ludouicis Germaniæ regibus Normanni Saxoniam, omnemque oram maritimam Germaniæ vastarunt.

6 LVDOVICVS III. Balbus.

Post obitum Caroli transegit cum Saracenis Papa, & pacem ab ipsis securitatemque oblatis XXV millibus coronatorum annuorum redemit: pressus igitur, LVDOVICVM Italiæ Imperatorem coronat, qui non multo post moritur, An. Chr. DCCC LXXIX die 10 Aprilis: nullis relictis hæredibus, sed vxore grauida, quæ postea Carolum Simplicem orbi dedit. Quum autem ad Carolomannum Ludouici Germaniæ regis filium deuolutum esset imperium, isque ad mortem paralyticus decumberet, neque filium haberet præter Arnulfum, eumq; illegitimum, placuit, Carolum Crassum Carolomanni fratrem Allemanniæ ducem facere Imperatorem, data Ludouico Bauaria, Arnulfo vero Austria.

7 CAROLVS III. Crassus.

Hic Imperator factus est Anno D CCC LXXX. Longobardos & Saracenos feliciter in Italia vicit, & post obitum Ludouici fratris Germaniarum regis (extinctus is est Francofurti, sepultus in monasterio Laureacensi iuxta patrem) solus regna a Carolo Magno transmissa, & in varia hactenus capita discerpta, accepit. Normanni vero audita Ludouici morte, Vahali vecti, Nouiomagense palatium incendunt, Treuiros occupant, Leodium, Traiectum, Coloniam Agrippinensem, Nouesium, Aquisgranum, ferro & flamma vastant. Cum his ita Carolus pactus est, vt ipsi bis mille LXXX libras auri acciperent, Dux ipsorum Godefridus Lotharij filiam Gesilam vxorem duceret, accepta etiam Frisia in dotem, Normanni fidem Christianam profiterentur, & deserto regno Galliæ Frisia se continerent. Hi tamē post fracta fide Lutetiam quoque obsederunt, nihil contra ipsos audente Carolo; sed maritima ad Sequanam insuper concedente. Eo factum est, vt Proceres deserto Carolo, Arnulfum Imperatorem delegerint. At ille mœrens, & inops, ad extremam paupertatem redactus, obijt inhonorus in Augia maiore, prope Constantiam, 13 Ianuarij, Anno DCCCLXXXIX. Pius, vt aiunt, rex, & teste Ottone Frisingensi, Christianissimus. Imperauit annos VI, septimo extinctus est priuatus præ animi mœrore.

8 ARNVLFVS.

ARNVLFVS Carlomanni filius ex illegitimo thoro fuit; nomen ei datum in memoriam illius a quo Carolingi originem ducunt. Hic factus Imperator Zuentopoldo Morauo Bohemiam, Odoni occidentalem Franciam, dum postumus Ludouici adolescit, regendas dedit. Normannos ipse ad Louanium vicit, qui VVestfaliam totos annos XL vastarant; atque ita vicit, vt centum millibus ipsorum interfectis vix nuncius cladis tantæ euaserit. Idē Hungaris sedes concessit ad Tibiscum flumen, postquam ipsorum opera feliciter vsus esset aduersus Selauos. Ex Italia reuersus, Moratos rebellantes domuit, & anno imperij sui V regni XII moritur ad Odingas; vel, vt alij narrant, Ratisponæ: hanc enim præ omnibus Bauariæ vrbibus dilexit & ornauit: Incidit obitus eius in ann. Chr. DCCCXCIX.

9 LVDOVICVS IV.

Obitu Arnulfi efferunt se in Italia gliscentes turbæ, pluribus de regno Italiæ & Imperatoris titulo contendentibus. At in Germania LVDOVICVS Arnulfi filius Phortzhemij rex & Imperator creatur. Eius cura, quod iuuenis adhuc esset, commissa est Hattoni Moguntinõ Archiepiscopo, & Ottoni Saxoniæ duci, Arnulfi genero. Hac rerum occasione multa in Germania turbantur. Forte Conradus Ludouici IV frater Conradum alterum Ottonis Saxonis nepotem occiderat. Eam mortem vlturus Albertus Conradi defuncti frater Conrado priori manus infert. Hinc scissa in partes Germania, certatumque aperte armis, clam dolis. Interea Hungari superato Danubio Bauariam flamma & ferro vastabant, Ludouico etiam bis prælio superato. Victores Hungari Thuringiam quoque inuadunt. Imperator mœrore animi confectus moritur ætatis anno XIX: Christi nati DCCCCXII.

10 CONRADVS I.

Hic est filius Conradi eius quem ab Alberto Ottonis nepote occisum diximus, Arnulfi nepos. Sunt tamen qui negent eum fuisse de sanguine Caroli magni; sed hi non habent quo eius maiores referant. Post obitum autem Ludouici IV oblatas sibi Otto Saxoniæ dux Imperij habenas ætatem caussatus detrectauit, designato isto CONRADO: Hic Hungaros Bauariam vastantes magna clade retudit: cum Henrico Saxone Ottonis filio qui se posthabitum indignabatur, bella gessit: ac tandem moriturus conuocatis Imperij proceribus ad hostem suũ deposita simultate Imperij ornamenta coronam & sceptrum deferri iussit, cum circumstantium stupore: obijt anno DCCCCXIX. imperij VII. die 23 Decemb. In hoc citra controuersiam desijt stemma Carolinum siue Francicum, itaque sequentes sunt Teutones, nisi quis eos idcirco adhuc Francos vocari velit, quod in Francorum locum successerint, quod quidem Ottoni Frisingensi placuisse video.

Non putauerunt autẽ Germani decorum sibi in tanta virorum fortium multitudine Caroli magni posteris deficientibus, petere Imperatorem a Gallis. Imperarunt SAXONES *annos* CIV. *Post eos diu admodum fuit imperium penes* SVEVOS: *donec tandẽ in domo* AVSTRIACA *stetit. Singulorum tabulas suo loco dabimus.*

11 HENRICVS I. Auceps.

Eberhardus Conradi defuncti frater ornamenta imperij, baltheum, paludamentum, sceptrum, diadema, gladium ad HENRICVM aucupio tunc forte intentum de procerum sententia detulit, qui diu renuens, tandem honorem admisit, ita tamen, vt neque a Romano Pontifice inungi, neque ab vllo Episcopo coronari vellet. Hinc ipsi Aucupis cognomentum. Strenuus admodum fuit, armis & consilio promptus. Primum bellum gessit aduersus Arnulfum ducem, qui Bauariam infestabat. Secundum aduersus Hungaros quos vicit: reperitumque id est aliquoties: Tandem confecto bello pater patriæ dictus, Equestres ludos Goetingæ instituit, & primus Magdeburgi celebrauit. Debellauit Dalmatas, Boemos, Normannos, Danos, Obotritos, horum quoque rege ad fidem Christianam a paganismo perducto. Expugnauit Henetorum vrbem primariam Brandeburgum, & in ea Marchionem siue limitaneum comitem constituit; Anno vero DCCCCXXXVI correptus paralysi moritur Memblebiæ 2 Iulij: sepeliturque Quedlinburgi. Imperauit an. XVIII.

12 OTTO I. Magnus.

OTTO filius Henrici fuit. Eum pater & quod primogenitus esset, & quod ex Mathilde natus antequam imperium suscipisset, & quod egregia esset indole, vulgo enim

enim amor mundi vocabatur, reliquis prætulit. Vnctus est Aquisgrani ab Hildeberto Archiepiscopo Moguntino. Sed inauguratum tres protinus æmuli regno deturbare studuere, Henricus frater, Giselbertus Dux Lotharingiæ, sororius; & Eberhardus Comes Franconiæ, euocato etiam Ludouici Francorum regis e Gallia auxilio. Hoc se ita periculo explicauit, vt Lotharingiam sibi subiecerit pulso Alsatia Giselberto, & in Rheno submerso; Eberhardus prope Andernacum occubuerit; Henricus vero frater veniam supplex deprecatus sit. quem ille Ingelhemij arcte custoditum postea defuncto Bertholdo duce, Bauariæ ducem fecit. Pugnauit cum Hungaris feliciter in campis Lyci fluminis, non procul ab Augusta, tresque deuictorum hostium duces laqueo strangulauit. In Saxonia argentifodinas aperuit. Hugonem Capetum qui Ludouico regi multorum malorum caussa fuit, Parisijs obsedit. Cum Haroldo inde Danorum rege feliciter pugnauit, VVindos Obotritosque in littore Balthico subegit, & ad fidem Christianam traduxit. Romæ a Ioanne XII coronã accepit. Quem postea ad Berengarium quum defeciisse intellexisset, Romam iterum insecutus est. At is iam ad Saracenos defecerat, asportatis secum Ecclesiæ thesauris, & occisis omnibus quos Cæsari bene velle intellexerat. Quo facto Pontificis motus Otto, Romam obsedit, cepit, ciues in fidem suam adegit, exegitque ne quem deinceps Papam eligerent sine Cæsaris consensu. Creato autem Leone VIII iterum deficientes Romanos domuit. Atque hoc tempore restituit Ottoni Leo omnia quæ Pipinus, Carolus & Robertus dederant Ecclesiæ Romanæ. Tandem vero aucto longe lateque imperio Otto senecta inualidus obijt, an. salutis DCCCCLXXIII imperij XXXVII: sepultus est Magdeburgi in templo S. Mauritij: Vir haud dubie eius seculi maximus, quique post Carolum merito Magni nomen tulit; acceptam ei ferre debet Germania omnis ἐυ∫αξίαν, Italia libertatem, Episcopatus Brandeburgensis, Hauelburgensis, Misnensis, Cicensis, Magdeburgensis fundationes suas. Eius sepulcro inscripti sunt hi versus,

TRES LVCTVS CAVSÆ SVNT HOC SVB MARMORE CLAVSÆ
REX, DECVS ECCLESIÆ, SVMMVS HONOS PATRIÆ.

Ex vxore Editha filia regis Angliæ sustulit Ludolphum & Guilielmum: Ex Adelheide filia Rudolphi regis Burgundionum, Henricum, Brunonem, & Ottonem II, cum filia Adelheide.

13 OTTO II.

Anno Christi DCCCCLXXIII suscepit in Italia imperium Otto secundus obnitente licet patruele Henrico Hetzelio; quem postea domuit. Hic Danorum regem Heroldum vsque ad Albim cum exercitu progressum repulit, & ad conditiones æquas adegit, accepto etiam filio ipsius obside. Mouit quoque in Bohemos, eosque ad obsequij necessitatem perduxit. Lotharingiæ ducatum motis illic turbis beneficij loco dedit Carolo fratri Lotharij Francorum regis. Id ille iniquo animo ferens, Ottonem Aquisgrani obsedit, ac ni effugisset, statuit etiam captiuum abducere. Quam Otto iniuriam vlturus, Gallos Lutetiam vsque palabundos insectatur: Tandem congressi sermone controuersiam diremere. Mansit tamen Carolus in possessione Lotharingiæ, sed decisis ei nobilioribus partibus. Multa Agrippinensibus cessere: quædam Leodiensibus: instituti quoque sunt noui comitatus, atque in his Hollandicus. Antuerpia marchionatus factus est imperij. In Italiam rebus domi compositis profectus, dum de Apulia & Calabria partibus magnæ Græciæ, quas sibi

STEMMA IMPERAT. SAXONVM & SVEVORVM vsque ad Rudolphum Habspurgensem.





Extra hunc ordinem lecti,

20 *Lotharius, Saxo.*
29 *Guilielmus Comes Holl.*
30 *Richardus Anglus.*
31 *Alphonsus Hispanus.*

ob vxorem Græcam Theophaniam deberi iudicabat, contendit, post varios & ancipites casus, & captiuitatē Siculam, ex qua euasit, saucius ex telo venenato Romæ moritur & sepelitur, anno Christi DCCCCLXXXIIII, imperij decimo.

14 OTTO III.

De OTTONE tertio sic scribit Frisingensis. Anno ab incarnatione Domini DCCCCLXXXIIII Otto tertius patri in regnum succedit admodum puer. Huius diebus B. Adelbertus Pragensis Episcopus prædicans Prutenis, martyrio coronatus est. Otto vero XVII imperij sui anno diem obijt, & in Ecclesia S. Mariæ Aquis sepelitur. Additq;, Hi duo posteriores Ottones, quamvis brevitatis caussa pauca de eis dicamus, tamen tam feroces, tam mirabiles fuere, vt unus *Pallida mors Saracenorū, & Sanguinarius*, alter *Mirabilia mundi diceretur*. Huic cum Crescētio Cōsule Romano, qui ipsius dignitati officiebat, studebatque imperium Italis restituere certamen fuit. Is Brunonem cōsanguineum Imperatoris Papā factum, dictumque Gregorium V. de sede deiecit, suffecto Ioanne Placentino. Gregorius in Germaniam ad Ottonē de injuria cōquesturus sē recepit. Otto Romā expugnat, Crescentium ex fuga retractū iumentoq; auersa facie impositum per vias & cōpita vehi, ac tandem excruciatum, cum alijs duodecim factiosis suspendi iubet. Vtq; in posterū Romanis omnis præciderētur tumultuandi occasio ex spe trās ferendi ad se Imperij,

decretum est, adstipulante etiam Gregorio Papa, & vniuersa ciuitate Romana, ne penes alios quã penes Germanos deinceps esset Imperatorem deligendi ius; eius vero solemnis inauguratio Romæ fieret per Pontificem: quod quidẽ ex eo semper obseruatum est. Etsi vero ea res Gallis displicuerit, qui se Francorum genus esse dicebãt, a quibus ad Germanos primum Imperium peruenit: tamen quum in ipsis Carolouingiorum sanguis regnare desijsset, nullæ visæ sunt ipsorum sufficere rationes ad mutandum decretum. Cæterum qui Romanis impensius fauent, adfirmãt, ius conferendi imperium penes Papam adhuc esse, et Electores tantum Regem Germanis dare, Pontificis vero esse conferre Imperium. Quocirca Baronius cum insigni Germanorum iniuria, non ab electione annos orditur Imperatorum, sed a renunciatione per Pontificẽ facta: quod vero intercedit tempus, inter electionem & renunciationem, id ille omne interregno deputat. Quæ res ut hactenus multorum in Imperio motuum caussa fuit, ita deinceps semper futura est, donec Pontifex ex præcepto & exemplo Christi rerum secularium cura Principibus relicta, ipse attenderit duntaxat ad doctrinam & preces. Hic ille est Otto qui commentitiæ donationis Constantini fulcra subuertit, autorem eius prodidit, fidemque grauiter imminuit. Etsi enim faueret Ecclesiæ Romanæ, eique liberaliter multa largiretur, tamen in ipsis illis donationis suæ tabulis non est veritus hoc modo scribere. Confusis Papaticis legibus, & iam abiecta Ecclesia Romana, in tãtum quidam Pontificum creuerunt, vt maximam partem Imperij nostri Apostolatui suo coniungerent. Hæc sunt enim commenta ab illis ipsis inuenta, quibus Iohannes Diaconus cognomento Digitorum munitus, præceptum aureis literis scribens, sub titulo Magni Constantini, longa mendacij tempora finxit. Hæc sunt etiam commenta, quibus dicunt, quendam Carolum (Caluum scilicet) S. Petro nostra publica tribuisse. Sed ad hæc respondemus; Ipsum Carolum nihil dare iure potuisse, vtpote iam a Carolo meliore fugatum, iam imperio priuatum, iam destitutum, & annullatum. Ergo quod non habuit dedit. Atque hæc quidem Otto: cui congrua dixerunt scripseruntque cordati omnes postea Imperatores. Friderici Barbarossæ apud Ligurinum verba hæc sunt.

----- Romanus tempore prisco
Pauper erat Præsul: Regali munere creuit,
Nec tamen vt fasces, & regni iura Latini
Vel dare præsumat, vel cuiquam tollere possit.
Excessere modum magnorum munera Regum,
Si tantum cuiquam ius in sua regna dederunt.
Sed neque tanta fuit largitio: nec dare quisquam
Quo caret ipse potest. Huius collatio regni
Auctorem sortita Deum, contingere nulli
Iure potest hominum: collator muneris huius
Est Deus: Hoc summis regnum confertur ab astris.

Ottonis vxor Maria Arragonia impudicissima mulier ob flagitia exusta est. Imperator ipse ab vxore Crescentij chirothecarum lætifera aura infectus, tandem contabuit.

15 HENRICVS II. Claudus & Sanctus.

HENRICVS teste Frisingensi filius fuit Henrici Hezilonis, Noricorum dux, in Imperatorem electus est Aquisgrani ex constitutione Ottonis tertij ope potissimum Henrici Palatini fratris S. Kunigundis. Hic Sclauos tumultuantes & deserta fide Christi diripientes Episcopatum Magdeburgensem, Mysnensem, Marspurgensem, domuit. Boleslaum Bohemiæ ducem ferocientem subegit. Episcopatum postea Babebergensem fundauit & nobilibus possessionibus atque honoribus locupletauit. Sororẽ Gislam Hungariæ regi ea lege dedit, vt deserto Gentilismo nomen

men daret Christo. Factumque id est. Moriturus, vxorem suam testatus est a se adhuc esse virginẽ. Hinc sancti nomẽ ei datum. Imperauit annos XXIV. Sepultus est Babebergæ.

16 CONRADVS II. Salicus.

Anno partæ salutis M XXV defuncto sine liberis Henrico, succedit, sed viui adiutus suffragio, CONRADVS Francus. Huic pater fuit Hermanhus, qui abauum habuit Conradũ, generum Ottonis magni: Mater Carolina fuit. Salicus dictus a patria: Salij enim sunt populi ad Salam fluuium, qui nunc Isala, a quibus primi quoque Francorum Reges originem ducunt. Hic filium suum Henricum vix nouennem regem declarauit Bauariæ & Episcopis erudiendum tradidit, ac triennio post eundem Imperatorem Aquisgrani fecit. Postea Bohemos bello petijt. Burgundiam defuncto rege Rudolpho Giselio auunculo imperio subiecit, quo factum est, vt Treuirensis Archiepiscopus qui antea ius suffragij non habuerat, Cancellarius postea & Elector imperij factus sit. Post hæc filius Conradi Henricus vxorem ducit Kunhildam Canuti regis Daniæ & Angliæ filiam: Tandem Traiecti agens ad Rhenum moritur, anno Imperij XIV. Saluatoris MXXXIX. Quem Gisela vxor haud multo post secuta est: sepulta Spiræ propter maritum: eo enim cadauer ipsius translatum fuit.

17 HENRICVS III. Niger.

Sub hoc notant dignitatem imperialem restitutam esse sanguini Carolino, ab Giselam matrem, Lotharij filiam, quem ex Caroli nepotibus esse constat. Versus antiquus hic fuit,

Quando post decimam numeratur linea quarta,
De Carolo magno processit Gisela prudens.

Fuit autem comis, placidus, serenus, hilaris, vt Francã simul & Germanicam originem in vno mixtã agnosceres. Bohemos hic sæpius rebellantes cõtriuit: Pragam obsedit, Regem Hungariæ ad Taurinum insigni prœlio vicit. Tandem vita laudabiliter peracta obijt Spiræ, Anno Christi MLVI. Imperij XVII. ætatis XXXIX.

18 HENRICVS IV.

HENRICVS IV superioris Henrici filius imperauit annos L, minus mensibus duobus: infantis a patre relicti curam habuit primum Agnes, postea Conradus Sueuus, tum Hanno Episcopus Colonienſis. Decimo quarto ætatis anno bella gerere cœpit, quo tempore inter Pontificem & Imperatorem de summa rerum, hoc est, de dignitate certabatur. Itaque variam fortunã expertus, iudicia quoque diuersa subire coactus est: Imprimis calamitosum ipsi fuit, medio nauigationis cursu impingere in scopulum iuris Ecclesiastici: An. MLXX ausus est Papam Hildebrandũ, qui Gregorius dictus est, VVormatiæ in Synodo ob flagitia publicè nota indignum eo loco & munere pronuntiare, eique sententiæ subscripserunt Episcopi XXVI. Contra Papa Romæ in Synodo, inaudito ante ea tempore flagitio, pronunciat, se caput mundi, & suæ potestatis esse, Imperatores constituere; Simulque Imperatorem excommunicat, & subditos ipsi omnes absoluit ab obedientia ipsi promissa; vetat imo, ne quis ipsi pareat, sed mandat, ut alium eius loco eligant. Hoc tunc erat pastorem agere. De facto illo sic scribit Otto Frisingensis Episcopus. *Lego & relego Romanorum & Imperatorum gesta, & nusquam inuenio quenquam eorum ante hunc a Romano Pontifice excommunicatum, vel regno suo priuatum.* Imperator eo nexu se soluturus abit Romam, & ægrè absolvitur 28 Ian. Canusij, Anno MLXXVII. Interea Principibus mandat Papa vt de alio

alio Imperatore eligendo cogitent: eligitur Rudolphus Sueuus 20. Febr. Phortzemij, cui Papa coronã mittit cum hac inscriptione

PETRA DEDIT PETRO, PETRVS DIADEMA RVDOLPHO.

Redux ex Italia Imperator offendit omnia turbata. Primum ergo Rudolfum Sueuia pellit. Hic adiutus a Saxonibus & ordine Ecclesiastico, illum bello adgreditur. Pugnatum est sæpius, diversis locis, vario eventu. Tandem prœlio in Misnia ad Elistrum amnem commisso vincuntur Saxones, Rudolfo periura dextera amputatur, qui non multo post mortuus est Mersburgi. Imperator in Italiam profectus Romam capit, insidijsque Papæ frustra petitus, Clementẽ III. Pontificem creat, a quo absolutus, redit in Germaniam, filio suo Cũrado in Italia adhuc relicto. Frustra. Neq; enim ante cessarũt Episcopi, quam Henricũ filiũ in patrẽ concitarent, hoc maxime obtentu, ni pareret, futurum, ut imperium alteri deferretur. Non posse ipsum bona conscientia patrẽ sequi excõmunicatum. Ergo anno MCVI Henricus IV Imperator remouetur ab imperio. Moguntinus, Colonienſis, Trevirenſis, regalia insignia quæ alias induerant, ipsi exuunt Ingelhemij, ijsque filiũ Moguntiæ ornant. Inseram hoc loco formam depositionis prout ea legitur apud graues scriptores. Imperator absens & non auditus, Moguntiæ a Principibus Imperij honore destitutus est, missique ad eum Moguntinus, Colonienſis, & Treuirenſis Episcopi, ut imperialia insignia inuito auferrent. Qui quum in Senioris venissent conspectum, in castello Ingelheim, mandata concilij exposuerunt, poscentes, vt insignia volens traderet. Illo autẽ caussam requirente tam severæ in se inauditum sententiæ, obiecisse ei feruntur, in cõferendis Episcopatibus & Abbatijs simoniam. Tum Imperator. Dic Moguntine, dic Colonienſis, per nomen æterni Dei, quid a vobis acceperim? Dixerunt, Nihil. Tum Imperator, Gloria in excelsis Deo, quia vel in hac parte fideles inuenti sumus. Certè maximæ vestræ dignitates potuissent magnum cameræ nostræ, si id quæreretur, quæstum præstitisse. Nolite Patres temerare fidem vestram. Ecce, iam senio laboramus. Sustinete modicum, & nolite in confusione gloriam nostram terminare. Generalẽ curiam experimus. Si cedendum est, proprijs manibus filio coronam trademus. Illis renitentibus, & vim ostentantibus, parumper secedens, imperialibus se vestiuit insignibus, & reuersus, Hæc, inquit, imperialis sunt honoris insignia. Hæc mihi præstitit æterni regis pietas, & Principum electio. Potens est Deus nos in his conseruare, & manus vestras ab opere cœpto cohibere, quamuis simus armis & militia vestra destituti. Securi enim de tali violentia, nobis nõ prospeximus. Sed timor Dei vos coërceat, quos pietas non reuocat. Hæsitant Pontifices, sed inuicem cohortantes, accepto conamine Imperatorem senẽ adeunt: coronam capiti detrahunt, & sede detractum omnibus imperialibus exuunt. Imperator ab alto ductis suspiriis sic eos alloquitur. Deus vltionum Dominus videat, & vindicet iniquitatem quam facitis. Ignominiam sustineo antehac inauditam: At illi obturantes aures suas, relicto castello Ingelheim, reuersi sunt Moguntiam, imperialia insignia secum deferentes, nempe crucem, lanceam, sceptrum, globum, & coronam. Hæc & plura Nauclerus, Krantzius, Munsterus, Lambertus monachus Hirtsfeldenſis, alijque. Imperator exauctoratus dum omnia tentat, omniaque circumspectat, & egestatem metuens Canonicatum Leodij adfectat, moritur. Eius sepulti cadaver filius effossum, ex cœnobio B. Lamberti in profanum locum deferri curat: quod paucis post annis ipse ad se rediens, Spiram transtulit.

19 HENRICVS V.

HENRICVS patris cauſſam quam initio impiè damnârat, coniectus in idem diſcrimen probare coactus eſt. Anno MCXI Romam profectus, quum eſſet coronandus a Paſchali Papa, orta eſt in templo contentio de inueſtituris, ijs Papa, vtpote ad Imperatorem non pertinentibus renunciare Henricum voluit; Imperator vero maiores ſuos inde a Carolo magno perpetuo eas in ſua poteſtate habuiſſe adfirmabat. A verbis ad manus ventum eſt. Imperator ſuperior muros vrbis deijcit, Paſchalem captiuũ abducit, neq; ante dimittit, quam quod petierat, obtineret. Digreſſo domum Imperatore, reuocat Papa quæ promiſerat, & Henricum excommunicat. Hinc procellæ in Germania. Tandem Traiecti ad Rhenum, quod inferius vocant, morbo correptus, Anno Chriſti M C XXV, imperij ſui XIX diem vltimum clauſit, ac per Coloniam delatus Spiram, iuxta patrem, auum, proauum Imperatores cultu regio ſepelitur. Legitur hodieque verſiculus, quem monumento inſculptum, deſcripſi,

FILIVS HIC, PATER HIC, AVVS HIC, PROAVVS IACET ILLIC.

20 LOTHARIVS Saxo, Aleator.

Anno ab incarnatione Domini MCXXV defuncto abſque hærede Henrico V principes Moguntiæ conueniunt, ibique habito de ſucceſſore conſilio, quatuor regni optimates, LOTHARIVS dux Saxonum, quem Electorem fecerat Henricus V, Fridericus dux Sueuorum, Leopoldus Marchio Orientalis, Carolus Comes Flandriæ imperio deſignantur. Tandem Lotharius Saxo filius Gebehardi Comes Supplinburgicus ſuffragijs omnium etiam renitens & reclamans eligitur. Hic progeniem Imperatoris Henrici vehementer adflixit. Quapropter Fridericus & Conradus ſororij Imperatoris omni ope viribuſque ſe defendunt: Lotharius in Italiam profectus ab Innocentio coronatur: quod Germani ita acceperunt, vt intelligerent benedictionem a Pontifice, & publicam duntaxat renunciationem ſolemniter factam eſſe: Pontifex vero ita, vt a ſe collatum imperium & regnum Italiæ iudicaret: itaque in Palatio Lateranenſi picturæ ſatis arroganti hos verſus addidit,

REX VENIT ANTE FORES IVRANS PRIVS VRBIS HONORES
POST HOMO FIT PAPÆ, SVMIT QVO DANTE CORONAM.

Eſtque ob picturam iſtam & titulum ingens poſtea ſub Friderico primo orta cõtentio, quemadmodum id prolixè refert Otto Friſingenſis. Reuerſus in Germaniam Lotharius, Conradum & Fridericum, quorum ille iam Mediolani in regem vnctus fuerat, in gratiam recipit, intercedente potiſſimum S. Bernardo Clareuallenſi abbate. Orta tamen inter Imperatorem & Papam controuerſia de ducatu Apuliæ, cui Lotharius Reginaldum virum nobilem præfecerat, ita res inter ipſos componuntur, vt in dando duci vexillo vtrique manum adhiberent. Digreſſus Roma Lotharius in Alpibus Tridentinis morbo corripitur, ac in viliſſima caſa miſeram humanæ conditionis relinquens memoriam, diem claudit extremum, anno imperij XIII. Chriſti MCXXXVII. Sepultus eſt prope Brunſuigam in monaſterio Luthern. Regalia dux Henricus gener Imperatoris qui filiam eius Gertrudam vxorem duxerat, ſecum abſtulit.

21 CONRADVS III. Sueuus.

Henrico IV filiæ fuerunt duæ, Sophia & Agnes: hæc Cõrado duci Sueuiæ nupta, illa Friderico de Hohenstaufen. Istius filius CONRADVS post obitum Lotharij Romanorum Imperator Confluentiæ delectus est Anno M C XXXVIII. Henricus autem Bauarus insignia imperij coactus reddere, proscribitur, & ducatibus suis priuatur. Hinc ortum bellum Saxonicum, quod ex eo etiam creuit, quod Henrici vidua Gertrudis Henrico Marchioni Austriæ Leopoldi filio ab Imperatore data sit, cum ducatu Bauariæ. Excussus enim VVelfus hostilem animum in vindictam armauit. Conradus post multos labores & discrimina reuersus ab expeditione Ierosolymitana quam Eugenio Papa suadente susceperat, moritur Babenbergæ anno Christi M C LII imperij sui XV. Vxor ei fuit Gertrudis Bauara, filia Comitis de Sultzpach, ex qua liberos suscepit, Henricum qui puer obijt Vltraiecti, & Fridericum.

22 FRIDERICVS I Barbarossa.

Post extinctum Conradũ Principes Germaniæ celebrato cõuentu Francofurti Imperatorem deligunt FRIDERICVM Sueuiæ ducem Conradi prioris ex fratre nepotẽ, qui a barbitio ruffo Ahenobarbus dictus est, posthabito Friderico Cõradi filio, quod in illo virtutes maiores dignæq; imperio conspicerẽtur. Hic quarto demum imperij sui anno in Italiam profectus vt coronam a Papa Hadriano posceret, forte stapedam equi Pontificalis dexteram tenuit, quum is illum esset conscensurus: Id Papam tam male habuit vt ipsi negaret coronationem. Postea tamen correcto errore melius officio functus coronatus est. Reuersus in Germaniam comitijs Ratisponensibus Ladislaum Ducem Bohemiæ regem creat, dato ipsi pro insigni leone albo cum cauda fissa. Sequuta est Mediolanensium rebellio faces admouente Pontifice, qui vt melius ea res cederet, ipsum quoque Imperatorẽ excommunicauit. Quo defuncto muscæ ope sese in arteriam asperam ingerentis, dum dicticto ore bibit, plures Pontifices per factionẽ facti sunt. Ita Mediolanum captum euersumque pœnas rebellionis iustas dedit. In Germaniam reuersus Imperator Remp componit; postea Alexandrum Papam a quo fulmine excommunicationis ictus fuerat Roma capta fugat. Post captum vero a Venetis filium Ottonem supplex etiã fit Alexandro Papæ ante fores B. Marci: Eum Papa fastu inaudito supplicem pedibus conculcat. Post hæc Fridericus multa aduersus Henricum Leonem ducem Saxoniæ qui factione Germaniam concutiebat, molitus, contrà Saladinum in Syriam cum filio proficiscitur, atque in Armenia in flumine Saphet mersus, Tyri sepelitur cum summo totius exercitus mœrore & planctu, Anno M C XC. Filios reliquit quinque, Henricum, Fridericum, Ottonem, Conradum, & Philippum, ex quibus primus & vltimus Imperatores facti sunt.

23 HENRICVS VI Asper.

HENRICVS ante profectionem in Syriam designatus a patre Imperator coronatur a Clemente, anno M C XI. quumque ipse negotijs publicis impediretur, misit exercitum in Palæstinam ductu Henrici Leonis Ducis Brunsuicensis & Luneburgensis; Ipse obijt Messanæ, anno M C XC VIII, veneno ab vxore Constantia Guilielmi Siciliæ regis filia, vt dicitur, ipsi propinato. Sepultus est Panormi.

24 PHI-

24 PHILIPPVS I. & 25 OTTO IV.

Post obitum Henrici Proceres Germaniæ habito Hagenoæ conuentu, PHILIPPVM Ducem Sueuiæ filium Friderici I obnitente licet Pontifice Romano Innocentio, Imperatorē creant : Quorum tamen plerique mutata postea voluntare OTTONEM deligunt filium Henrici Leonis. Aduersus quem Philippus exercitum scribit, Alsatiam vastat, Thuringiam ad obsequium adigit, perque Agrippinenses profectus, Aquisgrani coronatur. Postea ad pacis studia conuersus, Pontificem placat, data ipsius nepoti filia sua in vxorem : Ottonem vero, promissa ipsi altera filia Beatrice, quam tamen ipsi non dedit ; neque vero altèri Ottoni Palatino, quod is in Bauaria homicidio se polluisset : qui repulsa ista irritatus cædem cæde auxit, & Philippum Imperatorem Bambergæ interemit. Profectus Romam Otto coronatur à Papa. Sed quum offensus contumelia Romanorum, Romandiolam inuaderet prædabundus, fulmine excommunicationis petitus est à Pontifice. Ita desertus a suis, a Friderico etiam Siciliæ rege, qui a proceribus ad imperium vocatus magnis itineribus in Germaniam tendebat, oppugnatus, abijt in Saxoniam inglorius, & dysenteria correptus obijt Brunsuigæ, anno Christi MCC IX.

26 FRIDERICVS II. 27 HENRICVS. 28 CONRADVS.

FRIDERICVS II Henrici VI filius Siciliæ rex ad imperium euectus adolescens coronatus est Aquisgrani anno Christi MCCXII, octennio vero post, Romæ, vbi profusis largitionibus obtento Pontificis fauore, filium suum HENRICVM regem Romanū renunciari fecit, qui tamē postea in patrem quoque conspirauit. Quum autem votum peregrinationis Ierosolymitanæ impeditus imperij curis non solueret, excommunicatus est a Pontifice, neque ante laxatus, quam profectionem susciperet. Absente Imperatore Papa Apuliam omnē inuadit. Quod vbi sensit Fridericus, reuertitur, & Apuliam recuperat. Pontifex indignatus eum diris iterum deuouet, reuocata priore absolutione, & Soldanum per literas monet, ne, quod pactus fuerat, Cæsari terram sanctam reddat ; ad Principes vero Germaniæ ne ipsius liberorum quenquam in regem Romanorum eligāt. Cæsar ægrè obtenta, intercedētibus Episcopis & Imperij ordinibus, absolutione, simul atque Mediolanenses ad obsequiū armis cogere cœpit, iterum deuouetur. Distractis autē partiū studio animis Italorū, Guelfi vocati sunt quotquot Gregorium Pontif. sequebantur, Gibelini, quotquot Cæsarē. Hinc aperta odia & bella, adeo vt post captas Rauennam, Senas, Romam, in eas angustias Papa adductus fuerit, vt crucem in Cæsarem, æquè atq; in Turcam prædicari jusserit, datis etiam indulgētijs qui in eam militiam adscriberentur. Post obitum Gregorij Innocentius euocata Lugdunum Synodo Fridericum excommunicat, Francorumque regem in eum instigat. Proceres quoque Germaniæ instinctu eius HENRICVM Lantgrauium Thuringiæ Imperatorem deligunt, quem CONRADVS Friderici filius cum exercitu fundit, fugatque ; Eo extincto itur ad GVILIELMVM Hollandiæ Comitē ac post etiam ad RICHARDVM regem Angliæ, & ALPHONSVM regem Castellæ. Interea Fridericus subornatis percussoribus veneficis frustra petitur a Papa, dumque in Apuliam ducit exercitū, moritur, hausto quod porrexerat Manfredus filius eius nothus veneno, anno Imperij XXXII,

Christi M CC LI, 13 die Decembris. Versus sepulchro eius insculpti sunt Panormi,

SI PROBITAS, SENSVS VIRTVTIS, GRATIA, CENSVS,
NOBILITAS ORTI, POSSENT OBSISTERE MORTI,
NON FORET EXTINCTVS FRIDERICVS QVI IACET INTVS.

Egregius, dum vixit Imperator, & animi excelsi, doctorum & sapientiæ amantissimus, vsq;adeo, vt Aristotelem, Ptolemæum, Galenum, Auicennam, aliosque Græcos & Arabicos scriptores curauerit in Latinam linguã transferri nulla impensarum habita ratione. CONRADVS post obitum patris in Italiam profectus ad occupandum Tancredi ope regnum Siciliæ, a Manfredo fratre spurio veneno occiditur, sperante se eius obitu ad regnum peruenturum: Incidit vero obitus eius in annum Christi M CC LXVII: reliquit filium Conradinum, Caroli Galli hostem capitalem, de quo extat Pontificis dictum, VITA CONRADINI MORS CAROLI. MORS CONRADINI VITA CAROLI.

29 GVILIELMVS Comes Hollandiæ.

Mortuo Henrico, viuente adhuc Friderico II detulerunt Proceres Germaniæ imperij insignia Henrico Duci Brabantiæ; qui ætatem decrepitam caussatus, cõmendauit Guilielmum Hollandiæ Comitem iuuenem florentem viribus, fama, gratia, eoque imperio dignum. Hic ergo ad rerum apicem autore Papa Innocentio, qui infinitos thesauros in eo promouendo exhausisse dicitur, a Moguntino & Colonienſi deligitur; Anno Christi M CC XLVIII. ac post coronationem Aquisgrani factam protinus Conradum Friderici II filium bello adgreditur, agentem tunc Ratisponæ. At is se in Apuliam conferens Guilielmo Germaniam reliquit: qui acto Coloniæ Principum conventu de suscipienda Romana profectione inaugurationis caussa, quum intelligeret Frisios in Hollandiam irruisse, atque illic omnia igni & ferro vastare, se adversus illos armauit, inque illa expeditione obijt, Anno Christi M CC LVII, imperij IX.

30 RICHARDVS Anglus.
31 ALPHONSVS Castellanus.

Extincto Guilielmo viuebat adhuc in Sicilia Conradus. Electores vero diuersas in partes distracti sunt: Moguntino, Colonienſi, & Palatino RICHARDVM Angliæ regis filium, alijs ALPHONSVM Castellæ regẽ designantibus: Richardus effusa ingenti pecuniæ vi, quæ octies centena millia, centum & quinquaginta millia marcarum excesserunt, postquam in Germaniam venit, & Aquisgrani coronam accepit, Trevirensium agros prædatus, oppiduliſque aliquot captis, paucis quæ oppignoratæ fuerant, liberatis, in Angliam reversus est, Anno M CC LIX. Alphonsus in Germaniam non venit. Ita dum fluctuant Proceres, ingens oritur in Imperio confusio. Electores Mathæus Paris scriptor Anglicus tunc fuisse dicit Archiepiscopum Colonienſem, Archiepiscopũ Moguntinum, Archiepiscopum Treuirensem, Regem Bohemiæ, Comitem Palatinum, Ducem Austriæ, Ducem Sueuiæ, qui & Comes erat Bauariæ, Ducem Poloniæ, Marchisium de Miche, Marchisium de Brandeburg, Ducem Saxoniæ, Ducem de Brunswijch, Ducem de Carentene, Ducem de Melai, Ducem Brabantiæ qui & Louanniæ, Lantgrauium Duringiæ, Marchionem Mixiæ. Hoc rerum statu dum fluctuat Germania, fuit aliquandiu sine rege regnum, sine Imperatore imperium, corpus sine capite.

IMPERA-

IMPERATORES A RVDOLPHO HABSPVRGENSE AD MATTHIAM vsq; Augustum.

32 RVDOLFVS I *ab Habspurg cui vxor prior Anna Comitissa de Hohenberg, altera Machtildis filia Adolphi Nassouij.*

- 34 ALBERTVS *cui vxor Elisabeth ducissa Carinthiæ.*
  - Eufemia *monialis.*
  - Guta *nupta regi Bohemiæ VVenceslao.*
  - Mechtildis *nupta Ludouico Palatino, ex quo nati*
    - Agnes *nupta Alberto Duci Saxon.*
    - Catharina *nupta March. Brand.*
    - Anna *nupti Duci Bauariæ*
    - Clementia *nupta regi Siciliæ.*
    - Hermannus *Rheno mersus anno 1380 sepultus Basileæ propter matrem.*
    - Rudolfus *Dux Sueuiæ, cui vxor Agnes filia Ottocari soror VVenceslai regis Bohemiæ,* — Ioannes. *Hic patruũ suum Albert. Imp. interfecit.*
- 36 FRIDERICVS III *delectus Cæsar aduersus Ludouicum Bauarum, obijt an. 1330.*
  - Otto *Audax Dux Carinthiæ.*
    - Lupoldus: *ob. an. 1326.*
    - Guta, *nupta comiti Oetingensi.*
    - Anna, *nupta Marchioni Brandenb.*
  - Albertus II *Sapiens, ex Canonico Patauiensi post fratrum obitum dux Austriæ: vxor ei Ioanna, liberi*
    - Henricus, *obijt an. 1342.*
    - Agnes, *nupta regi Hungariæ.*
  - Rudolfus *Bauarus.*
- 37 LVDOVICVS *Bauarus Imperator. cui vxor Margareta soror Guilielmi Comitis Holland. obijt an. 1347.*
  - Ludouicus *Marchio Brandeb.*
  - Otto *Marchio Brandeb.*
  - Guilielmus *Comes Holl.*
  - Albertus.
  - Elisabet.
  - Stephanus *Dux Bauariæ.*

Petrus *Siciliæ Rex.*

Fridericus, *cui sponsa * filia regis Angliæ.*

Lupoldus, *obijt an 1387. liberi ei,*

Rudolphus, *obijt an. 1365.*

Albertus. *Hic instaurauit Scholam Viennensem, obijt ann. 1395.*

Albertus *Dux Bauariæ, Comes Holland.*

- Fridericus, *proscriptus in Concilio Constantiensi.*
- Guilielmus.
- Lupoldus.
- Ernestus *ferreus, Dux Austriæ, ob an 1424: Ei ex Cimburga ducissa Masouiæ nati*
  - Albertus
  - Catharina
  - Margareta
  - 46 FRIDERICVS IV. *Imp. cui vxor Leonora.*
  - 40 Ioanna *nupta* VVENCESLAO *Imp.*
  - 45 ALBERTVS II. *Rex Rom. cui vxor Elisabet, filia Sigismundi.* *

Sigismundus *Dominus Tirolij.*

Extra huuc ordinem lecti

33 ADOLFVS *Nassouius.*
35 HENRICVS VII *Lutzenburgicus.*
38 CAROLVS IV *Rex Bohemiæ nepos Henrici VII.*
30 GVNTERVS *Svvartzenburgicus.*
41 FRIDERICVS *Brunsuicensis.*
42 IVDOCVS *Morauus.*
43 RVPERTVS *Bauariæ Dux.*
44 SIGISMVNDVS *Caroli IV regis Bohemiæ filius Imperat.*


48
CAROLVS V. obiit an. 1558. ei vxor Isabella Lusitana.
Philippus obiit anno 1598.
Maria nupta Maximil. II Imp.
Leonora nupta primum Emanueli Lusitaniæ regi, postea Francisco I.
Ioanna nupta principi Portugalliæ.
Isabella nupta Christierno regi Daniæ.
Catharina nupta Ioanni Lusitano.
49
FERDINAND. obiit an. 1564.
Maria nupta Ludouico regi Hungariæ.
50
MAXIMIL. II. obiit anno 1576 ei ex vxore Maria filia Caroli quictinati,
Ferdinandus cui vxor Philippina Velsera.
Carolus Archid. cui vxor Maria filia Alberti ducis Bauar.
Anna nupsit Alberto Bauaro.
Maria nupt. Guilil. duci Cliu.
Elisabetha vxor Sigis. Aug reg. Pol.
Catharina nupta Francisco duci Mantuano.
Leonora nupta duci Mantuano Guilielmo.
Barbara nupta Alfonso duci Mantuano.
Ioanna nupta Francisco magno duci Florent.
Helena
Magdalena } vixere Hallæ in monasterio.
Vrsula obiit infans.
Carolus
Philippus cui vxor Margareta filia Caroli Arch. Aust
Isabella, nupta Alberto.
Anna Maria n. ann. 1601.
Philippus nat. ann. 1605.
Catharina n. ann. 1606.
Carolus n. an. 1607.
Ferdinandus n. an. 1609.
51
RVDOLPHVS obiit an. 1612
Ernestus
52
MATTHIAS Imp.
Maximilian. n. an. 1558.
Albertus Arch. n. a. 1559.
VVenceslaus ob. a. 1578
Elisabeth nupta Carolo IX regi Gall.
Anna nupta Philippo Hisp. regi.
Andreas Card. ob. a. 1600.
Carolus marchio Burgon. cui vxor Sibylla Cliuica.
Anna Catharina ex matre Mantuana nupta Matthiæ Imperatori.
Ferdinandus Dux Styriæ.
Maximil. Archid. natus ann. 1583.
Ioan. Carolus natus ann. 1605.
Leopoldus Episc. Passau. & Argent.
Carolus Episc. Vratislau.
Christophorus qui puer obiit.
47
MAXIMILIAN. I. cui vxor Maria Caroli Burgundi filia, obiit an. 1519.
Cunegundis nupta Alberto Bauaro.
Franciscus.
Georgius.
Philippus Archidux Aust Rex Castellæ obiit anno 1506.
Margarita.
Guilielmus
Ludouicus
Ernestus.

32 RVDOLPHVS Rufus Comes Habſpurgenſis.

Anno ab incarnatione Domini MCCLXXV poſt multas deliberationes tandem ſpretis Alphonſo & Othocaro, conſenſere Germaniæ Proceres euexeruntque ad Imperium RVDOLPHVM Sueuum Comitem haud ignobilis in Heluetia arcis quam vocant Habſpurg, Alſatiæ Lantgrauium, ſatum Alberto patre. Premebat autem is tunc obſidione Baſileam; Euocatus vero per Burggrauium, vix fidem habuit tam inexſpectato nuncio: poſtea vero etiam ægre conſenſit. Aquiſgrani dum peraguntur ſolemnia, filias duas nubiles electoribus elocat, Mechtildim Palatino, Agnetem Alberto duci Saxoniæ, ratamque habuit eam electionem Papa Gregorius. Italiam tamen non petijt, territus tot priorum Imperatorum exemplis; dictum illud Horatij identidem vſurpans,

— quia me veſtigia terrent
Omnia te antrorſum ſpectantia, nulla retrorſum.

Nec putauere Germaniæ Principes ius principale ab eo petendum, qui illud neque haberet, neque habere per religionem poſſet, vt qui humilitatem profeſſus, ſeculi dignitatibus renunciaſſet. Dum ergo res Imperij Noribergæ ordinat, Othocarum Bohemiæ regem ante omnia adgreditur, qui rebus Germaniæ turbatis, Auſtriam, Stiriam, Carinthiam, cum Carniola vſurpauerat. Eius primum bello victi, & poſt rebellionem caſtris exuti atque occiſi filiam Agnetam Rudolfo filio ſuo accepit vxorem, data viciſſim eius quoque filio Rudolfo Guta filia ſua. Ita ducatus Auſtriæ Habſpurgenſi domui ceſſit. In Alſatia quoque Franconia & Sueuia tumultuantes domuit. In Italia a Florentinis, Bononienſibus, Genuenſibus, Lucenſibus immanem pecuniam collegit, vendita ipſis immunitate: ac tandem plenus æui moritur Spiræ anno ætatis LXXIII Chriſti MCCXCI, quum imperaſſet annos fere XVIII. Sub hoc cœperunt inſtrumenta publica Germanicè ſcribi, quæ antea non niſi Latine ſcribebantur.

33 ADOLPHVS Naſſouius.
34 ALBERTVS Auſtriacus.

Poſt obitum Rudolphi Electores Francofurti congregati elegerunt Imperatorem ALBERTVM Auſtriacum, qui dum Vienna profectus ſe illuc confert, factum eſt precibus Gerardi Archiepiſcopi Moguntini vt ADOLPHVM Naſſouium conſanguineum Epiſcopi præferrent, ſtatimque Aquiſgrani coronarent, fidelem imperio, nec ſui, ſed publici amantem. Albertus repulſam ſuam pro iniuria deputans multa aduerſus ipſum mouit: Ille Colmarienſibus expugnatis in Alſatios qui ab Alberto ſtabant, monit. Pecuniam quam ab Eduardo Angliæ rege acceperat in ſumptum belli Gallici impendit in Thuringiæ emtionem; ſumma fuit XCIV millium florenorum Germanicorum. Moguntinus ægre ferens pecuniam illam non eſſe inter Electores diſtributam, animum ab ipſo auertit, autorque primus fuit, deligendi ALBERTI. Neque id ipſo vel inſcio vel nolente factum eſt. Sed armis dirimenda erat controuerſia. Stabant pro Adolpho Rudolphus comes Palatinus, Otto dux Bauariæ, vrbeſque imperiales aliquot, Francofurtum, Spira, VVormatia, aliæq;: Ab Alberto Moguntinus, & Treuirenſis. Poſt acrem iuxta Spiram pugnam, confoſſus eſt Alberti manu Imperator Adolphus; anno imperij VIII, Chriſti MCC XCVIII, die 2 Iulij. Obſeruatum eſt ex primarijs Adolphi hoſtibus neminē non violenta morte obijſſe. Comes Albertus de Haigerloch in itinere a genero Adolphi occiſus eſt. Otto de Ochſenſteyn ſuffocatus, Gerardus Moguntinus Epiſcopus paralyſi ſubita correptus interijt, Argentinenſis a lanio trucidatus: Comes de

Leinin-

Leiningen phreneſi contactus obijt : Ipſe Albertus a duce Ioanne confoſſus eſt, poſtquam imperaſſet annos IX ac menſes totidem, anno Chriſti M CCC VIII.

35 HENRICVS VII. Lutzelburgicus

HENRICVS VII Comes Lutzelburgenſis electus eſt Imperator eopſe anno quo obijt Albertus : Statimque Italiam quam ab exceſſu inde Friderici II priores Imperatores non adierant, inuiſere decreuit, tum vt ſolennem a Pontifice confirmationem peteret, tum vt oppida Italiæ Imperio parere ſolita ad priſcam obſequij formã reuocaret. In itinere Adolphum & Albertum haud ſatis pro majeſtate ſitos, effodi, & Spiram deferri, monumentiſque majorum condi iuſſit. Hinc ad liberorum nuptias animum conuertit, ac primogenito Ioanni filiam dedit VVenceſlai regis Bohemiæ Eliſabetham, quẽ protinus cum exercitu miſit in poſſeſſionem regni, ducente copias Moguntino. Alterum quoque exercitum miſit aduerſus VVirtenbergenſes rebellantes : cum tertio ipſe Romam contendit. In Italia honorifice exceptus a Mediolanenſibus vix euaſit proditionem Turriani. Occupato regno Longobardorum properauit Romam eſtque ibi ex more coronatus : Sed intentum publicis curis & in Apuliam proficiſcentem monachus quidam Iacobinus veneno necat, quo ille, ſubornatus vt ferunt a Florentinis, ſacrum in Euchariſtia corpus Chriſti infecerat. Obijt in arce Boni conventus, anno imperij quinto, Chriſti M CCC XIII. Cadauer Piſas relatum honorifice illic ſepultum eſt.

36 FRIDERICVS III. Auſtriacus.
37 LVDOVICVS Bauarus.

Vacante Imperio conuocati ſunt Francofurtum a Moguntino Septemuiri ad eligendum nouum Imperatorem: Venit eodem Fridericus Auſtriacus, qui quod Imperatoris eſſet filius & nepos, gratiaque & viribus polleret, aperte pro ſe ambiebat ſuffragia, adnitentibus etiam pro ipſo fratribus Leopoldo & Alberto; operamq; ſuam addicentibus Rudolpho Electore & Ludouico eius fratre, amitæ Machtildis filiis. Horum ope iam penè confecta res erat, quum Moguntinus, Treuirenſis, & Bohemiæ rex, Ludouicum occupant, monentq; vt patiatur ſibi dignitatem iſtam deferri; qui quum fidem Friderico Auſtriaco iam datam opponeret, ſuggeſſit ei horribilem exceptionis legem Moguntinus, in promiſſis iſtiuſmodi ſemper intelligi immunem eſſe perſonam eam quæ loquitur, quum par ſit, vt ſibi quiſq; bene eſſe malit, quam alteri. Ergo LVDOVICVM delegerunt Moguntinus, Treuirẽſis, & rex Bohemiæ, quibus ſuffragium ſuum accommodauit legatus Brandẽburgicus: FRIDERICVM vero, Colonienſis, Palatinus, & Saxo. Anno M CCC XV coronatus eſt Ludouicus Aquiſgrani, Fridericus Bonnæ. Hinc itum ad bella ciuilia, quibus Germania miſere turbata eſt. Fridericus Bauariã depopulatur, Leopoldus eius frater Ludouicũ ſequitur & circa Spiram commiſſo prælio caſtris exuit: inde iunctis copiis iuxta Eſſingam pugnatum eſt dubio Marte. Poſtea iterum apud Argentoratum ad flumen Bruſcam ; Inferior Ludouicus, fugit in Bauariam, nec ſtatuit bello experiri, niſi diſtractis fratrum viribus. Quum ergo Fridericus iterum Bauariam vaſtaret, occurrit ipſi Ludouicus, & poſt acre certamen ad Muldorphium Fridericum capit cum fratre Henrico, Anno M CCC XXIII. Leopoldus hac calamitate efferatus, nihil nõ mouet vt fratres liberet, ac Ludouicum peſſundet : concitato etiam aduerſus ipſum Ioanne Pontifice, qui eum excommunicauit. Dimiſſus eſt tandem Fridericus, ea lege, vt communi quidẽ regis titulo frueretur, ſed a bellis in poſterum, & expeditione Italica, ad Imperatoris titulum obtinendum, abſtineret. Mors eius incidit in an-

in annum Christi MCCCXXX. At Ludouicum nihilo minores postea fluctus exceperunt. Ingressus enim Italiam coronatusque in regem Longobardorum Mediolani, quũ legatos ad Ioannem Papam Auennionem misisset ad impetranda imperij insignia, semel iterumque repulsam tulit, ignominiose etiam tractatis legatis. Romam inde profectus exceptusque benigne a Senatu Anno MCCCXXVIII Petrum Corbariensem monachum minoritam Papam creat de consilio Senatus populique Romani, qui vocatus est Nicolaus quinctus. Creuere ex eo inimicitiæ: Ioannes XXII Papa proscribitur ab Imperatore, & nouo Pontifice, eiusque effigies Romæ palam exuritur. Papa Imperatorem iterum excommunicat hæreseos accusatum, ac frustra ad Concilium prouocantem. Exstantque varia Ludouici pro se scripta, quibus & caussam suam grauiter defendit, & Pontificis vitia, nundinationes, ambitum, palam insectatur. Hoc tempore decretum est, Electum legitime a Septemuiris Imperatorem, si Papa confirmationem recusset, posse a quolibet Catholico Episcopo confirmari. Successit in Gallia Ioanni Papæ Benedictus; Benedicto, Clemens VI, qui odium in Bauarum ad se transmissum ipsi quoque accenderunt. Donec tandem Imperator Monachij propinato (vt plerique suspicantur) veneno, extinctus est, anno Christi MCCCXLVII, imperij XXXIII.

38 CAROLVS IV Boëmus, &
39 GVNTHERVS Swartzemb.

CAROLVS IV Boëmus viuo adhuc & spirante Ludouico Bauaro electus est in Imperatorem Anno Christi MCCCXLVI, & coronatus Bonnæ, vrgente mutationem Pontifice: Defuncto autem Ludouico quum minus placeret ordinibus Carolus, designatus est ab ijs Eduardus Angliæ rex: Quo imperium abnuente, electus est Fridericus Lantgrauius Thuringiæ. Ac quum ne ille quidem vellet imperij curam suscipere, itum est tandem ad GVNTHERVM Swartzenburgicum, qui ea se lege honorem oblatum accepturum dixit, si Principes Imperij decernerent, Imperium vacare, omnesque in ipso elegendo consentirent. Quod vbi factum est, adnuit, & obsessa Francofurto, post duos pene menses regio more victor vrbem ingressus est. Protinus tamen ægrotare cœpit: veneno, vt ferebatur, per medicum instinctu Caroli propinato. In morbo igitur transegit cum Carolo: qui non multo post extincto æmulo, imperiũ solus obtinuit per annos XXXIII. Initio statim profusione pecuniæ conciliauit sibi animos Principum: Italiamque ingressus, Romæ coronam accepit. Ita vixit, vt ostenderit, se priuatæ tranquillitatis & & regni Bohemici potiorem quam imperij habere rationem: quibus artibus factum est, vt VVenceslaum quoque ipsius filium Principes Imperatorem eligerent, hominem ignauum, fracti animi, & ventri ac voluptatibus deditum. Obijt anno MCCCLXXVIII. Ab hoc instituta est Anno MCCCLVI Bulla aurea, continens rationem modumque eligendi Imperatoris, qua nihil potuit ad vitandas factiones cogitari salubrius. Academia quoque Pragensis huic suos natales debet. Fuit enim eruditionis amator & fautor.

36 VVENCESLAVS Iners.
41 FRIDERICVS Brunsuicensis.
42 IVDOCVS Brandenburgicus.
43 RVPERTVS Bauarus.

Carolus IV anno Christi MCCCLXXII, biennio videlicet ante obitum suum gratia & pretio ab Electoribus hoc obtinuit, vt VVENCESLAVM filium suum vix natum annos XV in Imperatorem deligerent, qui statim Alberti Bauari Comitis Hollandiæ filiam Ioannem vxorem duxit.

Homo ventri & gulæ deditus: bonorum imperij dissipator: Quocirca Electores Septemuiri post crebras admonitiones, obtestationes, exhortationes quoque & minas, anno M CCCC. conventu ad Rhenum, loco qui est e regione Brubacensis arcis, habito, eum solemniter exauctorarunt. Litteræ depositionis inter alia sic habent. *Nos Ioannes Episcopus Moguntinus sacri Romani imperij per Germaniam Archicancellarius, nomine Dominorum Electorum S. Romani Imperij, atque nomine nostro, propter multas prægnantes causas nos vrgentes & intolerabiles exorbitationes, amouemus & deponimus hac nostra sententia Dominum Wenceslaum, ceu inutilem, ignauum, & penitus ineptum ad Romanum imperium, ab ipso Romano imperio atque ab omni sibi debita gloria, honore, & majestate: Denunciantes omnibus principibus, proceribus, dominis, & seruis, ciuitatibus, regionibus & populis sacro imperio subiectis, quod deinceps penitus absoluentur, & absolutos pronunciamus ab omni homagio & iuramento Wenceslao nomine sacri Impery præstito; monemusque & requirimus eos per iuramentum quo adstricti sunt sacro imperio, ne posthac sæpedicto Wenceslao vllo pacto obediant aut obsequantur, neque illi ius vllum, obsequium, censum, reditum, aut vllam obuentionem, quocumque nomine tandem appelletur, tanquam Romano regi præbeant, exhibeant, aut permittant exhiberi; sed omnia hæc reseruent pro illo quem Dei gratia ceu vtilem & idoneum in Romanorum regem eligi cotinget.* Electus est protinus eius loco FRIDERICVS Brunsuicensis Dux, qui tamen haud multo post dolis Moguntini interfectus est Frislariæ. Post hunc electus est RVPERTVS Bauariæ Dux, a Colonienſi Episcopo diademate regio ornatus Coloniæ, Anno M CCCC II. Hic in Italiam profectus Ioannis Galeatij imperum cohibuit. Obijt Oppenhemij decimo imperij anno, sepultusque iacet Heidelbergæ in templo quod ipse Spiritui sancto exstruxit. Post eum electus est IVDOCVS Marchio Morauiæ, patruus VVenceslai, qui nondum sex mensibus in ea dignitate exactis, quum senex esset, obijt. Anno Christi M CCCC X. Regnauit autem VVenceslaus in Bohemia annos LV, in Imperio XX, vixit LVII. obijt anno Domini M CCCC XIX. Sub hoc Hussitarum primum in terris auditum est nomen: quorum dogma adeo insolens Pragæ in Schola recente fuit, vt vna die quinque studiosorum millia deserta vrbe Lipsiam concesserint.

44 SIGISMVNDVS Hungarus.

Anno Christi M CCCCXI SIGISMVNDVS Hungariæ rex Caroli IV filius ob egregias animi virtutes & potentiam consentientibus Septemuirum suffragijs ad Imperium vocatus est: Hic statim post infelicem ad Calumbacium cum Turca pugnam, qua Cabbotiæ præsidium amissum est, animum ad pacis curas constituendamque Rempublicam intendit. Quumque religionis dissidium indies crescceret, ipse peragrata triennio bona Europæ parte Concilij cogendi caussa, animos Regum Principumque flexit ad cogendam Synodum. Sed Pontifices ante reformari oportuit. Itaque indicto Constantiæ conuentu, tres simul Papas sede in quam vi & fraude irrepserant deiecit, aliumque substituit. Hussum euocatum licet fide Imperatoris, dato insuper saluo conductu, passus est VI die Iulij Anni M CCCC XV, damnatum ante in Concilio, exuri. Nec terruit exemplum Hieronymum Pragensem, qui mox anno sequenti, XXX die Maij similiter viuicomburio doctrinam suam obsignauit. Offendit ea res animos nobilium Boëmorum, qui concepto in Pontificem odio, iniuriam istam vindicare aggressi sunt, amplexi magna ex parte doctrinam Hussi in Concilio damnatam. Ergo anno M CCCC XVIII Hussitæ per vniuersam Bohemiam Pontificios inuadunt, templa diripiunt, monasteria euertunt, sacer-

sacerdotum & monachorum tanquam Antichristi adsectarum agmina ferro & armis insectantur. Pragæ septem Senatores primarios ex Curiæ fenestra præcipites dant, quos furens turba hastis exceptos trucidauit. Post Ziscæ duce sæpius cum Sigismundo plena acie congressi, semper victores, docuerunt, nihil immanius esse plebe concitata, si ad animi impetum religionis quoque stimulus accesserit. Indicta Basileæ Synodo Oecumenica Anno M CCCC XXXI. consilia de vniuersa Christianitate componenda instituit: Romam profectus coronatus est à Papa: Inde Basileam reuersus iterum Hussitarum caussam in Concilio ad quod jam CCC nobiles venerant, examinat: Sed quum ipsi etiam à nobilibus cœpissent Boemi dissidere, rediere ad regem suum Sigismundum, & impetrata actorum obliuione, fidem ipsi obedientiamque polliciti sunt, anno Christi M CCCC XXX V. Ita confecto rerum suarum curriculo post biennium excessit ex hac vita Sigismundus, nona die Decembrisa, Anno ætatis LXX. imperij XXIV. Prudens & grauis Imperator, litterarum, omnisque sapientiæ amans.

45 ALBERTVS II. Austriacus.

Vix decem annos ætatis expleuerat Albertus quum pater eius veneno propinato obijt, oppugnans Iudocũ Marchionem Morauiæ. Hic postea ducta in vxorem Sigismundi Imperatoris filia vnica Elisabeta primum post eius excessum factus est Hungariæ, inde Bohemiæ rex, postremum Romanorum Imperator, anno M CCCC XXX VIII. ac post biennium obiit relictis duabus filiabus & vxore grauida, quæ postea enixa est Ladislaum Hungariæ regem. Situs est in Alba regali propter Sigismundum.

46 FRIDERICVS IV. Austriacus.

FRIDERICVS Ernesti F. Lupoldi nepos post Albertum imperauit, electus anno M CCCC XL. Magni animi iudicijque vir, & ad Fabii exemplum Cunctator. Biennio post inaugurationem Francofurti factam Romam profectus cum fratre Alberto & Ladislao Alberti Regis filio postumo cui ipse tutor erat, coronatur à Pontifice, & statim vxorem ducit Leonoram Eduardi Portugalliæ regis filiam, nuptiasque Neapoli celebrat apud Alfonsum regem. In Austriam reuersus offendit omnia turbata. Marthias Hunniades cum exercitu XII. mill. equitum Austriam inuaserat, causatus, Ladislaum, Bohemiæ Hungariæ & Austriæ hæredem nimis diu sub Friderici tutela retineri. Ipsi etiam Austriaci Imperatotem armis adgressi, eò perpulerunt, vt pupillum Ciliæ Comiti auunculo traderet. Anno M CCCC LXIII. quum Senatores sex Viennæ vinculis mulctati ab ipso essent, plebs cõcitata ipsum cum vxore & filio Maximiliano adeo arcte obsedit in arce totos menses duos, vt etiam fame laboratum sit, cuius filius erat impatientissimus: sed liberatus est à Georgio Podiebracio Bohemiæ rege. Sequenti anno restituit Ferdinandus Hungariæ coronam, quam totos annos XXIV. tenuerat, estque ea data Matthiæ Coruino: quo extincto peruenit ad Ladislaum. Ingraueſcente autem ætate adsciuit in consortem Imperij filium suum Maximilianum; ac tandem ex nimio, ut creditur, melonum esu extinctus est, tibia prius, quam vlcere laborantem gangrena depascebat, ferro amputata, Lincij, Anno Christi M CCCC XC III. Imperij LIII. Hoc imperante capta est a Mahumete Turcarum principe Constantinopolis, ac non multo post etiam Rhodus.

47 MAXIMILIANVS I Austriacus.

Anno Christi M CCCC LXXXVI electus est in Imperatorem MAXIMILIANVS Friderici IV filius, quem pater virtutibus eximijs domi excultum ornatumque viuus Aquisgrani corona Caroli Magni Noriberga petita, ibi enim adseruari solet, ornari, stillantibus præ gaudio lacrymis, vidit. Hic in prima pueritia quum videretur tardioris ingenij, exiguam sui spem fecit; sed adultior egregie defectum ætatis præclara indole factisque principalibus, iustitiæ, moderationis, & fortitudinis compensauit. Quum XVIII annum attigisset, missus est Vienna a patre in Flandriam, ad petendam sibi in vxorem Mariam Caroli Burgundi filiam, quo ex coniugio omnium statim Caroli ditionum, Burgundiæ, Brabantiæ, Flandriæ, Limpurgi, Lutcenburgi, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Artesiæ, Geldriæ, aliarumque administrator factus est. Excesserat enim e viuis Carolus, cæso ad Nasium exercitu a Lotharingis, anno M CCCC LXXVII, die V Ianuarij: Ex hoc coniugio natus est Philippus I Hispaniarum Rex, Caroli V pater, & post eum Margareta, sponsa Caroli Galliarum regis Lu-douici XI filij, quam ille tamen non duxit, sed educatam licet in Gallia domum remisit, sumpta sibi vxore Anna hærede Britanniæ, quæ Maximiliano desponsata erat, viduo iam obitu primæ coniugis Mariæ. Obijt autem ea anno M CCCC LXXXII. Dum vero de tutela Philippi inter Maximilianum & Ordines Belgicos magnis animis contenditur, illo patriam potestatem, his patriæ iura obtendentibus, euocatus a patre & Electoribus imperij Maximilianus coronatus est Germaniæ rex. Reuersus vimque ostentans, capitur a Brugensibus, & in arce liberali committitur custodiæ, ac post resignatum tutelæ ius, dimittitur tandem, datis obsidibus, & obsignato contractu, Anno M CCCC LXXXVIII, die 16 Maij: neque per ipsum initio stetit, quin fides data seruaretur. Sed quum Fridericus pater cum copijs Germanicis in Brabantia ipsi obuius, facta omnia infecta esse iuberet, velletque excluso Philippo legitimo hærede eiusque tutoribus proprietatem sibi prouinciarum Belgicarum vendicare, itum est rursum ad arma: neque ante compositus tumultus, quam Philippus Maximiliani filius iam adultior ipse rebus gerendis admotus fuit. Post obitum Friderici patris celebratus est VVormatiæ procerum Germaniæ conuentus, Anno Christi M CCCC XCV, in quo Maximilianus egit de subsidio aduersus Turcas, deque reprimendis Caroli VIII Galliarum regis qui in Italiam sese effuderat, depopulationibus. Et cessere ipsi omnia feliciter, consilio potius quam armis: itaque & bellum Bauaricum, quod aduersus Rupertum Palatinum Rheni a suis ex sorore nepotibus Guilielmo, Ludouico & Ernesto gestum est, prudenter finijt, & Venetos mouentes arma ita cohibuit, vt lentis actionibus ipsis Respubl. sibi autoritas constaret. Tandem celebratis Augustæ Comitijs anno M D XVIII, in quibus de bello Turcis inferendo, & de Lutheri doctrina, quæ iam per Germaniam inualescebat, actum est, dum se ad expeditionem parat, correptus febricula quam difficiliorem faciebat alui lubricitas, extinctus est VVelsæ anno ætatis LXIII, imperij XXV, rebus Philippi filij & Caroli nepotis consilio suo feliciter prudenterque directis. Obijt autem Philippus anno Christi M D VI.

48 CAROLVS V Austriacus.

CAROLVS Anno M D. Gandaui Philippo Hispaniarum & Siciliæ rege patre, matre Ioanna Hispana edidus,

tus, ducatum Austriæ auo suo Maximiliano, Belgicam cum Burgundia patri, Hispaniam matri debuit. Eius prima ætas haud multum in studijs literarum & sapientiæ, plurimum in exercitijs aulæ & militiæ impensa fuit. Post patris excessum Hispaniarum regna suscepit, annos natus octodecim. Post aui obitum Anno M D XIX electus est Septemuirorum imperij suffragijs in Imperatorem Germaniæ, ipso etiam Friderico Saxone, in quem prius alij omnes inclinabant, cæteros eò propellente, cum repulsa etiam Francisci I Galliarum regis. Coronatus est in regem Romanorum anno M D XX Aquisgrani, ac sequente Anno prima Comitia habuit VVormaciæ, in quibus comparuit Lutherus, qui post dictam animose caussam proscriptus est, quum iam ante fuisset excommunicatus a Leone X, cuius ille bullam cum iure Canonico publice VVitebergæ cremauit. Sequuta est ingens per Germaniam & Belgicam ob fidem persecutio, facto initio Bruxellis a duobus monachis Augustinianis, sub inquisitore Hogstrato. Captus quoque ad Ticinum Franciscus I Galliarum Rex. Roma a Carolo Borbonio spoliata. Anno M D XXX coronatus est Carolus V Bononiæ a Clemente Papa rex Longobardorum. Eopse anno celebrata sunt Comitia Augustana, quibus edita est Confessio protestantium, quæ postea sola authentica iudicata est. Quumque omnia ad bellum spectarent, pax tamen intercessoribus Alberto Moguntino & Ludouico Palatino religioni concessa est. Anno M D XXXV traijcit Carolus in Africam, & Muleassem Tuneti regem regno restituit, superato Barbarossa. Sequutum est post quinquennium Colloquium VVormacienſe: quo exacto iterum ille, sed infaustis auibus, in Africam nauigauit, vt Solimanni vires Hungariam vastantis, captis Pesthо & Buda, ab Europa auerteret. Reuersus ex Hispanijs, Guilielmum Cliuensem bello petit, & Marcodurum expugnat, diripit, incendit. Quum vero iam indictum esset Concilium Vniuersale Tridenti, Principes Germaniæ anno M D XLV VVormatiæ agunt inter se de pace religionis: nec multo post moritur Lutherus Islebiæ, quum iam Principes arma ex fœdere Schmalcaldico aduersus Carolum sumpsissent. Proscripti sunt Ioannes Fridericus Elector Saxoniæ, & Philippus Lantgrauius Hassiæ. Stabant a Cæsare Mauricius Saxoniæ Dux Electoris propinquus, Ioannes Marchio Brandeburgicus, Philippus Dux Brunsuicensis priuatas ob caussas Lantgrauio infensus, Ericus & Georgius duces Luneburgenses, Ioannes item & Georgius fratres Megapolitani, adolescentes; rati omnes non religionis caussam agi (nam & ipsi erant Protestantes) sed aduersus rebelles arma sumi a Cæsare. Euentus eius belli is fuit, vt Saxo & Hessus caperentur. Quum autem Comitijs Augustæ celebratis vehementius vrgeret Carolus vt Principes Tridentinæ Synodi decreta amplecterentur, ipsique id negarent fieri a se posse, cusum est INTERIM, quod multis alijs probantibus, nunquam potuit Elector, quæ viri fuit magnanimitas, licet captiuus, probare. Anno M D L promulgatur per Belgicam omnem edictum Caroli aduersus hæreticos, quo ingens morralium turba extremo supplico addicta est. Biennio post dimissi sunt a Cæsare Elector & Lantgrauius. Carolus frustra obsessa Metensi vrbe, re infecta discedit; Et ab eo inde tempore consilium capit abdicandi se imperio, quod etiam anno M D L V fecit. Profectus ergo in Hispaniam cum sororibus Leonora & Maria ex Belgica, quod reliquum fuit vitæ transegit in cœnobio B. Iusti, magnifice in eam rem exstructo: vbi etiam extremum diem clausit anno M D LVIII.

49 FERDINANDVS Austriacus.

FERDINANDVS Austriacus Archidux, Vngariæ & Bohemiæ rex Caroli V. frater, natus Medinæ in Hispaniæ, electus est in Romanorum Regem anno MDXXXI Coloniæ, reclamante licet Electore Saxoniæ, qui negabat imperium ad exterum transferri posse illæsa bullæ aureæ sacramenta Imperator factus est anno MDLVIII, comitiis Francofurtensibus, 18 die Martij, illuc enim ad Electores miserat Carolus imperij insignia. Aquisgrani tamen inauguratus non est, neque a Pontifice vnquam agnitus, quod se inscio imperium accepisset, & quidem ab iis, quos esse hæreticos æstimabat, quodque decreto Passauiensi pacem dedisset Lutheranis. Primo imperij anno Academia Ienensis solemniter introducta est, quam ille priuilegiis ornauit. Sequenti anno Augustæ in Imperij conuentu renouauit & confirmauit decretum de pace religionis, dum Tridenti de solius fidei Romanæ conseruatione & propagatione deliberatur. Anno MDLVII Maximilianum filium suum coronari fecit Bohemiæ regem, Pragæ, die XX Septemb. nec multo post Francofurti XXX Nouembris, regem Romanorum: Vir fuit grauis, castus, modestus, pius, Latini sermonis imprimis gnarus, historiarum & moralis sapientiæ studiosus; quocirca etiam Ciceronis libros officiales auide & diligenter legit. Extinctus est Viennæ tabe catarrhosa, ipso quem prædixerat B. Iacobi die, 25 Iulij, anno Domini MDLXIV, imperij sui septimo.

50 MAXIMILIANVS Austriacus.

MAXIMILIANVS patri in imperio successit, virtutum ipsius atque imprimis pietatis, & moderationis, & pudicitiæ æmulator: Nihil ille æquè odit in vita atque conscientiarum tyrannidē: quæ res eo magis in ipso tunc temporis laudāda fuit, quod in Gallia, inque Belgicis prouincijs plena tunc erant omnia persecutionum, Philippo Hispaniarum rege flammis, gladio, laqueis, exsilio, omnique suppliciorum genere eos adficiente, qui a Romana religione, decretisque Tridentini consilij recederent, facta etiam per omnes ordines & singula capita inquisitione. Prima sua Comitia celebrauit Maximilianus Anno MDLXVI mense Martio Augustæ, quibus auxilia ipsi subsidiaque aduersus Turcas pro defendenda Hungaria decreta sunt: Etsi vero exercitus de Germanis, Hungaris, Italis, Gallis, alijsque nationibus immensus oppositus esset Turcarum copijs, neque Imperatori vel animus deesset, vel prudentia: tamen partim vrgentibus vindictam diuinam peccatis nostris, partim serius quā debebant aduentantibus legionarijs qui ex Germania submitti debebant, cessere in potestatem Turcæ Sigetum & Iulia. Ex eo induciæ factæ sunt cum immani hoste, conditionibus Hungariæ regno admodum vtilibus: Gestum est & alterum bellum sequenti anno in Thuringia, quo Gotha vrbs & contigua illi arx Grimmenstein ab Electore Saxoniæ quartū mensem obsessæ Imperatori deditæ sunt: sumptūque supplicium de Grumbachio & reliquis ab imperio proscriptis, XVIII Aprilis. Arx inuito & deprecante Ioanne Guilielmo solo æquata. Cætera huius Imperatoris, componendo religionis dissidio, & paci in Germania firmandæ data sunt. Liberos ex vna coniuge Maria Caroli V. patrui sui filia habuit XVI, e quibus subductis morte quibusdam, maximus natu RVDOLPHVS Anno MDLXXV rex Bohemiæ coronatus est, 22 Septembris, eodemque anno Ratisponæ Imperator, 27 Octobris, in Comitiis quibus ipse quoque Maximilianus sequente anno die 12 Octobris extremum diem clausit. Vixit annos L. imperauit XII: vegetus semper animo, sed corpore infir-

infirmus, ut qui totos annos XX laborarit ex cordis palpitatione, post propinatum per Granuellanum Cardinalem venenum. Luxum omnem & fastum in tantum odit, vt magnum instar fuerit modestiæ: Numquam ille mensam vitra horæ vnius spacium protraxit: nunquam gemmam emit ad corporis ornamentum. Moriens Christum aperte professus est mediatorem suum, & sacerdotem, & regem. Memorabilis est illius ad Henricum Valesium ex Polonia in Galliam properantem sententia, Reges qui conscientijs mortalium imperare volunt, cœli arcem inuadere, & terræ potestatem plerumque perdere.

51 RVDOLPHVS II. Austriacus.

RVDOLPHVS Maximiliani F. Ferdinandi N. Austriacus natus Viennæ anno MDLII 18 Iulij, rex Hungariæ factus est anno ætatis vigesimo, ac triennio post rex Bohemiæ, viuo patre, cui etiam post obitum consentientibus Septemvirorum Electorum suffragijs successit. Hic pacis studia amauit & coluit in vita cœlibe; ita tamen vt imperij limitem aduersus Turcam defenderit, motusque intestinos consilio potius quam armis composuerit. Sub hoc emendatio instituta est anni per Gregorium Papam, quam in Germania Pontificij admisere, cæteri, vt characterem Antichristi rejecere. Incidit ea mutatio in annum MDLXXXII. Decennio post Turcæ arcem & propugnaculum VVihitsch occupant, Sisecum irrito conatu oppugnant: ac sequente anno maxima cum suorum strage (perierunt enim octodecim Turcarum millia) tandem inuadunt: non multo post tamen nostri Nouogradum recuperant, sed Rabam, quam nunc Iaurinum vocant, amittunt, dedente Ferdinando Hardeccio Comite, qui siue ignaviæ, siue perfidiæ pœnas luit capitis supplicio 28 Maij anno MDXXV, Recuperatur tamen virtute Adolfi Swartsenburgij triennio post. De Alba regali, Buda, Pesto, vario Marte pugnatum est: neque vnquam illi aut voluntas defuit aut consilium, licet plerumque Pragæ ageret, fines imperij defendendi. Felix omnino, nisi nimia credulitate eorum qui impensius Hispano & Pontifici faventes pacem Germaniæ turbare instituerant, maiorum suorum atque imprimis Maximiliani patris decreta rescindere, & religionis moderaram tolerantiam pessundare quibusdam locis maluisset. Obijt V Ianuarij Anno MDCXII ætatis suæ LIX, imperij XXXVII.

52 MATTHIAS Austriacus.

MATTHIAS Archidux Austriæ Maximiliani F. Ferdinandi nepos, Rudolphi frater, natus est anno MDLVI. iuueniſque admodum ob singularem animi indolem & manifestas virtutis notas euocatus est anno MDLXXVII. ad gubernationem prouinciarum Belgicarum; quumque se imparem videret ferendis Philippi Hispaniarum regis odiis, ipse cura illa abdicata in Austriam reuersus est, & post defensam fortiter Remp. Christianam anno MDC. VIII. coronatus rex Hungariæ 19. Nouembris, prælatis vexillis prouinciarum sub Hungaria comprehensarū, Dalmatiæ, Croatiæ, Slauoniæ, Seruię, Bulgariæ, Podoliæ, Transsyluaniæ, & VValachiæ: postea accessione facta regni Bohemiæ, etiam in Imperatorem Romanum electus & coronatus est Francofurti, Anno MDCXII. die 24 Iunij, postquam vxorem duxisset Viennæ Annam Catharinam filiam Ferdinandi Austriaci ex matre Mantuana. Huius pro salute, Deum inuocamus viuum, quem & ipsi Imperatores propitium sibi præter cæteros malunt. Sciunt enim quis illis dederit Imperium. Ideo magnus est Imperator, quia cælo est minor: illius enim est ipse, cuius & cælum est, & omnis creatura. *Tertull. Apolog.*

CAP. VII.

Cap. VII.

Ratio capiendi & inaugurandi Imperatorem, deque Electoribus.

IMperium armis partum tanquam possessionem suam primi Imperatores ad liberos suos posteroſque tranquillis rebus deriuarunt. Sed lapsu temporum, cum Imperatorum vitijs, quæ vt arctis contineri, ita fecundis rebus efferri solent, creuit in populo oppresso libertatis studium, itumque est ad delectum, præterito superiorum sanguine. Interdum quoque ad electionem vnius capitis necessitate adacti sunt Proceres imperij, vel quod deficeret hæres, vel quod successor ordinarius ob vitia priuata tantæ moli esset inutilis. Et conueniebant initio ad deligendum Imperatorem Principes Germaniæ potentiores, eratque tunc res ancipitis plena periculi, in tanto capitum numero, inque eo flagitantium ambitu, vnum aliquem capere, cui summa imperij tuto committi posset. Vidit hoc prouida Ottonis tertij mens, qui rebus Germanicis constituendis certos numero Electores dedit, tres quidem Ecclesiasticos, qui & Archicancellarij imperij dicti sunt, Archiopiscopum Treuirensem, per Galliam, & regnum Arelatense; Moguntinum per Germaniam; Colonienſem per Italiam; quatuor seculares, veluti corporis Cæsarei custodes, Saxoniæ ducem protospatarium, qui idcirco ensem præferret, Marchionem Brandeburgensem Camerarium; Comitem Palatinum Dapiferum; & Regem Bohemiæ pincernam. Est autem Moguntini Præsulis, simulatque defuncto Imperatore sedes vacat, protinus euocare cæteros ad Comitia; quæ alias alibi, nunc plerumque Francofurti ad Mœnum, loco totius Germaniæ maximè opportuno solét institui: administrante interea negotia Principe Palatino, tanquam per interregnum imperatoris vicario. Penes hos ergo Septemuiros ius est constituendi Imperatorem, quem tamen solemniter placuit per gradus quosdam prouehere, vt Aquisgrani quidem coronam acciperet Regis Romanorum, Mediolani Regis Longobardorum & Italiæ, Romæ vero Imperatoris. Estque ea ordinario posteà per Carolum IV in bullam auream relata, Noribergæ, Anno M CCCLVI, seruaturque adhuc a Germanis religiosissimè. Exemplo sit vna e multis electio Maximiliani Imperatoris facta Francofurti, Anno CIↃ IↃ LXII, quam nos prolixe describemus, vt ex ea cognosci possit, quænam in cæteris ratio seruari soleat. Quum ergo dictus esset Comitijs dies, Ferdinandus Imperator Maximilianum filum suum Bohemiæ regem Francofurti tempestiue stitit: Conuenere eodem VII-viri electores, cæterique Imperij Principes atque ordines. Cæsar prensatis VII-viris, suffragia ipsorum pro filio suo postulabat. Simulatque verò illuxit dies VIII Kal. Decembris, ingressi Septemuiri Curiam Romanam foro imminentem cum Maximiliano, hora ante meridiem sexta, ad nonam vsque ibi manserunt. Inde coccineam togam induti singuli, nisi quod Bohemiæ rex coronam in capite gestabat, ad templum S. Bartholomæi vehuntur equis, eo ordine, vt Moguntinum & Treuirensem Rex & Colonienſis, hos Palatinus, Saxo, Brandeburgicus sequerentur: quibus singulis singuli in equis sedentes gladios districtos magna cum veneratione præferebant. Vbi in templi chorum ventum est, qui locus auleis & peripetasmatis magnifice admodum instratus erat, sedem quisque sibi designatam capit. Ibi Herbipolensis Episcopus cultu ad sacrum peragendum solemni indutus, hymnum quo gratia Sp. sancti euocari solet clara voce orditur. Eum canentem protinus symphoniaci

Cæsarei

Cæsarei regijque prosequuntur, Septemuiris interea in gentia curuatis & pro felici consiliorum augurio preces fundentibus. Tum Episcopus sacrum iuxta bullæ aureæ præscriptum peragit: quod dum fit, Palatinus, Saxo, & Brandeburgicus, quippe a recepta religione abhorrentes, ex choro in proximum conclaue diuertunt, insequentibus ipsos Guilielmo Lantgrauio iuniore, Georgio Palatino Septemuiri fratre, Francisco Saxone Lauenburgico, Anhaltino Principe, alijsque pluribus cum suis consiliarijs; neque enim existimabant fas sibi esse sacris illis interesse. Peracto sacro, repetunt singuli locum priorem, caniturque iterum Hymnus quem ante diximus. Inde Septemuiri ad maius altare procedunt, & tactis SS. Euangelijs religiose iurant, se in deligendo Romanorum rege sanctè omnia facturos, quemque ex animi sententia vtilem Christianæ Reipubl. indicauerint, nominaturos, ac neque largitione, neque pretio, neque pollicitationibus locum daturos. Quibus peractis, tertium canitur Hymnus de Spiritu sancto. Ita voto obstricti Septemuiri, ingrediuntur ordine conclaue, in quo electio antiquitus fieri adsueuit. Postquam illic spatium sesquihoræ commorati sunt, euocatur Cancellarius Electoris Moguntini, & cum eo quidam ab Episcopis, ad excipienda Septemuirorum suffragia: tum bini e consiliarijs Septemuirorum, quibus quasi testibus legitima suffragiorum pronunciatio fiat. Coram his primus Moguntinus sententiam de eligendo Romanorum rege rogatur: Is designat Maximilianum. Rogati ab eodem cæteri, in eundem omnes consentiunt. Ita vna omnium voce Maximilianus renunciatur Romanorum Rex. Et quia absente Ferdinando patre (ita enim conuenerat) hæc omnia gerebantur, euocati a Septemuiris Guilielmus Hessus, Georgius Palatinus, Lauenburgicus, Megalopolensis, & Anhaltinus, e choro in conclaue, mandata accipiunt, vt ad Cæsarem patrem eant, ipsique denunciêt, Septemuiros in electionem filij ipsius quod felix & faustum sit, consensisse, rogentque, vt ad ipsos in S. Bartholomæi ædem venire dignetur, auditurus coram suffragiorum liberè editorum sententiam. Ipsis digressis, describitur a Septemuiris facta renunciatio, & singulorum suffragia in litteras relata proprijs singulorum sigillis obsignantur. Sub horam diei XII adest Ferdinandus pater, cui Septemuiri e choro ad medium vsque templum obuij procedunt. Deducunt honoris caussa Ferdinandum Principes, Bauarus, Cliuensis, Virtenburgicus, Arausiensis, alijque permulti. Cæsar comiter salutatis blandeque compellatis singulis, progreditur cum suis in sacrarium, ibique, Pontificijs insignibus indutus, & imperiali corona capiti imposita, ad conclaue pergit. Hic Moguntinus suo ac collegarum nomine exponit, quomodo regem Bohemiæ dilectissimum ipsius filium consentientibus votis in Regem Romanorum elegerint, additque, rogare se, vt electionem factam ratam habere, suoque adsensu approbare, & nouum magistratu pro Romano rege, qui ab ipso deinceps secundus sit, agnoscere dignetur. Tum Cæsar breui, sed plena maiestatis oratione, Septemuiris agit gratias, quod & de Republ. optime sentiant, & sui suorumque in electione illa habuerint rationem. Ita simul inde progrediuntur, & Cæsar ad dexteram chori partem tendit, Septemuiri vero electum a se nouum Regem altari, de veteri consuetudine, imponunt. Interea ex more canitur a symphoniacis Hymnus Ambrosij & Augustini, cuius initium est, Te Deum laudamus: Eum hymnum excipit organorum, tibicinum, lituorum, tympanorum æneorum promiscuus concentus: tum, nolarum sonitus, ac denique bombardarum vbiq; displosarum ingens fragor, in signu lætitiæ. Quibus peractis, Rex nouus ab altari ex choro in editum quoddam tabulatum varijs aulæis ornatum deducitur, ibique regali solio imponitur. Hic recitato a Moguntino

guntino publico renunciationis decreto ; surgit Orator, qui nouum Regem composita in eam rem oratione laudat. Hisce ita peractis Cæsar Ferdinandus per ligneum quoddam stratum, quod Francofurtensis Senatus ad declinandam viarum luto fœdatarum immundiciem exstrui fecerat ; solemni pompa domum deducitur. Præcedebant aulici nobiles splendide amicti ; sequebantur consiliarij frequenti numero ; tum Saxonis, Brandeburgici, Regis & Cæsaris tubicines ac tympanistæ, clãgentes per vias, & læto concentu omnia complentes : Inde imperij Duces & Principes. Post hos quatuor fæciales Cæsarianis aquilis & triumphalibus paludamentis conspicui. Hinc Treuir solus. Inde Palatinus, aureum globum gestans totius terrarum orbis figuram referentem : Iuxta Palatinum ibat Brandeburgicus cum sceptro regio : Pone hos Saxo, strictum Cæsari gladium præferens. Cæsar ipse aureo insignis pallio & Imperiali diademate incinctus sub aureo vraniſco quadrato qui a quatuor Senatoribus gestabatur, incedebat. Neque ita longo interuallo & quasi iuxta Cæsarem parentem nouus rex electus, regio ornatu conspicuus. Post eum Moguntinus & Colonienſis. Claudebant agmen centuriones & tribuni hastati cum suis cohortibus ac reliquo comitatu : Ab vtraque vero lignei strati parte erant ciues armati, qui latus incedentium tegebant & turbam submouebant. Ita domum deducto Cæsare, Rex cæterique Principes ad suum hospitium singuli digressi sunt. Gesta hæc sunt, vt ante diximus, VII Kal. Decembris. Supererat, vt Rex solemni ritu inauguraretur, quod quidem more maiorum fieri debebat sub dio in regia sede lapidea ad Rheni ripã, inter nuceta, supra Confluentiam loco amœnissimo, ad oppidulum Reinsen : Hic enim, Reges Frãcofurti creati, Septemuiris omnia priuilegia, & quicquid ad ipsorum decus, dignitatem, libertatem, immunitatesque spectat, confirmare solent ; atque inde Aquisgrani, Belgicæ oppido, coronam ex Bullæ aureæ decreto accipere : sed ob hiemis asperitatem, vtque sumtuum & laboris fieret compendium, rebus Imperij maturandis, placuit Cæsari & Septemuiris, ipsis quoque Aquisgranensibus non admodum refragantibus, vt Francofurti sine vlla longiore mora pridie Kalendas Decembris inauguratio illa fieret. Qui dies vt ortus est, conuenere in ædem Bartholomæi Electores Archiepiscopi, vna cum Herbipolensi & Spirensi Episcopis, & in sacrario sumptis Pontificalibus insignibus, collegas suos, Palatinum, Saxonem, & Brandeburgicum operiuntur ; qui cum rege electo ad Cæsaris ædes eopse die profecti fuerant. Hi hora septima per stratum ligneum eodem quo ante fecerant ordine incedentes, templum petunt ; induti, Principes quidem trabeam, Cæsar archiducalem vestem, Rex amiculum aureum. Ingressos templum Archiepiscopi in chori limine stantes excipiunt ; & Moguntino quidem sacra facturo vnus ex collegij sodalibus crucem argenteam præferebat ; alius, lituum ; tertius (erat autem is equestris ordinis) sigilla Imperij ex bacillo argenteo pendentia : Cæsar Ferdinandus in summum solium ad dexterum chori latus deductus, Septemuiros Politicos infra se loca sibi adsignata capere, ordineque considere iubet ; cæteris Principibus, Teutonicæ militiæ magistro, Georgio & VVolfgango Palatinis, Bauaro, Cliuensi, Megalopolensi sedes in aduersa parte pro cuiusque dignitate attributæ sunt. Intermedia scamna Virtenbergicus, duo iuniores Palatini, & Lantgrauij, Lauenburgicus, Anhaltinus, Arausiensis, Arschotius, & Lotharingius occuparunt. Pontificio legato seorsim eodem in tabulato in quo Septemuiri sedebant, editior sedes data. In alterum tabulatum cætera nobilitas promiscue se contulerat. Ita compositis rebus, Rex nouus in chori limine ante crucem se in genua prouoluit, dum Moguntinus pro ipso preces ad Deum fundit. Tum

Treuir

Treuir ac Colonienſis alleuatum eum in ſolium auratum ex aduerſo altaris exſtructum ducunt ſeſſum, a dextera Treuiro cum Herbipolenſi, ad læuam Colonienſi cum Spirenſi in ſubſellis ei rei exſtructis conſidentibus. Simularque vero Moguntinus ſacrum ad altare orſus eſt, Palatinus, Saxo, Brandeburgicus ordine ſe ſubducunt, inque conclaue vicinum, vti antea fecerant, concedunt. Peracto ſacro, regreſſiſque Electoribus, Rex Treuiro & Colonienſi ſtipatus, ad aram accedit, vbi a Moguntino baculum paſtoralem tenente, verbis cõceptis Latinè interrogatur, *An fidem Catholicam iuſtis operibus ſeruare? An Eccleſiæ tutor & defenſor eſſe? An ius æquabiliter dicere? An debitum Romano Pontifici honorem exhibere paratus ſit?* Vbi ille ſe ita facturum reſpondit, dimittitur; & ad ſolium ſuum regreſſus, adſidet. Tum Moguntinus ad adſtantes Principes conuerſus, eos quoque rogat, *An & ipſi iuxta præceptum Apoſtoli Regi huic fidem & obſequiũ deferre, eiuſque regnum tueri, ac fide & obedientia confirmare parati ſint?* Quod vbi & ipſi ſe facturos promiſere, Rex rurſum ad altare redit, & veſtem exutus, in capite, pectore, ſcapulis, brachiorumque & manuum iuncturis, a Moguntino inungitur, ac poſt preces ex formula dictas, vnctum regem Treuir & Colonienſis & Palatinus, vna in ſacrarium abducunt, oleum lana munda abſtergunt, ipſumque, aureo amiculo depoſito, Imperialibus Caroli Magni ornamentis, a Senatu Norimbergenſi, cui ea de veteri more adſeruare mos eſt, tranſmiſſis, induunt, atque ita indutum ad altare ſiſtunt. Ibi Moguntinus gladium ſtrictum ei in manus tradit, quem poſt conceptas preces, & pronunciata verba ſolemnia, Rex in vaginam recondit. Eum Saxo acceptum lateri ipſius accommodat. Tum annulum Moguntinus Regis digito inſerit, in fidei Catholicæ ſignaculum. Poſthæc ſplendidiſſimum quoque Caroli Magni pallium maximi pretij, humeris eius circumdat. Dein ſceptrum & globum porrigit. Poſtremum tres ſimul Archiepiſcopi diadema regis capiti imponunt. Quibus peractis, iterum Rex coram Moguntino iurat, Functurum ſe Principis boni officio, & imperium legeſque ſacras vt Chriſtianum Principem decet, ſeruaturum. Inde in locum aulæis exquiſitiſſimis conſtratum, comitantibus Archiepiſcopis adſcendit, ibique ſaxeæ Caroli Magni ſedi (quæ in eam rem illuc tranſlata eſt) impoſitus, hoc ritu Romani imperij poſſeſſionem init. Tum Moguntinus populari ſermone multam Regi ſalutem ac fortunatum imperium precatus, ei ſe ſuoſque collegas, & cæteros Imperij Principes atq; Ordines diligenter & officioſè commendat. Mox hymnus ille ſolemnis Ambroſij & Auguſtini organis & ſymphoniacis inuicem excipientibus decantatur. Quo facto rex aliquot Principes, & ex nobilitate primaria, ſtricto Caroli Magni gladio leuiter feriens, in equitum ordinem adſciſcit. Ac denique duo ex ſacro ſodalium Aquiſgranenſium collegio ad eum accedentes, multamque ſalutem quanta poſſunt maximè demiſſione precati, in ſuum collegium more antiquitus recepto cooptãt. Ita celebratis peractiſque in templo Francofurtenſi ceremonijs omnibus, quæ alioqui ſuis quæque locis peragi debebant, eadem pompa inde in curiam ad prandium Cæſaris regiſque ac cæterorum principum ſumptuoſiſſimè inſtructum proceditur. Sed agmen extremum, quod in ceremonijs electionis factum non fuerat, ſequebantur ſtipatores tres, qui miſſilia in vulgus iaciebant, numos aureos argenteoſq;, quibus inaugurationis memoria, cũ effigie Imperatoris & die atq; anno ſignata erat. In Curiam vt ventum eſt, conſedere Cæſar & Rex ad menſam in auguſta aula exſtructam, cæteris omnibus menſis ſeptem gradibus altiorem, Septemuiris protinus ad munia ſua iuxta bullæ aureæ præſcriptum digreſſis. Ac Brandeburgicus quidem qui pocillatoris partibus fungitur, equum

generosum ad id paratum conscendit, & ad mensam in medio foro strattam properans, auream inde peluim & mappam accipit, easque in Curiam rediens, Cæsari ac regi vt manus lauent & abstergant, administrat; Ea peluis cum mappa & equo Comiti Zollerano ex vetusto iure cedunt. Tunc Saxo, qui imperij ensiferum seu tribunum equitum agit, in equum similiter insiliens, in aceruum auenaceum iuxta curiam effusum citissimè fertur; atque inde modium argenteum implet. Hic modius cũ equo Comiti Papenhemio, auena verò plebis direptioni cedit. Denique Palatinus magnus dapifer ad culinam extra Curiam propter Franciscanorum ædem exstructam equo vehitur, indeque adsumptis ferculis in Curiam redit, ibique relicto præforibus equo, fercula ad mensam Cæsaris, Saxone teretem baculum præferente defert, Palatini equus cum argenteis, quibus fercula contenta fuerant patinis, iure prisco cedit Comiti Seldeneckio, legato Palatini, & inferiori dapifero hæreditario. Interea consecratur mensa ab Archiepiscopis, præeunte verba Treuirensi, reliquis respondentibus. A consecratione accedunt Imperatorem tres illi Præsules, atque ex ijs Moguntinus sigillo imperij ex oblonga virga argentea plus minus XII. pondo appendentia nouo regi offert, quasi ea apud ipsum depositurus: At is protinus ea Moguntini collo accommodat, recipiens eo ritu ipsum ipsiusque collegas Ecclesiasticos pro Archicancellariis Imperij, verbis solemnibus promittens, se reliquos Electores, Principes, Ordinesque imperij habiturum quam commendatissimos, iura ipsorum ac priuilegia seruaturum, atque vbi res exiget, amplificaturum. Hisce ita peractis, Septemuiri in eadem aula singuli in mensis singulis aureis tapetibus splendide instructis, ad vtrumque Cæsaris Regisque latus discumbunt: dextera Moguntinus, inde Palatinus: leua Colonienſis, inde Saxo, tum Brandeburgicus; Contra Cæsarem verò Treuir. Præter has mensas erant in eadem aula aliæ duæ, ad quas reliqui principes nobiles ordinesque sedebant. Erant, & singulis mensis singuli abaci, poculis aureis argenteisque egregiè instructis. Conuiuium senis ferculis per interualla distinctum, pari splendore & lætitia. Interea loci ante curiam ex aquila bicipiti columellæ editæ imposita duabus fistulis merum hinc album, inde rubrum fluebat, ad populi vsum hilaritatemque tubis subterraneis pneumaticisque organis eo deriuatum. Bos quoq; integer in foro multis aliis animalibus farctus adinstar porci Troiani veru ligneo torrebatur, ex quo particula vna ad Regem delata, reliquum plebi hianti ad direptionem cessit. Mensis remotis & actis Deo gratijs Cæsar & Rex insignibus suis ornati, à Septemuiris ac cæteris Principibus domum magna pompa deducuntur. Inde ad sua quisque diuertit.

CAP. VIII.

De triplici Imperatorum coronâ, ex Rituali Ecclesiæ Romanæ.

QVæ ad coronationem Imperatoris in Germania pertinent, ostendimus: consequens est, vt reliquarum quoque coronarum solennia exponamus. Quia verò illa exactè & accuratè descripta continentur libro quem vulgò vocant sacrarum Ceremoniarum Ecclesiæ Romanæ, nos ea inde perita huic nostro operi inseremus. Est enim liber rarus admodum, ptæsertim apud Transalpinos. Scriptus est ante hos annos C LXX sub Friderico tertio. De autore vix quicquam liquet, nisi quod is se Pio secundo, qui Æneas Syluius fuit, in suo Pontificatu seruiuisse testatur, lib. I. cap. III.

Dictio

Dictio quidé eius parum Latina est: sed nos eam integram relinquere maluimus, quam nostra interpolatione fidem rerum eleuare. Editus est liber sub Leone X. ab Archiepiscopo Corcyrensi Christophoro Marcello. Sic ergo ille. Quoniam vulgari opinione fertur, Romanorum Imperatorem tribus coronis ornari oportere variorum metallorum, argentea Aquisgrani in Germania, ferrea Modætiæ in Lõbardia; & aurea Romæ: super qua re clarissimus Iurisconsultorum sui temporis Baldus opusculum edidit, mysticas metallortm significationes solertissime iterpretando; non videbitur forte absurdum aliquid de ea re pro veritate ostendenda differere. Et vt omittamus priscos illos Romanorum Imperatores, qui toti fere orbi imperabant ante Aurelianũ, ut Eutropio placet; nulla corona nisi Laurea, aut ex alia aliqua felici arbore usos fuisse cõstat, nihilque grauius odisse populum Romanum, quam Regiũ nomẽ. Hoc vero affirmamus, ante Carolũ Magnum, in cuius persona Imperium translatum est à Græcis in Latinos, neminem Imperij Romani coronã ex manu Romani Pontificis Romæ suscepisse. Et ut sæpe ex Apio secũdo audiuimus rerum Germanicarum peritissimo; cui à manu seruiuimus: & in historia eius Australi legimus, Cæsar nullam omnino coronam accipit nisi auream: & alias quidem coronas pro variis regnis, Romæ vero; & à Romano Pontifice, Romani Imperij coronam suscipit. Otho Frisingensis Episcopus; & Frederici primi patruus, vir doctus & eloquens, historiam scripsit suorum temporum, in ea tradit Fredericum ipsum coronis quinque aureis decoratum fuisse. Prima de regno Francorum apud Aquisgranum. secunda Ratisponе de regno Germaniæ. tertia Papiæ de Regno Langobardico. Quartam Romæ suscepit pro Romano Imperio ab Hadriano quarto summo Pontifice; quintam veroModetię pro regno Italico illum suscepisse testatur. Quæ quidem corona ideo appellatur ferrea: quod laminam quandã habeat ferream in summitate: alioquin aurea, est & pretiosissima. Sed differt forma coronæ Imperialis ab aliis: nam ea sub se Tiaram quandam habet in modum fere Episcopalis mitræ humilioris, tamen magis apertam; & minus acutam: estque eius apertura à fronte non ab aure; & semicirculum habet per ipsam aperturam aureum; in cuius summitate Crux paruula eminet: eam Tiaram aliæ Coronæ non habent; & quoniam hanc Imperialem coronam bis aut ter in Germania vidimus, dum Cæsar regalia quibusdam principibus concederet, ideo illam exprimere conati sumus. Legimus & in aliis historiis, quosdam Imperatares Arelate etiam Coronam suscepisse de regno Arelatensi; & alibi alias pro aliis regnis. Nam & Carolus quartus Auenionem venit ad Vrbanum quintum Anno salutis Millesimo trecentesimo sexagesimo quinto, multo ante iussu Innocentij sexti Romæ Imperator coronatus. Qui, rebus quarum gratia ad Pontificem venerat absolutis, Arelate profectus est. Sciant ergo qui de tribus coronis fabulantur; & Romanorum Imperatorem vnam tantum pro Romano Imperio coronam suscipere; & eam quidem Romæ; & à Romano Pontifice; alias autem alibi pro aliis & diuersis regnis.

CAP. IX.

Quo ritu Imperator Romæ a Papa coronari soleat.

TOtam seriem huius actionis sic describit autor libri Ceremoniarum. Electus Rex futurus Romanorum Imperator primum consueuit electionem suam per suos solemnes oratores summo Pontifici intimare; & decretum electionis ostendere; de-

uotionem ac fidelem reuerentiam exhibere; fauorem & gratiam Apoſtolicæ ſedis implorare, offerre ſe ad quæcunque fidelitatis iuramenta Romanæ Eccleſiæ præſtanda: & demum vnctionem; conſecrationem: & Imperij Diadema humiliter poſtulare. Pontifices vero conſueuerunt viſo decreto; & examinata electione in ſacro Senatu; habitoque ſufficienti informatione tam ſuper forma electionis; quam ſuper idoneitate, & habilitate perſonæ electi, per commiſſarios a ſe cõſtitutos ad inſtantiam dicti electi, ipſum electum in ſpiritualem filium ſuum & Eccleſiæ Romanæ ſuſcipere: illique fauorem & gratiam concedere; & ipſius regis electi perſona idonea reputata, eum nominare, denunciare, aſſumere, & declarare Regem Romanorum: ac etiam habilem & ſufficientem declarare ad ſuſpiciendam Imperialis celſitudinis dignitatem: decernere conſecrationem; & coronationem per manus ſuas eſſe impendendas; & ſuplere omnes defectus, &c. Hoc ſeruatum legimus in Carolo quarto a Clemente ſexto, & antea in Henrico ſeptimo a Clemente quinto, & in Alberto eius prædeceſſore, & Rudolfo patre a Bonifacio octauo. & a pluribus aliis, & in Venceſlao Caroli quarti filio; quẽ pater adhuc viuens in Romanorum regem ab electoribus deſignari procurauerat: cuius rei approbationem quum Gregorius vndecimus, ad quem delata erat; morte præuentus decernere non poſſet, Vrbanus ſextus eius ſucceſſor legitime confecit. Electus igitur Romanorum Imperator quum ſtatuerit vrbem petere ad Imperiale Diadema de manu ſummi Pontificis ſuſcipiendum, primum conuenit per nuncios ſuos cum Romano antiſtite de modo & tempore intrandi; ut Pontifex rebus opportunis conſulere poſſit; Deinde quum Pontifex nouit Cæſarem iam Italiam intraſſe, mittit illi obuiam duos legatos de latere; qui illum conueniant antequam terras Romanæ Eccleſiæ ingrediatur. Et poſt gratulationes, ſalutationem, & benedictionem nomine Pontificis, honeſto modo exigunt ab illo iuramentum ſolitum præſtari ab electis Imperatoribus antequam intrent agrum Romanæ Eccleſiæ, in forma, qua in decretis cauetur, videlicet. Sanctiſſimo Domino noſtro, Domino. N. diuina prouidentia Papæ, Ego B. Rex Romanorum promitto & iuro, per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, & per lignum viuificæ Crucis, & per has reliquias ſanctorum, quod ſi permittente Domino Romam venero, Sanctam Romanam Eccleſiam & ſanctitatem ſuam, rectorem ipſius, exaltabo, ſecundum meum poſſe. Et neque vitam, neque membrum, neque honorem quem habet, mea voluntate, meo conſilio, meo conſenſu, aut mea exhortatione perdet, & in Roma nullum placitum, aut ordinationem faciam de omnibus, quæ ad ſanctitatem ſuam, aut ad Romanos pertinent, ſine veſtro conſilio. Et quicquid de terra ſancti Petri ad noſtram poteſtatẽ peruenerit, ſuæ ſanctitati reddam. Et cuicunque Italicum regimen commiſero, iurare faciam illum, ut adiutor ſuæ ſanctitatis ſit, ad defendendam terram S. Petri, ſecundum ſuum poſſe; Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia. Aliquando oratores electi quando veniunt ad intimandum electionem: & ad petendum approbationem nomine electi Regis, ſolent præſtare ſupradictum iuramentum, ſi habent ad hoc ſpeciale mandatum. Hoc iuramentum Fredericus tertius Imperator, qui adhuc regnat, dum Senis eſſet in manibus legatorum Apoſtolicorum, Anno ſalutis quinquageſimo primo ſupra mille & quadringentos præſtitit, & ante eum plures alii præſtiterunt. Dehinc, ut primum Eccleſiæ territorium ingreſſus eſt Cæſar conſueuit cum ſua familia expenſis Pontificis ali, quamdiu Romæ & in agro Romano fuerit. Nicolaus quintus quamuis Frederico prædicto cum familiaribus quingentis tantum expenſas promiſerit, longe tamen plures ære ſuo aluit. Vt Sutrium venit

Cæſar

Cæsar vel locum vrbi vicinum, ita vt pridie post applicare ad vrbem possit, Legati Apostolici illum cum aliquibus prælatis a Pontifice missis, qui necessaria curent, dimittunt, & Romam perueniunt. Sequenti die electus Imperator Romam versus capit iter, cui honoris gratia obuiam mittuntur a Pontifice Prælati, Barones, & Curiales, hoc ordine, vt in Frederici aduentu seruatum est. Primi ad sextum lapidem Columnenses proceres, cum suis amicis, & clientelis: mox Vrsini atque alij Barones vrbis, tum Pontificis copiæ, quæ assunt cum illarum præfecto. Inde vincecamerarius cum præfecto vrbis, Senatore, conseruatoribus, officialibus, & alijs nobilibus ciuibus Romanis; deinde ordines curiæ cum regente Cancellariæ, sine aliquo alio prælato: Demum alij prælati domestici Pontificis cum omni eius familia. Et tandem Sacrum Cardinalium collegium ad radices montis iuxta domum leprosorum Cæsarem expectabunt. Hi omnes distinctis interuallis Imperatori electo obuiabunt. Oratores vero principum si qui in urbe erunt pro suo libitu obuiam procedent. Cardinales, vt Cæsarem conuenient, congratulationibus, & oblationibus factis nomine Pontificis, & collegij, illum habentes medium inter duos primos Episcopos Cardinales deducent vsque ad tentorium, siue alium locum sibi deputatum extra vrbem: nam Cæsar non consueuit ea die, qua appulit, vrbem intrare, sed pernoctare saltem vna nocte extra mœnia in campis. Cardinales & alij omnes postquam Cæsar ad locum deputatum peruenerit, in Vrbem reuertuntur. Consueuerunt etiam electi Imperatores hac die antequam ponticulum qui primus ante ingressum vrbis post decensum montem occurrit, pertranseant, præstare iuramentum Romanis in hanc formam. Ego Carolus Rex Romanorũ, futurus Imperator, iuro, me seruaturum Romanorum bonas consuerudines: Sic Deus me adiuuet. Postera die Cæsar per portam, quæ est sub arce Sancti Angeli hoc ordine quasi triumphans ingreditur. Primi duo equites vexilla duo Cæsaris portant, alterum Sancti Georgii, quod ad Sueuorum pertinet custodiam, Aquilæ alterum. Hos sequuntur Cæsaris cohortes armatæ, tum nobiles proceres, & togati eius. Inde oratores regum, & principum, qui adsunt. Tum si quis adest Rex: aut maximus princeps: ut fuit cum Frederico Rex Vngariæ, & Bohemiæ Ladislaus. Et tunc sequitur præfectus vrbis, & Senator. Et ad præfectum quidem pertinebat nudum ensem ante Cæsarem ferre. Frederico tamen Marescallus suus, non præfectus gladium prætulit. Inter istos autem, & Cæsarem nemo equitare debet, nisi Marescallus, si præfectus non præfert ensem. Incedit deinde Cæsar solus equitans, & post eum prælati, consiliarii, proceres inermes: & alii togati. Deinde modico interuallo Imperatricis familia, si vxor virum sequitur, succedere debet. Ante illam nobiles & prælati, & post Matronæ, Virgines, & pedisequæ. Circa illam vero solam equitantem pedites multi. Vltimo incedunt Ecclesiasticæ copiæ pompam claudentes. Portam ipsam qua sub arce ingrediuntur, nostri codices falso Collinam appellant. Collina autem porta nõ est in nouis Leonis Papæ suburbiis: sed in antiqua Roma, Quirinalis primum dicta, deinde Collina (ut scripsit Varro) a pluribus montibus, qui in Quirinali monte continebantur; hodie Salaria nuncupatur, quia inde via salaria itur. In porta igitur, quæ sub arce est (non Collina) clerus vrbis sacris vestibus ornatus, cum crucibus, & sanctorum reliquijs, præsidente Vicario vrbis, & alijs Ecclesiarum prælatis infulatis, Cæsarem expectant, aduenienti cruces deosculandas offerunt, & eum incensant, ac cantantes, Ecce mitto Angelum meum &c. procedunt vsque ad gradus Basilicæ principis Apostolorum. Ciues autem digniores baldachinum supra Cæsaris caput portant.

tant, Conſeruatores freno equum ducunt. Cum vero eſt in magna Area ante gradus, præfectus & Senator id gerunt. Et deſcendente ex equo Cæſare, præfectus ſtapham tenet, deinde ante eum præcedit. Inter equitandum autem Cæſaris Camerarius pecuniam ſpargere conſueuit, vt diximus in coronatione Papæ de ſoldano. In plano ſupra gradus Baſilicæ ante primam porticum ad dextram aſcendentibus erigitur ſuggeſtus ornatus cum throno Pontificali, & ſedilibus Cardinalium prælatorum: & aliorum officialium, vt ſupra deſcripſimus in coronatione Pontificis. Supra quem ſuggeſtum Pontifex pluuiali, & mitra precioſis indutus aſcendit cum ordinibus curiæ, paulo ante quam Cæſar appareat. Electus Imperator cum ſuis omnibus ſeruato ordine: vt equum deſcendit, per gtadus aſcendit ſuggeſtum. Et vt primum Pontificem videt, detecto capite illum, genu terram tangens, veneratur. Et iterum cum appropinquat ad gradus ſedis, genu flectit: demum ad Pontificis pedes peruenit, illos in reuerentiam Saluatoris deuote oſculatur. Pontifex hilari vultu Cæſarem aſpiciens, ad oſculum manus, & oris recipit. Tum Cæſar iterum genuflexus auri maſſam ad pedes Pontificis offert, habetque verba ad Pontificem, gratias agens pro honore ſuſcepto, pro caritatis declaratione amplectitur. Et ſtante ibi ad dextram Pontificis Cæſare, Pontifex recipit Imperatricé ad oſculum pedis, & manus. Regem vero, ſiquis adeſt, ad oſculum pedis, manus, & oris; alios autem Prælatos, proceres & nobiles Cæſaris ad oſculum pedis tantum. His finitis, ſurgit Pontifex & manu ſiniſtra Cæſarem capiens, e ſuggeſtu deſcendit, & pariter ad ſecundam vſque Eccleſiæ porticum cum eo progreditur. Deinde Pontifex palatium aſcendit ad cameram ſuam reuerſurus, & Cæſar duobus aut quatuor Cardinalibus ſociatus, templum ingreditur, Apoſtolorum ſacras reliquias veneraturus cum ſuis omnibus. Inde ad loca cuique deſtinata diuertuntur. Cæſar ipſe in palatio Apoſtolico recipi conſueuit: Auguſta vero in aliquo loco vicino. Cæſar poſtera die, opportuno tempore ad Pontificem accedet, & cum ſua ſanctitate de incumbentibus ad ſolemnitatem pertractabit. Statuent de die coronationis. Et ſi qua erunt prius peragenda deliberabunt: vt Friderici tempore factum eſt, qui ante diem Imperialis coronationis inter miſſarum ſolemnia benedictonem Imperialem cum ſponſa ſua Heleonora Regis Portugalliæ filia ſuſcepit. Et corona regni Langobardici: ſiue Italici quam ſuperiores Imperatores Modætiæ ſuſcipere conſueuerunt, quum Fredericus peſtis timore illuc accedere non potuiſſet, Pontificis Nicolai manibus coronatus eſt in Baſilica Petri apud altare maius: quæ corona ferrea, (licet aurea ſit) nuncupatur. Et notandum, quod Cæſar antequam coronetur Imperiali diademate, ſedet poſt primum Epiſcopum Cardinalem. Et ſi quis Rex adeſt, ſedet tunc poſt primum presbyterum Cardinalem. Quum vero Cæſar erit coronatus, tunc ſedebit in ſede ſibi parata inter Papam, & primum Epiſcopum Cardinalem: & tunc Rex erit poſt primum Epiſcopum Cardinalem. Adueniente die ſtatuta Imperialis coronationis, quæ conuenientiſſima eſt in Dominica Lætare in medio quadrageſimæ (vt Durantes in rationali diuinorum ſcripſit, & ita a Nicolao Quinto in coronatione Frederici ſeruatum eſt) Eccleſia Sancti Petri, & capella maior erunt decenter ornatæ, vt in maximis ſolemnitatibus, quũ Pontifex eſt celebraturus diuina ſolent ornari, & præter conſueta erigentur duo ſuggeſtus, hinc & inde extra cancellos capellæ, alter pro Imperatore electo ad ſiniſtram venientibus, alter a dextra pro Imperatrice. Et ornetur tapetis, aulæis, ſedibus, ſcabellis, & alijs opportunis Eccleſia tota, & maxime capella D. Gregorij, D. Mauritij, & quæ D. Mariæ de turribus appellata extra Eccleſiam in prima porticu ſub turri campanaria eſt, bene munden-

mundentur, ornenturque. Imperatrix vero, antequam Pontifex descendat ad Ecclesiam, cum suis ornata, præueniens, suggestum sibi paratum conscendit. Summo igitur mane Pontifex cum Cardinalibus, Prælatis, & alijs officialibus paratis colore tempori & missæ congruis, veluti ad supplicationem, sub baldachino descendat ad Ecclesiam, & præmittat duos Diaconos Cardinales cum suis cappis laneis ad Cæsarem, qui eum congruo tempore ad Ecclesiam deducant. Pontifex facta reuerentia ante altare accedet ad sedem, vbi consueuit accipere paramenta, & ibi recipiet ad reuerentiam omnes prælatos paratos: incipiet tertiam, & accipiet sandalia, vt alias, & dicta oratione induetur omnibus paramentis Pontificalibus. Interim Cardinales qui sunt cum Cæsare, vt primum cognouerint Pontificem intrasse Ecclesiam, & ipsi cum Cæsare, & omni sua comitiua ad Ecclesiam descendant, & egressi primam palatij portam, per primas Ecclesiæ portas, quæ super gradus Basilicæ patent, ingrediantur porticum ad capellam, quæ vocatur beatæ Mariæ inter turres, ibi a canonicis, & collegio Ecclesiæ occurrentis recipiatur. Quo deductus Cæsar ad altare dictæ capellæ, in manibus primi Cardinalis præsentis, & nomine Pontificis recipientis, beato Petro, summo Pontifici, & suis successoribus solitum iuramentum præstabit in forma subscripta, videlicet. Ego N. Rex Romanorum, adiuuante Domino futurus Imperator, promitto, spondeo, & polliceor, atque iuro Deo, & beato Petro, me de cætero protectorem, atque defensorem fore summi Pontificis, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ in omnibus necessitatibus, & vtilitatibus eius, custodiendo, & conseruando possessiones, honores, & iura, ac ius, quantum diuino fultus adiutorio fuero, secundum scire, & posse meum, recta & pura fide; Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia. Tum indutus superpellicio & Almucia recipitur a Canonicis Sãcti Petri in Canonicum, & in fratrem, quos omnes stans ante altare dictæ capellæ recipit ad osculum pacis. Inde præcedente clero, & cantante responsum; Petre amas me? tu scis Domine quia amo te. Pasce oues meas. Versus, Simon Ioannis amas me plus his? Tu scis domine, quia amo te. Pasce &c. alij Cæsaris proceres suo ordine deueniunt ad portam principalem ipsius Basilicæ, quæ argẽtea nominatur, & ex quinque media est. Interim duo Episcopi Cardinales post priorem antiquiores, facta reuerẽtia Pontifici, cum suis mitris, & pluuialibus veniunt ad prædictam portam, dum Cæsar adhuc est in dicta capella inter turres. Et ante eum iunior Episcopus Cardinalis stans sine mitra supra Cæsarem genuflexum orantem dicit hanc orationem. Oremus. Deus in cuius manu corda sunt regum, inclina ad preces humilitatis nostræ aures misericordiæ tuæ, & huic famulo tuo regi veram appone sapientiam, vt haustis de tuo fonte consilijs, tibi placeat, & super omnia præcellat, per Christum Dominum nostrum, Amen. Finita prima oratione, intrant Ecclesiam, Cæsare incedente semper inter duos Diaconos Cardinales prædictos, & immediate præcedentibus duobus Episcopis Cardinalibus præfatis, & flectentes ad sinistram perueniunt ad capellam Sancti Gregorij: vbi Imperator sedens deposita Almutia primo induit sandalia, deinde stans tunicellam, & demum Imperiale paludamentum, & mox inde procedens ad medium Ecclesiæ, vbi rota est porphyretica, venit; & ibi ab alio Episcopo Cardinali sibi assistente dicitur super eum alia oratio, videlicet. Deus inenarrabilis, auctor mundi, conditor generis humani, gubernator Imperij, confirmator regni, qui ex vtero fidelis amici tui Patriarchæ nostri Abrahæ præelegisti regem seculis præfuturum; tu præsentem regem hunc cum exercitu suo per interceſſionem Sanctorum vberi beneXdictione æternitatis circunda, vt semper maneant læti & triumphantes in pace victores, per Christum Do-

ninum noſtrum, Amen. Procedunt deinde ad confeſſionem Beati Petri ſub altare, vbi procumbit ſuper faldiſtorium Imperator, & duo Epiſcopi Cardinales aſcendunt capellam, & vadunt ad ſedes ſuas; prior autem Diaconorum, ac prior Presbyterorum parati deſcendunt ad eum, atque hinc inde genu flectunt, & Diaconus ipſe facit Litaniam procumbens ad ſiniſtram, omnibus alta voce replicantibus, & flexis genibus permanentibus. Finita Litania ſurgit prior Presbyterorum, & ſuper Cæſarem adhuc procumbentem dicit. Pater noſter; & ne nos. Saluum fac ſeruum tuum. ℟. Deus meus ſperantem in te. ℣. Eſto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſp ritu tuo. Oremus. Prætende quæſumus Domine famulo tuo dextram cœleſtis auxilij, vt te toto corde perquirat, & quæ digne poſtulat, aſſequatur. Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præueni, & adiuuando proſequere, vt cuncta noſtra oratio, & operatio a te ſemper incipiat, & per te cæpta finiatur; per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen. Et cum Diacono his finitis reuertitur ad locum ſuum inter alios Cardinales. Dum vltimæ orationes dicuntur per Presbyterum Cardinalem; prior Epiſcoporum Cardinalium, cum pluuiali ſtola, & mitra deſcendit ad Imperatorem, & ſimul cum duobus Diaconis finitis orationibus, ducit illum ad altare Sancti Mauritij, vbi ſtans cum mitra inungit brachium dexttum Cæſaris, & ſcapulas cum oleo exorcizato in modum crucis, & depoſita mitra dicit. Oremus. Deus omnipotens, cuius eſt omnis poteſtas & dignitas, te ſupplici oratione, atque humilima prece depoſcimus, vt huic famulo tuo N. proſperum Imperatoriæ maieſtatis concedas effectum, vt in tua protectione conſtituto, ad regendum Eccleſiam tuam ſanctam, nihil ei præſentia officiant, futura nihil obſtent, ſed inſpirante ſancti Spiritus dono, populum ſibi ſubditum æquo iuſtitiæ libramine regere valeat, & in omnibus ſuis te ſemper timeat, tibique iugiter placere contendat. Deus Dei filius Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui a Patre Deo participationis vnctus eſt præ participibus ſuis, ipſe per præſentem ſacri Vnguenti infuſionem Spiritus Paracleti ſuper caput tuum infundat benedictionem, eandemque vſque ad interiora cordis tui penetrare faciat, quatenus hoc viſibili, & tractabili dono inuiſibilia percipere, & temporali regno iuſtis moderationibus æternaliter conregnare ei merearis, qui ſine peccato Rex regum viuit cum Deo Patre in vnitate Spiritus Sancti Deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen. Interea adducitur Imperatrix ſi adeſt, & ſimiliter perungitur in eiſdem locis; deinde dicitur per eundem Cardinalem Epiſcopum oratio ſuper eam cum mitra, quia pro eadem ad Deum oratio dirigitur. Spiritus Sancti gratia noſtræ humilitatis officio copioſa in te deſcendat, vt ſicut manibus noſtris licet indignis oleo materiali oblinita pingueſcis exterius, ita eius inuiſibili vnctione delibuta impinguari merearis interius, eiuſque Spirituali vnctione perfectiſſime ſemper imbuta, & illicita declinare tota mente, atque ſpernere diſcas, & valeas, & vtilia animæ tuæ iugiter optare atque operari queas, & opereris, auxiliante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit & regnat Deus, &c. Et hæc quidem fiunt ad altare beati Mauri; nam ad altare beati Petri nemo inungitur, nemo ordinatur, niſi Romanus Pontifex ſolus. His completis, Imperatrix ad ſuum ſuggeſtum reuertitur, & Cæſar cum Epiſcopo Cardinali, & Diaconis ad Pontificem. Diaconi acceptis ſuis Dalmaticis & mitris in manibus, vadunt ad reuerentiam Papæ, qui

qui descendens de sede sua procedit ad altare supplicabundus more solito, & recipit ad osculum oris, & pectoris tres Presbyteros Cardinales assistentes, genu flexo super suum faldistorium permanente. Facta confessione Pontifex accedit ad altare, osculatur, & incensat, vt alias, deinde recipit ad osculum oris, & pectoris primo Cæsarem, deinde tres suos Diaconos Cardinales, & mox ad eminentem sedem ascendit, & Cæsar ad suum suggestum cum suis principalibus, & ministris deducitur. Cum Pontifex decessit a latere, ministri Cæsaris afferunt gladium cum sua vagina, & cingulo, coronam, sceptrum, & pomum, danda suo tempore Imperatori, & Imperatrici, quæ per sacristam, & clericum ceremoniarum locantur super altare. Interim vero dum Pontifex facit confessionem, incipit chorus Introitum & Kyrieeleeson. Pontifex vero in sede eminenti stans sine mitra, legit Introitum & procedit in missa, vt alias vsque ad dictam Epistolam, & Graduale. Sed post orationem diei dicit pro ipso Imperatore hanc orationem. Oremus. Deus regnorum omnium, & Christiani maxime protector Imperij, da seruo tuo N. Imperatori nostro triumphum virtutis tuæ scienter recolere, vt qui tua constitutione sit princeps, tuo semper munere sit potens. Pro secreta. Suscipe Domine hostias Ecclesiæ tuæ pro salute famuli tui N. supplicantis, & protectione fidelium populorum antiqua brachij tui operare miracula, vt superatis inimicis, securè tibi seruiat Christiana libertate per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, &c. Post communionem. Deus qui ad prædicandum æterni regni Euangelium Romanum Imperium præparasti, prætende famulo tuo Imperatori nostro N. arma cœlestia, vt pax Ecclesiæ nulla turbetur tempestate bellorum, per Dominum nostrum Iesum Christum, &c. Dum cantatur Graduale, Cæsar descendens e suggestu venit ad pedes Sanctissimi Domini nostri, deducentibus eum duobus Diaconibus Cardinalibus paratis, & vnus ex clericis cameræ ex altari accipit gladium cum sua vagina, & illum ad priorem Diaconorum stantem ante Pontificem ad dextram portat, quem Pontifex vagina extractum de manu ipsius Diaconi accipiens, Imperatori ante se genuflexo in dextra manu tradit, ipse cum mitra sedens, ac dicens. Accipe gladium de super beati Petri Apostoli corpore sumptum per manus nostras licet indignas, vice tamen, & auctoritate Dei omnipotentis, & beatorum Apostolorum consecratas Imperialiter tibi concessum, nostræque benedictionis officio in defensionem Sanctæ Matris Ecclesiæ diuinitus ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Et memor esto de quo Psalmista prophetauit, dicens, Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, vt in hoc vim æquitatis exerceas, per eundem molem iniquitatis potentissime destruas, Sanctam Dei Ecclesiam, eiusque fideles propugnes, atque protegas, neque minus sub fide falsos, quam Christiani nominis hostes exteras, atque dispergas: Viduas, atque pupillos clementer adiuues atque defendas, desolata restaurata conserues, vlciscaris iniusta, conserues bene dispositа: quatenus hoc agendo virtutum triumphator gloriosus, Iustitiæ cultor egregius, cum mundi Saluatore, cuius typum geris in nomine eius sine fine regnare merearis, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit & regnat, &c. Finita oratione Diaconus accipit gladium, & reponit illum in vagina, quam habebat in manu, & simul cum Pontifice accingit illo Cæsarem, dicente Pontifice. Accingere gladio tuo super super femur tuum potentissime. Et attende, quia Sancti non in gladio, sed per fidem vicerunt regna. Accinctus gladio Imperator, & miles beati Petri effectus, surgens euaginat gladium, ter illum vibrat;

deinde reponit in vagina, & iterum genuflectit, cui Pontifex pomum de altari & sceptrum, vt de gladio diximus, ad eum portat, in manu dextra pomum, & in sinistra sceptrum ponit, dicens. Accipe virgam virtutis, atque veritatis, qua intelligas te obnoxium mulcere pios, terrere reprobos, errantes viam docere, lapsis manum porrigere, disperdere superbos, & releuare humiles. Et aperiat tibi ostium Iesus Christus dominus noster qui de semetipso ait; ego sum ostium, per me siquis introierit, saluabitur: qui est clauis Dauid & sceptrum domus Israël, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Sitque tibi autor qui eduxit vinctum de domo carceris sedentem in tenebris, & vmbra mortis, vt in omnibus sequi merearis eum, de quo Dauid propheta cecinit. Sedes tua Deus in seculum seculi, virga directionis, virga regni tui. Et imitando ipsum diligas iustitiam, & odio habeas iniquitatem, quia propterea vnxit te, Deus, Deus tuus ad exemplum illius, quem ante secula vnxerat oleo exultationis præ participibus suis Iesum Christum dominũ nostrum, qui cum eo viuit, & regnat Deus &c. Demum Imperialem coronam cum sua Tiara allatam sibi ex altari (vt de alijs diximus) imponit super eius caput, dicens. Accipe signum gloriæ, & diadema regni, coronam Imperij. In nomine ✠Patris, &✠Filij, &✠Spiritus Sancti, vt spreto antiquo hoste, spretisq; contagijs vitiorum omnium, sic iustitiam, misericordiam, & iudicium diligas, & ita iuste, pie, & misericorditer viuas: vt ab ipso domino nostro Iesu Christo in consortio sanctorum æterni regni coronam percipias, qui cum Patre, &c. Et mox Imperator osculatur pedes Pontificis, & surgens discingitur gladio, eumque armigero suo tradit. Et ipse cum corona, sceptro, & pomo procedens, ab illis duobus Diaconibus ducitur ad sedem Imperialem, paratam sibi à dextra Pontificis, inter Pontificem, & priorem Episcoporum Cardinalium; quæ sedes altior erit sedibus Cardinalium, & humilior Papali sede, habebitque aureum pannum post tergum, & paruum scabellum ad pedes, & ibi sedebit quousque Imperatrix coronetur. Imperatrix vero ducetur ab eisdem ad Pontificem, qui surgens sine mitra super eam genuflexam, dicet hanc orationem. Deus, qui solus habes immortalitatem, lucemque habitas inaccessibilem, cuius sapientia in sua dispositione non fallitur, qui facis cuncta quæ futura sunt, & vocas ea quæ non sunt, sicut ea quæ sunt, qui superbos æquo moderamine de principatu deijcis, atque humiles dignanter in sublime prouehis: ineffabilem misericordiam tuam supplices exoramus, vt sicut Hester reginã Israheliticæ caussa salutis de captiuitatis suæ compede solutam, ad regis Assueri thalamum, regnique sui consortium transire fecisti; ita hanc famulam tuam N. humilitatis nostræ beneXdictione Christianæ plebis salutis gratia ad dignam, sublimemque Imperatoris nostri copulam, & Imperij sui participatum transire concedas, & vt in Imperialis fœdere coniugij semper permanens pudica, proximam virginitati palmam continere queat, tibique Deo vero, & viuo in omnibus, & super omnia iugiter placere desideret; & te inspirante, quæ tibi placita sunt, toto corde perficiat, per Christum Dominum nostrum, Amen. Deinde sedens cum mitra, accipit coronam Imperialem de manu prioris Diaconorum Cardinalium ex altari allatam, & imponit super illius caput, dicens. Officio nostræ indignitatis N. Imperitatrix solemniter benedicta, accipe coronam Imperialis excellentiæ: quæ licet ab indignis, Episcopalibus tamen manibus capiti tuo imponitur, vt sicut auro, & gemmis redimita enites, ita & interius auro sapientiæ virtutumque gemmis te omnipotens decorari concedat: quatenus post occasum huius seculi cum prudentibus virginibus sponso perenni Domino nostro Iesu Christo, digne & laudabiliter occurrens, regni cœlestis aulæ in-

læ ingredi merearis ianuam, eodem Domino nostro Iesu Christo auxiliante, qui cum Patre, &c. Et coronata statim osculatur pedes Pontificis, & surgens inducitur tam ipsa, quam Cæsar simul ad suos suggestus, vbi in sedibus sibi paratis locantur, & sedentibus Imperatore, & Augusta in sedibus cum Imperialibus ornamentis, prior Subdiaconorum Apostolicorum, cum alijs subdiaconis, & cum capellanis aulæ imperialis descendit ad confessionem beati Petri, alta voce simul cum ipsis facit laudes Imperatori dicens. Exaudi Christe: Scriniarij vero vrbis cum cappis sericeis stantes superius apud chorum, respondent. Domino Frederico inuictissimo Romanorum Imperatori, & semper Augusto, salus & victoria. Qua laude tertio repetita, prior Diaconorum cum suis, tribus vicibus dicat; Saluator mundi, & Scriniarij vicissim respondeant. Tu illum adiuua; Et deinde iste cum suis duabus vicibus dicat. Sancta Maria: Et illi vicissim respondeant; Tu illum adiuua, & sic deinceps:

Sancte Michael.
Sancte Gabriel.
Sancte Raphaël.
Sancte Ioannes Baptista.
Sancte Petre.
Sancte Paule.
Sancte Andrea.
Sancte Stephane.
Sancte Laurenti. Relp. Tu illum adiuua.
Sancte Vincenti.
Sancte Siluester.
Sancte Leo.
Sancte Gregori.
Sancte Benedicte.
Sancte Basili.
Sancte Saba.
Sancta Agnes.
Sancta Cecilia. Relp. Tu illum adiuua.
Sancta Lucia.

Posthæc omnibus ad locum suum reuertentibus cantatur Alleluia, vel tractus, & deinde, Euangelium, Credo, & Offertorium. Deinde Imperator corona & manto depositis, sine sceptro aut pomo descendit, & ad Pontificis pedes aurum offert quantum sibi placet. Et similiter post eum facit Imperatrix, quæ deinde non reuertitur ad suggestum, sed procumbit super faldistorium, à dextra parte altaris sibi paratum, in loco vbi non impediat credentiam, & ibi expectat vsque ad communionem. Imperaror vero Pontificem ad altare descendentem sequitur, & illi in locum subdiaconi calicem, & patenã cum ostijs offert, deinde aquam infundendam in vino. Et retrahens se ad partem dextram, stat, vsquequo Pontifex ad sedem eminentem communicaturus reuertatur, quem Imperator sequitur. Et ab eius manibus ipse primo, deinde Augusta sacram corporis Christi commmunicationem sumant, postquam Pontifex cum Diacono, & subdiacono communicauerint. Nam Subdiaconus postquam cum Diacono communicauit de corpore & sanguine Christi, accipit de manu Diaconi apud altare cum circulis & cerimoniis consuetis, duas hostias consecratas pro Imperatore & Augusta: & eas ad Pontificem portat. Et percepto sacramento Imperator quidem Pontificis faciem osculatur, Augusta vero manum. Et descendentes ad altare, de manu Diaconi vinum purificationis sumitur. Et descendant ambo ad suos suggestus, ibique resumant Imperialia signa. Poterit tamen si ei videbitur, super Imperatorem ante se genu flexum, immediate postquam illum cum Augusta communicauerit, infrascriptas orationes dicere, videlicet. Respice quæso omnipotens Deus serenis obtutibus hunc glorioſum famulum tuum N. vt sicut beneX-

dixisti Abraham, Isaac, & Iacob, sic illi largiaris benedictionem spiritualis gratiæ, eumque plenitudine tuæ potentiæ irrigare atque perfundere digneris, vt tribuas ei de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini & olei, & omnium frugum opulentiam, & ex largitate diuini muneris longæua tempora, vt illo regnante sit sanitas corporis, imperij pax inuiolata sit in regno, & dignitas glorioſa regalis palatij maximo splendore regiæ poteſtatis oculis omnium fulgeat, luceque clariſſima coruſcare atque ſplendeſcere quaſi ſplendidiſſimi fulgoris maximo perfuſa lumine videatur. Tribue ei omnipotens Deus, vt ſit fortiſſimus protector, & conſolator Eccleſiarum, atque cœnobiorum ſanctorum, maximæ pietatis, regalis munificentiæ, atque vt ſit fortiſſimus triumphator hoſtium ad opprimendas rebelles & paganas nationes, ſitque ſuis inimicis facie terribilis, maxima fortitudine, regalis potentiæ: optimatibus quoque, ac præcelſis proceribus, & fidelibus ſui regni ſit munificus, amabilis, & pius, & omnibus timeatur, & diligatur. Et poſt glorioſa tempora, atque fælicia vitæ præſentis gaudia, in perpetua beatitudine habitare mereatur, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c. Benedic quæſumus Domine hunc Principem noſtrum N. quem ad ſalutem populi nobis a te credimus eſſe conceſſum, fac annis eſſe multiplicem, ſalubri corporis robore vigentem, ad ſenectutem optatam peruenire fælicem. Sit nobis fiducia obtinere gratiam populo, quam Aaron in tabernaculo, Heliſeus in fluuio, Ezechias in lecto, Zacharias vetulus impetrauit in templo. Sit illi regendi auctoritas, qualem Ioſue ſuſcepit in caſtris, & Dauid ſumpſit in prælijs, Petrus accepit in claue, Paulus eſt vſus in dogmate. Et ita paſtoris officium perficiat in Chriſti ouile, ſicut Iſaac profecit in fruge, & Iacob eſt dilatatus in grege. Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Deo Patre & Spiritu Sancto viuit, &c. Deus pater æternæ gloriæ ſit adiutor tuus, & protector & omnipotens benedi X cat tibi preces tuas, in cunctis exaudiat, & vitam tuam in longitudinem dierum impleat, thronum regni iugiter firmet, & gentem, populumque tuum in æternum conſeruet, & inimicos tuos confuſione induat, & ſuper te ſanctificatio Chriſti floreat, vt qui tibi tribuit in terris Imperium, ipſe in cœlis conferat præmium, qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen. Poſt communionem Pontifex deſcendit ad altare, & proſequitur miſſam more conſueto. Et in fine dat benedictionem ſolennem, dicens. Sit nomen Domini, &c. Et publicantur immediate indulgentiæ per vnum ex Diaconis aſſiſtentibus, ſiue plenaria, ſiue vt Pontifici placuerit. Tum Cardinales, & Prælati deponunt paramenta, & accipiunt laneas cappas: Pontifex vero dimiſſis miſſalibus indumentis accipt pluuiale, & mitram precioſam, & cum Imperatore deſcendit ad gradus Baſilicæ ſub eodem baldachino. Si eſt Dominica lætare Hieruſalem, Pontifex ſiniſtra portat roſam auream, dextra benedicit aſſiſtentibus, arque hinc inde eleuantibus fimbrias Diaconibus. Hanc autem auream roſam Pontifex antequam ad Eccleſiam deſcendat in camera papagalli benedicit cum balſamo, & muſcho, quod ſingulis annis fit in tali die, prout inferius in ſuo loco plene ſcribemus. Si vero eſſet alius dies, dextra, ſicut ſiniſtra tenebit dextram Imperatoris. Diaconus a ſiniſtris, retro erit inter Papam & Imperatorem, & cum dexteritate eleuabit, fimbriam eleuabit a dextris. Caudam vero portabit maior princeps. Et ſi erit Rex, principes vel rex, & prælati, qui venerunt cum Cæſare, dum miſſarum & coronationis ſolennia fiunt, ſemper Cæſarem ſequuntur, & cum ipſo in ſuo ſuggeſtu conſiſtunt ſemper. Et ſimiliter, qui cum Auguſta, eam ſemper comitantur, aſſiſtuntque. Quæ finita miſſa dimiſſis Pontifice, & Imperatore

peratore in Ecclesia ad domũ suam cum suis reuertitur. Cæsar vero cum corona in capite, Sceptro, & pomo in manibus ad latus Pontificis incedens; nisi illius manu ducatur, quia tunc pomum, vel sceptrum tantum in sinistra retineret, quum ad finem graduum peruenerit, traditis sceptro, & pomo vni ex suis, preuenit ad equum Pontificis, & in honorem Saluatoris nostri Iesu Christi, cuius vices Pontifex in terris gerit, tenet stapham, quoad Pontifex equum ascenderit. Et deinde accepto equi freno, per aliquot passus ducit equum Pontificis. Pontifex, dum Imperator hæc vilitatis officia vult exhibere, debet aliquantulum modeste recusare, & tandem cum aliquibus bonis verbis honorem non in personam suam, sed illius cuius locum tenet, recipiendo, permittit illum aliquantulum progredi: tum firmat se, & nullo pacto permittit Cæsarem vlterius ire, qui mox conscenso equo suo accedit ad sinistrum latus Pontificis. Et sub eodem baldachino equitat, & hoc ordine procedunt. Primum præcedant familiæ Cardinalium cum suis valisijs. Et simul mixtæ familiæ Prælatorum, Principum, & omnium curialium tam Cæsaris, quam Pontificis. Deinde duo cum valisijs Pontificis. Inde familiares domestici Imperatoris. Et post eos familiares Papæ. Tum Nobiles, Barones, & Comites minores vtriusque, equus cum scala Papæ, tum vexilla rubea, quæ duodecim cursores portant. Deinde vexillum populi Romani, vexilla Imperij, vexillum Papæ, vexillum Ecclesiæ, vexillum crucis, cum vexilliferis armatis, & ornatis, vt in coronatione Papæ; hos sequuntur duodecim equi albi phalerati, sine sessoribus. Deinde quatuor Nobiles portantes pilea ex cramisino, quatuor Papæ cum baculis; Quibus succedunt Aduocati, & Secretarij mixtim secundum prioritatem officij, præcedentes cum suis caputijs circa collum, quos tamen præcedunt secretarij Imperatoris. Tum sequuntur cubicularij etiam cum suis capucijs, inde acoluthi, Clerici cameræ Apostolicæ, & post eos statim auditores cum rochetis, & cappis. Deinde Subdiaconi cum Cruce papali, cum galero Indici coloris, & cum alijs Subdiaconis cum cappis, vt alij, tum duo portantes laternas cum lumine ante Sacramentum equitantes. Deinde equus albus phaleratus cum tintinabulo portans Sacramentum, & supra Sacramentum baldachinum per ciues Romanos portatur, & circa duodecim intorticia, quæ portantur per duodecim familiares Papæ, siue per duodecim beneficiatos Sancti Petri cum superpellicijs; Et melius, vt vidi seruari per Dominum Papam Pium secundum, post Sacramentum equitat sacrista cum ferula alba. Inde, si qui sunt maximi Domini, Principes, aut Duces; Principes Electores immediate ante Cardinales procedunt. Et si quis adesset frater, aut filius Imperatoris iret medius inter iuniores Diacones Cardinales; Rex erit a sinistris senioris Episcopi Cardinalis. Et si plures adessent Reges, locarentur cum alijs Episcopis Cardinalibus; sequuntur duo Diaconi Cardinales assistentes Pontifici. Et si cum Cæsare essent duo Principes Electores, qui præferrent gladium, & pomum Cæsaris, isti deberent ire immediate ante Cæsarem, sicut Diaconi ante Pontificem, & quando via esset arcta, irent ante ipsos Diacones assistentes. Si vero non sint Principes Electores, qui portant illa, videlicet gladium, pomum, seu sceptrum; nam alterum istorum duorum portabit Imperator; illi duo vadant simul cum Subdiacono, qui portabit Crucem; & illum in medio habeant. Sequitur Pontifex sub Baldachino, & Imperator cum sua corona, & imperiali habitu a sinistris; Post Pontificem vero sequuntur duo cubicularij eius secreti cum seruiente, & mitra.

Et

Et duo medici cum secretario, si non sit Prælatus. Et post Imperatorem duo Camerarij sint cum vno Secretario. Inde equitabit seruiens armorum cum vno Secretario cum vmbella, deinde prælati assistentes Papæ. Et si quis Archiepiscopus princeps elector Imperatoris adesset, iret ante assistentes Papæ. Post quos ibunt Prælati, assistentes, siue consiliarij Imperatoris cum cappis, & galeris, vt alij Prælati, alioquin non irent inter cappatos. Sequuntur deinde Prælati, oratores, Archiepiscopi, Episcopi, Protonotarij, & Abbates cappati, & pileati: & demum alij curiales togati, tam Papæ, quam Cæsaris. Hoc ordine recta via per campum florum, & Iudæorum plateam deuenient ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ in cosmedim. Et ibi Pontifex, si rosam habet, illam eques Imperatori equiti dono dat. Et ad dextram conuersus per transtiberim cum suis omnibus ad palatium reuertitur. Cæsar autem via, qua sibi melius placet, rosam manu gestans, ad pontem Adrianum redit, vbi viros complures de se optime meritos, equestri dignitate insignire solet. Quo facto, ad Lateranum cum suis progreditur. Canonici, & capitulum Ecclesiæ supplicabundi Cæsari in porta principali occurrentes, illum honorifice suscipiunt: & postquam crucé, & reliquias osculatus fuerit, incensant, & præcedentes, atque cantantes, Te Deum laudamus, ad altare maius deducunt, vbi procumbens super faldistorium orat detecto capite, deinde surgens osculatur altare. Tum resumpta corona recipitur in canonicum, & in fratrem Ecclesiæ Lateranensis, & Canonicos omnes recipit ad osculum pacis. Quibus finitis ascendit ad palatium Lateranense, & cum suis celebrat solenne conuiuium suis moribus & ceremoniis. Deinde, si placet recurrit ad palatium Apostolicum ad cameras suas. Si quando autem accideret, quod propter absentiam summi Pontificis ab vrbe, Cæsar non posset ab ipso Pontifice coronari, consuetuit Pontifex mittere ad vrbem aliquem Episcopum Cardinalē, qui simul cum legato Apostolico qui vrbi præest, Imperatorem electum coronet. Si autem legatus esset ipse Episcopus Cardinalis: non esset necessarium mittere alium Episcopum, sed quemcunque vellet alium presbyterum Cardinalem. Et tunc procedetur hoc modo. Electus Imperator ad vrbem veniens pro corona Imperiali, habebit obuiam Barones, nobiles, officiales, ciuesque vrbis, & officiales curiæ Romanæ, & remanebit extra mœnia illa nocte, vt supra dictum est. Sequenti die intrabit per portam sub arce sancti Angeli: quæ, vt diximus, non est Collina, cum suis principibus, ordine prædicto. Et in porta recipietur a Vicario Pontificis cum prælatis, & clero vrbis in modum supplicantium paratis. Et deducetur vt supra ad gradus Basilicæ sancti Petri, ibique non super suggestum, sed ante primas portas recipietur ad osculum tantum, per Episcopum Cardinalem coronatorem, & legatum: qui ibi aderunt cum alijs prælatis curiæ, parati cum pluuialibus & mitris, aderunt etiam cum Cardinalibus officiales curiæ, Subdiaconi, Auditores, Acoluthi, & siqui sunt alij, & etiam Barones alijque nobiles Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Et electus statim post osculum offerat aurum duobus Cardinalibus, quod offerre debet Pontifici, & dicat hæc verba. Si sanctissimus pater Dominus noster summus Pontifex præsens hic esset, offerrem illi aurum istud præsens, sed per eius absentiam offero ipsum vobis dominis Episcopo, & Legato Cardinalibus, recipientibus illud vice, & nomine dicti Domini nostri Papæ. Quo facto intrabunt porticum, & si tunc erit procedendum ad solennitatem coronationis, quod commode & decenter fieri potest, ibi supra altare Sanctæ Mariæ in turribus præstabit iuramentum fidelitatis in manibus Cardinalium. Et similiter si aliud iuramentum esset innouandum, seu confirmandum, tunc immediate innouabit. Deinde recipietur in canonicum Ecclesiæ Sancti Petri, vt superius

perius dictum est. Intrabit deinde Ecclesiam, & ibi ante portam argenteam Episcopus Cardinalis dicet super eum primam orationem. Deinde ducitur ad capellam Sancti Gregorij, ad capienda sua ornamenta, & Episcopus Cardinalis vadit ad altare maius, & ibi super faldistorium capit sandalia, & paramenta omnia Pontificalia. Et nota, quod debet habere expresse facultatem a Pontifice super altare beati Petri celebrandi, vt moris est. Cæsar indutus Imperialibus indumentis venit ad medium Ecclesiæ. Et ibi super eum legatus Apostolicus dicet secundam orationé. Venit deinde ad confessionem beati Petri, & procumbet in faldistorio. Et Diaconus qui seruit in Missa facit super eum Litaniam, orationem autem cum versiculis & Pater noster dicet Legatus Apostolicus. Deinde ducetur ad altare Sancti Mauricij, & ibi inungetur a Cardinali celebrãte tam ipse, quam Augusta (si adest) cum orationibus opportunis. Reuertentur deinde ad altare, & facta confessione Imperator ad suggestum sine osculo pacis, âd faldistorium suum reuertitur. Et proceditur in Missa usque ad Graduale. Dum cantatur Graduale, Imperator descendit ad altare, & celebrans Cardinalis ante altare stans cum mitra gladium sumit de altari, & illum nudum Imperatori tradit, dicens. Accipe gladium, &c. Et idem dicit Legatus submissa tamen voce. Dat eidem mox pomum, & sceptrum cum sua oratione, Ecclesiæ modo. Mitras autem, & coronas Imperiales ambo imponent Cæsari, & Augustæ. Sed Legatus alta voce profert verba. Accipe signum, &c. Et celebrans dicet eadem voce submissa. Coronati Augustus, & Augusta reuertuntur ad suos suggestus sine osculo pacis, & ad Offertorium veniunt cum coronis, & habitu Imperiali. Et oblato auro reuertuntur ad suggestus, neq; ministrabit Imperator calicem & ampullam; sed tempore congruo venit ad communionem sine manto & coronis. Post communionem Imperatori non dabitur osculum pacis a celebrante, sed reuertetur ad suum suggestum. Imperator finita Missa ipse cũ suis, & cum Legato, si placebit, ibit ad Lateranum, & ibi perficiet suas solennitates. Cerimoniæ omnes, quæ pertinent ad personam Pontificis, dimittantur, vt oscula pedum, manuum & oris. Quin etiam nec in Missa illi deseruiet Imperator, quod Pontifici præstitisset præsenti, nec stapham illi, dum equum inscendit, tenet, nec equum ducit. Hæc fere omnia seruata fuerunt cum Carolus quartus coronatus fuit Romæ per Dominum Petrum Episcopum Hostiensem, quem ex Auinione Innocentius sextus nuncium Apostolicum ad hoc miserat, & per Dominum Ægidium de Albornozio tituli Sancti Clementis presbyterum Cardinalem ac Legatum Apostolicum in Italia Anno salutis, millesimo trecentesimo quinquagesimo sexto, Non. Aprilis, vt ex literis ipsius Caroli, quæ adhuc extant, & registratæ sunt in archiuis Ecclesiæ, publice patet. Voluit tamen idem Pontifex, quod Cardinales prædicti publice protestarentur Domino Imperatori, quod propter omissionem reuerentiarum, obsequiorum, & multarum ceremoniarum, quæ pertinent ad personam Romani Pontificis, non esset aliquomodo derogatum priuilegijs, & honorificentijs Romanæ sedis, & & suorum successorum. Et de hac protestatione & consensu Imperatoris exigerent quadruplices literas, Regalibus, & Imperialibus sigillis munitas; sicut & factum est. Imperatrix si venerit Romam, pro corona Imperiali suscipienda sine Imperatore, vel quod non potuit venire cum Imperatore, vel post eius coronationem ei est coniuncta; hoc ordine coronabitur. Die qua vrbem intrabit procedent ei obuiam nobiles, & officiales vrbis, & ordines curiæ, vt de Cæsare dictum est. Sacer Senatus ante portam vrbis eam expectabit, & media inter duos Cardinales Diacones introducetur. In fine autem, & sub Baldachino clerus cum processione in porta illi occurret, ducetur ad

Pontificem: qui eam in publico Consistorio in prima aula ad pedis, & manus osculum recipiet, vt alij Reges recipi consueuerunt, nō tamen sedebit inter Cardinales, sed post osculum pedis & manus, discedet ad suum hospitium. Deinde parabitur in Ecclesia S. Petri suggestus extra cancellos pro Imperatrice, & dicta die Pontifex procedet ad Ecclesiam supplicatione præeunte sub Baldachino, & paramentis tempori congruis, ascendit ad altare, orat, sedet, Pontifex autem stat, vbi solet capere paramenta, cui fit reuerentia a Prælatis. Incipitur Tertia, & accipiet sandalia, & procedet vsque ad finem Tertiæ, & capit omnia Pontificalia indumenta. Interim duo Iuniores Diaconi Cardinales cum suis cappis laneis ducunt Augustam ad Ecclesiam. Et prior Episcopus Cardinalis cum Pluuiali, Stola, & Mitra accedens in tempore, expectat eam in porta Ecclesiæ principali, & ibi super eam genu flectentē depositā mitra legit hanc orationē. Omnipotens sempiterne Deus, fons, & origo totius bonitatis, qui fœminei sexus fragilitatem nequaquam reprobando auertis, sed dignanter comprobando potius eligis, &, quod infirma mundi, quæcunque, vt fortia confunderes, eligenda decreuisti, quique etiam gloriæ, virtutisque tuæ triumphum in manu fœminæ Iudaicæ olim plebis de hoste fæuissimo assignare voluisti; Respice quæsumus ad preces humilitatis nostræ, vt supra hanc famulam tuam N. quam supplici deuotione Imperatricem eligimus, benedictionum tuarum dona multiplices, eamque dextera tuæ potentiæ, semper, & vbique circunda, & dono tui numinis vndique firmiter adiuta, vt visibilis, seu inuisibilis hostis nequitias triumphaliter expugnare valeat, & vna cum sacra Rebecca, Lia atq; Rachele; beatis, reuerendisque fœminis, fructu vteri sui fœcundari, seu gratulari mereatur, ad decorem totius Imperij, statumque Sanctæ Ecclesiæ regendum, necnon protegendum, per Christum Dominum nostrum, qui ex intemeratæ beatæ Mariæ Virginis aluo nasci, visitare, & renouare dignatus est mundum, qui tecum viuit, & gloriatur Deus, in vnitate Spiritus Sancti, per immortalia secula seculorum, Amen. Ducitur deinde ad confessionem beati Petri, & procumbit supra faldistorium sibi in eo loco paratum. Et a Subdiacono Apostolico fit Litania, & ea finita prior Presbyterorum cum suis paramentis ad confessionē descendens stans sine mitra dicit super eam. Pater noster. Et deinde. Et ne nos inducas intentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Saluam fac ancillam tuam Domine. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Esto ei quæsumus Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in ea. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus; Prætende quæsumus Domine famulæ tuæ dexteram cœlestis auxilij: vt te toto corde perquirat, & quæ digne postulat, consequi mereatur. Actiones nostras quæsumus Domine aspirādo præueni, & adiuuando prosequere, vt cuncta nostra operatio, & oratio a te semper incipiat, & per te cæpta finiatur, per Christū Dominum nostrum, Amen. Finitis orationibus reuertitur Presbyter ad locum suum, & prior Episcoporum Cardinalium procedit ad altare S. Mauricij, quem Augusta media inter Diaconos sequitur. Et ibi apud altare Episcopus ipse inungit illam stantem de oleo exorcizato, brachium dextrum, & scapulas stans, cum mitra, dicens. Spiritus Sancti gratia nostræ humilitatis officio copiosa in te descendat, vt sicut manibus nostris, licet indignis, oleo materiali oblinita pringuescis exterius, ira eius inuisibili unguine delibuta impinguari merearis interius, eiusque Spirituali unctione perfectissime semper imbuta, illicita declinare tota mente, & spernere discas & valeas, & vtilia animæ tuæ iugiter optare atque operari queas; & opereris auxiliante Domino

nostro

noſtro Ieſu Chriſto, qui tecum viuit & regnat in vnitate, &c. Reducitur deinde ad ſuggeſtum ſuum Imperatrix, & Cardinales reuertuntur ad Pontificem, & Diaconi quidē depoſitis cappis capiunt paramenta ſibi conuenientia, & faciunt reuerentiam Pontifici. Deinde Pontifex procedit ad altare per ſupplicationem, occurrunt tres Presbyteri, cantatur Introitus a Cantoribus, & proceditur in Miſſa vſque ad Graduale. Imperatrix a Diaconis illis, quamuis paratis, ducitur ante Pontificem, qui ſurgens depoſita mitra ſuper eam ante ſe genu flexam dicit hanc orationem. Deus qui ſolus habes immortalitatem, lucemque habitas inacceſſibilem, cuius prudētia in ſua diſpoſitione non fallitur: qui feciſti ea quæ futura ſunt, & vocas ea, quæ non ſunt; qui ſuperbos æquo moderamine de principatu eijcis, atque humiles dignanter in ſublime prouehis: ineffabilem miſericordiam tuam ſupplices exoramus, vt ſicut Heſter Reginam Iſraheliticæ cauſſa ſalutis de captiuitatis ſuæ compede ſolutam ad Regis Aſſueri thalamum, regnique ſui conſortium tranſire feciſti, ita hanc famulam tuam N. humilitatis noſtræ benedictione, Chriſtianæ plebis ſalutis gratia, ad dignam ſublimemque Imperatoris noſtri copulam, Imperij ſui participatū tranſire concedas, & vt in Imperialis fœdere coniugij ſemper permanens, pudicitiæ proximam Virginitati palmam continere queat; tibique Deo viuo ac vero, in omnibus, & ſuper omnia iugiter placere deſideret, & te inſpirante quæ tibi placita ſunt, toto corde perficiat; Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen. Deinde ſedens cum mitra imponit illi Tiaram cum corona Imperiali allatam ſibi ex altari; vt diximus de Imperatore, & dicit. Officio noſtræ indignitatis in Imperatricē ſolenniter benedictā promota, accipe coronam Imperialis excellentiæ, quæ licet ab indignis, Epiſcopalibus tamen manibus capiti tuo imponitur, vnde ſicut auro & gemmis redimita enites, ita & interius auro ſapientiæ, virtutumque gemmis decorari concedat, quatenus poſt occaſum huius ſeculi cum prudentibus virginibus ſponſo perenni Domino Ieſu Chriſto digne & laudabiliter occurrens, regni cœleſtis aulæ ingredi merearis ianuam, eodem Domino noſtro auxiliante, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit, &c. Coronata Imperatrix mox oſculatur pedem Pontificis cum corona, & ſurgens reducitur a Diaconis ad ſuggeſtum, & cum cantatur deinde Offertorium, reuertatur ad Pontificem, & illi offerat aurum quantulum placet; Deinde ſi vult communicare de Sacramento altaris (vt congruum eſt) procumbat ſuper faldiſtorium ad partem conuenenientem ſitum; vt ſuperius diximus, & oret quouſque ſit tempus, ſine corona tamen, & cum Pontifex in ſede ſua eminenti communicauerit, ducatur Imperatrix ſine corona ad eius pedes, & communicet, oſculeturque manum Pontificis, & deſcendens ad altare, purificet cum vino; Communicabitur Imperatrix poſt Diaconum & Subdiaconum, & a Diacono accipiet vinum purificationis. Deinde aſſumpta corona reducetur ad ſuum ſuggeſtum. Et nota, quod Imperatrix deducetur ſemper eundo, & redeundo ab illis duobus Diaconis, ſiue paratis ſiue non paratis, & illam ſociabunt ſui Prælati, & proceres atque matronæ, & aliæ mulieres. Finita Miſſa Imperatrix deducitur ad ſuum hoſpitium. Pontifex cum ſuis Prælatis non paratis reuertitur ad cameram ſuam; nam Cardinales & Prælati dimittant in Eccleſia paramenta, & capiant cappas laneas.


Septentrio.
29
30
31
Meridies.
Occidens.
Orients.
50
49
Mil. Germanica 1 2 3
PALATI NATUS Rheni
Lotharingi a
Alsatia
VRGENSI
TVRICA
PARS.
Summere
Bachrach
Kirchberch
Leiffer weiler
Soltsbach
Herstein
S. Vit
Nunburg
Crumbach
Eisenthe
Eröburg
Conchen
S. Wedell
Ottweiler
Weppefweiler
Wellefweiler
Hamborch
Doidweiler
Sarbrucke
Forpach
Gemünd
Pitlingen
Sultzen
Sar Albe
Magstadt
Vinstrig
Bedweyler
Bispingen
Asudage
Borquirn
Sarburg
Lorich
Gyrsenheim
Bingen
Stromburg
Monsen
Mandel
Crautfnach
Wilstein
Odern
Alsens
Odenbach
Manbach
Rhaßweiler
Falkenstein
Lauterwilstein
Breidbach
Olmet
Beckesbach
Malsbach
Die Altstat
Kobelberg
Elsbach
Duitschuys
Contwich
Rodawen
Holtzweibrucke
Munchsweiler
Stehausen
Bricken
Rimmeli
Wolfersheim
Welshorn
Lutzelburg
Hasenburg
Surbrun
Diemeringe
Ridderinge
Gen
Bitsch
Kaltenhausen
Eleckstein
Paffenbrun
Retshoffen
Lutzelstein
Newiler
Pfaltzburg
Ditwiler
Grie
Hagenau
Bischwiler
Basden
Herren Alb
Frauwen Alb
Suselsheim
Rastat
Lagenstein
Sinsheim
Zeltz
Surburg
Werdt
Lutterburg
N. Sebach
Wissenburg
Dackenbrun
Jockenum
Rheinzabern
Landaw
Anweil
Tann
Germersen
Neustatt
Kherweiler
Falkenberg
Kaldenbad
Grunberg
Parmesis
Limburg
Franckestein
Wuchéheim
Hasseloch
Rhamße
Hochstiff
Reigerszhe
Ogersheim
Hanau
Rosental
Caestatt
Durnstein
Iseberg
Pfeddersheim
Klein bockenu
Cell
Follant
Worms
Hernsheim
Hernsen
Joos te hutten
Gontum
Flamerom
Altzei
Odernheim
Arnsheim
Wolsein
Schorfsheim
Saulheim
Algesheim
Scadeck
Vlm
Nackum
Mentzfingelheim
Costheim
Vlersheim
Mosselberg
Mosel
Walb
Erbach
Cub
Frankfurt
Mein
Bicher flu
Sprindlingen
Weyskirchen
Selingstatt
Vrheiligen
Oppenheim
Gerau
Stockstatt
Darmstatt
Ostheim
Dieborg
Sulsbag
Eßelbrug
Giusum
Gernsheim
Alsheim
Hepfenheim
Montfelheim
Osthofe
Rehem
Beinsheim
Swingenberg
Eisenbach
Wirt
Laudenbach
Mein flu
Miltenburg
Prenberg
Lindesfelß
Furstenau
Penheim
Michelstat
Laudenbach
Wisstadt
Rosenberg
Stupfelbrun
Mospach
Scheffleut
Ebenbuch
Meknmülen
Weinheim
Schriessen
Laden burg
Edinghen
Hirsshorn
Hochhausen
Hasmarsh
Heidelberg
Gmund
Franckendal
Pfeddersheim
Lampsheim
Ogersheim
Reigerszhe
Hochstiff
Wuchéheim
Haseloch
Ippenhauß
Leymen
Guttenberg
Lobenfeld
Wimpfen
Neuwenstatt
Helmstatt
Wiseloch
Keisch
Schifferstatt
Spiers
Wormes
Ghein höuen
Reinhausse
Sintzen
Bischofsheim
Bibrach
Wensperg
Hailbron
Kisloch
Reichen
Eppingen
Brakhéhaim
Ochsenberg
Gilting
Steinfeld
Bodwar
Kintling
Gronbach
Maulbronn
Pfaffenhouen
Birnckhen
Stain
Kirchbach
Bietigkhaim
Aich
Buriach
Gotzaw
Neuwenburg
Elmelingen
Pforsheim
Vathing
Riexing
Hoheneck
Kirchperg
Greining
Ennitz
Newenburg
Wirm
Hannsheim
Hirsthaw
Wilbad
Zell
Canstat
Neckar
Mein flu
Lyn flu
Neckar flu
Mosel flu
Rhein flu
Sar flu
Saltzburg
Rhein flu
Mosel flu
Neckar flu
Lyn flu
Mein flu

CAP. X.

Electorum Palatinorum, & Ducum Bauariæ series.

PFaltz Germanis curiam significat, & forum iudiciarium; Tales autem curiæ per vniuersam Germaniam plures olim fuere; qui vero in ijs iuri dicundo præerant, dicebantur Pfaltzgraven, quasi Præfecti Curiarum, ad quos dabatur in rebus arduis prouocatio. Itaq; in speculo Saxonico disertè lego, *Quaelibet Prouincia Teutonicae terrae suum habebat Palantzgrauionatum, Saxonia, Bauaria, Franconia, Sueuia.* Hoc ergo siue a Romanis petitum, qui suos in Prouincijs Præsides; Duces, Comitesque habuerunt, siue docente necessitate & rerum vsu introductum, sequuti sunt etiam in sua Republica veteres Germani. Apud Otfridum quoque prætorium vocatur *Palinzhus*, quasi dicas domum curialem, aut δικαστήριον. Tales curiæ in Polonia sunt hodie Lublini & Petricouiæ, quibus alternis semestribus ius dicitur. In Saxonia vero quinq; fuisse istiusmodi curias testatur autor Speculi Saxonici; *Quinque*, inquit, *ciuitates quae Palantiae dicuntur, in Saxonia inueniuntur, in quibus rex legitimis debeat curijs praesidere: Prima dicitur Crona; Werliz secunda, quae modo in Goslariam translata est. Walhausen tertia; Aistede quarta; quincta Merseburg nuncupatur. In ea septem feuda vexillorum sunt definita, ducatus Saxoniae & Palentiae.* Neque dubium est, quin sub Imperatore Constantio res adhuc in Germania gerente Iuliano tales Pfaltzæ fuerint, & earum præsides Pfaltz-grauij dicti sint, plane vt a burgis, hoc est castellis, Burg-grauij, a prouincijs Lant-grauij; a limitibus siue marcis March-grauij. Itaque narrat Ammianus Marcellinus, Romanum militem in prima Germania supra Moguntiacum agentem transmisso ponte Rheno in Allemannos excursionem fecisse, ac Hortarij quidem regis, qui proximus amni degebat, terris peperciisse, quod is socius haberetur, properantes vero ad interiora, *vbi terras infestorum attigere regum, vsisse omnia & rapuisse, perq; medium rebellium solum grassatos esse. Postquam vero ventum est ad regionem cui Capellatij vel Palas nomen est, vbi terminales lapides Allemannorum & Burgundorum confinia distinguebant, castra illic posuisse, & Maurianum atque Hariobaudum fratres suscepisse.* Hisce inquam verbis non est dubium quin talis curia significetur. Cæterum qui ab Ammiano Heidelbergam designari putant, magnoperè falluntur. Palas enim Ammiani fuit in interiore Allemannia, non Rheno vicinus: Tria quippe notantur ab ipso locorum discrimina: Primum est regnum Hortarij ad Rhenum, ad quem forte potest referri Heidelbergensis tractus: Tum interius adhuc, terræ infestorum regum, quas Iulianus depopulatus est: Denique vlterius, Palas, quod ipsum in collimitio dicitur fuisse Burgundorum & Allemannorum; quod quidem ita capiendum est, vt per Allemannorum regionem diu profectis, occurrerint tandem noti illo tempore limites Burgundionum, ad quos Palas siue curia indicandis decidendisque stlitibus exstructa fuit. Quæ certe Heidelbergæ non conueniunt. Apud Romanos Palatina officia vocantur quæ ad Imperatoris Palatium spectant: adhibitaque est eadem vox postea ad designandum in Germania munus istud iudiciarium; itaque Palatini in Andechs, Palatini a Schiern, a VVittelspach, Palatini a Dachaw, Palatini a Vallar, & Palatini Thubingenses leguntur in historia. Est & Palatinatus Saxoniæ perantiquus. Et ad hasti ludium quod Tiguri olim institutum fuit, feruntur XXXIV Palatini diuersis e locis conuenisse. Est etiam ad Rhenum ædificium quod Pfaltz vocant, *bey Caub*, cui Pfartz-gra-

uium aliquem præfuisse opinio est. Progressu tamen temporis eminuit inter omnes Palatinatus Rheni, videturque eius Comiti id primum arbitrio Imperatorum, postea etiam hæreditate concessum esse, vt iuri dicundo supra omnes, vice Imperatoris præesset, modo vt inspector ordinis, modo vt Collegij ad VVromatiam aut Spiram residentis caput; eoque factum est, vt ad ipsum, tanquam ad oraculum totius Germaniæ grauissimæ controuersiæ semper fuerint delatæ. Est autem Palatinatus alter superior in Bauaria ad Danubium, alter inferior ad Rhenũ. Hic ad occasum Ducatu Bipontino terminatur; ad Ortũ Fraconia & Ducatu VVirtenbergico: ad Septentrionem est Mœnus, ad meridiem Alsatia. Mediam regionem Rhenus interluit: eoque fit, vt partim sit Cisrhenana, partim Transrhenana: Hanc Nicer amnis rursum secat. Est autem tractus iste omnium totius Germaniæ & amœnissimus & fœcundissimus. Vrbes in eo, si Borbetomagum, Nemetes, Altam ripam excipias, haud ita vetustæ sunt: Heidelberga, Durlacum, Bretta, Ladeburgum, VVeinhemium, Cauba, Gelhusen, Cæsarea Lutra, Louenstenium, Oppenhemium, aliæque ad numerum XLVIII. Sed antequam Ducum Bauariæ Genealogiam ab Arnulpho recensamus, proferemus ex Auentino serie Regum Bauarorum ante tempora Caroli Magni. Ea igitur sic habet:

BAVARIÆ REGES VSQVE AD CAROLVM MAGNVM ex Auentino.

1 Gibhuldus Germaniæ Rex qui & Theudo I obijt anno Christi 511.

2 Theudo II obijt anno 537.

3 Theudo III cui vxor Regentrudis filia Childeberti regis Francor obijt anno 565. vixit Ratisponæ.
Otho qui ad Aenum habitabit Ottingæ.
Theuboldus qui vixit in Comitatu Tirolensi.

4 Dietpertus qui vixit Ottingæ & Salezburgi.

5 Tassilo cui curia Ratispona, ob an. 598.

6 Gerboldus cui curia Ratisponæ.

7 Gerboldus.

8 Theudo IV.

Gunholdus.
Theudelinda nupta regi Longobardorũ.

9 Theupertus.
Tassilo II. *

10 Theudo V.
Via filia quæ fugit in Italiam.
Lantbertus fugit in Hungariã.
Plectrudu.

11 * Tassilo II.
Suinholdus I fratris filiam vxorẽ duxit.
Theupertus.

Theudo VI.

12 Theudo VII.
Grimoaldus.

13 Hupertus.

14 Vdilo victus a Carolomanno & Pipino
Bertha Pipinis vxor.

15 Tassilo cui vxor Leutpurgis filia Desiderij Lãgob. regis.

16 Theudo VIII.

His duo victi a Carolo magno dederunt se ordini Ecclesiastico. Pater factus monachus, filius sacerdos. Ex hoc deinceps Bauaria fuit sub posteris Caroli Magni.

1 GIBHVLDVS qui & Theudo dicitur vixit temporibus Theuderici Veronenſis Oſtrogothi & cum ipſo ſæpius pugnauit.

2 THEVDO congreſſus cum Theuderico Oſtrogotho, fudit Romanorum exercitum ad Ænum fluuium, loco, qui ex eo dictus eſt Mort-feld: Poſtea ſepties cum illo certauit, ſemper victor.

3 THEVDO III vxorem duxit Childeberti Francorum regis filiam Regentrudim, cuius conſilio Theudo Ratiſponæ, Otto Laureaci, Theobaldus in Tirolenſi comitatu a Ruperto Epiſcopo baptizati ſunt, Anno D LXV.

4 DIETPERTVS &

5 TASSILO diuiſere inter ſe Bauariam; Ille Oettingam, quæ antea Pons Æni dicta fuit, Saltsburgum quæ Iuuauia, & Potſonium coluit: hic Ratiſponam, vbi etiam obijt anno D XCVIII.

6 GERBOLDVS pulſo Thaſſilone occupauerat totam Bauariam: ſed eiectus ipſe a Chilperico Anno Chriſti D XC cum filio & filia pœnas dedit, profugus ad Longobardos.

7 & 8 GERBOLDVS & THEVDO IV nihil patrarunt memoria dignum.

9 THEVPERTVS & TASSILO iterum partiti ſunt inter ſe Bauariam: Ille Ratiſponæ manſit, Hic ad Ænum, obijtque anno DCL relictis tribus liberis.

10 THEVDONIS filia Vta ex ſtupro grauida Emeranum Epiſcopum Ratiſponenſem flagitij accuſauit: qui, innocens licet, quum profugiſſet, interfectus eſt a Lantberto fratre Vtæ: poſt prodito autore, patuit viri ſancti innocentia. Vta in Italiam abiegata eſt, Lantbertus in Hungariam abijt.

11 SVINHOLDVS fratris viduam vxorem duxit: reprehenſus eo nomine a Corbiniano primo Epiſcopo Friſingenſi, retuliſſet a flagitioſa muliere quod Ioannes Baptiſta ab Herodiade, niſi tempeſtiue in Italiam aufugiſſet.

12 & 13 THEVDO VII tres habuit filios. Regnante Huberto reuocatus eſt Corbinianus & Epiſcopatui reſtitutus.

14 VDILO a Carolomanno & Pipino affinibus ſuis regio titulo ornatus eſt. Hic Epiſcopatum Patauienſem fundaſſe dicitur, poſtquam Laureacenſe oppidum exuſtum fuit. Exſtruxit quoque monaſteria Degernſee & Oſterhofen; in quorum altero ipſe etiam ſepultus eſt. Fertur quoque hic Vdilo Childericum regem regno motum Ratiſponæ in cœnobio S. Emerani honeſte habuiſſe, vxore eius Giſela ſimiliter in monaſterium ad Lacum Kochlerum concluſa.

15 & 16 TASSILO non iam Rex ſed Dux Bauariæ, a Grifone pulſus per Pipinum auvunculum ſuum (ita eum vocat Friſingenſis) reſtituitur, ſicut capite ſecundo a nobis narratum eſt: idem poſt iterum iterumque rebellans tandem cum filio in clauſtrum monachorum coniectus eſt, anno Chriſti D CC LXXXVIII. Ita ſub Carolo Magno & eius poſteris diu admodum manſit Bauariæ adminiſtratio.

STEMMA


SEPTEN TRIO
33
35
OCCIDENS
ORIENS
49
MERIDIES
34
Palatinat.
Bavariæ
Mil. Germanica
1
2
Nurenberg
Behemer Wald
Regenstauius
Danubius flu.
Ingolstat
Neuburg
Munchs Muster
Weltenburg
Abensperg
Kelheim
Lintach
Regenspurg
Prufling
Straubing
Schambach
Mosburg
Landshut
Erding
Freysing
Moosburg
Landau
Dingolfing
Deckendorf
Plattenberg
Vilshofen
Passau
Ilstat
Ingolstat
Gerlfing
Neuburg
Nidr Schönfeld
Rain
Donauwerd
Lech flu.
Wertach flu.
Isar flu.
Inn flu.
Rednitz flu.
Regnitz flu.
Pegnitz flu.
Naab flu.
Altmul flu.
Vils flu.
Ilz flu.
Rott flu.
Roth flu.
Schwartz flu.
Ach flu.
Ilm flu.
Amber flu.
Wurm flu.
Glon flu.
Ampfing flu.
Sempt flu.
Isen flu.
Rott flu.
Vils flu.
Ilz flu.
Ach flu.
Inn flu.
Salza flu.
Traun flu.
Enns flu.
Ens flu.
Ybbs flu.
Erlaf flu.
Melck flu.
Traisen flu.
Kamp flu.
Schmida flu.
Wien flu.
Leitha flu.
Raab flu.
Rab flu.
Marck flu.
Gran flu.
Waag flu.
Neytra flu.
Hron flu.
Ipel flu.
Sajo flu.
Bodrog flu.
Tisia flu.
Maros flu.
Temes flu.
Drave flu.
Save flu.
Kulpa flu.
Una flu.
Sana flu.
Vrbas flu.
Bosna flu.
Drina flu.
Lech flu.
Wertach flu.
Isar flu.
Inn flu.
Rednitz flu.
Regnitz flu.
Pegnitz flu.
Naab flu.
Altmul flu.
Vils flu.
Ilz flu.
Rott flu.
Roth flu.
Schwartz flu.
Ach flu.
Ilm flu.
Amber flu.
Wurm flu.
Glon flu.
Ampfing flu.
Sempt flu.
Isen flu.
Rott flu.
Vils flu.
Ilz flu.
Ach flu.
Inn flu.
Salza flu.
Traun flu.
Enns flu.
Ens flu.
Ybbs flu.
Erlaf flu.
Melck flu.
Traisen flu.
Kamp flu.
Schmida flu.
Wien flu.
Leitha flu.
Raab flu.
Rab flu.
Marck flu.
Gran flu.
Waag flu.
Neytra flu.
Hron flu.
Ipel flu.
Sajo flu.
Bodrog flu.
Tisia flu.
Maros flu.
Temes flu.
Drave flu.
Save flu.
Kulpa flu.
Una flu.
Sana flu.
Vrbas flu.
Bosna flu.
Drina flu.

STEMMA DVCVM BAVARIÆ ET COMITVM PALATINORVM
ab Arnulpho Imperatore, vsque ad Ottonem Comitem in Schiern.



1 ARNVLPHVS Imperator, de quo in ſtemmate Carolino diximus. Hic fertur exſtruxiſſe caſtellũ Schiern inter Ingolſtadium & Monacum, quod poſteà mutatum eſt in monaſterium. Vixit an. Chr. MXX.

2 ARNOLDVS alijs Arnulphus cognomento malus Comes in Schiern; Quidam opinantur Lutgardim non ſororem eius ſed filiam fuiſſe; ac proinde eum non auunculum, ſed auum fuiſſe Henrici Aucupis.

3 VVERNHERVS iſte per fratrem excluſus fuit Ducatu Bauariæ, introductis Saxonibus, congreſſuſque cum Henrico Aucupe: Occiſus eſt in prælio.

4 EBERHARDVS, quem alij Eckhardum vocant VVernheri filius bellum a patre cœptum aduerſus Saxones & Imperatorem Henricum continuauit, totamque Bauariam iuſtis hæredibus reſtituit. Ipſe fuit Comes in Schiern: at frater eius OTTO, Palatinus in VVittelſpach.

5 OTTO iunior Palatinus in Schiern pulſus dicitur hæreditate, caſtro etiam VVitelſpach diruto. Ita deuolutus eſt Palatinatus ad Arnoldum filiũ Eckhardi. Sed neceſſe eſt magna inciderit hoc tempore rerum viciſſitudo. Quidam Palatinorum plures commemorãt familias, Primam Lotharingicam, ex qua Henricus: ſecundam Cattorum ex qua Conradus: tertiam Francorum ex qua Henricus qui Henrici Aucupis ſororem vxorem habuit; quartam Saxonicam ex qua Otto maritus Lutgardis filiæ Arnoldi mali: quintam Sueuicam; ſextam Guelphorum, ſeptimã VVitelſpachiam.

6 Henricus Palatinus frater Ottonis magni vxorem habuit viduam ducis Brabantiæ: ſed obijt ipſe improlis. Adoptauit autem SIFRIDVM Comitem in Graiſpach, priuignum ſuum, eumque fecit Comitem Palatinum. Hoc tempore videntur adhuc Saxones Bauariæ partem aliquam habuiſſe, Henricus enim ſanctus Imperator Saxo maritus Kunigundis dux fuit Bauariæ. Porro Sifridus iſte ab Ottone III Elector conſtitutus eſt, & archidapifer imperij: addito ad inſignia gentilitia globo imperiali, quem ſupra crux venuſtat: nec dubium eſt, quin ad priſcorum Romanorum exemplum hoc ita expreſſum ſit, qui imperium orbe tali & nauis gubernaculo crucem referente ſignificarunt. Nullum tamen Imperatorem Sifridus delegit; vt qui ante exceſſum Ottonis obierit.

7 HENRICVS Suffridi filius frater S. Kunigundis elegit anno MIII ſororium ſuum Henricum ſanctum in Imperatorem: quumque nullum filium haberet, ſed filiam vnam duntaxat, nomine Imelgardim, elocauit eam Conrado Duci Franconiæ, qui & Dux VVormaciæ & Lantgrauius Haſſiæ fuit, Ita ergo

8 CONRADVS iſte vxoris beneficio factus eſt etiam Palatinus Rheni & Dux Lotharingiæ.

9 Conrado vnica fuit filia Eliſabeth, quæ nupta eſt CONRADO Duci Sueuiæ: fratri Friderici I Barbaroſſæ. Eius titulus hic legitur, Conradus Dei gratia Palatinus Rheni, Dux Sueuiæ & Franconiæ, ſacri Imperij Romani dapifer & Elector: templorum VVormaciæ, Herbipolis, Argentinæ, Spiræ, Fuldæ, & VViſſenburgi præpoſitus & aduocatus &c. Sepultus eſt in monaſterio Schonaw in ſilua Ottonica. Hic pomeria Heidelbergenſia protulit, vrbem ampliauit ornauitque, exſtructa etiam inſigni arce.

10 Conrado Sueuo filia vnica fuit Agnes, quam duxit vxorem HENRICVS Dux Saxoniæ & Luneburgi, Dominus in Brunſwijck, filius Henrici Leonis, factuſque eſt hoc modo Palatinus Rheni, habitauit tamen non Heidelbergæ, ſed Brunſwigæ: filias duas habuit, quarum altera nupſit Hermanno Marchioni Badenſi, altera Ottoni Comiti a VVitilſpach & Schiern.

10 OTTO Comes in Schiern ex veteri familia Ducum Bauariæ ortum duxit, quumque Gertrudis vxoris suæ beneficio peteret Palatinatum Rheni, obstaretque in Comitijs Henricus Leo Dux Saxoniæ auus paternus Gertrudis qui eum Saxonicæ domui adnecti volebat, adiudicatus est Palatinatus Ottoni Bauaro a Friderico Imperatore, Anno M C L XXX, atque ex eo semper mansit coniunctus ducatui Bauariæ. Huc referendi sunt versiculi qui in palatio arcis Heidelbergensis leguntur,

Otho der erst, Pfaltz-graff by Rhyn,
Hat Pfaltz-graff Heinrich tochterlyn,
Mit manheyt er vs erfacht,
Des rychs Churfurst belib sijn geschlacht.

Anno Christi M C XXXIX Henricus Bauariæ Dux adiutus a Saxonibus rebellauit aduersus Conradum IV Imperatorem, qui ea caussa exutus est Bauariæ ducatu, suffecto in eius locum a Cæsare Leopoldo. Ægrè id tulit Guelphus Henrici frater, qui idcirco armis sumptis Leopoldum ditione illa eijcere instituit. At Cunradus pro Leopoldo certans, Guelphum VVeinspergæ obsedit: ac defuncto Leopoldo ducatum Noricum Henrico fratri suo dedit. Est autem obsidio illa VVinspergensis nobilitata fide in maritos matronarum, victuro, quam diu virtuti locus erit inter mortales exemplo.

CONTINVATIO DVCVM BAVARIÆ ET COMITVM PALATINORVM RHENI, ab Ottone I vsque ad Imperatores Ludouicum & Rupertum.



1 OTTO. De hoc iam diximus ad superiorem tabulã: Fuit autem præfectus aulæ Friderici Imperatoris; vir magni & excelsi animi. Kilhemum creauit, Dachauium emit.

2 LVDOVICVS iste Straubingam condidit an. M CC VIII: Arcem Abenspergensem restaurauit, Bauariã legibus ædificijsque ornauit. De eo Auentinus, *Fridericus*, inquit, *anno Christi* M CC XV *Ludouico Boiariæ rectori Rhenanum ducatum propter merita ipsius in se, patrem Henricum, & auum Fridericum dedit.* Confossus est a morione, Kilhemij cultro, Anno Christi M CC XXXI. Vxor eius Ludmilla condidit Lantshutij monasteriũ *Seeligenthal*, Anno M CC XXXIII.

3 OTTO II cognomento Illustris patri Ludouico successit. Sunt qui ad hunc Ottonem referant versus illos quos nos superiore tabula retulimus ad Ottonem primum. Nauclerus de isto hæc scribit. *Otto Dux Bauariæ duxit in vxorem filiam Henrici vltimi Comitis Palatini Rheni, de quo inuestitus a Friderico Palatinatum primus in domum Bauarorum introduxit.* Magna fuit & constans Ottonis istius in Fridericum Imperatorẽ fides, deficientibus etiam ab ipso Episcopis, qui illum prius aduersus Romanum Pontificem incitauerant.

4 LVDOVICVS II dictus Seuerus, Bauariã cum fratre suo Henrico diuisit. Vxor ei prima fuit Maria filia Henrici Magnamini Ducis Brabantiæ, quam ille ob suspicionem adulterij dimissam occidi iussit; sed deprehensa postea eius innocentia in signum pœnitentię suæ concidit oppidum Fridbergam. Postea duxit Annam filiam Conradi Ducis Masouiæ: denique Rudolphi Habspurgensis filiã Machtildem. Eius frater Henricus Bauariæ inferioris Ducatum adeptus cum Othocaro Bohemiæ rege aduersus Rudolphum Habspurgensem bella gessit. Obijt Heidelbergæ. Sepultus iacet apud Augustinianos.

5 RVDOLPHVS Palatinus Elector in dissidio imperij postquam diu partes frustra conciliare studuit, Adolphum Nassouium tandem secutus est, socerum suum, eoque cæso ægre admodũ cum paucis euasit, receptus a VVormacienſibus: tandem pulsus a fratre, concessit in Angliam, cedens inuidiæ, dederat enim suffragium Friderico Austriaco.

6 De LVDOVICO dixi in serie Imperatorum, numero 73. Ab hoc deinceps ducenda est linea Ducũ Bauariæ.

7 De OTTONE adi reges Hungariæ, num. 23. Hic in prælio quo Adolphus Nassouius cum Alberto Austriaco de rerum summa pugnauit, stetit a partibus Adolphi, vulneratus etiam euasit, & ob præclaras virtutes suas, ac sanguinem maternum, factus est Hungariæ Rex, Anno M CCC V.

8 STEPHANVS Ottonis frater Fridericum Austriacũ qui Bauariam armis inuaserat, in fugam egit; sequutus & ipse Adolphi Nassouij partes. Sepultus est Lantshutij. Filias habuit, Beatricem vxorem Henrici Comitis, Elisabetham Ottonis Austriaci filij Alberti Imperatoris coniugem: Agnem monialẽ in Seeligenthal.

9 RVPERTVS II *Cæcus* & RVPERTVS *Rufus* fratres patri Electori succeſſere. Rupertus Heidelbergensem Scholam fundauit, anno M CCC XLVI petitis Lutetia professoribus; Primus eius Rector fuit Marsilius Vltraiectinus; Postea suscepto aduersus molitorem quendam Iacobum Rebock bello, qui se VVoldemarum Brandeburgicum venditabat, captus ab eo est, sed ope Caroli II Imperatoris libertati restitutus. Vxores habuit, primam Namurcensem, posteriorem Bergensem: Obijt improlis.

10 ADOLPHVS ex eo *Simplex* dictus est, quod in Bauaria inferiore partem suam Ludouico Imperatori cessit; quod-

quodque fratres suos ipse maior natu passus est Electorum titulo & honoribus frui.

11 RVPERTVS *Paruus* filius Adolphi ex Comitissa ab Oetingen, pater fuit Ruperti Imperatoris, ex quo postea decurrit series Electorum Palatinorum: Vxor ei fuit filia regis Siciliæ.

CONTINVATIO DVCVM BAVARIÆ inde a Ludouico Imperatore ad ALBERTVM IV Ducem,



1 De LVDOVICO diximus in Catalogo Imperatorum.

2 LVDOVICVS iſte a patre Marchio factus eſt & Elector Brandeburgicus in comitijs Namburgenſibus, anno M CCC XIX.

3 GVILIELMVS Dux Bauariæ poſt obitum auunculi ſui Comitis Hollandiæ, qui Margaretæ frater fuit, & ſine liberis obijt, ipſe Comes factus eſt: ſimultates geſſit aduerſus matrem: ac tandem phreneſi correptus obijt Valencenis, vbi etiam ſepultus iacet.

4 ALBERTVS Bauarus Guilielmi frater bella geſſit aduerſus Friſios: obijt anno M CCCC IV. Situs eſt Hagæ: Vxor ei fuit Margarita filia Ludouici Ducis Brigenſis: & poſt hanc Margarita altera filia Adolphi Comitis Cliuiæ; liberi, Guilielmus Comes Hollandiæ, pater Iacobæ Comitiſſæ; Ioannes Epiſcopus Leodienſis tutor Iacobæ poſt patris obitum; ac poſtea etiam maritus Eliſabethæ filiæ Ioannis Ducis Lucelburgenſis, quam duxit anno M CCCC XXIV.

5 STEPHANVS *fibulatus*, a quo deinceps decurrit ſeries ducum Bauariæ, poſt obitum patris ſui Ludouici cum filijs Rudolphi Palatini tranſegit de damnis a fratre illatis bello ciuili: ſed non fuit ſolida aut durans iſta tranſactio, recruduerunt enim bella inter poſteros. Vxor Stephani prior fuit Eliſabeth filia Ludouici regis Siciliæ: poſterior Margarita filia Burggrauij Noribergenſis.

6 Poſt obitum Fibulati diuiſa eſt inter filios ipſius Bauaria. STEPHANO ceſſit Ingolſtadium: FRIDERICO Lantshutium: IOANNI Monachium. Stephanus ex vxore Thadea Barnabæ Vicecomitis filia ſuſcepit Eliſabetam Caroli VI Galliarum regis vxorem, Ioannes ex ſua Sophiam vxorem ſecundam VVenceſlai Imperatoris.

7 LVDOVICVS Barbatus non Ruperti ſed Stephani filius defuncto patre ex Gallia reuerſus, bella aduerſus cognatos geſſit, ac tandem etiam cum filio LVDOVICO gibboſo. Is enim patrem ſenem Neupurgi obſedit, non aliam ob cauſſam, quam quod fractū annis ideoq; imperio ineptum diceret. Et reperit tam impij facinoris adiutores. Albertum præcipue Brandeburgicum ſocerum ſuum, cuius ope arcem tandem expugnauit: Nec diu poſtea vixit ingratus & impius filius; obijt enim ante patrem, anno ſcilicet Chriſti M CCCC XLV, & quidem improlis.

8 Ludouico ſucceſſit proximus agnatus HENRICVS Friderici F. qui vxorē habuit Margaretam Alberti IV Ducis Auſtriæ filiam: obijt anno M C C C C L: dictus *Diues*.

9 LVDOVICVS Henrici F. parcè a patre & tamen honeſte educatus, oſtendit, quantum in principe bonum ſit frugalitas. Opes patrias vehementer auxit, ſtrenuus, magnanimus, bellicoſus, & in loco magnificus: exceſſit e vita anno Chriſti M CCCC LXXIX, vxor ei fuit Amelia filia Friderici Electoris Saxoniæ. Emicuit Ludouici virtus bellica in cauſſa Friderici Palatini, quum Ioannem Epiſcopum Eiſtadenſem, qui ſe Alberto Marchioni Brandeburgico aduerſus Fridericum coniunxerat, in eas anguſtias redegit, vt deditione facta Eiſtadium Bauariæ ducatui traderet, quumque Albertum adiutum imperij viribus cecidit, capto etiam imperij vexillo cum aquila, quam ipſe protinus ad Imperatorem remiſit.

CONTI-

CONTINVATIO ELECTORVM PALATINORVM inde a Ruperto Imperatore, ad FRIDERICVM V Comitem Palatinum, Bauariæ ducem.



Ruper-

Hæc superioribus nectanda sunt.



1 RVPERTVS Ruperti F. Adolphi N. magni & exaggerati animi vir fuit. Eo iuuene adhuc factus est imperator VVenceslaus, totumque imperium bellis ciuilibus conturbatum, Heluetico inprimis & Suetico. Cæso autem ab Heluetijs Leopoldo, conuenere tres Ruperti Ambergæ, & fœdus inter se sanciuerunt, quo comprehensi sunt etiam Albertus Ludouici Imp. filius, Comes Hollandiæ, nepotes Imperatoris, Stephanus, Ioannes & Fridericus. In hoc bello maximè eminuit virtus Ruperti istius aduersus VVenceslaum; quæ etiam non infima caussa fuit cur in Romanorum Imperatorem eligeretur. Habuit quidem ille multos liberos, eoq; factũ est, vt ditio eius in minutas portiones distributa sit, sed aliorũ excessu omnia ad Stephanum & Ludouicum tandem deuoluta sunt. Eius filia Margareta nupta est Carolo Lotharingiæ duci: Elisabetha Friderico Austriaco, Agnes Adolpho I Cliuiorum Duci. Filius Pipan Imperatori Sigismundo adfuit in Hungaria quum aduersus Turcam pugnaret.

2 OTTONI obuenit Mospachium ad Nicrum flumen, cum Neumarkia in Bauaria. Successit ei filius Otto: quo sine liberis extincto, redijt omnis ea ditio ad Principem Electorem. FRIDERICO cessit Amberga; qui quum & ipse prole legitima careret, reuoluta est quoque eius portio ad Electorem Palatinum. IOANNES possedit Neoburgum, nõ Danubianum, sed illud quod in limine est siluæ Bohemicæ: Exstruxit cœnobium Gnadebergam; Filium habuit Christophorum Daniæ regẽ, ex filia ducis Pomeraniæ, quam ipse vxorem duxerat. Post huius obitum pars quoque illa Bauariæ delapsa est ad Palatinum.

3 STEPHANVS Ruperti filius fuit, a quo post quartam progeniem Electoratus Palatini dignitas deuoluta est ad Fridericum III, qui dux fuit Bipontinus, Siburgensis, & Zimmerensis: vxor ipsi Anna, filia vnica Friderici Comitis Veldentzensis & Spanheimensis; ex qua liberos quidem plures habuit, sed non omnes paternæ ditionis hæredes, quibusdam vel extinctis præmaturè, vel ad Ecclesiasticos honores promotis: Ruperti quoque Pipan Ottonis filij vxor post mariti obitum ducta studio augendi Palatinatum, quinctam partem ditionis suæ legauit Ludouico Barbato.

4 LVDOVICVS Barbatus Ruperti filius Elector Palatinus in Concilio Constantiensi exequutor fuit decretorum imperialium. Hic tandem profectus Ierosolymam luminibus orbatus est ante obitum. Vxorem habuit reginam Cypri, ex qua tres liberos genuit, Ludouicum mansuetum, Fridericum, & auo cognominent Rupertum.

5 LVDOVICVS Mansuetus vxorẽ duxit Margaretam, filiam Amedei ducis Sabaudiæ, qui quum seculo renunciasset, in Concilio Basileensi electus est in Papam; defunctus est iuuenis admodum, anno Christi MCCCC XLIX, relicta coniuge grauida, quæ postumum enixa est Philippum. Margarita illa quum duceretur Ludouico, vidua fuerat regis Siciliæ Ludouici, & post Palatini obitum tertium maritum habuit Vdalricum Comitem VVirtenbergicum, quicum postea Fridericus bellum gessit. Anno MCCCC LX.

6 FRIDERICVS Victoriosus defuncto fratre Ludouico, filij ipsius Philippi tutor fuit. Eius monumento inscriptum est hoc elogium Heidelbergæ, *Fridericus Bauariæ Dux, Comes Palatinus, Elector, salus Patriæ prædonum fulmen, tres illustres hostes vicit*, Episcopum Metensem, Carolum Marchionem Badensem, & Vlricum VVirtenbergicum, *Principatum auxit, & pie viuis excessit. Fuit eius vitæ socia virtus, gloria mortis comes.* Filius ipsi fuit Ludouicus Comes

in Lowensteyn nothus, cuius tamen matrem in ipso mortis articulo vxorem duxit.

7 PHILIPPVS Ingenuus Elector Palatinus vxorem habuit Margaretam filiam Ludouici, vel, vt alij volunt, Georgij diuitis, Ducis Bauariæ, quem in superiore tabula vidimus. Instituerat autem Georgius ille Philippi filium RVPERTVM hæredem, data ipsi insuper filia sua, cum Bauariæ parte dotali. Displicuit hoc factum Maximiliano Imperatori, qui Alberto II Bauariæ duci genero suo fauebat impensius. Proscripsit ergo Philippum. At is adiutus Bohemorum auxilijs iura sua gnauiter defendit. Victus tandem intercessione Friderici Ducis Saxoniæ, hoc obtinuit, vt Ruperti filijs (nam pater interea obierat) Neoburgensis tractus omnis inter Danubium & Nabum concederetur. Acta hæc Coloniæ, anno Christi MDV, nec multo post excessit e viuis Philippus.

8 & 9 LVDOVICVS Pacificus & FRIDERICVS Pius Palatini fratres, Philippi filij, placidè composuerunt dissidium quod inter ipsos & VVirtenbergensem ducem diu intercesserat. Magna autem Friderici & excellens virtutis ac prudentiæ fama fuit. Anno Christi MD XIX missus est in Hispaniam ad Carolum V, vt decretum Septemuirale de ipsius electione ei significaret. Idem quoque a Carolo præfectus est indicio cameræ Imperialis, & in conuentu Spirensi Legatum Cæsaris egit. Anno MDXXIX in Comitijs Spiræ celebratis dux belli aduersus Turcas electus est. Ac triennio post auspicijs Ferdinandi res gerens, XV Turcarum millia fudit prostrauitque, duce etiam ipsorum Cosono interempto. Anno MDXLI præses & moderator fuit colloquij inter Theologos habiti Ratisponæ. Ac biennio post extincto Ludouico fratre Electorali quoque dignitate auctus est. Religionem in sua ditione a superstitionibus purgauit, euocato in eam rem Paulo Fagio, concesso sacerdotibus coniugio, sacrisque vernacula lingua celebrari iussis, anno MDXLVI. Obijt Heidelbergæ Anno MDLVI. Vxorem habuit vnicam Dorotheam Christiani II Regis Daniæ filiam.

10 Friderico Pio successit OTTO HENRICVS Ruperti Virtuosi filius, natus Anno MDII. Vxor ipsi fuit Susanna filia Alberti Ducis Bauariæ: obijt anno MDLIX. nec reliquit post se prolem. Eius frater Philippus Bellicosus sub Carolo V militauit in Italia contra Gallos. Deinde in obsidione Viennensi Anno MDXXIX fortiter Turcam repulit: obijt anno Christi MDXLVIII.

11 Extincta Ludouici Barbati sobole, deuolutum est Electoralis Palatinatus ius ad Stephani Bipontini, qui Ludouici frater fuit, posteros: In his proximus fuit FRIDERICVS Ioannis F. Ioannis N. Friderici abnepos, Dux Zimmeriæ, qui eius nominis tertius Elector & Archidapifer factus est, anno Christi MDLIX. Vir citra controuersiam magnus; sed qui prudentiam ad pacis artes & pietatem potius quam ad bellicas actiones retulit. Vxores habuit, priorem, Mariam filiam Casimiri Marchionis Brandeburgici; secundam Ameliam Comitissam Meursensem. Militem in Galliam, ad subsidium laborantium illic Ecclesiarum, misit ductu agnati sui VVolfgangi Comitis Palatini Biponti, anno MDLXXI, qui in ea expeditione obijt, octaua die Iunij: quem Fridericus quinquennio post secutus est; Extinctus est quippe anno Christi MDLXXVI. relictis liberis, Ludouico & Ioanne Casimiro; nam Christophorus iam obierat, anno Christi MDLXXIV. Porrò Zimbrenses Comites originem habent a Cimbris, quorum pars in Nigra silua atque alibi consedit.

sedit. Itaque in illa sunt Herrenzimbern, VValdzimbern, Marschalchzimbern, Heiligenzimbern, Rotenzimbern. Et constat, in antiquis monumentis Barones istos scribi cum c littera, Cimbern. Ipsa quoque insignia idem arguunt. Barones quippe Cimbrenses pro signo militari habent Leonem gestantem pedibus suis bipennem; quod quidem etiam Norwagiæ regum insigne est.

12 LVDOVICVS IV Palatinus Rheni Dux Bauariæ, Comes Zimmerensis & Spanheimensis, patri Friderico in Electoratu successit: nec diu ea dignitate functus est, obijt enim anno MDLXXXIII relicto filio impubere Friderico quarto, quem ex Elisabetha filia Lantgrauij Hassiæ susceperat, & Anna Maria, quam habuit ex Anna Erhardi Comitis Embdani filia.

13 Friderici impuberis tutelam gessit IOANNES CASIMIRVS vir gloria militari celeberrimus: nam & anno Christi MDLXVII copias in Galliam duxit ad iuuandum Codæum, & in Belgicam aduersus Ioannem Austriacum profectus est, anno MDLXXVIII, & suppetias Gebhardo Truchsesio Archiepiscopo Colonienſi tulit aduersus Bauariæ Ducem Ernestum, qué Truchsesio Pontifex substituerat. Sed & togatas virtutes habuit, prudentiam, grauitatem, sobrietatem, constantiam; quibus ille pupilli sui bona mirum auxit: Mortuus est Heidelbergæ, anno Christi MDXCII quum iam FRIDERICVS annos natus XVIII capax Electoralis dignitatis factus esset. Natus quippe fuit anno Christi MDLXXIV. Is postea vxorem duxit Ludouicam Iulianam filiam Guilielmi Principis Auriaci, ex eaque liberos suscepit, Fridericum, natum anno Christi MDXCVI. Ludouicum Guilielmum, natum anno MDC. Mauritium Christianum, natum anno MDCI. Ludouicum Philippum, natum anno MDCII. Loisam Iulianam, natam anno MDXCIV, nuptam nunc Ioanni Duci Bipontino. Catharinam Sophiam, natam anno MDXCV. Elisabetham Carolam, natam anno MDXCVII. Annam Leonoram, natam anno MDXCVI.

14 FRIDERICVS V Friderici Magni, anno MDCXI extincti filius, extrema patris sui voluntate commissus est tutelæ Ioannis Ducis Bipontini, præterito agnato proximo Philippo Palatino Neoburgico, quod is morienti nollet promittere, se nihil in religione publica innouaturum. Ita ergo posthabita, tam graui de caussa, bullæ aureæ sanctione, Bipontinus simul & administrator Electoratus, & vicarius Imperij factus est. Sed postquam pupillus adultior vxorem duxit Elisabetham Iacobi magnæ Britanniæ regis filiam, cœpit ipse Reipublicæ & Electoratus curam gerere: Viuit adhuc, & vt viuat suo atque Imperij & Reip. Christianæ bono, optant omnes, omnes.


SAXONIÆ Superioris Lusatiæ, Misniæq; descriptio
Milliaria Germanica
1 2 3 4 5
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
Saxonia Superior
Lusatia inferior
Der Kontzsiæ Gorlitsch heyde pars
Lusatia Superior
Ducatus Silesiæ
Marchionatus Misniæ
Thelerstein
Hoff
VOYTLANDIA
Mansfeldiæ com. Pars
BOHEMIÆ PARS
Praga metropolis Bohemiæ
Crossen
Sprew flu
Elster flu
Mulda flu
Egra flu
Die Elbe flu
Oder flu
Neiß flu
Queiß flu
Bober flu
Katzbach flu
Wittenberg
Worlitz
Hall
Leipzig
Dresda
Freiberg
Annaberg
Schneberg
Zwickau
Plauen
Gera
Jena
Naumburg
Weissenfels
Leipzig
Lucka
Zeitz
Eisenberg
Colditz
Leisnick
Meissen
Dohlen
Pirna
Chemnitz
Penigk
Rochlitz
Aldenburg
Mariaberg
Catharnberg
Gotzberg
Goßtadt
Brugks
Trebnitz
Bieln
Corimoda
Postelberg
Satz
Lada
Luttitz
Falkenaw
Tensing
Elbogn
Egra
Konigsperg
Schlani
Laun
Budin
Melnick
Raudnitz
Benatki
Strentza
Welbern
Prandi
Daussim
Limpurg
Podiebrod
Pardubitz
Costeltzi
Bischowe
Konigingretz
Cralobradetz
Neustet
Liutz
Zampach
Faromir
Glatz
Habelschwer
Wunschelburg
Frankenaw
Pulitz
Munchantz
Aich
Tornaw
Cratza
Kreibitz
Schandaw
Schlucken law
Bautzen
Gorlitz
Reichenbach
Lubben
Sittaw
Lauben
Fridlandt
Friedberg
Hirschberg
Striega
Freiberg
Gotsberg
Landesknt gemisodme
Goldtberg
Wolstadt
Fawr
Lignitz
Neumarck
Leubus
Parchwitz
Büntzel
Grotzberg
Lemberg
Sprottaw
Luben
Steinaw
Rauden
Prausnitz
Welaw
Glogaw
Primka
Sagan
Sprembergk
Forst
Naumburg
Bobersberg
Grumberg
Sile
Wartenberg
Fraustadt
Freistadt
Cotwitz al. Conbuß
Finsterwaldt
Schlieben
Hertzberg
Seussenberg
Mulberg
Arenbruck
Torgaw
Belgern
Dalem
Elsterwerda
Ortrandt
Mucken berg
Hoierswerda
Wittichenaw
Konigswart
Cannitz
Hain
Bischofswerd
Scheuitz
Pirn
Henichen
Freiberg
Ocderen
Tetschen
Kemnitz
Leip
Niemtisch
Benssen
Gretz
Bleiswedel
Weißwasser
Auffig
Lemmeritz
Carbitz
Graugen
Raudnitz
Bernstein
Saboth
Arn
Die Elbe flu
Bischofswerd
Bautzen
Gorlitz
Reichenbach
Lubben
Sittaw
Lauben
Friedberg
Hirschberg
Striega
Freiberg
Gotsberg
Landesknt gemisodme
Goldtberg
Wolstadt
Fawr
Lignitz
Neumarck
Leubus
Parchwitz
Büntzel
Grotzberg
Lemberg
Sprottaw
Luben
Steinaw
Rauden
Prausnitz
Welaw
Glogaw
Primka
Sagan
Sprembergk
Forst
Naumburg
Bobersberg
Grumberg
Sile
Wartenberg
Fraustadt
Freistadt
Cotwitz al. Conbuß
Finsterwaldt
Schlieben
Hertzberg
Seussenberg
Mulberg
Arenbruck
Torgaw
Belgern
Dalem
Elsterwerda
Ortrandt
Mucken berg
Hoierswerda
Wittichenaw
Konigswart
Cannitz
Hain
Bischofswerd
Scheuitz
Pirn
Henichen
Freiberg
Ocderen
Tetschen
Kemnitz
Leip
Niemtisch
Benssen
Gretz
Bleiswedel
Weißwasser
Auffig
Lemmeritz
Carbitz
Graugen
Raudnitz
Bernstein
Saboth
Arn
Die Elbe flu
Strentza
Benatki
Melnick
Budin
Welbern
Prandi
Daussim
Limpurg
Podiebrod
Pardubitz
Costeltzi
Bischowe
Konigingretz
Cralobradetz
Neustet
Liutz
Zampach
Faromir
Glatz
Habelschwer
Wunschelburg
Frankenaw
Pulitz
Munchantz
Aich
Tornaw
Cratza
Kreibitz
Schandaw
Schlucken law
Bautzen
Gorlitz
Reichenbach
Lubben
Sittaw
Lauben
Fridlandt

CAP. XI.

Electorum Saxoniæ series.

SAXONES in Germania agnoscit Ptolemæus, sed illic terminos eorum augustiores facit; postea vero multum creuit eorum ditio, vt quæ ad Septentrionem mari Balthico & Oceano; ad Austrum Hercynio saltu concluſa fuerit; ad ortum habuit Albim fluuium, ad occasum Rhenum. Constat tamen etiam vltra Albim Saxones multum terræ possediſſe, imo vero ab Albi per littora maris Balthici, vsque in Prussiam exstructis claris vrbibus omnia tenuiſſe. Theodoricus a Niem non veretur eos Cimbrorum aliarumque gentium patres vocare. Pulsis ergo Chaucis, Bructeris, populisque omnibus inter Albim & Rhenum sitis, Saxones oram omnem littoris Germanici insedere, cum Ostophalia & VVestphalia, tentata etiam Gallia, in qua littus Saxonicum agnoscit notitia Imperij; & occupata insulæ Britannicæ parte; ob quam rem Saxones Occidentales apud posteriorís æui scriptores pro Anglis, Orientales pro Germaniæ populis sæpenumero ponuntur, manetque hodie sermonis quoque cognatio.

Anno Christi 106 sub Traiano VVITIKINDVS Saxonum Rex viginti millia Gothorum fudiſſe dicitur, & Saxoniæ finibus eieciſſe, adiutus a Richimere Francorum & Thuringorum rege.

Anno 258 imperante Valeriano fertur Saxonum Rex fuiſſe MAROBODVS, & post cum LVTHERVS vel LOTHARIVS, qui anno CC LXVI in Galliam exercitum duxit, & Hiſpaniam populatus est.

Anno Christi 300 VECTO memoratur Rex Saxonum, qui & vrbes condidit, & legibus latis ad humaniorem cultum efferos incolarum animos reuocauit.

Anno 350 sub Valentiniano rexit Saxones SWITTA, qui quum eius ductu prædabundi mare infestarent, repressi sunt, fracto ipsorum impetu a Theodosio.

Anno 427 Saxones VVITIKINDO Angriæ duce in Galliam irruperunt.

Anno 449 HENGISTVS & HORSTVS rogatu Vortigerij regis Britanniæ in insulam nauibus adpulerunt, magnamque ejus partem occuparunt.

Anno 500 etiam in Italiam irrupere.

STEMMA REGVM ET DVCVM SAXONIÆ a Sighardo pagano per VVitikindum, vsque ad Thiemonem Marchionem Misniæ.



1 Anno 633 Rex Saxonum & Augriuariorum SIGHARDVS Henetos superauit. Erant autem eo tempore vicinorum suorum Francorum facti tributarij, pendebantque ipsis quotannis quingentos boues, quod tributum ipsis Dagobertus Francorum & Thuringorum Rex remisit. At Chlodoueus eius filius iterũ illud exegit: Hinc noua belli materies, Saxones BERINGERVM Ballensteti & Ascaniæ ducem in Francos mittunt. Chlodoueus Beringeri filia Machtilde in vxorem ducta tributi gratiam Saxonibus fecit. Huc refer ea quæ libro primo capite XVII retulimus.

2 Anno 722 Rex Saxonum fuit DIETERICVS Sigharti filius, quem Carolus Martellus coëgit supra vetus tributum soluere amplius CCC equos.

Anno 742 Carolomannus quum Saxones prœlio vicisset, Ditericum obsidem accepit, qui restitutus, quum rebellaret, non ante ad obsequium redijt quam arcem Hochpurgum incensam vidit.

3 Anno 744 defuncto Dieterico rex factus est filius eius EDELHARDVS qui Francici jugi impatiens, primum se opposuit Carolomanno, sed victus Osnapurgum amisit: post a Grifone incitatus, insurrexit in Pipinum, ac tunc Ascaniam perdidit.

Anno 751 rursus funduntur Saxones a Pipino. Hoc prœlio Hildegardus Archiepisc. Coloniẽsis occubuit.

Anno 756 Saxones cum Bauaris icto fœdere aduersus Francos, quorum inualescebat indies potentia, pugnant, sed prœlio victi a Pipino, conditiones pacis accipiunt, promittuntque in singulos annos CCC equos. Perijt tunc Edelhardi regis filius; pater ipse vulneratus haud diu superfuit.

Anno 779 BERTHOLDVS Edelhardi & Vernekini frater

ter Dieterici filius, occubuit in prælio aduersus Frãcos.
Anno 768 Obijt VERNEKINVS Dietrici filius, dictus Pacificus, relictis liberis duobus, Brunone & VVitikindo.

4 VVITIKINDVS arte militari clarus, aduersus Francos a Saxonibus rex delectus est, & cum Carolo Magno Francorũ rege multa bella acriter gessit, Vicies quater cum illo congressus spatio annorum XXXV. Victi enim Saxones, ad ingenium semper redierunt. Tandem CCCC millibus ipsorum occisis, & nobilitatis parte maxima in Belgicam translata, cæteris per Germaniam submotis, coëgit ipsos Carolus & leges Francorum ferre, & jugum Christi suscipere, præeuntibus rege VVitikindo & Beringero Ballenstedense. Iucidit autem mutatio ista in annum Christi DCC LXXXV. VVitikindus ex rege Dux factus, hæreditarias regiones omnes seruauit; Datus ipsi in clypeo pro equo nigro, albus, saliens sine fræno, in fundo rubro. Ditio Ecclesiastica partim Moguntino partim Colonienſi subjecta est. Episcopales sedes fuere, Osnaburgum, Mimingrod, quod postea Monasterium vocari cœpit; Saligsted, quod nuc Osterwijck, cujus loci Episcopatus translatus est Halberstadium, VVerdena, Minda, Paderborna, & vltra Visurgim, Hildesheimium: nam Magdeburgensis Episcopatus postea institutus est ab Ottone. Porro VVitikindus iste condidisse fertur VVitebergam. Occubuit in prælio aduersus Sueuos cæsus a Geroldo ipsorum duce, anno DCCCVII. Sepultus fuit Engræ in basilica quam ipse condiderat, sed ab Henrico Aucupe translatus est inde Padebornam: vxorem habuit Geuam filiam regis Daniæ.

5 Frater VVitikindi fuit BRVNO conditor Brunsuicensis comitatus: ex hoc natus est Ludolphus, ex Ludolpho Otto, a quo longus ordo Imperatorum Saxonum, quem non pigebit ex Tabula Imperatorum repetere. VVitikindus filios habuit VVIGBERTVM ex Geua Daniæ regina, & VVitikindum juniorem, ex Suatana Bohemiæ principe natum.

6 VVIGBERTVS genuit liberos VVoltpertum, Regempertum, Immodum.

7 VVOLTPERTO filius fuit VVitikindus junior, qui etiam Bertiungus dictus est, ex quo natus Almarus, qui in Italia educatus, Ottonis VI filiam Adelheidam abduxit: sed reconciliatus Cæsari Ducatum Taurinacium & Eporregiæ nactus est, primusque fuit Marchio Montis ferrati. VVitikindus pater in Galliciam cum vxore profectus, ad S. Iacobi Compostellam, in itinere perijt.

8 DIETRICVS VValperti F. Comes fuit Ringelhemij: Ejus filia Machtildis nupta fuit Henrico Imperatori.

9 REGENPERTVS Henrico Aucupi in bello Danico operam egregiam nauauit.

10 IMMODVS vel Amadæus stirpis Ducum Sabaudiæ pater est.

11 VVITIKINDVS junior ex Suatana Bohema natus, ditionis quæ inter Salam & Albim sita est Dominus; Comes VVetini, Burg-grauius Sorbeci & Dynasta Bursetzij, duos filios reliquit ex Iulanda Theodorici Comitis Richlicensis filia, VVitikindum & Dietgremum.

12 VVitikindus relicta fratri hæreditate sua abijt in Galliam militatum: & sub Carolo Caluo ita se aduersus Normannos gessit, vt Iudæ Macchabæi cognomentum reportarit. Ab hoc ortum trahit Hugo Capetus a quo Reges Galliæ profecti sunt.

13 DIETGREMVS qui & Dietramus ab Ottone magno patruele suo Saxonum duce pulsus est Saxonia.

14 DIET-

14 DIETMARVS Henrico Aucupi aduersus Conradum Imperatorum fidelem & opportunam operam præstititit : ab eo restitutus bonis arma in Henetos qui Redarij dicuntur, vertit, adiutus a Bernhardo Saxoniæ & Luneburgi duce. Horum XX millia perijsse illo bello dicuntur.

15 DIETERICVS Ditmari filius, Marchionum Misniæ & Electorumque Saxoniæ caput est: Vxorem habuit Guttam Comitis Mersburgensis filiam.

16 DEDO Diterici filius Burg-grauius Sorbeci, Comes VVetini, Dominus Burtetzij, Burg-grauius Soraborum; ab Ottone III magno Comitatum quoque Mersburgensem iure clientelæ consecutus est: occubuit in prælio ad Tangermundam, Anno Christi M LX. Vxorem habuit Tetburgam Theodorici Marchionis Brandeburgici filiam.

17 DITERICVS Dedonis filius ab Henrico II Imperatore auctus est Marchionata Lansbergensi & comitatibus Cyllenburgensi ac Senselicensi: obijt confossus in cubiculo Anno M XXXIV. vxorem habuit filiam Echarti Marchionis Misnensis.

18 DEDO Diterici filius præter paternam hæreditatem Marchionatum quoque Misniæ matris beneficio primus Saxonum adeptus est. Thuringiam hostilibus copijs inuasit Anno M LXIX, captus idcirco a Cæsare, & in exilium actus, obijt, filio etiam noctu in arce Beichlingensi a ministro confosso.

19 THIEMO post fratris & nepotis obitum auctus est bonis, gratusque insuper Imperatori Henricus IV ob fidem domi militiæque ipsi præstitam, totum Misniæ Marchionatum ad se delatum nõ potuit consequi, occupantibus eius partem Bohemis: sed post eius obitum (occubuit autem anno M XCI.) filius CONRADVS Marchionatum ab auia ad patrem, a patre ad se delatum, confirmantibus successionem Henrico IV & Lothario Imp. pleno iure adijt, anno M. CXXVI.

Fuerant autem antea alij MARCHIONES MISNIÆ, Hac serie.

Anno 930 Henricus Auceps Misniam vrbem condidit, instituitque Marchionatum Misniæ aduersus Bohemos, Polonos, Silesios, præfecitque ei ex posteris VVitikindi Brunonem.

I BRVNO igitur iste primus fuit Misniæ Marchio.

II RIDACVS Brunoni successit, cognomento diues, Comes Mersburgensis.

III Ridaco successit ECHARDVS I Guntheri Comitis Ostlandiæ filius, Misniæ Orientalis Comes, qui Boemos Misnia expulit, & Misniam vt hæreditarium feudum ab Ottone III accepit, factus insuper Marchio Thuringiæ.

IV HERMANVS Echardi filius vixit Anno M X, cui cum Gunzelino patruo fuit contentio.

V ECHARDVS II, qui Misniam a fratre Echardo aduersus Boemos ad sertam prouide defendit.

VI DEDO pater.

VII DEDO filius.

VIII HENRICVS ex familia Bithinia.

IX THIEMO de quo jam diximus num. 19.

X CONRADVS.

CONTI-

CONTINVATIO DVCVM SAXONIÆ a Thiemone Marchione Misniæ deinceps, vsque ad FRIDERICVM bellicosum Electorem Saxoniæ.



20 CONRADVS I. De quo jam ante diximus. Hic post obitum conjugis, (fuit ea Lutgardis Friderici Ducis Sueuiæ filia) factus est monachus Lanterbergæ.

21 OTTO Conradi filius, qui a repertis argenti fodinis *Dines* dictus est, Misniæ, Lusatiæ, & Osterlandiæ Marchio, Fribergam condidit, Lipsiam & Isenacum muniuit, Veterocellense monasterium ad Muldam amnem fundauit. Vxor ei fuit Heduigis Alberti Marchionis Brandenburgici filia. Aduersa passus est non semel. VVartpergæ eum in vinculis habuit Ludouicus Thuringiæ Lantgrauius: dimissus inde Friderici Barbarossæ autoritate, in carcerem coniectus est a filio Alberto, Dibini. Obiit Anno MCXCV, Heimersdorffij: sepultus est Veterocellis cum coniuge. Eius frater THEODORICVS fidelem Friderico operam præstitit in omnibus itineribus: magni animi vir; ausus etiam Henricum Leonem ad singulare certamen prouocare. FRIDERICVS vero, pater eius Friderici fuit, qui iuuenis admodum Ptolemaide obiit anno MCCXX.

22 DEDO frater Ottonis cognomento *Pinguis* Comes Rochlicensis & Groicensis fundauit cœnobium Cilliense ad Muldam, quod nunc vocant VVechselpurgum. Tanta autem fertur fuisse abdominis crassitie, vt quum in Apuliam iter faceret cum Imperatore Henrico V, iusserit sibi aruinam eximi, ne mole corporis impediretur. Vxores habuit Dobrogeram Boleslai Ducis Poloniæ filiam, & Kunegundam Comitissam a Pleussen. Obiit Anno MCXC.

23 ALBERTVS Ottonis filius cognomento *Superbus*, quum intellexisset fratrem suum juniorem Dietericum instinctu matris Marchionem Misniæ a patre esse institutum, furore percitus arma in patrem, postea in fratrem sumpsit, quem etiam ditione omni diecit, thesauro paterno, qui MMM marcarum argenti erat, effosso. Vxor ei fuit Sophia filia Ducis Bohemiæ.

24 DITERICVS Alberto fratri sine sobole extincto successit. Bellum gessit cum Lipsiensibus: vxorem habuit Iuditham Hermanni Lantgrauij Thuringiæ & Vassiæ filiam. Obijt anno MCCXX.

25 HENRICVS Dieterici fil. Ottonis diuitis Nepos cognomento *Inlustris* suorum maiorum beneficio Marchio Misniæ, Lusatiæ, & Osterlandiæ, Palatinusque Saxoniæ, vxoris vero maiorum Lantgrauius Thuringiæ, defunctis sine mascula prole Ludouico, & filio eius Hermanno. Multum ille Anno MCCXLVII in Borussis ad fidem Christi conuertendis laborauit. Equestres ludos Misniæ anno MCCXLVII, postea Northusii exhibuit, vbi etiam ingentem quercum argenteam cum foliis aureis exhibuisse dicitur, & quidem solidam: fuit enim adeo dives, vt argento ex Fribergensibus venis effosso totum regnum Bohemiæ emere potuerit. Vxores habuit tres ordine, primum Constantiam Leopoldi Ducis Austriæ filiam: Secundam Agnem filiam Othocari regis Bohemiæ; Tertiam Elisabetham a Milititz: extinctus est Dresdæ anno MCCLXXXVIII. Exstruxit cœnobium Nouocellense, ipse in Veterocellensi sepultus.

Addidit autem Henricus iste suis titulis PALATINATVM SAXONIAE, qui ante ipsum ab Ottone II institutus Magdeburgi hac serie administratus fuit, sub signo aquilæ luteæ in clypeo cæruleo.

I FRIDERICVS I ex antiqua Saxonum & Francorum ortus prosapia.

II FRIDERICVS VI prioris frater. Hic ab Henrico III Imperatore monarchiam Palatij (sic loquitur vetus Chunicon Gozikense) accepit.

III FRIDERICVS III secundi nepos, postumus.

IV FRI-

IV FRIDERICVS IV, eiusdem familiæ. Hic quũ se sacro ordini dedisset, ac postea ducta vxore redijsset ad seculi honores, reprehensus est accusatusque periurij a Nortberto Magdeburgensi Archiepiscopo: quocircà deserta vxore redijt ad tonsuram & habitum clerici iterum adsumpsit.

V VVIGBERTVS Comes VVurcepurgensis.

VI HERMANNVS Comes VVurcepurgensis.

VII HERMANNVS Thuringiæ Lantgrauius beneficio Friderici Barbarossæ Palatinatum Saxoniæ consecutus est, Anno MCLXXXI.

VIII LVDOVICVS Hermanni F.

IX HENRICVS Ludouici frater.

X HENRICVS Marchio Misnensis, de quo iam diximus numero 25. Ab hoc deinceps ordo Palatinorum Saxoniæ, Marchionum Misniæ, Lantgrauiorum Thuringiæ sic ducurrit.

26 ALBERTVS Henrici filius, dictus ob vitia *Degener*, vxorem habuit Friderici II Imperatoris filiam Margaritam, cum eaque dotis loco adeptus est Altenburgum & terram Plissensem: Sed posteà exarsit in Kunegundam pellicem; vsque adeo vt coniugis etiam vitæ insidiaretur. Quum venenum non succesisset, egit cum mulione quodam, qui ligna VVartburgum in culinam arcis quotidie deferebat, vt is collum coniugi, quasi si a malo Dæmone id factum foret, contorqueret. Nec renuit in speciem officium mulio: sed digressus, monet Ducissam vt vitæ suæ consulat. Illa noctu in summa trepidatione dum liberos Fridericum & Dicemannum in cunis iacenteis ingenti cum adfectu dissuauiatur, genã alterius admordet, qui ex eo dictus Fridericus admorsus, dum vixit, in ore memoriam maternæ fugæ patrisque iniuriæ gessit. Mater restibus per fenestram demissa, ægrè Francofurtum euasit, atq; ibi in monasterio virginum aliquamdiu morata, secundo post anno extincta est. Albertus post obitum vxoris Kunigundam vxorem duxit, filiumque ex ea suscepit Ludouicum: Fridericus vero & Dicemannus apud patruum Henricum interea educati, iniuriæ maternæ memoriam recolebant, crescente indies etiam vindictæ studio; cui per se vanæ, irritamentum accessit ex potentiæ incremento, dum patruus improlis, fratre præterito, ipsos bonorum suorum, Misniæ, Osterlandiæ, & Lusatiæ hæredes instituit. Hinc itum ad arma, quæ idcirco magis visa sunt necessaria, quod ciuitates, Alberto, vrgenti vt Ludouico filio suo fidem præstarent, aperte responderent, se non nisi legitimis hæredibus adhærere velle. Capitur interea pater, & per totum annum in custodia habetur: Rudolpho tamen imperatore alijsque proceribus intercedentibus dimittitur. Ergo irritatus amplius, fidei datæ, & iuris humani immemor Ioannem Brandeburgicum Marchionem & Eberhardum Anhaltinum magnis propositis præmijs in filios concitat: qui post multas strages tandem Anno MCCXC cum Friderico rebus compositis arma exuunt. Desperatis rebus, tandẽ Albertus Thuringiã Adolpho Nassouio Imperatori, nam is interea successerat, vendidit XCIV millibus florenorũ, vt filijs potiundi spẽ eriperet. Multa illo bello immaniter gesta sunt, alijs opimæ regioni insidiantibus, alijs quod possidebant defendentibus: Adolphus Imperator post multas clades nouo bello implicatus, Misniam deserit, relicto illis Philippo propinquo suo exercitus duce. Nec multo post ipse ad VVormatiam perit, confossus ab Alberto, Imperij competitore, anno MCCXCVI, eopse anno quo etiã Philippus a Friderico captus fuit. Nec vero Alberto Imperatori fælicius cessere consilia, præsertim ex quo VVartburgum per Adelheidam ter-

tiam Alberti coniugem Friderico deditum fuit; eius enim filiam ex priore marito duxerat Fridericus. Exutus enim excussusque bonis omnibus Albertus, coactus est tandem Erfurdicæ priuatam vitam in monasterio agere, vbi etiam senex atque inglorius in summa rerum egestate extinctus est, Anno Christi M CCC XIV.

27 FRIDERICVS qui a Virtute animi *Fortis*, ab oris vitio *Admorsus* vocatus fuit, victis potentissimis hostibus, patre imprimis, tum Ioanne Brandenburgico, adhæc Adolpho & Alberto Imperatoribus, & Philippo Nassouio, ac Voldemaro Brandeburgico, multis præterea malis exteris patriisque exercitus, tandem tranquille ditiones suas possedit: mortuus est anno Christi M CCC XXVI, sepultus Isenaci. Frater eius Dicemannus fidelis ei fortunæ ferendæ socius Lipsiæ per sicarium a Philippo Nassouio submissum in ipso templo indigne cæsus est, sed & ipsa haud multo post a Friderico aperto Marte confossus ocubuit.

28 FRIDERICVS *Seuerus* Friderici Admorsi filius, Lantgrauius Thuringiæ, Marchio Misniæ, ea fuit virtutis fama, vt post excessum Ludouici Bauari, cuius ille filiam vxorem duxerat nomine Mechtildem, contra Carolum IV Romanorum Imperator designatus sit, cui tamen cessit, acceptis ab ipso decies M. argenti marcis. Orlamundensem Comitatum ditioni suæ adiecit, pulso propter superbiam & fastum Hermanno Comite. Emit quoque dimidiam partem Salzensis ditionis; In Anglia receptus est ab Eduardo VI in ordinem equitum aureæ periscelidis: Obiit Pegauij in hastiludio, anno Christi M CCC XLIX, sepultusque est Veterocellis cum vxore.

29 FRIDERICVS Strenuus Carolo IV Imperatori fidelem in bellis operam nauauit. Albertum Brunsuicensem reuocauit a prædis ad pacis studia. Eccessit e viuis anno Chrrsti M CCC LXXX. Eius frater Ludouicus Archiepiscopus Moguntinus quum choreas duceret Calbæ in Bacchanalibus ortum repente incendium vitans, lapsus e contignatione periit.

30 FRIDERICVS Friderici F. Friderici N. Friderici abnepos Bellicosus, Sigismũdo Imperatori adfuit aduersus Hussitas in prœlio illo memorabili ad Brixiam, in quo duo millia Hussitarum occubuerunt, Anno M CCCC XXI: eaque de caussa factus est a Sigismundo Septemuir Imperii siue ELECTOR Saxonicus, & Mareschallus, post Albertum Anhaltinum, Budæ in Hungaria, anno M CCCC XXV.

Porro ELECTORATVS SAXONICVS vsque ad Fridericum Bellicosum in aliis VVitikindeæ familiæ ramis, diuersis etiam a Principatu Saxonico, fuit. Estque operæ pretium hoc loco eorum seriem inserere, vt constet ad Fridericum vsq; Electorum ordo. Quinque ergo sunt familiæ in quibus Electoratus iste stetit, Bilingiorum scilicet, Supplinburgiorum, Bauarorum, Anhaltinorum, & Saxonum Misnicorum.

ELECTO-

ELECTORES SAXONICI EX BILINGIORVM STEMMATE.



BILINGIVS nobilis fuit in Stipſhorn vel Stubſkeſhorn, cuius opera Otto I Imperator vſus eſt in filiorum ſuorum inſtitutione, inque expeditione Italica contra Berengarium. Eum Otto virtutis cauſſa primum fecit Prætorem Magdeburgenſem poſtea Saxoniæ Gubernatorem, Adelgadus quoque Hamburgenſis Epiſcopus eundem diœceſi tuæ præpoſuit, profecturus cum Cæſare in Italiam. Quumque aduerſus Danos & Slauos interea feliciter rem geſſiſſet, creatus eſt a Cæſare poſt reditum ex Italia Dux Saxoniæ: donata etiam ipſi iure hæreditario ditione Luneburgenſi, cum Holſatia, Stormarſia, VVagria & Ditmarſia. Huius multa exſtant Hamburgi & Luneburgi magnificentiæ præclara monumenta. Sepultus eſt Luneburgi Anno C M LXXXI.

1 BERNHARDVS I qui & Benno dictus eſt Hermanni Bilingi filius, Saxoniæ, Angriæ, & VVeſtfaliæ Dux, dynaſta Luneburgi, Ottoni I I fidelem operam nauauit in expeditione Danica. Slauos deuicit. Halzelonem Bauariæ ducem de ſpe conatuque imperij quod adfectabat, vna cum Cæſare Ottone I I I depulit. Itaque primus Elector Saxoniæ deſignatus eſt. Henricum I I Imperatorem initio oppugnauit, poſtea tamen eidem eligendo ſuffragatus eſt. Obiit anno M XI, ſepultus Luneburgi.

2 BERNHARDVS Dux Saxoniæ dynaſta Luneburgi II Elector Saxoniæ fuit. Mortuus anno Chriſti M LXIII.

3 ORTOLPHVS III Elector Saxoniæ Angriæ & VVeſtfalia Dux, Dynaſta Luneburgi, arcem Hamburgenſem condidit. Obiit Anno Chriſti M LXXIII.

4 MAGNVS Elector IV Saxoniæ Scauos vicit, Lusatiam Imperio restituit. Stetit autem a Rudolpho Sueuo, quem contra Henricum IV Pontifex Imperatorem fecerat, eoque ab Henrico in exsilium primum, postea in carcerem actus, honoribus omnibus priuatus est. Obijt anno MCVI. Sepultus est Luneburgi.

Familiæ Supplinburgensis elector SAXONICVS vnus.

5 Sublato Magno Electoratus Saxoniæ tanquam vacuum feudum ad LOTHARIVM Comitem Supplinburgensem & Arnspergensem ab Henrico V Imperatore translatus est. Ac conatus est quidem Henricus Electoratum a Lothario transferre in Hoierum Mansfeldiæ Comitem, sed victus est a Saxonibus, ipso etiam Hoiero interempto, memorabili illo prœlio, quod ad VVelphonis syluam commissum est, quo XLV millia hominum vtrimque cæsi memorantur, LOTHARIVS vero Imperator factus est.

Familiæ Bauaricæ Electores Saxonici duo.

6 Lotharius factus Imperator HENRICVM Bauariæ ducem generum suum Saxoniæ Ducem creauit, Luneburgi insuper & Brunsuigæ Dominum, Electoremque Saxoniæ. Auctus tantis opibus & honoribus Henricus animum extulit, spesque altas concipiens, etiam ad Imperii fastigium extincto fecero adspirauit: dictus ob id & ob mores Superbus. Insignia quoque imperii a Lothario relicta seruauit apud se, neque induci potuit, vt ea Electoribus restitueret. Inuisus ergo Principibus, præterituſque, Conradum Sueuum prælatum sibi Augustæ obsedit. A quo proscriptus est, data etiam Saxonia Alberto Vrso Marchioni Brandeburgensi: Bauaria vero Leopoldo duci. Ille exutus vtroque ducatu, nomen tantum Superbi retinuit: mortuus est anno Christi MCXXXI.

7 HENRICVS LEO, Bauariæ Dux, Elector Sax. Superbi filius, gener Angliæ regis Henrici, ab Albi vsque ad Rhenum, & ab Hercyniis iugis, vsque ad mare Balthicum dominatus est. Cognomentum habuit a virtute. Nam & Henetos vicit, & Fredericum Barbarossam Romæ præsenti discrimini eripuit furentis plebis, & Frisios fortiter oppugnauit, & Danubium ponte iunxit. Postea tamen deseruit Imperatorem in oppugnatione Alexandriæ, caussatus ipsius a Papa proscriptionem. Quam ob caussam Fridericus in Germaniam reuersus eum maiestatis reum citauit, & lata sententia etiam condemnauit, data Bauaria Ottoni VVitelsbachio Palatino, Saxonia vero Bernhardo Anhaltino. Ipse post multas molestias frustra Cæsarem deprecatus, obiit Brunsuigæ, Anno Christi MCXCV.

FAMILIÆ

FAMILIÆ ANHALTINÆ ELECTORES SAXONICI OCTO vsque ad Fridericum Bellicosum.



VIII BERNHARDVS Alberti Vrsi Marchionis Brandeburgici filius ex principum Anhaltinorum nobilissima familia natus anno MCLXXX in conuentu VVurceburgico a Friderico I Imperatore Dux & Elector Saxoniæ pronunciatus est. Sub hoc igitur ditio Saxonica & Brandeburgica ad gentē Anhaltinam deciderunt, vtriusq; Ascaniæ ad Herciniam Vrsus trium amplissimarum familiarum in Germania caput factus est, Saxoniæ inquam ducum tum Veterum per Albertum ; tum Leoburgensium, per Ioannem eius fratrem; Marchionum Brandeburgensiū, per Othonem Bernhardi fratrem; & Principum Anhaltinorū, per Henricum Bernhardi filium. Porro Bernhardus dux & Elector Saxoniæ factus, etiam trabium auratarum & nigrarum, rutaceique serti insignia accepit, quum eius clypeo Imperator forte corollam rutaceam qua ornatus æstate erat, capiti suo detractā, iniecisset. Mortuus est anno M CC XII.

IX ALBERTVS I Bernhardi filius Dux & Elector Saxoniæ, VVestfaliæ & Angriæ, sub Friderico II militauit, cum eoque in Palæstinam profectus est. Extinctus anno Christi M CC LX.

X ALBERTVS II Guntherum Magdeburgensem Archiepiscopum armis oppugnauit, & in electione Alberti Imperatoris turba circumsistentium pressus, obiisse dicitur, anno M CC XCVII. Vxorem habuit Agnem filiam Rudolphi I Imperatoris.

XI RVDOLPHVS I Alberti II filius, Dux Saxoniæ, Angriæ, VVestfaliæ, Comes Bremæ, Burg-grauius Magdeburgensis, sacri Romani Imperii Mareschallus & Elector, belli paterni reliquias contra Guntherum Magdeburgensem aliquanti sper persecutus, tandem pacis amore composuit. Ludouicum Bauarum in electione Imperatoris grauiter offendit, sed reconciliatus ei postea, Marchionatum Lantspergensem veterem in Marchia ab eo obtinuit. Obiit anno M CCC LVI. Tribus Imperatoribus eligendis adfuit, Henrico VII, Friderico Austriaco, & Carolo IV.

XII RVDOLPHVS II in Gallia exercitum duxit cum magna laude : Templum cathedrale fundauit VVitebergæ Anno M CCC LVII. Luneburgensem Ducatum jure clientelari cum nepote suo ex fratre, & fratre VVenceslao accepit a Carolo : Mortuus est sine liberis, anno Christi M CCC LXX. Vxor ei fuit Elisabet Comitissa Ruprinensis & Lindouiensis.

XIII VVENCESLAVS I Dux & Elector Saxoniæ fratri successit, Ducatu quoq; Luneburgensi auctus post obitum Alberti. Hic in expugnatione arcis Zellensis ad Allerum amnem læsus, protinus extinctus est. Sepultus est Luneburgi ad S. Michaëlis.

XIV RVDOLPHVS III, Saxoniæ, Angriæ, VVestfaliæ, & Luneburgi dux, Elector, vir grauis & prudens. Hic ab electione Ruperti Palatini Imperatoris domum rediens in itinere a Comite VValdeccio vulneratus est, instinctu Archiepiscopi Moguntini Ioannis Nassouij : sed restitutus conualuit. Extinctus creditur veneno in legatione Bohemica, anno Christi M CCCC XVIII. Vxores habuit Annam Balthasari Lantgrauij Thuringiæ filiam, & Barbaram natam Ruperto Duce Lignicensi.

XV ALBERTVS III Vltimus Anhaltinorum Dux & Elector Saxoniæ fuit. Hic quum forte in saltibus Lochauicis venatur cum vxore Offega, filia Cōradi Ducis Osensis in Silesia, noctu in casulam rusticam diuertit ; vbi orto incendio nudus aufugit, & ex animi consternatione post paucos dies exspirauit, anno MCCCC XXI nullis relictis liberis, Sepultus est VVitebergæ.

Ita

Ita ergo ad FRIDERICVM Bellicosum Lantgrauium Thuringiæ & Marchionẽ Misniæ ex stirpe VVitikindæa, deficiente sobole corum qui proxime electoratui præfuerant, dignitas Septemuiralis a Sigismundo Imper. trãslata est, sicut ante diximus. A Friderico fundata est Academia Lipsica anno 1409. Obijt an. M cccc XXVIII, sepultus jacet Aldenburgi: vxor ei fuit Catharina Henrici Ducis Brunsuicensis filia. Ab hoc deinceps profecti sunt Duces & Electores Saxoniæ. Eius filia Anna nupta fuit Ludouico Lantgrauio Hassiæ. Catharina vero Friderico Marchioni Brandenburgico.

STEMMA DVCVM ET ELECTORVM SAXONIÆ è familia Misnica, a Friderico Bellicoso vsque ad Ioannem Georgium.



1 De FRIDERICO bellicoso dixi.

2 FRIDERICVS II Placidus Saxoniæ dux, Elector, Lantgrauius Thuringiæ, Marchio Misniæ, natus est an. 1411. Bohemos in Misniam irruentes repulit, reportata ab illis victoria. Pro fratre Sigismundo bellum gessit cum Francis. Gessit quoque bellum cum fratre Guilielmo, post Henrici alterius fratris obitū, de communi hæreditate, Bohemis & Marchicis Guilielmo suppetias ferentibus; Sed quum constaret sicarium quendam Friderico operam suam obtulisse in fratre tollendo, ipsumque id ægerrimè tulisse, adeo ipsius amore & pietate accensus est Guilielmus, vt post breue colloquium armis depositis pax confirmata sit, ipsique inter se ex eo vixerint coniunctissimi. Mortuus est Fridericus Lipsiæ anno 1464, sepultus Misniæ. GVILIELMVS verò Friderici frater pro Alberto rege pugnauit aduersus Bohemos, Anno 1461 profectus est Ieroſolymam, reuersusque obijt: sepultus VVimariæ. Filias habuit, Margaretam nuptam Ioanni Brandeburgico; & Annam nuptam Henrico Duci Munsterbergico.

3 ERNESTVS Dux & Elector Saxoniæ prima statim ætate viuo patre mirabilem casum cum fratre Alberto expertus est. Nam quum Cunradus Kaufungus Friderici II aulæ magister & in bello ipsius contra Albertum Marchionem capitaneus ob virtutem ab Electore aduersus Bohemos missus, vna cum Nicolao Pfluglo captus ab hoste esset, placuit Friderico Pflugium quidem suo ære redimere; Kaufungo vero lytron quod ipse persoluerat, non reddere; addita hac caussa, quod ipse non vt feudi possessor, sed vt stipendiarius Ducis militasset. Ex eo igitur Kaufungus iras concepit & odium in Dominum; Neque dissimulauit offensionem, additis interdum minis. Ob hanc caussam exsilio mulctatus est ipse, bona vero eius fisco adiudicata. Kaufungus exsul in Bohemiam concessit, atque ibi vindictam meditās re cum Friderici hostibus communicata statuit grande aliquid patrare. Præmisit ergo quendam, qui in coquum allectus, in aula Ducis exploratorem acturus esset. Huius opera quæcumque gerebantur Aldenpurgi (ibi enim agebat Princeps) intelligebat. Forte Lipsiam profectus Fridericus, domi reliquit vxorem cum liberis. Resciuit id Kaufungus. Statim ergo coactis XXXV equitibus, peditibus X, dat se in viam, & 2 Iulij nocte intempesta ad arcem accedit. Offendit per coquum omnia ad adscendendum parata. Ergo per fenestram arcem ingressus, recta petit iuniorum principum cubile. Ernestus e somno excitatus exclamat, adesse Kaufungum, & mortem sibi intētare. Kaufungus obstructis ostijs ne quis posset exire, Ernestum secum abducit, Albertum vero socio suo qui cum ipso ingressus fuerat, cōmittit. At is pro Alberto alium quendam apprehensum, (occultauerat enim se sub lecto Albertus) in aream educit. Eum vt vidit Kaufungus, repetit prius iter, arcemque secundo ingressus, Albertum cōfert. Ita ex arce per portam duo Principes educuntur, matre è fenestra prospiciente, & quantum dolor patiebatur, promittente omnia, per summas blanditias. At Conradus Kaufungus præda gaudens, Principem maiorem in Bohemiam abducit, minorem alij duo socij in Franconiam, trepidantibus Altenpurgi & per vicinum tractum ciuibus, & raptores quaquauersum insequentibus. Kaufungus Albertum ductans, quem fames premebat, forte equo desilierat, fraga carpturus pellendæ ipsius fami. Id dū facit, hæsere eius in rubo calcaria. Ita ergo pronus Kaufungus corruit. Carbonarius quidam e silua molossum sequutus, incidēs forte in Kaufungum, eumq; loricatum videns, quærit quid sit rei, & quorsum puerum

rum abducat? Reſpondet alter, Fugitiuum eſſe, quem illo hero ſuo vellit reſtituere. Sed Albertus ruſtico in aurem inſuſurrat, ſe Principem eſſe Saxoniæ, rogatque vt ſe liberet captiuum. Ibi carbonaribus runcina Kaufungum adgreſſurus fuiſſet, niſi vetuiſſet Albertus. Canis ſtrepitu commotus latratu ſuo vxorem ruſtici excitat: illa vicinos vndique carbonarios. Hi Kaufungum captiuum cum ſocijs capiunt, Albertum ad abbatem Grunhainenſem, in cuius ditione certamen commiſſum eſt, abducunt, refectum ante atro pane & aqua. Inde Zwiccauium perlati ſunt. At ſocij Kaufungi qui Erneſtum abduxerant audita alterius fratris liberatione, deſperantes rebus ſuis, & ſceleris conſcientia perculſi, Zwiccauium mittunt, reddituros ſe Erneſtum pollicentes, ſi vitæ ipſis incolumitas promittatur. Data fide reducitur Erneſtus. Ita vterque filius ad mœſtos & ſollicitos parentes ingenti cum gaudio redit, duodecimo poſt raptum die. Inde protinus Eberſdorfium profecti omnes gratias Deo agunt. Ac XVI die Iulij Aldenpurgum reuerſi, ſpectarunt loca quibus facinus tantum commiſſum fuit. Kaufungus Fribergæ capite truncatus eſt. Socij partim Zuiccauiæ, partim Aldenpurgi. Veſtes principũ in templo B. Virginis Eberſdorfij ſuſpenſæ in rei momoriam. Erneſtus poſt patris obitum bonorum & honorũ ſucceſſor, prudentia imprimis claruit, qua ille vna cum Ioanne Marchione Brandeburgico tres reges diſſidentes in concordiam reduxit Vratiſlauiæ: Caſimirum Polonum, Ladiſlaum Bohemum, & Matthiam Hungarum. Obijt anno Chriſti M CCCC LXXXVI, in arce Choldicia a ſe exſtructa: ſepultus Miſniæ. Vxorem habuit Eliſabetam Alberti Bauariæ Ducis filiam, ex qua nati Fridericus ſapiens, Ioannes, Albertus Epiſcopus Moguntinus, & Erneſtus Archiepiſcopus Magdeburgenſis. Cæterum ALBERTI ſingularis virtus fuit fortitudinis, ob quam animoſus dictus eſt. Eum Fridericus Imperator Friſiæ præfecit. Eiuſdem opera vſus eſt aduerſus Carolum Burgundum ad Nuſſiam. Maximiliano idẽ quoq; fidelem operam præſtitit aduerſus Brugenſes. Ac ob rem bene geſtam aureo vellere donatus eſt Noribergæ, anno Chriſti MDXIX. In Hollandia quoque & Zelandia pro Imperatore pugnauit. Filium Henricum Friſiæ præfecit; & cum Gruningenſibus agens febri correptus, mortuus eſt Embdæ, anno ætatis LVI. Huius nepos a Carolo V Elector factus eſt, tranſlata dignitate a Ioanne Friderico Erneſti nepote, in Mauritium nepotem Alberti. GEORGIVS Alberti filius Barbatus, Gubernator Friſiæ fuit, Pontificius, Lutherani dogmatis perſecutor. Hic moriens fratrem ſuum Henricum teſtamento excluſit bonis ſuis, quod non eſſet eiuſdem ſecum in religione ſententiæ.

4 FRIDERICVS Sapiens paci imprimis ſtuduit. Maximiliano Imperatori prudentiam ſuam in conſtituendo cameræ iudicio probauit. Academiam VVitebergenſem inſtituit, fouit, amplificauit. Anno MDXIX quum de eligendo Cæſare Francofurti ageretur, delatum ſibi imperium modeſte recuſauit, commendato Carolo V. Lutherum doctrinæ reformationem meditantem neque promouit admodum, neque impediit. Extinctus eſt nephritide cælebs 5 Martij, Anno Chriſti M DXXV, ſepultus VVitebergæ in templo arcis.

5 IOANNES Friderici frater, Elector Saxoniæ, anno MDXXX in Comitiis Auguſtanis Carolo V confeſſionem Proteſtantium exhibuit, nihil veritus Pontificiorum indignationem & minas. Inſignia Principatus ab Imperatore non potuit impetrare. Obiit

Schwencinij, Sepultus est VViterbergæ, Anno Christi MDXXXII, dignitatis electoratis septimo.

6 IOANNES FRIDERICVS Ioannis filius, Dux & Elector Saxoniæ, religionem sibi a patre traditam magno animo defendit. Missus a patre ad Comitia, quum de Ferdinando Caroli V fratre in regē Romanorum deligendo ageretur, opposuit se fortiter, quod non esset Germanus, sed natus in Hispania: post obitū tamen patris consensit. Cum Mauritio acre bellum gessit, quod intercessione Philippi Lantgrauij Hassiæ compositum est. Henricum Brunsuicensem oppugnauit. Ipsum quoque Carolum V Imperatorem, susceptа defensione cum Principibus & Rebuspublicis confœderatis libertatis & religionis, anno MDXLVI. Sed victus priuatusque dignitate Electorali in custodia mansit, ingenti cum capitis discrimine, annos totos quinque. Dimissus anno MDLII constantiæ & magnanimitatis testimonium retulit a Cæsare: neque indigne tulit, honorem Electoralem in Mauritium sobrinum suum translatum esse. Obijt VVimariæ anno MDLIV. Ejus filius IOANNES FRIDERICVS II Saxoniæ Dux, Thuringiæ Lantgrauius, Marchio Misniæ, patri successit, honore tamen Electorali destitutus. Is Anno MDLVIII Academiam Ienæ aperuit, obtentis etiam priuilegiis Cæsareis. Guilielmum Grumpachium & socios eius ab imperio ob interfectum Herbipolensem Episcopum proscriptos, recepit, & in arce sua Grimmensteyn tutatus est. Idcirco hostis renunciatus, obsessusque Gothæ ab Augusto Saxoniæ Electore, executore decreti Cæsarei, captiuus ad Imperatorem abductus est, Anno MDLXVII. obijt in carcere Styriæ, Anno MDXCV. Ejus frater IOANNES GVILIELMVS expeditionem in Galliam suscepit sub Carolo IX, ad iuuandum Condæum principem religionis caussa laborantem, anno MDLXVIII. Adfuit Augusto Electori obsidenti fratrem Gothæ. Obijt anno MDLXXIII die 24 Febr. Sepultus est VVimariæ. Huius filius fuit FRIDERICVS GVILIELMVS, qui post obitum Christiani Electoris totius Septemuiratus administrator factus est.

7 MAVRITIVS Henrici filius, Alberti nepos, a patre religione reformata imbutus, post eius excessum doctrinam eamdem adseruit: ægre tamen tulit, quod submoto Iulio Pflug Episcopo Numburgense, Nicolaus Amsdorfius a Luthero esset ordinatus, cuius hoc dogma parudoxum erat, Bona opera noxia esse saluti. Scholas & judicia Ecclesiastica VVitebergæ & Misnæ instituit. Carolo V aduersus Franciscum I militanti adfuit, capto etiam Landresio. Henricum Brunsuicensem partim armis, partim prudentibus consiliis domuit. Ioannis Friderici Electoris sobrini sui a Cæsare proscripti ditiones sibi donatas inuasit, & bellum aduersus eum gessit, quod satius iudicaret, ab amico & consanguineo terras illas possideri, quam ab hoste aut alieniega. Anno MDXLIII insignia Electoratus accepit Augustæ. Ex caussa interimistica in bellum adiaphoristicum protractus, moderatè se gessit. Magdeburgum obsedit Anno MDI. Ipsum quoque Cæsarem Carolum bello petijt cum fratre Ferdinando, atque ita Ioannem Fridericum cum Philippo Hassiæ Lantgrauio ex carcere liberauit. Albertum quoque oppugnauit Marchionem Brandeburgicum, in eoque conflictu sclopeto ictus 11 Iunij An. MDLIII occubuit Siuersh usæ prope Luneburgum. Vixit annos XXXII, menses tres, dies XXV. Eius filia Anna nupta fuit Guilielmo Principi Auriaco, ex eaque natus est inuictus ille heros & vere Martis pullus MAVRITIVS NASSOVIVS Prouinciarum vnitarum Gubernator.

8 AVGVSTVS Henrici filius, Alberti animosi nepos, Mauritij frater, archimareschallus & Septéuir Imperij, in aula Ferdinandi cum Maximiliano ipsius filio educatus, inchotam a teneris vnguculis amicitiam cum adulto imperatore perpetuo coluit. Iunior Caroli V partes, vt potiores sequutus est contra Ioannem Fridericum. Anno MDXLVIII vxorem duxit Annam Christiani Danorum regis filiam. Fratri Mauritio in dignitate & feudis successit, quod is prole mascula careret. Reconciliatùs postea Ioanni Friderico, fœdus cum Principibus Germaniæ pepigit societatis & præteritarum iniuriarum obliuionis. Gothanum bellum confecit; capta per deditionem vrbe, & sumpto de proscriptis supplicio, arcem Grimmensteyn solo æquauit. Formulam concordiæ Torgæ proponi jussit, Anno MDLXXIX. Obijt tandem An. MDLXXXVI, die 2 Febr. sepultusque est Fribergæ, eodem anno quo post Annæ prioris coniugis obitum duxerat Agnetam Heduigem, Ioachimi Ernesti principis Anhaltini filiam. Filios habuit præter Christianum Electorem, Alexandrum, Ioachimum, Hectorem, qui iuuenes extincti sunt, filias, Dorotheam, Elisabetham, & Annam. De hoc circumferuntur hi versus.

Saxo gubernauit decies ter ensifer annos
Atque duos; septem & decies tres seruijt Annæ,
Tres decies nouemque dies viduus fuit idem.
Tres decies septemque dies sponsalia duxit,
Tres decies atque octo dies cum vxore secunda
Vixit; sed decies sexto defloruit anno,
Mortuus Elector, sic transit gloria mundi.

9 CHRISTIANVS Augusti filius, natus est Anno MDLX, datusque est a patre iuuenis admodũ Senatui Electorali in Saxonia Præses a patre, anno ætatis XXL. Sequenti anno vxorem duxit Sophiam Electoris Brandeburgici filiam. Post patris obitum bonis & honoribus auctus, meditatus est serio doctrinæ & disciplinæ Ecclesiasticæ reformationem: sed quum essent qui crudum illud & impium de inconditionata quorundã hominum electione, maximæ vero mortalium partis reprobatione introducere conarentur, & ad eam rem ipsius quoque scripturæ testimonijs abutentur, religionem omnẽ religionis introducendæ titulo euertentes, caruit res successu; ipso imprimis Christiano ex hac vita euocato, anno ætatis XXXI. die Septembris 27. Sepultus est Fribergæ. Liberos reliquit, Christianum II, Ioannem Georgium, & Augustum, minorennes. Horum cura Guilielmo Friderico commissa est, qui Saxoniæ administrator fuit.

10 CHRISTIANVS II anno MDCI capax honorum factus, regimen ipse suscepit: ac nouennio post a Rudolpho Imperatore inuestituram Ducatuum Iuliacensis, Cluensis, & Bergensis, pro se & familia Saxonum VVitikindæa suscepit, 7 die Iulij, Pragæ: Sequenti vero anno, qui erat MDCXI extinctus est, 23 Iulij. Vxorem habuit Heduigem Friderici Regis Daniæ filiam, ex qua liberos non suscepit.

11 IOANNES GEORGIVS fratris successor honoris & bonorum, natus est An. MDLXXXV. Vxorem duxit Sibyllam filiam Friderici ducis VVirtenbergici: quæ exstincta est anno MDCVI. Post eam igitur duxit Magdalenam Sibyllam filiam Alberti Friderici Marchionis Brandeburgici: Magna huius est in rebus gerendis prudentia, grauitas, sollertia. Respondet maioribus suis. Ei vitam longam, felix regimen, pacem firmam, & in futura vita æternum gaudium optant, ciues pariter & exteri.


Brandeburg et Pomerania
Mare Balthicum
Septentrio
Meri.
Occidens
Oriens
Uber Marck
Frisch haff
Iulina I.
Usedomia I.
POMERENBURGER
Mittel Marck
Alte Marck
Meklenburg
BRANDENBURG
Lusatiae pars
Crossen Duc.
POLONIÆ PARS
MARCK
Marck
Milliaria Germanica
1 2 3 4 5 6 7

CAP. XII.

Marchionum & Electorum Brandeburgicorum series.

MARCA Germanis limitem significat, Marcgrauij igitur sunt judices & Comites limitanei: Estque verisimile, in hoc tractu Brandeburgico aduersus Vandalos & Gothos, quorũ excursionibus vastata diu fuit Germania, Comitem olim constitutum fuisse. Brandeburgum vero creditur Brenni quondam fuisse vrbs, Senonum principis, qui posteà in Galliam, inde in Italiam profectus, Romam cepit, multis ante Christum natum annis. Alij a Brandone quodam exstructam putant, Marchione illius tractus, circa annum Christi CC XXX, atque ab vrbe metropoli reliquam omnem terram nomen traxisse. Est autem Marchia ista tres in partes tributa: Veterem, Nouam, Mediam; ipsi vocant, *Altemarck*, *Neumarck* & *Mittelmarck*, quibus addi potest pars quarta *Vbermarck*. Veteris initium est ab eremo Luneburgensi ad Albim vsque flumen; vrbes præcipuæ Tangermunda, Caroli IV Imperatoris sedes: Sundalium, Soltwedelium, Gardeleben, Osterburgum, VVerbum, Senohusum, Arnburgum; Noua Marchia ad Occasum Odera amne, ad Septentrionem Pomerania, ad Orientem Poloniæ finibus terminatur. Oppida in ea sunt, Costrinum, conditum vel potius restauratum a Ioanne Ioachimi primi Electoris filio, Lansbergum, Bernwaldum, Bernsteinum. Media Marchia inter has sita, Albi & Odera clauditur: In hac sunt, Brandepurgum, Francofurtum ad Oderam, Berlinum, Spandauium, Rathenauium. Incoluere autem hæc loca olim Tentones, Sueui, Senones, posteà, Vandali, hisque pulsis Saxones, inde Heneti, quibus ab Henrico Aucupe deuictis, impositus est Marchio Sigefridus comes Ringelheimensis frater Imperatricis, anno Christi CMXXVII. Huic suffectus est GERO ab Ottone I, a quo conditum est monasterium Gerenrodense. Geroni successit BRVNO comes VVethinensis, surrogatus ab Ottone I, anno Christi CMLV. Is filium habuit HVCONEM quem Otto III Marchionem Brandeburgicum fecit. Obiit is anno MI. Hugoni suffectus est SICARDVS Bruniconis filius, Hugonis frater, ab Ottone III. Is filium habuit THEODORICVM magni animi virum, Henetorum hostem adeo acrem, vt Henricum II impulerit ad duos Henetorum principes suspendio necandos. Is tamen exutus postea est omni fortunâ, & ægre apud Canonicos Magdeburgenses sustentatus; Anno MXXII. Regionem eius omnem inuasere Obotriti duce Mistiuoio. Sed pulsi sunt haud multo post ab VDONE I Soltwedelensi Comite, conferentibus ipsi auxilia Conrado III Imperat. & Magdeburgensi Archiepiscopo. Vdoni succesit VDO II prioris filius: huic frater RVDOLPHVS: His filii HENRICVS Vdonis, & OTTO Rudolphi. Sed quum Vdo II vna cum Saxonibus aduersus Henricum IV Imp. conspirasset, proscriptus est, dataque Primislao Henetorum & Obotritorum regi facultas, ditiones illas ad Hauelum vsque amnem inuadendi. Ita ad PRIMISLAVM Marchia tunc deuoluta est. Eo extincto Fridericus Barbarossa Marchionatum Brandeburgicum contulit in Albertum Vrsum Comitem Ascaniæ, Principem Anhaltinum, a quo deinceps per annos CC sic decurrit series Marchionum Brandeburgensium.

MARCHIO

MARCHIONVM BRANDEBVRGIENSIVM ex familia Anhaltina series.



1 ALBER-

1 ALBERTVS Vrſus Ottonis filius cum Sorabis ad Albim fluuium feliciter pugnauit. Factus inde eſt Marchio Brandeburgicus, defuncto Primiſlao Obotritorum rege, qui Albertum permiſſu Cæſaris Conradi III hæredem inſtituerat, anno M CXLII. Hic accitis è Germania inferiore ac præſertim ex Flandria, Hollandia, Friſia, VVeſtfaliaque colonis, regionem deſertam, belliſque Vandalicis ad ſolitudinem pene redactam excoli fecit: eſtq; hæc cauſſa cur circa VVitebergam nomina ſint Cameraci, Neomagi, Brugarum, alibi vero aliarum vrbium originem ſuam teſtantium. Idem hic templa, ſcholas, & judicia conſtituit; pene vt illi humanitatis cultum & elegantias ſuas debeat tractus omnis Brandeburgicus & Saxonicus. Situs eſt Brãdeburgi in tẽplo cathedrali propter vxorem.

2 OTTO I Marchio & Elector Brandeburgicus fuit: exſtruxit monaſterium Lenin, in eoque conditus eſt cum vxore Anna, filia Ducis Saxoniæ, anno MCXCVIII. Ab hoc deinceps fluit linea Marchionum Brandeburgicorum Anhaltina.

3 & 4 OTTO II in terram Palæſtinam profectus equeſtribus factis inclaruit: obijt ſine liberis. Eius frater ALBERTVS gratus admodum fuit Friderico II Imperatori: extinctus eſt anno M CC XXI. Vxorem habuit Machthildem filiam Conradi III Marchionis Luſatiæ, ex qua liberos ſuſcepit, Ioannem & Ottonem: filias, Machtildem nuptam Ottoni Duci Brunſuicenſi, & Annam nuptam Nicolao Vandalorum Principi.

5 IOANNES I Francofurtum ad Oderam ampliauit, prolatis eius pomœriis, Anno M CC LII. Condidit Sebuſij monaſterium, Sepultus eſt Chorinii: Filias habuit Helenam Diderici Marcgrauij Miſniæ vxorem, Mechthildem Chriſtophori I regis Daniæ coniugem, Annam nuptam Bugiſlao IV Pomeraniæ duci.

6 OTTO III bella geſſit cum Archiepiſcopo Magdeburgenſi & Epiſcopo Halberſtadenſi, condidit quoque in Boruſſia vrbem quam a ſua vrbe vocauit Brandeburgum: extinctus eſt anno M CC LXVII. Vxor ei fuit Beata filia Othocari Regis Bohemiæ; Filiæ, Kunegundis & Mechthildis: illa nupta Belæ IV regi Hungariæ: hæc Barnimo I duci Pomeraniæ.

7 IOANNES II Ducatum Croſſeſem ſibi oppignoratum ab Henrico duce Vratiſlauienſi diu admodum poſſedit: Conditus eſt Chorinij: Filios habuit Conradum Canonicũ Magdeburgenſem, Albertum, & Henricum, quos ipſe juuenes extulit. Eius frater OTTO Sagittarij nomen ex eo accepit, quod ſagittam qua ictus fuerat in capite dum Starfurtum obſideret, totum annum geſſit in vulnere, conſpicuum omnibus.

8 CONRADVS Elector ad altam ſenectutem peruenit. Obijt anno M CCC IV: Vxores habuit, primam, Conſtantiam filiam Premiſli Ducis Poſnaniæ. Secundam, Brigittam filiam Theodori Marchionis Miſniæ: Tertiam Sophiam filiam Erici Regis Daniæ.

9 IOANNES III patri haud diu ſuperſtes fuit: extinctus eſt enim anno M CCC V. Vxor ei fuit *.... Cattimelibocenſis, ex qua liberos non ſuſcepit.

10 VVOLDEMARVS I fratri in Electoratu ſucceſſit. Hic bella geſſit cum Friderico Marchione Miſniæ, cui etiam Luſatiæ partem ademit. Vxorem habuit Agnem filiam Hermanni Marchionis Brandeburgici, ex qua maſculam prolem non ſuſtulit. Extinctus eſt anno M CCC XIX; itaque Electoratus ceſſit VVoldemaro II Henrici filio.

11 & 12 VVOLDEMARVS II Elector Brandeburgicus obijt anno M CCC XXIII. Succeſſit ei IOANNES IV: qui dies non amplius quatuordecim dignitate illa fruitus eſt. Vxor eius prima fuit Ingelberta filia Ducis

Mechleburgensis. Secunda Helena filia Marchionis Lusatiæ. Vigesimo nono post illius obitum anno extulit se quidam Pseudowoldemarus, molitoris filius, qui quod vultu Principē referret, se pro ipso venditauit. Nomen ei verum erat Iacobus Robock.

A VVOLDEMARO II VSQVE AD FRIdericum I Burggrauium Noribergensem.

Ludouicus Bauarus Imperator, cuius liberi

1 *Ludouicus Bauarus Marchio Brandeburgicus.*

2 *Ludouicus Romanus Marchio Brandeburgicus.*

3 *Otto Palatinus Marchio Brandeburgicus, qui Marchiam vendidit Carolo IV Imperatori fecero suo aureorum Hungaricorū* CC *millibus.*

Post hos

Carolus IV Imperator. liberi,

4 *Wenceslaus Marchio & Elector Brandeburgicus: postea Imperator.*

5 *Sigismundus Marchio & Elector Brandeburgicus, post Imperator.*

1 LVDOVICVS Bauarus Marchiam Brandeburgensem cū electoratus dignitate a patre suo Ludouico Imperatore accepit, deficiente linea Ottonis I Anhaltini. Factum id in conuentu Namburgensi anno MCCCCXIX: Sed administrata aliquamdiu ea dignitate, offensus iniquis Pseudowoldemari actionibus, cui tamen fauebant Carolus IV Imperator, Otto Archiepiscopus Magdeburgensis, Rudolpus Dux Saxoniæ Elector, Ducesque Brunsuicensis, Megapolensis, Stetinensis, Anhaltinus, Marchiam resignauit in fratrem Ludouicum Romanum, contentus Tyrolensi Comitatu & Styria: Anno MCCCXLIX.

2 LVDOVICVS iunior ex eo Romanus dictus est quod natus esset Romæ. Hic factus Marchio protinus ingenti animo fictitium illum VVoldemarū sibi oppugnandum duxit, ac tandem ope Ruperti Palatini Electoris omni ditione expulit: vxor ei fuit Ingelburgis filia Alberti Ducis Mechleburgensis. Obiit an. MCCCLXVI.

3 OTTO Ludouici vtriusque frater Marchio Brandeburgensis Comes Palatinus Rheni fuit. Vxorem habuit Annam filiam Caroli IV Imperatoris; qui Marchionatum a genero suo emit ducentis millibus Hungaricis. Ita Otto in oppido quodam Bauariæ quod reliquum sibi erat vitæ priuatus consumpsit.

4 VVENCESLAVS Caroli IV filius Marchio Brandeburgicus creatus a patre quum vix annos quinque gubernasset, fratri Sigismundo cessit, anno Christi MCCC XXXVIII, factus ipse Imperator.

5 SIGISMVNDVS Marchio & Elector Brandeburgicus Rexq; Hungariæ & Boemiæ, quum bello distineretur, Marchiam patrueli suo Iudoco Morauo XX millibus aureorum Boemicorum vendidit, vt armis recuperare regnum Hungariæ posset. Postea factus Imperator, Marchionatū a Guilielmo diuite Marchione Misniæ, cui Iudocus oppignorarat, redemtum, dedit Friderico Burggrauio Noribergensi, in concilio Constantiensi, Anno MCCCCXVII, ob fidelem operam in bellis Hungaricis & Boemicis ipsi præstitam. Ita ad familiam Burggrauiorum Noribergensium deuolutus est Marchionatus Imperij, in qua adhuc feliciter stat. Opus autem habuit ad eam rem FRIDERICVS summa quadringentorum millium florenorum. Itaque arcem suam cum iure omni Burggrauij vendidit Reip. Noribergensi CLXXX millibus florenorum; seruato sibi & posteris suis titulo. Nemora quoque duo iisdem vendidit LX millibus florenorum. Ditio tamen quam habuit extra vrbem mansit ipsi integra.

STEMMA

STEMMA ELECTORVM ET MARCHIONVM BRANDEBVRGENSIVM
ex Burggrauijs Noribergenſibus.



1 FRIDERICVM factus Marchio Brandeburgẽsis opes & consilia omnia contulit ad exornandam suam ditionem. Coloniam arcem ad Sueuum amnem condidit. Legibus & institutis Remp. muniuit. Vxorem habuit Elisabetam Friderici Bauariæ ducis filiam, ex qua præter liberos in genealogiæ schemate cõmemoratos, habuit filias, Elisabetam Ludouici Lignitiæ Ducis coniugem; Cæciliam & Magdalenam, illam Guilielmo, hanc Friderico fratribus Brunswicensibus elocatas; Margaretam nuptam primum Ludouico Bauaro gibboso; posteà Martino Comiti in VValdenfeltsz. Dorotheam Henrici Ducis Mecleburgici vxorem, & Barbaram Ioanni vltimo Oppoliæ Duci nuptam. Discessit ipse è vita Anno Christi M CCCC XL. Etsi verò è maribus liberis maximus natu esset Ioannes, tamen quum is vmbra & otio gauderet, Fridericus vero, qui proximus erat a Ioanne, aptior esset rebus gerendis, prælatus est a patre Ioanni Fridericus, illo non admodum indignante, & alchymia sese oblectante. IOANNI vxor fuit Barbara, Rudolphi Electoris Saxoniæ filia, ex qua natæ, Dorothea, nupta primum Christophoro Bauaro regi Daniæ: posteà Christiano Comiti Oldenburgico eius successori: & Barbara, vxor Ludouici Marchionis Mantuani.

2 FRIDERICVS II Marchio Brandeburgicus Elector & Archicamerarius imperij tantam in rebus agendis præ se tulit acrimoniam, vt Marchio cum ferreis dentibus vocaretur. Polonos, Lithuanos, Borussos Francofurtum obsidentes fudit, tribus millibus ipsorum deletis. In Pomeranos inde mouit, ac volente Friderico III Imperatore titulos & insignia Pomeraniæ, Stetini, Cassubiorum, & Vandalorum suis iunxit, quod & posteri eius Marchiones Brandeburgenses ipsum secuti factitant. Accepit etiam a Poloniæ rege Lusatiam superiorem, quam tamen posteà Georgio Bohemiæ regi, excepto Cotbusio & paucis alijs oppidis, concessit. Mortuus est anno Christi M CCCC LXIX. Vxorem habuit Catharinam filiam Friderici primi Saxoniæ Electoris, ex qua liberos suscepit Ioannem & Erasmum, qui prima ætate extincti sunt.

3 ALBERTVS, ob fortitudinis & rerum gestarum laudem Achilles Germanicus, & Vlysses Teutonicus Pio II Pontifici dictus, natus est anno Christi M CCCC XIV. Bellum gessit cum Noribergensibus: Obijt Francofurti in electione Maximiliani Imperatoris, Anno M CCCC XLVI. Vxores habuit, Margaretam Iacobi Marchionis Badensis filiam, & Annam viduam Ludouici Lantgrauij Hassiæ, filiam Friderici Electoris Saxoniæ.

Eius filius Fridericus V (nam de Ioanne post dicam) cum Noribergensibus quoque certauit: extinctus est, anno Christi M CCCC XCIX. Casimirus Friderici V filius Carolo V Imperatori fidelem operam nauauit. Obijt Budæ, quum aduersus Ioannem Sepusium Voiuodam missus esset, anno Chr. M D XXVII. Eius frater Georgius cognomentum pij ex eo accepit, quod quum in conuentu Augustano Anno Christi M D XXX Carolus Imperator decretum de recipienda religione Pontificia acrius vrgeret, surgens coram Cęsare & Ferdinando ipsius, fratre professus sit, se Cæsari hactenus quæ ipsius essent tribuisse, facturumq; idem in posterum: sed in religionis negotio Deo parendum potius quam hominibus: malle se vitam profundere, quam veritatem agnitam abnegare. Quo viri zelo ac candore motus Imperator, respondit, non agi de vita eripienda; constaret modo in fide erga se & Imperium. Mortuus est anno Christi M D XLIII.

Alber-

Albertus verò V senior Fridérici V filius, anno MD XI Magister ordinis Teutonici generalis factus est in Borussia. Sed quum postea a Sigismundo Poloniæ rege vrgeretur, vt fidelitatis iusiurandum ipsi præstaret, ex formula transactionis anni Christi M CCCC LXVI, detrectauit id aliquamdiu, quod iudicaret ad Imperium negotium illud pertinere. Sed quum frustrà imperij opem contra tam potenté hostem imploraſſet, factus est tandem cliens regis Poloniæ, renunciato directo Dominio eius ditionis; atque ita primus ex magistro ordinis Teutonici DuxBorussiæ dictus est. Hic Academiam Regio montanam instituit anno MDLIV. Obiit anno MDLVII, ex paralysi, quam ob inopinatam Erici Brunsuicensis sororii sui incursionem quadriennio ante conceperat. Filius illi Albertus Fridericus Dux Borussiæ, qui Mariam Leonaram Ioannis Guilielmi Cliuorum ducis filiam vxorem duxit. anno MDLXXII. Obijt ipse anno MDCVIII. reliquit ex ea filias quatuor. Annã nuptam Ioanni Sigismundo Electori Brandeburgico. *.... nuptam Electori ....* nuptam Duci Curlandiæ, & * .... nuptam Ioanni Electori Saxoni.

4 IOANNES Magnus Alberti siue Achillis Germanici filius ex matre Badensi, ob insignem eloquentiam Cicero Germanicus dictus est. Hic anno M CCC LXXXIX cum Ernesto Saxoniæ Duce & Electore tres reges de regno Boemiæ inter se contendentes, Casimirum Polonum, Matthiam Hungarum, Ladislaum Boemum, graui oratione composuit Vratislauiæ, additis etiam ad verba minis, se cum principe Saxoniæ copias paratas habere, quibus protinus impugnandus is esset, qui pacis conditiones quas ferebat repudiasset. Excessit ex hac vita anno M CCCC XCIX, quo etiam obijt eius frater Fridericus V.

5 IOACHIMVS I Marchio Brandeburgicus, Septemuir & Archicamerarius Imperij patrem pene dicendi laude æquauit: natus est anno M CCCC LXXXIX. In Conuentu Augustano Campegio Cardinali legato Pontificis, nomine clericorum Germaniæ oratione Latina respondit. sæpiusque ex eo cum audientium stupore auditus est, si quando Caroli V Imperatoris iussu verba facienda essent. Academiam Francofurtensem ad Oderam fundauit cum fratre Moguntino Archiepiscopo, anno MDVI, conferentibus priuilegia Maximiliano Imperatore & Alexandro VI Pontifice. Obiit anno MDXXXV. Vxorem habuit Elisabetham filiam Ioannis Regis Daniæ, ex qua duos filios suscepit, Ioachimum & Ioannem.

6 IOACHIMVS II Elector Brandeburgicus natus an. MDIII, anno ætatis trigesimo contra Turcos iuit, vna cum Friderico Pio Palatino Rheni, ingentesque copias illorũ attriuit, cæso ipsorum duce Cosono: ob quod factum eques auratus a Carolo V renunciatus est. Hic religionis doctrinam in Marchia reformari curauit iuxta formulam Augustanam Anno MDXXXIX. vsus ad eam rem opera Matthiæ a Lage, & Iacobi Stratneri. Sed septennio post sequutus est contra Protestantes castra Cæsaris, & post victoriam decretum eius de interreligione amplexus, anno MDL cum Mauritio Saxone Magdeburgum oppugnauit. Mortuus est anno MDLXI. Sepultusque Coloniæ ad Sueuum amnem. Vxores habuit, Magdalenam filiam Georgij Ducis Saxoniæ, & Heduigim filiam Sigismundi Poloniæ regis. Filij eius fuere, præter IoannemGeorgium, Fridericus archiepiscopus Magdeburgensis, primas Germaniæ, administratorque Halberstadensis; & Sigismundus, qui fratri Friderico successit. Ille obiit anno MDLII: hic anno MDLXVI.


SEPTEN.
MERIDIES
OCCIDENS
ORIENS
34
35
36
37
38
39
49
50
Voyländię Pars
Misnię
Pars
Thum
Annaberg
Schneberg
Auerbach
Adorff
Plauen
Egra
Gefrez
Spensnart
Pressat
Dumpark
Auerbach
Vilseck
Amberg
Palatinatus Bauarię
Schwandorff
Chamb
Regen flu
Viechpach
Achslach
Regen
Kirchperg
Deckendorff
Dunaw flu
Passaw
Pfeimbt
Nahpurck
Neuburg
Waldmünchen
Pfaltzerstorff
Furt
Nochwart
Lam
Tachau
Haide
Tribel
Mieß
Plan
Plaß
Schemitz
Mieding
Dechnitz
Pirghtz
Laun
Rakonitzk
Kisch
Dela
Lutitz
Trusing
Saltz
Corimoda
Brüx
Brela
Trebnitz
Leutmeritz
Budin
Raudnitz
Melnick
Welbern
Schlany
Prag
Albis flu
Moldaw flu
Beraun
Miska
Zerwitz
Kamara
Rockizá
Pilsen
Radien
Rosenthal
Kloslke
Roplo
Hswelitz
Platna
Miltzin
Tabor
Cernowicz
Wiltschitz
Fiska
Dein
Stickin
Budna
Wimberg
Meiolitz
Wilbartitz
Woldaw
Haus
Waldkirchen
Engelburg
Aterhouen
Lauisitz flu
Berchtholtz
Czwetl flu
Czwetl
Goffug
Stein
Pilgram
Igla
Kruschyck
Platz
Czirobnicz
Budweis
Krumlaw
Lepolds
Zlabatrn
Vettau
Teya flu
Carlstain
Sisred
Kopetitz
Saboth
Strenisa
Bischowe
Kopidebio
Limpurg
Podiebrod
Prandis
Daussim
Behen
Colin
Kuttenberg
Czasla
Benissaw
Schenewitz flu
Sternberg
Wodian
Soltjan
Boritz
Hom
Deutschen
Broda
Nuscheratz
Byla
Presawitz
Zatzaw
Studens
Schutzbis
Lichtenburg
Richnburg
Chrudim
Maui
Zampach
Littomissell
Konitz
Neusted
Lititz
Königingretz
Badisch
Jarmir
Le fin
Natoch
Pulitz
Wamschelburch
Gletz
Nemodelitz
Warta
Silberberg
Gotsberg
Landeshul
Aich
Gemli
Hoels
Tornaw
Gretz
Leip
Bensen
Tetschen
Kremnitz
Krabitz
Niemtsch
Cmyza
Ausig
Bleiswedel
Munchgnitz
Weiswasser
Berisstein
Grungen
Hoet
Seiss
Annaberg
Mariaberg
Gosstat
Chatarnberg
Brugk
Breßnitz
Posselberg
Auerbach
Weisenthal
Hessl
Olsnitz
Horsperg
Elbe flu
Moldaw flu
Egra flu
Schla flu
Wistlat
Mautt
Neuhaus
Neusettle
Tuchaw
Frauwebberg
Weiden
Rot
Pfraumb flu
Schneberg
Tannitz
Waldt
Aumer
Glauaw
Horssowitz
Strakuitz
Suzice
Ellischaw
Moldaw flu
Zwitel
Lam
Nochwart
Chamb
Regen flu
Viechpach
Achslach
Regen
Dunaw flu
Pars
Bohemia
Milliaria Germanię
1 2 3 4 5
Morauię pars
Prin
Mezerisch
Dicky
Dohalow
Neustetl
Bistritz
Boskowitz
Westrowow
Wolesnic
Linska
Tirnow
Para
Zatzaw
Presawitz
Studens
Schutzbis
Lichtenburg
Richnburg
Chrudim
Maui
Zampach
Littomissell
Konitz
Neusted
Lititz
Königingretz
Badisch
Jarmir
Le fin
Natoch
Pulitz
Wamschelburch
Gletz
Nemodelitz
Warta
Silberberg
Gotsberg
Landeshul
Aich
Gemli
Hoels
Tornaw
Gretz
Leip
Bensen
Tetschen
Kremnitz
Krabitz
Niemtsch
Cmyza
Ausig
Bleiswedel
Munchgnitz
Weiswasser
Berisstein
Grungen
Hoet
Seiss
Annaberg
Mariaberg
Gosstat
Chatarnberg
Brugk
Breßnitz
Posselberg
Auerbach
Weisenthal
Hessl
Olsnitz
Horsperg
Adorff
Plauen
Egra
Gefrez
Elbe flu
Moldaw flu
Egra flu
Schla flu
Wistlat
Mautt
Neuhaus
Neusettle
Tuchaw
Frauwebberg
Weiden
Rot
Pfraumb flu
Schneberg
Tannitz
Waldt
Aumer
Glauaw
Horssowitz
Strakuitz
Suzice
Ellischaw
Moldaw flu
Zwitel
Lam
Nochwart
Chamb
Regen flu
Viechpach
Achslach
Regen
Dunaw flu
Pars
Bohemia
Milliaria Germanię
1 2 3 4 5
Morauię pars
Prin
Mezerisch
Dicky
Dohalow
Neustetl
Bistritz
Boskowitz
Westrowow
Wolesnic
Linska
Tirnow
Para
Zatzaw
Presawitz
Studens
Schutzbis
Lichtenburg
Richnburg
Chrudim
Maui
Zampach
Littomissell
Konitz
Neusted
Lititz
Königingretz
Badisch
Jarmir
Le fin
Natoch
Pulitz
Wamschelburch
Gletz
Nemodelitz
Warta
Silberberg
Gotsberg
Landeshul
Aich
Gemli
Hoels
Tornaw
Gretz
Leip
Bensen
Tetschen
Kremnitz
Krabitz
Niemtsch
Cmyza
Ausig
Bleiswedel
Munchgnitz
Weiswasser
Berisstein
Grungen
Hoet
Seiss
Annaberg
Mariaberg
Gosstat
Chatarnberg
Brugk
Breßnitz
Posselberg
Auerbach
Weisenthal
Hessl
Olsnitz
Horsperg
Adorff
Plauen
Egra
Gefrez

7 IOANNES Georgius Ioachimi II filius, Marchio & Elector Brandeburgicus, diu admodum & tranquille ditionibus suis præfuit: In bello Schmalkaldico sequutus est partes Cæsaris, extinctus anno MDCXVIII, ætatis suæ LXXIII. Vxores habuit, Sophiam filiam Friderici ducis Lignicensis: Sabinam filiam Georgij Marchionis Brandeburgensis: Elisabetam filiam Ioachimi Ernesti Principis Anhaltini. Liberi præter Ioachimũ Fridericum Electorem, fuere, Christianus natus Ienæ anno MDLXXXI. Ioachimus Ernestus natus anno MDLXXXIII. Fridericus natus anno MDLXXXVIII. Georgius Albertus natus anno MDXCI. Sigismundus natus anno MDXCII. & Ioannes natus anno MDXCVII.

8 IOACHIMVS Fridericus Marchio Brandeburgensis, Elector & Archicamerarius Imperij, Dux Pomeraniæ, Stetini, Borussiæ, Cassubiorum, Vandalorum, & Crosnæ in Silesia, Burggrauius Noribergensis natus est anno MDXLVI: Viuo patre fuit administrator archiepiscopatus Magdeburgensis, pius, grauis, castus, æquus, pacificus; post patris obitum factus est Elector. Vxor ei Catharina filia Ioannis Marchionis Castrinensis: liberi multi. Ioannes Sigismundus, natus anno MDLXXII. Ioannes Georgius, natus anno MDLXXVII. Augustus, natus anno MDLXXX. Albertus Fridericus, natus anno MDLXXXII. Ioachimus & Ernestus Gemelli, nati anno MDXXXXIII. Guilielmus Fridericus, natus anno MDXXXXVIII. Filiæ, Erdmutha & Anna Maria, quartum illa nupsit Ioanni Friderico, hæc Barnimo, Ducibus Pomeraniæ, fratribus. Sophia vxor Christiani Electoris Saxoniæ.

9 IOANNES SIGISMVNDVS Marchio & Elector Brandeburgensis vxorem duxit Annam filiam Alberti Ducis Borussiæ ex Maria Leonora filia Guilielmi, Cliuorum ducis. Filius ipsi GEORGIVS Guilielmus Marchio Brandeburgicus. Porro Mariam Leonoram nuper defunctam Alberto Borusso hac lege dedit pater, vt si fratres improles morerentur, ipsa ipsiusque hæredes fratribus succederent; Eademque lege reliquas quoqne filias elocauit. Hoc ergo titulo hodie petit Georgius Guilielmus Ducatus Iuliacensem, Cliuensem, Montensem, cum Comitatu Rauensburgico: quemadmodum in Genealogia Ducum Cliuensium patebit.

CAP. XIII.

Bohemia, cum serie regum & Electorum BOHEMIAE.

STrabo de Hercynio saltu sic scribit. ὁ δὲ ἑρκύνιος δρυμὸς πυκνότερος τε ἐστι καὶ μεγαλόδενδρος ἐν χωρίοις ἐρυμνοῖς κύκλον παριλαμβάνων μέγαν. ἐν μέσῳ δὲ ἵδρυται χώρα καλῶς οἰκεῖσθαι δυναμένη. *Hercynia*, inquit, *silua admodum densa est, habetque locis desertis proceras arbores, magnumque ambitum complectitur. In eius vero siluæ meditullio sita est regio habitationi apta.* Refert idem, Sueuorum partem eam regionem coluisse, inque ea fuisse Βουβίεμον Bubiemum Marobodui regiam, translatosque eo ab ipso Marcomannos. Quæ quidẽ cum Taciti descriptione consentiunt: qui tamen hoc addit, Boiemos ortos a Gallis Boijs: Verba eius hæc sunt. *Inter Hercyniam siluam Rhenumque & Mocnum amnes, Heluetij, vlteriora Boij, Gallica vtraque gens, tenuere. Manet adhuc Boiemi nomen, significatque loci veterem*

rem memoriam, quamuis mutatis cultoribus. Dixerat autem Boios pulsos a Marcomannis. Ptolemæus regionem quidem ipsam non ponit, gentem tamen agnoscit, μέγα inquit ἔθνος οἱ Βόϊμοι. Ex quibus discimus, Germanorum olim eas sedes fuisse, postea illas Gallis Boijs cessisse: Hos pulsos fuisse a Marcomannis. Sed & ipsi quoque Marcomanni electi sunt a Slauis, ducibus Zecho & Lecho, quorum ille hunc tractum, iste Poloniam inuasit; durante ad nostra vsque tempora Sarmatici sermonis inter vicinas has gentes cognatione. Incidit autem mutatio ista in annum Christi M C XX I X. Clauditur regio ad ortum Morauia & Silesia, ad occasum Narisci, & Bauariæ parte ea quæ Danubio prætexitur. Ad meridiem Austria, ad Boream Misnia. Mediam Albis amnis intersecat, ortus e montibus ad oppidum Augst. In hunc se effundunt *Multauia*, qui Ptolemæi Cassurgis esse creditur, *Egra*, *Sassana*, *Gisera*, *Misa*, & alii complures amnes. Ciuitates regiæ sunt *Praga*, regni caput, *Egra* ad fluuium cognominem, *Buduueis*, quam Lazius putat esse Ptolemæi Maroboduum, *Koeln*, *Kutten-Berg* ad quam sunt argenti fodinæ. *Taber* vnde Taboritæ nomen traxere. *Satz*, *Leimiritz*, vbi vineta. *Laun* tritico abundans: *Rakonick* celebris ob cereuisiæ bonitatem, *Glataw*, ob caseorum præstantiam, *Bern*, ob fodinas & officinas ferrarias, *Augst* ad quam Albis e montibus erumpit, *Bruck*, *Gretz*, *Maut*, *Hoff*, *Iaromir*. Sunt & ciuitates proceribus regni subiectæ, *Lantshut*, vbi effodiuntur gemmæ, *Gilau* vbi aurum eruitur, *Graupen*, vbi stannum, *Krumau* vbi argentum. *Elbogen*, thermis salubribus nobilitatum, *Aicii*, & *Wisswasser* & *Teplits* haud in venusta oppida. Paruit autem Bohemia primum Ducibus, postea Regibus.

DVCES.

1 *Zechus* Slauus inuasit terram anno 649.
2 *Crocus*. Hic obiisse dicitur anno 709.
3 *Libyssa* filia Croci, primum sola, postea cum *Primislao* marito, qui Pragam condidisse, & leges genti scripsisse fertur. Sub his Vlasta comparata ancillarum manu rebellis excursionibus ex arce Dibin factis, Bohemiam depopulata est totum sepennium, sed victa tandem est.
4 *Nimislaus*, dictus Epimetheus, magni patris degener filius, Anno Christi 745.
5 *Mnatha* patri similis, vixit anno 783: Sub isto cœperunt Moraui & Germani Bohemiam inuadere.
6 Voricius Mnathe filius, Mysos domuit, Morauos vicit.
7 VVenceslaus.
8 Bela anno 852. Hic quum Vratislaum ducem Soyzensem, qui bellum ipsi inferebat, precibus muneribusque mollire non posset, prœlio vicit.
9 Nostricius patri successit anno Christi 873.

STEMMA

STEMMA DVCVM BOHEMIÆ Christianorum a Borsiuogio, vsque ad Vladislaum primum Regem.



10 *Borziuogius* an. 890. Vxor ei Ludomilla. Quum autem Zwentopolcus Morauiæ Rex, cui bellum erat aduersus Arnulphum Imperatorem, vicinos proceres ad epulum & societatē belli inuitasset, solus Borziuogius non mensæ admotus, sed humi sedere jussus, quod Paganus adhuc esset, motus ignominia & Cyrilli Episcopi pollicitationibus, qui ipsum Morauiæ regem futurum dicebat, si Christo nomen daret, protinus baptizatus est.

11 *Sbitignæus* Patri successit an. 905. Hic templa exstruxit, & scholas in quibus iuuentus Latine docebatur.

12 *Vladislaus* I fratri successit anno 907. quo defuncto vxor Drahomira Pagana Christianos adflixit, & socrum suam Ludomillam piam feminam submissis sicarijs occidit.

13 *Wenceslaus* qui sanctus dicitur, matris odijs exagitatus Ratisbonæ comitijs interfuit sub Henrico Imp. anno 923. Frater Boleslaus eum in templo trucidauit.

14 *Boleslaus* I Fratricida Anno 929. a Morauis, Hungaris, Otthone I Imperatore, bello petitus est.

15 *Boleslaus* II, patri longe dissimilis, Mitis a moribus dictus est: Hic anno 967 religionem Christianam valde promouit in Bohemia, euocato Ditmaro Saxone, qui Bohemorum primus fuit Episcopus: Congressurus cum Paganis, non aspernatus est auxilia Iudæorum, quibus post victoriam ab egregie nauatam operam Synagogam Pragæ concessit eo quo adhuc hodie conspicitur loco.

16 *Boleslaus* III an. 999. bellū gessit cum Boleslao Polono: quo Cracouiam quæ antea Bohemorum juris fuerat, amisit. Eum hostis oculis priuauit.

17 *Iaromirus* Boleslai III filius anno Christi 1003.

18 *Vdalricus* educatus in aula Henrici II Imperatoris Iaromiro successit, anno 1004. Hic villici cuiusdam filiam vxorem duxit, quæ Beatrix dicta est. Sunt qui eum fratrem, sunt qui patruum Iaromiri fuisse dicant.

19 *Predislaus* Vdalrici filius anno 1026 post patrum Bohemiæ præfuit, rapta ex cœnobio Ratisponensi Iuditha filia Ottonis I I Imperatoris: obiit anno 1052.

20 *Sbitignæus* I I Predislai filius homo inquies, Germanos, Bohemia expulit, ne mate quidem excepta. E fratribus Vladislaum Morauia eiecit, Conradum & Ottonem ad deditionem coëgit.

21 VLADISLAVS anno 1061 fratri, successit. Hic Moguntiaci ab Henrico IV cunctis Principibns suffragantibus primus Bohemiæ Rex creatus est, corona manibus Imperatoris ipsius capiti imposita, an. MLXXXVI. Ex eo Morauia regio titulo orbata est: adiectiq; sunt Bohemiæ ducatus Poloniæ, Silesiæ, & Lusatiæ, cum Marchionatu Morauiæ. Gilbertus quoque Treuirorum Archiepiscopus cum ipso Pragam missus est. qui eum Pragæ unctū solemniter, & regalibus ornamentis indutum, regno inaugurauit. Vncta quoq; est cum ipso regina Suatana. Obiit in venatione anno 1093.

22 *Conradus* Dux. Vladislai fratet.

23 *Predislaus* II Dux.

24 *Borsiuogius* Dux.

25 *Suentopolcus* Dux.

26 *Vladislaus* Dux.

27 *Sobieslaus* Dux.

28 VLADISLAVS II quum militaret sub Imperatore Friderico ad Mediolanum, ob nauatam egregie operā rex factus est, & socius Imperij vocatus, dato etiam insigni leonis rubri, cum cauda biscula, Ratisbonæ, anno 1158. Hic pontem Pragensem exstruxit.

29 *Sobieslaus* Dux. Sub quo Picardi qui VValdenses dicti sunt, ex Gallia in Germaniā, inde in Bohemiā venerunt.

30 *Fridericus* Dux.

31 *Conra-*

31 *Conradus.*
32 *Wenceslaus* Dux.

32 *Henricus* qui & Bretislaus Dux.
33 *Vladislaus* Dux vltimus.

REGVM BOHEMIÆ GENEALOGIA a Vladislao I vsque ad Elisabetham nuptam Ioanni Lutzelburgico.



CONTINVATIO REGVM BOHEMIÆ ab Elisabetha filia VVenceslai II, vsque ad MATHIAM Austriacum.



REGES BOHEMIÆ.

3 PRIMISLAVS I pulso VVenceslao cognato ad Philippum Romanorum Imperatorem venit Moguntiam cum cc selectis equitibus, ab eoque Rex factus est anno Christi M C C, data insuper Bohemis potestate proprios deinceps reges eligendi. Fuit autem in flagrante gratia apud Ottonem IV Imperatorem, dictusque idcirco est a Saxonibus Ottocarus. Huius motus virtute Fridericus Imperator anno Christi M CC XII jura immunitatesque regum Bohemiæ confirmauit & auxit. Obijt senex octogenario maior, quum regnasset annos XXVI.

4 VVENCESLAVS dictus quoque Ottocarus obijt anno 1242.

5 PRIMISLAVS II vir potens, excelsi animi, bellicosus, Dux Austriæ, Styriæ & Carinthiæ, Marchio Morauiæ, Rex Bohemiæ, ad Imperium quoque vocatus, honorem pertinaciter recusauit. Rudolfum Habsburgensem aulæ suæ quondam magistrum, vsque eo contempsit, vt noluerit ipsi obsequuium præstare, quæ res bellorum ipsi ac tandem mortis etiam caussa fuit. Huius opera Borussia Christi fidem admisit, exstructa etiam vrbe quæ ab ipso Mons regius dicta est, Anno M CC LV. Perijt in pugna aduersus Cæsarem, anno M C C LXXVIII, ad flumen Maram desertus a suis.

6 VVENCESLAVS II vix octennis patrem amisit, datus in tutelam Ortoni Marchioni Brandenburgico: Hic accepit in vxorem Rudolphi Imperatoris filiam Iuditham, data Rudolphi filio Cunigundi sorore sua. Hac affinitate auctus, animum adiecit ad ornandum Rempublicam. Accessit igitur sub eo ad Bohemiæ regnum Ducatus Opolienſis, postea Ducatus Silesiæ, anno Christi M C C XC, quo etiam Rudolphus Erfurdiæ VVenceslaum Electorem Imperij & archipincernam fecit, cum iure successionis in liberos & nepotes. Accepit & Cracouiensem ducatum cum Sandomirienſi; Rex imo Poloniæ totius factus est, anno M C C C. ducta regni hærede Richsa in vxorem. Sequenti anno accessio etiam regni Hungariæ facta est. Ita ille honorum satur obijt anno Christi M CCC V.

7 VVENCESLAVS III viuo patre rex Hungariæ factus, successit defuncto ei in regno Bohemiæ. Sed quum per ludum & ebrietatem vitam transigeret, Olomucij asia cario confossus perijt, annum agens decimum octauum, Anno Christi M CCC VI.

8 RVDOLPHVS Austriacus Alberti Imperatoris filius accepta Elisabetha VVenceslai vidua in vxorem, anno Christi M CCC VII electus est in Bohemiæ regem contra Henricum, obiitque eodem anno in castris.

9 HENRICVS Tyrolis & Carinthiæ Princeps Meinhardi filius VVenceslai III sororem Annam vxorem duxit, factusque est Bohemiæ rex contra Rudolphum Alberti Imp. filium.

10 IOANNES Lutzelburgicus Henrici VII Imperatoris filius, ducta Spiræ in vxorem Elisabetha VVenceslai III filia (sunt qui sororem fuisse dicant) nata annos XIX, Rex Bohemiæ factus est, unctusque cum vxore Pragæ anno Christi M CCC X; pulso Henrico. Cæsus est ad Cressiacum in Gallia pugnans contra regem Angliæ Eduardum pro Philippo anno Christi M C C C XLVI. Sub hoc Episcopatus Pragensis qui Moguntino hactenus fuerat subiectus, versus est in Archiepiscopatum.

11 CAROLVS iſte nomen habuit a Carolo Galliarum rege, apud quem fuit educatus, nam initio dictus eſt VVenceſlaus. Hic anno Chriſti M CCC XLVIII nouam vrbem Pragæ condidit, pontem collapſum reſtituit, Academiam ad exemplum Pariſienſis & Bononienſis formauit. Imperator factus VVenceſlaum filium ad eandem quoque dignitatem pretio euexit: obiit Anno Chriſti M CCC LXXVIII.

12 VVENCESLAVS Caroli filius, Ioannis nepos, cognomentum ignaui ex re habuit: fuit enim ſecors ac plane diſſolutus, ob eamque cauſſam Imperio motus: Mortuus eſt Pragæ in mediis furoribus concitatæ plebis Huſſiticæ, correptus paralyſi, anno vitæ LVII, Chriſti M CCCC XIX.

13 SIGISMVNDVS fratri VVenceſlao ſuffectus eſt primum in Imperio, poſtea etiam in regno, ſed fratri diſpar, Hungariæ quoque rex factus eſt; deſiit viuere anno M CCCC XXXVII, ſeptuagenarius.

14 ALBERTVS Auſtriacus poſt Lutzelburgicos Bohemiæ rex factus eſt, ducta Eliſabetha Imperatoris Sigiſmundi filia: Extinctus eſt anno M CCCC XXXIX.

15 LADISLAVS Alberti poſtumus patri in regnis Bohemiæ & Hungariæ ſucceſſit, ſimulatque tutela egreſſus eſt, anno M CCCC LIII, permiſitque ſuis ciuibus, vt ſiue ſub vna, ſiue ſub vtraque ſpetie ſacram cœnam ſumerent, prout Synodo Baſilienſi fuit decretum. Extinctus eſt Pragæ in ipſo nuptiarum adparatu, quæ cum Caroli Galliarum regis filia adornabantur, anno ætatis XVII Chriſti M CCCC LVIII, non ſine ſuſpicione veneni.

16 GEORGIVS PODIEBRACIVS ob egregias virtutes quas dum minorennis adhuc eſſet Ladiſlaus in gubernatione regni oſtenderat, Rex factus, dignum ſe eo loco oſtendit. Multa ipſi fuere cum Papa Eugenio certamina, Matthiam Coruinum, quem captiuum tenebat, dimiſit in regnum Hungariæ, data etiam ipſi filia ſua Maria in coniugem: extinctus eſt hydrope, anno Chriſti M CCCC LXXI.

17 Georgio ſtatim ſucceſſit VLADISLAVS Caſimiri regis Poloniæ filius primogenitus, ex Eliſabetha Ladiſlai ſorore; Hungariæ quoque regno poſt exceſſum Matthiæ præfectus eſt, ducta Beatrice Matthiæ vidua. Poſt adminiſtratam laudabiliter Remp. ornatamque Academiam Pragenſem obiit Budæ, anno MDXVI.

18 LVDOVICVS poſt patrem rex factus Bohemiæ & Hungariæ infeliciter cum Solimanno ad Mohatium pugnans cecidit, anno Chriſti MDXXVI. lapſus in paludem & ab equo oppreſſus.

19 FERDINANDVS Auſtriæ Archidux vxorem habuit Annam Ladiſlai Hungari filiam, & poſt Ludouici obitum vtrique regno præfectus eſt. Hic frater fuit Caroli V eiuſque in Imperio ſucceſſor: obiit anno MDLXIV.

20 MAXIMILIANVS viuo adhuc patre in regem Bohemiæ coronatus eſt Pragæ, anno MDLXII die 20 Septembris. De eo diximus in hiſtoria Imperatorum.

21 RVDOLPHVS viuente patre Maximiliano rex Bohemiæ & Hungariæ deſignatus & coronatus eſt, obiit anno MDCXII. 10 Ianuarij.

22 MATTHIAS Rudolpho Imperatori fratri ſuo ſucceſſit, & adhuc feliciter regno præeſt.

CAP. IV.

CAP. XIV.

Hungariæ descriptio, & series Regum Hungariæ.

HVNGARIA ab Hunnis nomen traxit: est autem pars veteris Pannoniæ; quod descriptionem Ptolemaicam cum hodierna regione conferenti manifestum faciet ipse sensus. Eam Austrum versus terminat Sauus amnis, versus Boream Polonia & Russia: Ad occasum Austria: ad ortum Mysia quam Rhetianam nunc vocant. Culta initio fuit a Pæonibus, quos Latini Pannonas dixere: postea promiscue a Gothis Hunnisque. Gothos sub Valente Hunni expulere; Hunnos Longobardi: sed duce Artila successere iterum post annos XL Hunni, quos Carolus Magnus bello vicit. Post Carolum Hungari sub Arnulpho Imperatore Germaniam depopulati sunt, tanta crudelitate, vt omnem modum excesserint. Ludouicus Germanorum Rex ad Augustam Vindelicorum ipsos stituras, in fugam versus est. Hinc itum ergo in Bauaros, Sueuos, Francos, Saxones. Iterum congressus Ludouicus, iterum vincitur: Præda autem graues Hungari in Pannoniam reuersi sunt. Mox bella mouerunt in Græcos, suisque excursionibus Mysiam, Illyricum, Thraciam, Macedoniam; tum Bulgariam Sclauoniamque infestarunt. Hinc conuersi ad Italos, Longobardos vexauerunt, & Allemannos, cum Germania vtraque, diripientes omnia per Metensium, Treuirensium, Aquensium ditionem. Sed in reditu cæsi sunt ab Ottone primo ad Augustam Vindelicorum. Fluuios habet Hungaria insignes, Danubium, Sauum, Drauum, Arrabonem, Tibiscum. Comitatus quinquaginta. Quatuor & viginti supra Danubium, ad Occidentem Tibisci amnis: ad Orientem Octo: Inter Danubium & Drauum XII. Inter Drauum & Sauum, sex. Conuentus habet, *Syrmiensem*, cui a Sirmio nomen; *Valconensem*, in quo Villacum oppidum cum Episcopatu Diacensi; *Posegauensem* inter Sauum & Drauum, in quo oppidum Posaga; *Brauiensem* in qua Peuce, quam a quinque Ecclesiis vocant Funffkirchen; *Simigiensem*, *Tholuensem*, *Albensem*, in qua Alba regalis, in media palude, quam operæ pretium est distinguere ab Alba Græca, quæ est Taurunum, & ab Alba Iulia Transsyluaniæ. Sunt præterea occidentem versus *Vesprinienſis* conuentus, *Zaladienſis*, *Pilisſienſis*, in quo Buda vetus pariter & noua, *Castriferrenſis*, in quo Sabaria, cuius frequens mentio in Itinerario, *Sempronienſis*, *Iaurienſis*, ad Arrabonem fluuium: & post Bregecium, *Camarienſis* & *Strigonienſis*. *Vide pag. 104.*

Vrbes præcipuæ sunt,

Buda, condita a fratre vt aiunt Attilæ, qui eam a se nominari voluit. Hanc alij Aquincum esse putant, alii *Curtam*, alii Castra Legionis *Auxiliatricis*, alii Herculiam. *Posonium*, Presburg. *Alba regalis*, in qua regis corona adseruatur. *Belgradum*, veterum Taurunum, ad Confluentes Saui & Draui, vulgus vocat Albam Græcam, Germani *Kriechweiſſenburg*. *Singidunum*, *captum a Turca anno* M CCCC XXXIX. *Quinque Ecclesiæ*, *Agria*, *Cassouia*, *Nitria*, *Vacia*, *Strigonium*, *Colotia*, *Varadinum*, *Nicopolis* duplex, maior & minor, *Komora*, illa Traiani, hæc Hadriani opus.

Regnum


Septen.
Meridies
occidens
Orient.
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
Russia pars
Moraua pars
Austriæ Pars
Tranſil
Vanda Pars
Marons Campus
Mill. Germanica
1 2 3 4 5 6 7 8
HUN
GARIA
Danubius fl.
Vienna
Hainburg
Presburg
Schintau
Nitria
Tyrnau
Trentschin
Tyrnauia
Posonium
Sopron
Kirchschlag
Neuſtat
Ebesfurt
Gran
Strigonium
Alba Regalis
Stul. Alba
Buda
Pesth
Vesprimium
Veszprim
Sabacz
Nothary
Kelpen
Peterwarden
Titul
Bodrogh
Bathien
Zolnoc
Debreczen
Cassania
Cepusi
Leutschau
Eperies
Bartfa
Lipt
Rosenberg
Platyrizza
Newsal
Altsoll
Schemnitz
Wolffsruck
Granfelt
Barsch
Leuta
Samoske
Hotſchaz
Nouigrad
Hewesie
Bihoriensis
Bereton fl.
Karol
Samos fl.
Kreſs fl.
Zatmar
Sathmari
Nagonilat
Vngwar
Marmaroſi
Biske
Zygeth
Kiswarda
Zabolcz
Nughkalo
Karolstat
Debreczen
Adatz
Campus
Caimanus
Feledhas
Monstor
Oro
Czongrad
Temeſwar
Temeſi
Orzlau
Bodrogh
Chonadie
Segedin
Chalia
Sylmos
Themes fl.
Moſesmole
Erſomlo
Galubacz
Taubenberg
Griechisch
Weissenburg
Danubius flu.
Semlyn
Galad
Azomsal
Peterwarden
Kelpen
Salankemen
Sabacz
Nothary
Ratzen
Barza
Valko
Palyna
Posega
Posegi
Kowacz
Gradiska
Sisaken
Sissek
Sau
Velica
Zamalia
Cirastmitz
Koliantz
Novigrad
Zagrabiensis
Risciensis
Capranicz
Bakelspurg
Petaw
Warasdin
Draw fl.
Sopronitza
Zagrabia
Kanysia
Zalaviar
Zala fl.
Lutchburg
Neuburg
Fürſtefeldt
Landperg
Pela
Neuzen
Kremnitz
Schiltperg
Verthes als
Gestines
Albe
Sombach
Waytzen
Vacia
Vatzen
Hrsaczeg
Pata
Obra
Nadwar
Banhalom
Ilfiar
Wardeyn
Zolnoc cinſ.
Torantalie
Becskerek
Pethiens. co
Czeglet
Visaltz
Vlar
Paul
Ofen
Turtur
Ecker
Tramahyda
Kerestharsa
Sylmos
Feherkerch
Domhchaz
Sinandria
Bathien
Vsereghaz
Bodrogh
Temeſi
Orzlau
Temeſwar
Themes flu
Moſesmole
Erſomlo
Marons Campus

STEMMA REGVM HVNGARIÆ.



Geiza editus patre Toxi, qui Attilæ trinepos fuisse fertur, legibus & disciplina gentem barbaram ab efferis moribus ad mansuetiorem vitæ cultum primus reuocauit: obiit anno 997.

1 *S. Stephanus* initio Dux, postea Rex Hungarorum, abnegata profana Gentilium impietate, se ad verum Deum & Christum filium eius Seruatorem nostrum conuertit: obijt anno 1038. Ad eius conuersionem vsus est Deus ministerio Alberti Episcopi Pragensis. Hic Albam regalem creauit, quæ nunc *Stulweyssenburg* dicitur. Aquincum etiam restaurauit, quam nunc *Offen* vocant. Coronam ipsi misit Siluester Papa. Bellum gessit cum Henrico Imperatore ob ducatum Bauariæ.

2 & 3 PETRVS Allemannus, quod Germanis faueret impensius, minus gratus fuit Hungaris, tametsi esset a S. Stephano auunculo suo commendatus: Exacto ergo triennio OVONEM delegerunt Proceres, Sarolthæ maritum. Sed Petrus ad Henricum Imperatorem profugus ab eo restitutus est regno, interfecto Ottone, anno Christi M XLIV. Multum ille Christianitatem promouit.

4 & 5 ANDREAS & BELA fratres sumptis aduersus Petrum armis eum ceperunt, & oculos ei effoderunt; Etsi vero ea lege aduersus Petrum euocati essent, vt Paganismam veterem restituerent, tamen melioris officij memores Christi legem promouerunt. Andreas obiit anno MLIX. Bela eius frater MLXIII.

6 SALOMON patre a Paganis occiso cum matre & vxore exsul profugit ad Cæsarem in Germaniam; a quo post Belæ excessum restitutus, Albamque regalem ductus, regno inauguratus est: obiit inglorius Polæ in Istria, postquam ad Colomanni usque tempora vitam traxisset.

7 GEIZA Magnus commisso cum Salomone prœlio ipsum in fugam egit, regnoque potitus est: obiit anno Christi M CXXVII.

8 S. LADISLAVS fratri Geizæ successit. Ex legato sororis suæ Selomiræ regis Dalmatiæ viduæ Dalmatiam & Croatiam habuit, easque Hungariæ junxit: desiit viuere anno MXCV.

9 COLOMANNVS regis Geisæ filius, fratri Almo eiusque filio Belæ oculos erui jussit, quod eos Ladislaus testamento hæredes nominasset: obiit an. Christi MCXVI.

10 STEPHANVS II regno potitus, cæcum Belam, qui in Seruia adhuc viuebat ad se euocauit, eosque qui patri Colomanno tam improbi consilii autores fuerant occidi iussit; obiit ipse anno M CXXXV.

11 BELA cæcus singulari prudentia fuisse fertur: regnauit annos decem.

12 GEIZA II, Austriacos Hungariam ingressos fudit, sepultus est Albæ regali, in monumento maiorum, anno M CLXV.

13 STEPHANVS III patri successit: Inuasere autem regnum contra ipsum patrui, primum Ladislaus, eoque extincto Stephanus: sed ejecto vtroque non sine sanguine, tandem haud ita diu tranquille regnauit. ob. an. MCLXXXI.

14 BELA III fratri successit, & Iadram validissimo præsidio muniuit, Dalmatiam quam Veneti occuparant studuit regno iungere: ob. an. M CXCIX. Filiæ ipsi, Constantia, nupta PrimislaoOthocaro regi Bohemiæ, & Maria, vxor Isaaci Angeli Imperatoris Byzantini.

CONTI-

CONTINVATIO STEMMATIS REGVM HVNGARIÆ.



CONTINVATIO STEMMATIS REGVM HVNGARIÆ.



Extra ordinem, Anno M CCCC LVIII.

Ioannes Hunniades gubernator Hungariæ sub Ladislao posthumo obijt Belgradi an. 8456.

Ladislaus.

31

Matthias Coruinus rex Hunguariæ, cui vxor . . . filia Georgij Podiebranij.

Ioannes Hunniades illegitimus.

Rursum extra ordinem, Anno M D XXVI.

Stephanus Comes Zapoliæ.

34

Ioan Comes Zapoliæ electus contra Ferdinãd. ob an. 1541, cui vxor ei Elisabeth filia Sigismũdi regis Poloniæ.

Barbara vxor Sigismundi Regis Polon.

Ioannes Iacobus VVoiuoda Transsiluaniæ ob. an. 1570.

15 EMERICVS patri surrogatus indignante licet fratre Andrea, regnauit annos octo, extinctus anno Christi MCC VII.

16 LADISLAVS Emerici filius patrui dolo occisus creditur quum regnasset menses sex.

17 Ita per ambitum & cædes sceptrum nactus ANDREAS Belæ filius præfuit regno annos XXXII. Ductor postea copiarum totius occidentis ad bellum Ierosolymitanum Peluſium siue Damiatam cepit, Reuersus improbe regnauit: obiit anno Christi MCC XXXVIII.

18 BELA IV viuo adhuc patre Andrea rege in Comitijs Albæ coronatus est rex. Cum Tartaris infeliciter bello congressus, postea Fridericum Austriæ ducem vicit occiditque; Ob Styriam quoque cum Bohemis prospere pugnauit: Obiit senex admodum anno MCC XXXV, regni XXXVI.

19 STEPHANVS V Belæ filius factis bellicis quam vita maior, Austriacos & Boemos ad Kapezam amnem fudit fugauitque, Bulgaros cum vniuersa Mysia stipendiarios sibi fecit: altero regni anno vitæ functus est in insula Budensi, anno Christi MCC XXXVII.

20 LADISLAVS III quem Chunum Hungari cognominant patri Stephano suffectus arma sua Rudolphi Cæsaris armis junxit ad oppugnandum Othocarum Boemiæ regem, quem etiam expugnarunt: A Cumanis misere interemptus est, postquam regnasset annos XIV.

21 ADREAS III cognomento Venetus, Stephano, eo qui Belæ IV frater fuit, prognatus, matre Veneta, anno secundo regni sui domuit Austriam; oppugnatus est a Carolo Martello, regni competitore, cui etiam Pontificis Romani fauebat autoritas. Itaque illo post decimum regni annum exrincto, alij Carolum istum, alii VVenceslam Bohemiæ regem, alii Ottonem ducem Bauariæ elegerunt.

22 CAROLVS Martellus Stephani V nepos ex filia Maria regnauit primum Neapoli, inde contra Andream electus, ipso defuncto diadema Hungariæ accepit; inuitis licet & obnitentibus nonnullis proceribus, inter quos erat Matthæus quidam. Sed victor Rex, tametsi cum ingenti exercitus sui damno, voti compos factus est. Post hæc cũ Valachis congressus, cæsis copiis omnibus vix ipse euasit. Filium CAROBERTVM in regni consortium adsciuit; qui Roberto Regi patruo de regno Neapolitano litem mouit. Defunctus est paucis ante patrem diebus: Pater Anno MCCC XIII.

23 VVENCESLAVS Anna Regis Stephani V sorore & VVenceslao II rege Boemiæ prognatus, ab Hungaris quibusdam in regem lectus est, anno MCCCI contra Carolum Martellum & Ottonem Bauarum. Sed is pertæsus molestiarum maluit sine regno pacatus quam rex in tumultu viuere. Egressus est igitur regno, ablato secum diademate anno MCCC III. Obiit vero triennio post.

24 OTTO Dux Bauariæ a consobrino suo VVenceslao Boemo regni Hungariæ corona accepta in Hungariam venit; estque regno inauguratus anno MCCCIV. Sed dum Transsyluaniam lustrat, incidit in manus Ladislai Voiuodæ, qui ipsum coegit potestati regiæ renunciare, & regnum deserere, anno MCCCVIII. Ita sublatis æmulis regnauit Carolus.

25 LVDOVICVS Caroberti filius auo regi Carolo in Hungaria suffectus est. Huic de regno Neapolitano magna & anceps fuit cum Ioanna regina contentio, quæ Andream regem maritum suum, fratrem Ludouici serico laqueo strangulârat, nupseratque Tarentino principi Ludouico. Sed post longa certamina

compoſita res eſt tandem autoritate Pontificis, qui, vt deteriori pare faueret, acceperat dono Auenionem a Ioanna. Excepit eum poſtea bellum Venetum. Ac tandem rebus confectis, poſt glorioſam vitam obiit maturus æui, Anno ætatis LVI. Vxor ei fuit Eliſabetha filia Stephani Boſnienſis, ex qua filias duas ſuſcepit, Mariam, vxorem Sigiſmundi Imp. regiſque Hungariæ; & Hedwigim reginam Poloniæ, quæ nupta Iagelloni Principi Lithuaniæ pagano, autor fuit, eius, ac per ipſum totius gentis conuerſionis.

26 & 27 Maria poſt exceſſum patris deſponſa licet Sigiſmundo, quum nondum viro matura eſſet, in Hungaria educata eſt apud matrem. Sed Hungari pertœſi muliebre imperium, euocant ex Apulia CAROLVM paruum, agnatum proximum. Qui vt venit, dolo reginarum occiſus eſt: Neque vero impune; Eliſabetham enim protinus Croatiæ præfectus Ioannes Horuath aquis merſam ſuffocauit. Euocatus interea e Bohemia SIGISMVNDVS inuadit regnum, autoreſq; factionis punit. Mariam ſponſam ſuam, maſculi animi mulierem, & regnandi auidam, (ob quam cauſſam ipſa REX MARIA dicta fuit,) carcere liberat: nec multo poſt ipſe a coniuratis captus in carcerem detruſus eſt. Euaſit ex eo ſingulari aſtu, ac tandem confirmatis rebus ſuis, obiit ſeptuagenarius, an. MCCCCXXXVII: regnorum Hungariæ & Bohemiæ XVII, Romanorum XXVII: Imperii V. Vxor eius Maria quæ in maritum conſpirarat, captiua aliquamdiu detenta eſt; viditque, quod ſemper metuerat, filiam ſuam reginam.

28 De ALBERTO Duce Auſtriæ diximus in Catalogo Imperatorum. Hic ex vſu melonum inſolito quum diarrhœam contraxiſſet menſe Auguſto, tandem extinctus eſt, relicta vxore Eliſabetha grauida: quæ quum partus futuri ignara filiam ſe geſtare crederet, autor fuit proceribus adſciſcendi in regem ſuum Vladiſlaum ducem Lithuaniæ, Caſimiri Poloniæ regis fratrem. Sed dum Legati in Poloniam profecti mandata exponunt, ſerum adfertur nuncium de partu regine maſculo: Ita rebus turbatis ſcinduntur in partes ſtudia.

29 VLADISLAVS Poloniæ rex Iagellonis filius, ab Hungariæ proceribus reginæ Eliſabethæ partũ ignorantibus euocatus, regno inauguratur anno MCCCCXL, in Alba regali, adhibitis ad eam rem reliquijs S. Stephani, eo quod coronam Eliſabetha cum filiolo ad Fridericum Imperatorem profuga, abſtuliſſet. Rex adiutus a Ioanne Hunniade, quem Coruinum vocant, viro eximiæ virtutis, contra Amurathem II Turcarum Principem, qui ex occaſione diſſenſionum inteſtinarum regno Hungariæ imminebat, duxit exercitum; ac initio quidem feliciter congreſſus eſt ſemel in Seruia, deinde prope Tranſſyluaniam: poſtea vero infeliciter ad Varnam, anno M CCCC XLIV.

30 LADISLAVS Alberti Imperatoris & Eliſabethæ reginæ filius vix quartum menſem vitæ explerat, quum matris rogatu & principum quorundam voluntate coronatus eſt ab Archiepiſcopo Strigonienſi: Eum mater, verita procerum inconſtantiam protinus cum corona abduxit ad Imperatorem Fridericum, relicta regni gubernatione Ioanni Hunniadi. Quum adoleuiſſet, deſtinata eſt ipſi vxor Magdalena regis Franciæ Caroli VII filia. Sed ille in ipſo apparatu nuptiarum diem extremum clauſit Pragæ, an. M CCCC LVII, creditur ſolemni die nuptiarum Huſſitarum nomen, cujus odio flagrabat, fuiſſe deleturus.

31 MATTHIAS Coruinus Ioannis filius a Ladiſlao in carcerem procerum ſuaſu coniectus, poſt interfectum indigne ipſius fratrem, tandem in regem eligitur,

anno

anno ætatis XVIII. Eum Georgius Podiebrachus Bohemus ad se missum paullo ante, è carcere ad regnum dimisit, elocata prius ipsi filia sua in vxorem. Sed quum coronam Ferdinandus Imperator adhuc haberet, neque ipse etiam destitueretur a sectatoribus, longa fuit inter Matthiam & Ferdinandum de coro a contentio, quæ post annos XXIV consopita est adnumeratis LXIX aureorum millibus. Extinctus est apoplexia, anno regni sui XXXII, Christi MCCC CXC. Vxor ei secunda fuit Beatrix Aragonia filia Ferdinandi regis Siciliæ.

32 VLADISLAVS Casimiri Poloniæ regis filius ducta Coruini vidua rex Hungariæ coronatus est. Sed dimisit illam, & consentiente Alexandro Papa duxit Annam Foxeam Gallicam. Obijt anno Christi MDXVI.

33 LVDOVICVS II Vladislai filius adhuc infans corona regali insignitus fuit. Sub hoc Hungari caussati intolerabile exactionum onus, seditionem mouerunt, quæ ex eo aucta est, quod Cardinalis Strigonensis publicatis a Pontifice indulgentijs ad sacram militiam ipsos euocaret. Nullus ibi modus fuit delictorum. Turcarum Imperator Solimannus hanc occasionem sibi non negligendam ratus, in eos venit cum exercitu, cui occurrens ad Mohacium Ludouicus, cæsus est, anno MDXXVI, regni decimo: Cladem illam excepit obsidio Viennæ, vrbis in Austria præcipuæ. Vxor Ludouico fuit Maria Philippi I Hispaniarum regis filia, Caroli V soror, quæ postea facta est Belgicarum Prouinciarum Gubernatrix.

34 IOANNES *de Zapolia* Comes Zepusinus Transsyluaniæ Vaiuoda anno MDXXVI festo ipso Martini ab Hungaris in regem delectus est. Eum Ferdinandus Archidux Austriæ, qui vxorem habebat Annam Ludouici regis sororem defunctam, regno expulit: Sed restitutus a Solymanno iterum regnauit, obiit anno MDXL: Vxor ei Elisabeth, filia Sigismundi regis Poloniæ.

35 FERDINANDVS Austriæ Dux Caroli V frater, sumta in vxorem Anna Ludouici II sorore, Ioannem Zepusinum regno expulit, coronatus rex anno MD XXVII die XIV Februarij. Factus est quoque Imperator. Congressus varie cum Turca extremum diem clausit anno MDLXIV.

36 MAXIMILIANVS Ferdinando patre viuo in regem Hungariæ & Bohemiæ coronatus est: obiit anno MDLXXVI.

37 RVDOLPHVS patre procurante Rex factus est an. MDLXXII.

38 MATTHIAS viuo fratre adeptus est coronam, Presburgi, anno MDCX. Duxit vxorem Annam Catharinam sicut in Catalego Imperatorem diximus.

CAP. XV.

De DANIA, *& regibus Daniæ.*

GERMANIA Septentrionalis Daniam continet, Sueciam, Noruegiam. Dania proprie est Cimbrorum Chersonesus, a quo & sinui Codano, & Gedano vrbi nomen, vti diximus libro primo. In ea limitem aduersus Vandalos cum præsidio esse voluit Henricus Auceps, atque inde fluxit nomen Denemarchiæ ad similitudinem Finmarchiæ, Marchiæ Brandeburgicæ, Misnicæ, aliarumque. Nunc hac appellatione venit omnis tractus mari illo interceptus & a Norwegia Sueciaque


MARE GERMANICVM
Miliaria Germanica Com:
SEPTENTRIO
MERIDIES
ORIENS
OCCIDENS
Westergotie pars
DANIÆ REGNŪ.
MARE BALTICVM Vulgo de Belt
Anholt
Lesso Insula
Funen
Seland
Bornholm
Rugen
Mekelnburg.
Pomeren
Holsten
Stormar
Suderiutland
Nordiutland
Schonen
Blekingen
Smalland
Halland
Laholm
Falsterbo
Copenhagen
Elsenborg
Helsingborg
Landscron
Malmuc
Ystad
Lubeck
Rostock
Stralsund
Wismar
Hamburg
Reutbeck
Oldesloe
Segeberg
Plon
Oldenborch
Rendsborg
Itzehoe
Crempe
Bredeborch
Nyborch
Odensee
Middelfar
Kiøge
Roschild
Warborch
Nestwed
Præstoe
Stege
Falster
Laaland
Mønsterland
Dennemarck
Rudera
Bergen
Wolgast
Wollin
Camin
Usedom
Barth
Ribe
Aarhusen
Ebeltoft
Randers
Aalborch
Wiborch
Viborg
Ringkiøbing
Tondorp
Flensborch
Sleswick
Apenrade
Hadersleue
Tønder
Ripen
Manum
Rim
Sild
Fore
De Straum
Nyewerck
Ditmarsen
Kellinghusen
Itzehoe
Hamburg
Lunenburg
Stade
Reutbeck
Lubeck
Wismar
Rostock
Stralsund
Bergen
Ruder
Bart
Wolgast
Usedom
Wollin
Camin
Die Ertholme
Rattenby
Die Dwarsse
Die Diepe
Die Langeland
Die Belt
Die Sund
Die Sleswick
Die Flensborch
Die Kappeln
Die Apenrade
Die Hadersleue
Die Tønder
Die Ripen
Die Manum
Die Rim
Die Sild
Die Fore
Die De Straum
Die Nyewerck
Die Ditmarsen
Die Kellinghusen
Die Itzehoe
Die Hamburg
Die Lunenburg
Die Stade
Die Reutbeck
Die Lubeck
Die Wismar
Die Rostock
Die Stralsund
Die Bergen
Die Ruder
Die Bart
Die Wolgast
Die Usedom
Die Wollin
Die Camin
Die Rugen
Die Mekelnburg.
Die Pomeren
Die Holsten
Die Stormar
Die Suderiutland
Die Nordiutland
Die Schonen
Die Blekingen
Die Smalland
Die Halland
Die Laholm
Die Falsterbo
Die Copenhagen
Die Elsenborg
Die Helsingborg
Die Landscron
Die Malmuc
Die Ystad
Die Ribe
Die Aarhusen
Die Ebeltoft
Die Randers
Die Aalborch
Die Wiborch
Die Viborg
Die Ringkiøbing
Die Tondorp
Die Flensborch
Die Sleswick

Sueciaque discretus, in quo Cimbrica Chersonesus Fionia, Zelandia, cum adiacentibus insulis, quam medij æni scriptores Daciam non recte vocauere. In Cimbrica Chersoneso sunt Holsatia, Ditmarsia, Stormaria, VVagria, Slesvvicensis Ducatus, Iutia vtraque Australis & Septentrionalis. Porro Zelandia quindecim ciuitates, duodecim arces regias habet: Vrbs præcipua est *Hafnia* quam etiam vocant *Kiopmanshauen*, quasi portum dicas mercatorum. Natio haud dubie valida olim, & potens, neque adhuc imbellis: Testantur id Cimbrorum in Italiam expeditiones, Hispania a Gothis subacta, Longobardorum in Italia regnum, Normannorum in Gallia habitatio, Regni Neapolitani & Siculi erectio, Gotfridi in Frisiam irruptio, Anglorum per aliquot annos submissio. Distinguitur vero Dania in præfecturas CLXXXIV quas ipsi *hæret* vocant. Rex ipsis electione cernitur, non successione obuenit; tametsi liberos & agnatos regij sanguinis plerumque cæteris præferant. Hi, quin ante Imperium ad Germanos translatum fuerint summi inter suos iuris, non est dubium: sed postquam cœpere Christianam religionem profiteri, & admittere Roma ordinem Ecclesiasticum, non defuerunt, qui suo cõmodo Ecclesias Pontificis Romani, regnum Imperij feudum adsererent. Neque vero defuere ex altera parte qui Danicam libertatem quoque tuerentur. Saxo Grammaticus de Ranuto rege hæc scribit. *Excussa ipsi atque explorata Cæsaris callliditas erat, ijsdem perfidiæ laqueis filij simplicitatem circumuenire studenti, quibus olim patris credulitatem implicitam habuerat. Cui quum Cæsar erepturum se regnum alyque daturum plena minarum epistola dixisset, solum hoc rescribere contentus fuit, Quærendum videlicet Cæsari esse priusquam sibi regnum adimat, quis Daniam in eius beneficio reponere cupiat. Apud quem Cæsar frustra monitis egisse se videns, Syfridum subornat, sperans se quod litterarum suarum instinctu nequibat, alienæ vocis supplemento persuasurum. Qui vbi Daniam intrauit, exponit, quanta regis charitate ob sororis eius matrimonium teneretur, quantisque Cæsar esset viribus. Tum Absalonem, Sunonem, & Elsbertum, qui soli ex amicis cum rege admittebantur, monet, ne Romani Imperatoris curiæ adscribi regem suum deforme ducant. Respondet Absalon, Syfridum nosse debere, Ranuto Cæsarique æquum regnandi ius esse, neque minore cum libertate hunc Danici regni, quam illum Romani imperij gubernacula continere. Igitur indignante Syfrido, plenaque minarum ac fastus resonsa fundente, An tu, inquit, ex temetipso Daniam pensas? eamque vt Thuringiam a Cæsare quum volet quam facillime capi posse existimas? Quin abi, Imperatorique tuo perfer, Danorum regem ne minimam quidem obsequij partem dignitati eius ac nomini delaturum. His auditis Cæsar, spernenti se regi quia bellum nequiuit, odium instixit, animo non ferro contemptum vlturus.* Adhæsit semper generosioribus animis illud de se iudicium, nec putauerunt libertatem ante Christianissimum defensam acriter ad posterosque ttansmissam, a se recepta Christi lege admissisque Episcopis imminutam aut amissam esse. Coronantur reges Daniæ Hafniæ in Ecclesia B. Mariæ ante altare, deducti eo a Regni proceribus, prælatisq; insignibus, ense, globo, corona. Ibi exigitur a rege iuramentum seruandarum legum, religionis Christianæ defendendæ, iuris tuendi. Postea vngitur ab Episcopo Roschildensi, imponiturque ei corona a regni Senatoribus. Sunt autem in regno status siue Ordines quinque,

Primus est regij sanguinis, qualis est in Gallia quoque Principum e consanguineorum regis.

Secundus est Nobilium, siue ordinis Equestris, in quo tamen nulli sunt Comites aut Barones. Familiæ tantum admodum antiquæ, vt quæ ad Caroli vsq; Magna tem-

pora possint suum stemma deducere. Signa iis omnibus simplicia in clypeis, ac nulla mixtura aucta. Bona immunia, non feudalia, sed, vt IC^ti loquuntur, allodialia: in quæ ius hæreditatis habent ex æquo fratres, sorores trientis. Ex hoc ordine eliguntur Senatores ad regni curam & regis vsum XXVIII, quibus decreta sunt alimenta, & arces, quantisper eo munere funguntur, immunes ab exactionibus & oneribus regni, nisi quod cogantur singuli alere aliquot equites, ad incerta belli. Cæteri nobiles ex regiis bonis aluntur, datis ipsis vel ad vitam, vel ad certum tempus prædiis quibusdam, ex quibus equites aliquot alere, fisco certam pecuniæ summam pendere, seruata sibi certa summa, tenentur. Neque licet Regi bona immobilia a nobilibus emere; salubri constitutione; Ita enim quod regia autoritas posset exigere, ciuiũq; verecundia negare non auderet, lege intercedente inhibetur. Nobilibus quoq, non licet fundos emere a regiis rusticis eadem de caussa. Sunt autem familiæ in Dania præcipuæ hæ. *D. de Achsel, de Appelgard, de Brahe, de Bing, de Below, de Bilde, de Brockenhusen, de Biorn, de Banner, de Beck, de Blick, de Bassi, de Bax, de Baselich, de Bille, de Bilde, de Beckholde, de Budde, de Bammelberg, de Brune, de Baggen, de Dreselberg, de Daac, de Duxe, de Duram, de Frese, de Fassi, de Falster, de Falke, de Guldensteen, de Grubbe, de Goce, de Green, de Gelschut, de Glambeke, de Galle, de Gram, de Gris, de Goss, de Hardenberg, de Holke, de Hoken, de Hundertmarck, de Heidestorper, de Hube, de Iul, de Iensen, de Iuenan, de Kaas, de Kuntzeu, de Krusen, de Krabbe, de Kragge, de Krumpen, de Lunge, de Lindeman, de Lange, de Luck, de Lindow, de Lutken, de Laxman, de Munck, de Mattiessen, de Marizer, de Must, de Matre, de Negel, de Narbu, de Norman, de Ofren, de Podessen, de Podebussen, de Papenheimb, de Passberg, de Quitrow, de Rosenkrantz, de Rantzow, de Rastorp, de Ruthede, de Renter, de Ruten, de Rosenpart, de Rosengard, de Ronnow, de Schram, de Schefeldt, de Schelen, de Schestede, de Stuege, de Suuon, de Stantbeke, de Split, de Solle, de Spar, de Swaben, de Santbarch, de Spegel, de Schaugard, de Trelle, de Totten, de Vlstandt, de Vren* cuius memoria vetus est a Caroli inde Magni temporibus, *de Vltrup, de Walkendorp, de Wipfert, de Wirfeldt, de Wensterman, de Worm, de Wogersen, de Wolde.* Ex hisce nobilibus diliguntur Præfectus aulæ regiæ, Marescallus, Cancellarius regni, Cancellarius regis, Præfectus ærarij, Præfectus maris.

Tertius ordo est Ecclesiasticus, in quo Archiepiscopus Lundensis, Episcopi Roschildensis, Otronensis, Ripensis, VViburgensis, Arhusensis, & Slesuicensis, cum suis diœcesanis. His cedunt decimæ, ita tamen vt alicubi partem dimidiam trahat ad se Rex, aliquota etiam seponatur ad structuram templorum, & Scholas. Academiam enim habent Hafniæ, fundatam a Christierno primo, an. Domini M CCCC LXXVIII, permissu Sixti Papæ, auctam vero a Friderico II, & prouentu LX millium dalerorum locupletatam: Scholæ autem sunt passim, in vrbibus & pagis priuatæ.

Quartus ordo est Ciuium & Mercatorum in oppidis habitantium, cui ad medios honores patet aditus, licetque adspirare ad Episcopatum, Canonicatum, Ecclesiæ regimen, Senatoriam in vrbibus dignitam, Ex iisdem fiunt quoque Scribæ in castris & arcibus.

Quintus ordo est Agricolarum, quorum duo sunt genera: Alii sunt liberi, habentque agros hæreditarios, pauxillum tantum regi annuatim pendentes; Hi dicuntur *Freybunden*: Alij agrum conducunt, aut ipsi nobilibus aliisque operas suas elocant, obnoxij Dominis.

Est

Est autem regum Daniæ hæc series, petita quam altissime ipsorum origine.

SERIES REGVM DANIÆ.

1 Danus vixit anno orbis conditi, bis M, D CCC XCVIII, ante Christum annis M L X X I I I.
2 Humbuldus.
3 Lotterus.
4 Sckioldus.
5 Gramus.
6 Schwibdagerus.
7 Gothornus.
8 Hadinus.
9 Frodo.
10 Haldanus.
11 Rocus.
12 Helgo.
13 Rodulfus.
14 Rorickus.
15 VVicloffus.
16 VVarmundus.
17 Vffo.
18 Danus II.
19 Hughletus paruus.
20 Frodo II, cognomento fortis.
21 Danus III.
22 Fridloffus celer.
23 Frodo III.
24 Hianno Sckialdus.
25 Fridloffus II.
26 Frodo IV.
27 Ingelus VVendemothius.
28 Olaus, qui & Oluffus.
29 Haraldus I.
30 Frodo V.
31 Haraldus II.
32 Haldanus II.
33 Vnquinus.
34 Sinaldus I.
35 Segerus.
36 Sinaldus II.
37 Quinque Gubernatores, qui rebus Danicis præfuerunt.
38 Haldanus.
39 Haraldus III, qui & Hilderand: Hic eiectis Gubernatoribus monarchiam restituit.
40 Heditha virgo.
41 Olaus II.
42 Omundus.
43 Siuordus I.
44 Bulteus.
45 Iamericus.
46 Broderus.
47 Sinaldus III.
48 Sino.
49 Bieronus.
50 Haraldus IV.
51 Gormus.
52 Gotterichus Gormi filius, qui Sueuiam, Sclauiam, & Saxoniam sibi subiecit, ac cum Carolo Magno bella gessit.
53 Olaus vel Oluffus III.
54 Hemmingius.
55 Siuordus II.
56 Regnerus.
57 Sinordus cognomento *Schlangen-aug.*
58 Ericus.

59 Ericus puer, primus Rex qui Christo nomen dedit.
60 Canutus apostata.
61 Frodo cognomento *der frische*.
62 Gormo Anglus.
63 Haraldus V.
64 Gormo II.
65 Haraldus VI dictus Blaatand. Hic quoque Christi legem professus, sacris eius imbutus est.
66 Sueuo.
67 Canutus II cognomento Magnus. Angliam, Sueciam & Noruegiam sibi subiecit.
68 Canutus III.
69 Magnus cognomento mitis, *Guthige*.
70 Sueuo Angliæ regno ab Haraldo eiectus Daniam obtinuit, eamque contra Noruegiæ regem Haraldum fortiter defendit. Obiit plenus æui, Suddatorpij in Iutia: Situs est Roschildæ, sepultus ibi anno Christi MLXXIV.
71 Haraldus VII Suenonis filius patri successor datus est, fuitque biennium in ea potestate: cessit è vita sine liberis anno Christi MLXXVI.
72 Sanctus CANVTVS post fratrem Haraldum regno præfuit: singulari in Ecclesias adfectu, quas munifice locupletauit; Multa istius feruntur gesta fortiter, dicta prudenter, sapienter constituta. Occubuit in Iutia, cæsus ad aram Othoniæ a Fionibus anno Christi MLXXXVIII.
73 OLAVS post cæsum fratrem e Flandria domum reuocatus est, & regno præfectus: abfuerat enim relegatus a Canuto, quod coniurationis fuisset socius: anno MXCVI.
74 ERICVS III cognomento Bonus vel *Eyegut* vir animi corporisque dotibus insignis, ex Suecia, vbi aliquamdiu exsularat, post excessum Olai in regnum reuocatus, archiepiscopatum Lundensem instituit: ac cum vxore Bochilda Romam inde Ierosolymam profectus, obiit in Cypro anno MCII.
75 Nicolaus Suenonis filius Rex Daniæ cum Vandalis dubio Marte pugnauit: a Schlesuicensibus tumultu populari cæsus est, anno MCXXXV.
76 ERICVS IV ex adulterio natus cognomentum habuit *Hasenfuss*, fuitque Nicolai dum vixit hostis. Hic Haraldum fratrem occidit; a sicario ipse postea confossus Anno MCXXXIX.
77 ERICVS V Erici nepos ex Anna filia, aduersus Vandalos infeliciter pugnauit: obiit anno MCXLVII, & quidem monachus.
78 CANVTVS V Magni filius Rex Daniæ Iutiam tenuit; In conuiuio confossus est a Suenone, anno Christi MCLV.
79 SVENO III regis Erici filius, Canutum sobrinum suum Nicolai regis nepotem ab Adolpho II Holsatiæ Comite adiutum aliquot prœliis fudit. Tandem tamen composita est inter ipsos controuersia per Fredericum Barbarossam, ea quã refert Otto Frisingensis ratione. *Erat*, inquit, *in illo tempore in regno Danorum inter duos consanguineos, Petrum scilicet, qui & Suenus & Guotonem de regno grauis controuersia. Quos rex ad se venire præcipiens, curiam magnam in ciuitate Saxoniæ Martiopoli quæ & Merseburg cum multa principum frequentia habuit. Eo præfati iuuenes venientes, eius se mandato humiliter supposuerunt, eorumque ad vltimum caussa iudicio seu concilio priuatim sic deuisa fuisse dicitur. Guoto relictis sibi quibusdam prouincys regium nomen per porrectum gladium abdicaret. Est enim consuetudo Curiæ, vt regna per gladium, prouinciæ per vexillum a*

principe

principe tradantur, vel recipiantur. Petrus vero accepto ab ipsius manu regno, fidelitate & hominio ei obligaretur. Ita corona regni per manum principis sibi imposita in die sancto Pentecostes, ipse coronatus, gladium regis sub corona incedens portauit. Gualdemarus etiam qui eiusdem sanguinis particeps fuit, ducatum quendam Daniæ accepit. Scaniam scilicet. Sed Sueno tandem VValdemari primi Iutiæ Ducis Canuti siue Guotonis filij armis oppressus perijt anno MCLVII.

STEMMA REGVM DANIÆ AB ERICO V VSQVE AD CHRISTIANVM I Oldenburgicum.



80 VVALDEMARVS Dux Iutiæ & Schleſwici filius Canaci, quem alij Guotonem vocant, Suenone rege, a quo ſæpius per inſidias petitus fuerat, obtruncato, Daniæ regnum ſolus obtinuit, a proceribus delectus, a Friderico Barbaroſſa confirmatus. Huc ſpectant iſta Radeuici Friſingenſis. *Eodem loco* (Auguſtæ ſcilicet Vindelicorum) *iiſdemque diebus nuntij regis Daniæ nuper electi, principis adeunt preſentiam, poſtulantes, quatenus inueſtituram de regno ſuo regi mittere ac electionem de ipſo factam ratihabitione confirmare dignaretur. Exaudiuit eos Imperator, præbito & accepto ab eis ſacramento iuriſiurandi, poſt reditum ſuum de Italia infra* XL *dies regem ad curiam venturum, & regni adminiſtrationem de manu principis, debitæ fidelitatis interpoſita ſecuritate, ſuſcepturum.* Regnauit annos XXVIII. Vandalos domuit. Rugianos ad Chriſti religionem adduxit, anno Chriſti MCLXVIII. Canutum filium ſocium ſibi regni cooptauit: patrem vero ſuum Canutum in diuos retulit. Obiit ipſe anno Chriſti MCLXXXV. Vxorem habuit Sophiam, ſororem Canuti V.

81 CANVTVS VI patris in regno conſors & ſucceſſor, Haraldum Suenonem regni æmulum profligauit, VValdemarum Epiſcopum Schleſuicenſem regno inhiantem captiuum abduxit. Pomeranorum impetus & incurſiones fortiter ſuſtinuit: Obiit anno Chriſti MCCX. Vxor ei fuit Mechtildis filia Henrici Leonis Ducis Saxoniæ.

82 VVALDEMARVS II Dux Schleſwicenſis fratri Canuto ſucceſſor datus, arcem Louenburgum obſedit & ad deditionem compulit, Reualiam condidit anno Chriſti MCCXX. Mortuus eſt anno Chriſti MCCXLII. Vxor ei fuit Maria Ottonis IV Imperatoris filia.

83 ERICVS VI regis VValdemari filius a fratris Abelis factione Schleſuici ſecuri cæſus eſt, anno Domini noſtri MCCLII. Vxorem habuit Agnem filiam Marchionis Brandeburgici.

84 ABEL fratricida regnum male partum male perdidit, a Friſiis Eydorienſibus occiſus anno Chriſti MCCLIII, regni ſui primo. Vxorem duxerat Mechtildem Adolphi IV Comitis Holſatiæ filiam, ex qua natus VValdemarus Dux Schleſuicenſis qui Flenſburgum ornauit.

85 CHRISTOPHORVS I Abeli fratri ſucceſſit. Vxorem habuit Mechtildem filiam Alberti II Marchionis Brandeburgici. Is dum aliena inuadere ſtudet, captus a Comitibus Holſatiæ, multis argenti libris mulctatur: obiit anno MCCLIX.

86 ERICVS VII qui & Senior, patrem in regno ſequutus eſt, cui præfuit tranquille annos totos XXVIII; donec ab aulicis ſuis confoſſus interijt, anno Chriſti MCCLXXXVI: Vxorem duxit Mechtildem Alberti Magni, Ducis Brunſuicenſis filiam.

87 ERICVS VIII ſiue junior patris cædem vltus eſt. Roſtochium, Gripſualdiam, Seuerinum ſibi ſubiecit, obijt anno Chriſti MCCCXXI regni XXXV. Ex vxore ſua *..... Burgeri Suecorum regis ſorore non ſuſcepit prolem.

88 CHRISTOPHORVS II a fratre Erico regno pulſus poſt illius obitum ipſi ſuffectus eſt, adnitente Ioanne Largo Comite Holſatiæ, cui idcirco Roſtochium reddidit. Vxor ei fuit Eliſabeth filia Ottonis ducis Saxoniæ. Regnauit anno XII, obiit anno Chriſti MCCCXXXIII.

89 VVALDEMARVS III patri Chriſtophoro ſucceſſit. Infeliciter admodum cum ciuitatibus Anzeaticis bellum geſſit annos totos XLIV. Terram Palæſtinam,

quam

quam ſanctam vocant, inuiſit. Fecit quoque expeditionem in Gotlandiam, quam ferro & igni vaſtauit. Obijt anno Chriſti MCCCLXXV. Vxor ei fuit *..... ſoror VValdemari Ducis Schleſuicenſis, ex qua filiam vnicam ſuſcepit Margaretam.

90 MARGARETA VValdemari III filia nupta Haquino regi Norwegiæ patre defuncto regina Daniæ facta eſt, quam illa totos annos XXXVII prudenter & feliciter gubernauit: In Suecos arma mouit, eorumque regem Albertum cepit. Ita ipſa trium potentiſſimorum regnorum, Daniæ, Sueciæ, Noruegiæ regina, ſequentibus regibus impetum adfudit tria illa regna coniungendi. Obiit anno MCCCCXII.

91 OLAVS Rex Daniæ & Norwegiæ, Margaretæ filius, obiit puer admodum, vix ſeptennis, anno Chriſti MCCCLXXXVII. Mater Margareta filio orbata virili animo adminiſtrauit Remp. ſibique adoptauit Ericum Pomeraniæ ducem; quem etiam ſucceſſorem ſibi inſtituit.

92 ERICVS Dux Pomeraniæ a regina Margaretæ adoptione procerumque conſenſu Rex Daniæ, Sueciæ, Noruegiæ factus, diuturna bella geſſit cum Schleſuicenſibus, ac fœderatis Anzæ Teutonicæ, Sueciſque rebellibus: Ipſe vero ſponte ſua abdicato ſceptro regreſſus eſt in Pomeraniam, anno MCCCCXXXVIII. mortuus illic anno MCCCCLIX.

93 CHRISTOPHORVS Erici nepos, Palatinus Rheni ac Bauariæ Dux, Septentrionalis Germaniæ Dominus, rex dictus eſt Daniæ, Scandinauiæ, Gothiæ, Scandiæ, Sueciæ, Noruegiæ, Finniæ. Vxor ei fuit Dorothea filia Ioannis Marchionis Brandeburgici. Obiit Helſimburgi, dum bellum aduerſus Lubecenſes parat, Anno regni ſui nono, Chriſti MCCCCXLVIII.

SERIES REGVM DANIÆ EX COMITIBUS Oldenburgicis a Chriſtiano I vſque ad Chriſtianum IV.

Oldenburgum arx eſt, condita a VValberto Angriuariorum, Nortalbingiorum, & VVeſtphalorum duce, anno Chriſti MDVI. Fuit autem arx illa cum vicina ditione omni in poteſtate Comitum Altenburgenſium, vſque ad Ottonem Comitem, qui diuiſa cum fratre hæreditate, in tractu Hoienſi, qui Bremenſi ciuitati eſt vicinior arcem condidit ad riuum Delmæ, cui Delmenhorſtæ ex eo nomen datum, anno Chriſti MCCXLVII. Ita ergo tunc duo Comitatus diuiſi nominibus & poſſeſſoribus fuere, donec ad Theodoricum Fortunatum vtraq; hæreditas deuoluta eſt, in cuius familia vſque ad hoc tempus ea permanet. Ex hac ſtirpe reges Daniæ poſt Chriſtophorum Palatinum delecti ſunt; Atque hæc cauſſa eſt, cur inter titulos ſuos Reges referant, ſe Comites eſſe Oldenburgicos & Delmenhorſtenſes.

SERIES

SERIES REGVM DANIÆ EX COMITIBVS OLDENBVRgicis a Christiano I vsque ad Christianum IV.



94 CHRISTIA-

94 CHRISTIANVS I cognomento Diues, Comes Oldenburgicus & Delmenhorſtius opera Adolphi ducis Schleſwicenſis aununculi ſui a Proceribus in regem Daniæ & Norwegiæ electus eſt, anno Chriſti MCCCC XLVIII. Idem quoque nouennio poſt Sueuiam, quæ a ſuo rege defecerat, prioribus duobus regnis coniunxit. Obiit Hafniæ anno ætatis ſuæ LVI, Chriſti nati MCCCCLXXXII. Vxor ei Dorothea filia Ioannis Marchionis Brandeburgici, vidua Chriſtophori Palatini. Hic a Friderico III obtinuit, vt Holſatia, Stormarcia, & Dietmarſia, Ducatuum priuilegiis tituliſque fuerentur. Eius filia Margareta nupta fuit Iacobo II Scotorum regi, accepitque ab eo dotales inſulas Orcades.

95 IOANNES patri ſucceſſit, initio felix, poſtea ſuſcepto aduerſus Dietmarſos bello inferior, vix fuga vitam ſeruauit. Bello Suecico vxor eius Chriſtina filia Erneſti Electoris Saxoniæ capta eſt. Obiit ſenex anno MDXII, Situs eſt Odenſundiæ. Eius filia vnica Eliſabeth nupta fuit Ioachimo I Electori Brandeburgico.

96 CHRISTIANVS, vel vt Danis in vſu eſt, Chriſtiernus II puer ſexennis a Ioanne patre deſignatus Rex, eo defuncto Suecos vi & dolis oppugnauit. Victos quum crudeliter haberet, nec modum faceret ſæuiendi, impulit, vt deſperationem in virtutem verterent; Exactus igitur eſt regno, anno MDXXII adnitente etiam cum Lubecenſibus patruo Friderico viro iuris & æqui amantiſſimo. Poſt decem exilij annos comparatis in Belgica copijs, reuerſus in Daniam, ſpe eius per vim recuperandæ captus eſt, inq; cuſtodiam miſſus Calmariam, vbi tandem in vinculis poſt XXVII annorum tædium exſpirauit, exemplum regibus moderationis relinquens. Vxor ei Iſabella filia Philippi Auſtriaci regis Caſtellæ, ſoror Caroli V, ex qua natus Ioannes, qui apud auunculum educatus, obiit in Hungaria, ipſo illo die quo pater in mari captus fuit. Dorothea eius filia nupta fuit Friderico pio Palatino; Chriſtina vero Franciſco Sfortiæ duci Mantuano, ac poſt eius obitum Franciſco Duci Lotharingico. Situs eſt iuxta patrem Odenſundiæ.

97 FRIDERICVS I rex Daniæ & Norwegiæ Dux Schleſuici, Holſatiæ, Stormarciæ, VVagriæ & Dietmarſiæ patrem amiſit annos natus nouem. A Ioanne fratre exutus bonis æquo animo ſortem tulit. Poſt Chriſtierni II exilium & captiuitatem rex lectus a regni Proceribus. Religionem primus reformauit in Dania: Regnauit annos decem, ſituſque eſt Schleſuici in templo cathedrali, monumẽto ex lapide alabaſtrite facto. Vxores habuit Annam Brandeburgicam, & Sophiam filiam Dragiſlai Ducis Pomeraniæ. Filia eius Dorothea elocata eſt Alberto Marchioni Brandeburgico; Eliſabetha primum Magno poſtea Vlrico ducibus Megapolenſibus; Anna celebs vixit.

98 CHRISTIANVS III Friderici filius regno paterno potitus anno MDXXXV, protinus conſilia retulit ad conſtituendum Rempublicam; Itaq; nautã quendã Iuthię Borealis turbatorem, & Meierum Scaniã vexantem, nobiles ea tempeſtate prędones cepit & ſupplicijs extremis affecit. Daniam terrore belli ruſtici liberauit. Chriſtophori Oldenburgici & Lubecenſium copias ad Aſnicium Finniæ vrbem edita ingenti ſtrage deleuit. Obiit anno Chriſti MDLIX, qui vitæ eius fuit LV. Vxor ei fuit Dorothea, nata Magno Ducæ Saoniæ inferioris. Eius filia Anna nupta fuit Auguſto Electori Saxonico; Dorothea vero Guilielmo iuniori Duci Brunſuicenſi.

99 FRIDERICVS II Chriſtiani filius arcem illam nobilem


SVECIA, ET Norwegia etc.
SEPTENTRIO
MERIDIES
OCCIDENS
ORIENS
OCEANUS
SEPTENTRIONALIS
LAPPIA
Bothner see
Corelia terra
Holela lac.
Finn. sch. see
Mare
Balthicum
Lief landiæ pars
Miliaria Germanica
5 10 15 20 25 30

bilem Croneburgicam fieri fecit, ad fretum Sundicum in Sialandia; Idem quoque Dietmarsos sibi subiecit. Prudens, grauis, fortis, pius, eruditus, atque Astronomiæ imprimis amans rex. In Hyena insula Vranoburgum condidit, anno MDLXXIX, & multis ornauit instrumentis Astronomicis: Obiit anno Christi MDLXXXVIII, natus annos LIII. Sepultus est Roschildæ. Vxor ei fuit Sophia filia Vlrici Ducis Mechelburgici. Filias habuit treis, Elisabetham nuptam Henrico Iulio Duci Brunsuicensi: Annam nuptam Iacobo Britanniarum regi. Heduigem nuptam Christiano Electori Saxonico.

100 CHRISTIANVS IV Friderici filius natus est an. MDLXXVII Fridrichsburgi; Coronam regni cepit anno MDXCVI die XXIX Augusti summo cum Procerum consensu & gaudio ciuium. Vxorem duxit Annam Catharinam filiam Ioachimi Electoris Brandeburgici. Huius in bello foritudinem Suecus, in pace concilienda prudentiam Illustres fœderatarum Prouinciarum Ordines experti sunt. Iustitiam moderationemque ciues ipsi subditi experiuntur. Viuat diu vigeatque eius virtus; & amorem sui viuentibus, victuris desiderium relinquat.

CAP. XVI.

REGNVM & reges SVECIAE.

NON inconsultè a nobis factum est, vt Suecorum, & Danorum populos regesque Germanicæ nationi adcenseremus. Adcensuit eos Tacitus, & quidem retulit ipsos inter Suenos. *Trans Lygios*, inquit, *Gothones regnantur, paullò jam addictius quam ceteræ Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem. Protinus deinde ab Oceano Rugy, & Lemouy. Omnium harum gentium insigne, rotunda scuta, breues gladij, & erga reges obsequium. Suionum hinc ciuitates, ipso in Oceano: præter viros armaque, classibus valent. Est apud illos & opibus honos, eoque vnus imperitat, nullis jam exceptionibus, non precario iure parendi. Trans Suionas aliud mare, pigrum, ac prope immotum, quo cingi cludique terrarum orbem hinc fides, quod cadentis jam solis fulgor in ortus edurat, adeò clarus, vt sidera hebetet*, & quæ preterea apud illum leguntur. Sed & lingua ipsos arguit Germanos, antiqua, & nullis exterarum gentium inuasionibus victoriisque vitiata. Ac si de origine certandum sit, videri possunt ab his potius Germani, quam ipsi dicti a Germanis: primi enim Cimbri Teutoniq; ex Dania & vicinis locis in Italiam profecti quũ se fratres vernacule vocarent, a Romanis Germani (quo nomine fraternitas significatur) appellati sunt. Nunquam in has terras Græci, nunquam Romani armis suis penetrarunt, quo fit, vt adhuc omnia apud ipsos integra atque incorrupta sint. Ipsi potius suis olim relictis sedibus, Germaniam, Galliam, Hispaniam, Italiam, Hungariam, Bohemiam, Africamque perruperunt, suiq; apud illas gentes sermonis & victoriarum vestigia reliquerunt. Ab his enim profecti sunt Gothi, Ostrogothi, VVestrogothi, qui primum Tauricã Chersonesum, inde vicina Thraciæ ad Istrũ loca, ad extremum Italiam Hispaniamque occuparunt. Et distinguntur hodieque similiter his locis Gothi in Orientales & Occidentales. Inclytus sane Rex GVSTAVVS, cui Deus præter amplissimorum regnorum sceptra, primas dedit ingenij & virtutis laudes, maiorum more se scribit Sueciæ, ac præterea Gothorum & Vandalorum regem. Qui barbaros hos vocant, magis id faciunt imperitia gentis, & aliorum exemplo, quam certo iudicio. Sic Græci quondã Romanos, Romani Græcos per conuicium

vocauere: neque aliter Germanos Seneca, Plinius, Tacitus, appellant. Nulla vero hodie est inter Christianos gens quæ certiora habeat altioraque suæ antiquitatis documenta. SCANDIAM, & Scandinauiam, & Balthiam, & Basiliam veteres vocauerunt quicquid terrarum sinu Balthico & Oceano clauditur, adhæretque orientem versus Russiæ; sunt autem in ea regna tria, Norwegiæ, Sueciæ, & Gothiæ: Sed in his eminet Suecia, quæ etiam diu cæteris imperauit; licet nunc Danis pareat Norwegia: Atque hæc causa est, cur Sueciæ Reges tres in suis insignibus gerant coronas; quod quidem non aliter quoque fit a Daniæ regibus, quam quod ipsorum quidam Sueciam aliquando rexerunt. Suecorum vero regni vastitas vel ex eo potest intelligi, quod a Stockholmia vrbe regia vsque ad fines Lapponum Septentrionem versus mille numerētur milliaria Italica; & a limite extremo Daniæ Orientem versus vsque ad Stockholmiam, quæ medio regni situ posita est, iter sit expedito equi quindecim, aut viginti dierum, adeo vt hæc vna simul Italiam, Galliamque credatur magnitudine excedere, non accensis adhuc Lapponibus & Finlandis, quorum accessione multo etiam esset maior, quum Lapponum sedes ipsi Sueciæ magnitudine fere par sit. Planities in Suecia ingentes sunt; montes crebri & plerique siluis obsiti, pinus, abietes, quercus ferunt: in quibus tamen sparsim excisis arboribus habitatur. Lacus ingentes & piscosi: Amnes multi, sed ob arborum truncos & natantes glaciei crustas parum nauigabiles. Ager omnium Aquilonarium fertilissimus. Ducatus in ea sunt vndecim, Oplandiæ, Gothiæ orientalis, Gothiæ occidentali, Dalakarliæ, Finlandiæ, Smolandiæ, Vesmaniæ, Abæ, Satagundæ, Careliæ, & Tauastiæ. Comitatus duodecim, Helsingæ, Angermaniæ, Gestricæ, Medelpadiæ, Boddiæ Orientalis, Boddiæ Occidentalis, Olandæ, Verinlandæ, Nuicæ, Daliæ, & Olandiæ insularis. Ostrogothiæ metropolis est Lincopia: VVestrogothiæ Scara, sedes Episcopalis. Oplandiæ, Vlpsalia, Archiepiscopatu & schola publica, ac prætereà antiquis regum sepulturis celebris. Stockholmia vrbs totius regni præcipua est. Gripholmia mercatorum exterorum frequentia nobilitata. Ad opidum Strengis imminens lacui conspiciuntur saxa insculpta vetustis Epitaphijs, qualia etiam ad Scaram permulta sunt. Mirum sane huic genti rupes pro libris, saxa pro bibliothecis fuisse. In Sudermannia oppida sunt Telge & Strengenes, cum arce Griphisholmia. In Oelandia arx est Borgholm munitissima. In Nericia Orebro, ad Melerum lacum, vbi Ericus rex captiuus detentus est. In Finlandia vrbs Episcopalis est Viburgum, munimentum aduersus Russos, oppidum Abo, & supra illud Elsingofos. Est & Reualia in Liuonia iuris Suecici. In Vpsalienſi Diœceſi parœciæ numerantur CLXXI. In Lincopienſi CCXXVI. In Vexenſi CCX. In Scarenſi CC atque amplius. In Stregnienſi centum. Episcopatus Abienſis in Finlandia Ecclesias parœciales habet quingentas: Atque ex his coniectura fieri potest amplitudinis & potentiæ illius regni. Sermo incolis vt plurimum triplex, Sueuicus, Saxonicus, Finnicus: quorum illi a Germanico non distant nisi dialecto. Aer fere vbique tersus, temperies tolerabilis, etiam hibernis mensibus; itaque caldaria in morem reliquorum Germanorum non habent; Sed & ipsi incolæ frigoris sunt patientissimi, adeo vt in obsidionibus constet milites in excubijs horas perpetuas octodecim perdurasse brumæ tempore. Natio omnis sagax, industria, artium discendarum auida, exercendarum gnara, sobria etiam & attenta: quo fit vt ad centesimum trigesimum aut quadragesimum annum quidam vitam prorogent. Reges non successione mera, neque vero sorte capiuntur, sed si in genere regio proximus virtutes habeat imperio dignas, eligitur, præficiturque impe-

rio.

rio. Consiliarij ipsi sunt duodecim, selecti ex omni regno ob eminentem prudentiam. Prouinciæ cuique præfectus est Consul vnus, quem ipsi vocant Lenesmannum, huic subsunt Vicarij vel Locumtenentes. Vtrisque præest Legifer veluti supremus iudex, daturque prouocatio a Vicarijs ad Legiferos qui ipsis dicuntur Lagemens, inde ad Consilium regium, ac tandem ad ipsum Regem. Sola Smalandia, quæ confinis est Daniæ, habet LII istiusmodi Vicarios. Res militaris etiã exacte ordinata est. In singulis quippe Prouincijs certus est equitũ & peditum numerus. In Suecia, Gothiaque munerantur vexilla siue cohortes duæ & triginta; singulæ quingentorum, interdum etiam sexcentorum aut septingentorum capitum. Milites pleriq; sclopeto armati sunt; nam lanceatum ob siluas nullus est vsus. Magna genti patientia in aduersis,& cũ desidiæ odio singulare laboris studium. Itaque milites non per ignauiam tempus transmittunt, sed præter officia militaria, & parendi obsequium, norunt ipsi calceum suere, vestem conficere, ex iunco stoceam texere, venari, & nunc auibus,nunc piscibus insidias struere; Eadem rusticorum per vniuersam Sueciam ratio est, opificia enim extra maiores vrbes non exercentur. Cuique vexillo præsunt Capitaneus & suffectus vnus,siue Vicarius. Stipendium capitaneo est vestis annua a rege, cum X L taleris, & immunitate vectigalium. Militi menstruum est talerus vnus, præter diurna cibaria, quæ vel a ciuibus, vel,si castra fixa sint, a rege subministrantur. Is ab hoste captus redimitur a rege: equus si bello cadat compensatur. Equiti annuum stipendium non est nisi talerorum X X; præter vestem & immunitates. Vndecim sunt vexilla equitum ordinaria in Suecia & Gothia: duo in Finlandia aduersus Russos. Militem nauticum dant Finni, Angermani, Dalecarli. Habet enim Rex ordinariè naues bellicas L quibus præest maris præfectus,earumque pro necessitate augetur numerus; quum neque materies nauibus exstruendis deesse possit, ob siluas; neque tormenta, ob ingentem metalli copiam quam fodinæ suppeditant; neque socij nauales, ob portuum & insularum multitudinem. Et sunt plerèque in illis locis pugnæ nauales; hieme vero committuntur etiam acies in glacie. Alitur autem exercitus a rege distributis per capita viritim carnibus,piscibus, larido, butyro, caseo, hordeo, pane, cæterisque ad vitam necessarijs. Tormentorum aheneorum ad globos puluere nitrato propellendos magna per Sueciam vis, ob copiam metalli, quod insigni prouentu fodinæ suppeditant. Creduntur amplius in regno esse quam octo millia ingentium tormentorum: Stocholmensis sane arx quadringenta habet eximia: Quod si artificum copia materiæ vbertati responderet, sufficeret solum hoc regnum ad tormenta reliquis regnis Europæ subministranda. Prouentus regij petuntur ex fodinis, vectigalibus, decimis, & bonis Ecclesiasticis. In VVestmannia vrbs est Arosia,ad quam argenti metalla sunt præstantissima, adeo pura, vt artifices ex quindecim argenti libris vnam auri dicantur extrahere. Montes quoque qui Sueciam a Noruegia disterminant, complures habent argenti, æris, plumbi, ferri, chalybis, sulphuris, fodinas. Cuduntur ex argento Taleri Suecici, Germanicis optimis nequaquam bonitate inferiores. Cedunt autem ex mineris Regi decimæ; nisi vbi ipse rex suis impendijs fossores alit. Ac ni agricolæ periculo agrorum suorum dispendiorumque deterriti vererentur, ne si latentes venas proderent, cogerentur ipsi & ligna fossoribus & victum suppeditare, multo adhuc plures innotescerent fodinæ, cum egregia prouentuum regiorum accessione. potestque vel ex eo fodinarum istarum omnium fructus æstimari, quod ex duabus tantum aut tribus decimæ æris excedant quotannis summã triginta millium Talerorum. Penduntur præterea regi vectigalia & decimæ frumenti,

hordei, auenæ, butyri, piſcium, boum, pellium, aliarumque rerum iſtiuſmodi, quarum rationes in archiuis regijs exacte haberi ſolent. Ac ſi ſuſcepto bello exercitus alendus ſit, ſignificatur protinus Prouincijs, quantum ſingulas earum annonæ rerumque ad bellum neceſſariarum in caſtra mittere oporteat. Si regis filia elocanda ſit, ſignificatur ſimiliter, vt pro rata ſingulæ conferant ad conſtituendam ſummam centum millium Talerorum, qui dotis loco dari ſolent, præter vaſa argentea, & ſuppellectilem domeſticam: quibus rex ipſe etiam de ſuo addit quantum libet. Prouentus qui e pellibus petitur non eſt ſemper vniuſmodi: Maior enim exigitur pellium copia quum niuibus omnia tecta ſunt; ac quo hæ denſiores fuerint, eo eſt vberior animalium in Lapponia captura. Sunt autem pelles pleræque nobilium ferarum, atque imprimis Sabellarum, quibus in reliquo orbe immane eſt pretium, ac penè auro & gemmis par. Neque aliud pendunt regi Lappones quam iſtiuſmodi pelles, vt qui artium omnium ignari ſoli venationi vacent. Atque hæc quidem Lappones regi ſubditi: Silueſtres enim qui VViltlapmanni dicuntur, regem & dominum non agnoſcunt. Sunt in hoc tractu Caroli, quæ vox viros ſignificat; vnde & frequens in Suecia Carolorum nomen. Sic Dalecarli, Viri qui vallem incolunt, Bergcarli, qui montes.

CATALOGVS
REGVM SVECIÆ.

1 MAGOG nepos Noachi ex Iapheto, primus cum familia ſua Sueciam Gothiamque occupauit, Anno ab orbe C. 1745, nonageſimo poſt diluuium.

2 Swenus Magogi filius natu maximus ſucceſſit patri, anno 1787.

3 Gethar Sueui frater, regnauit in Suecia, anno 1843.

4 Vbbo condidit Vpſaliam, frater Sueui, anno 1903.

5 Siggo creauit Sigtunaſtadium, regnauit anno 2094.

6 Ericus Gethardi filius, anno 2014.

7 Vddo.

8 Ale.

9 Oſten.

10 Carolus I.

11 Biorn I.

12 Gethar II.

13 Siggo II.

14 Berichus Sueciæ & Gothiæ Rex annos ab orbe condito 2493. Fabuloſum eſt quod de hoc narrant, Vexatum ab eo Imperium Romanum, Vrbem captam; ipſum in Italia regnaſſe, & in Gallia, & in Hiſpania; quum Roma non ante annum mundi 3197 condita ſit.

15 Humulfus anno ab orbe condito 2533.

16 Humble, qui Danum filium ſuum regem Danis dediſſe fertur, anno mundi 2673.

17 Gothilas quartus filius Humbli, ſubegiſſe dicitur Mechleburgenſes, Pomeranos, Curlandos, Aeſtyos.

18 Sigtaugus regnauit anno 2758. Huius meminit Saxo Grammaticus libro 1.

19 Scarinus, anno 2791 ab orbis conditu, Sueciam ſibi ſubiecit.

20 Sibdagerus Noruegiæ rex anno 2831. Primus tria regna coniunxit, Sueciam, Gothiam, Noruegiam.

21 Haſmundus filius Sibdageri regnauit anno Chriſti 2891 ſepultus eſt Vpſaliæ vna cum Gunildi vxore.

22 Vffo Haſmundi fil. regn. anno 2939.

23 Hundingus reg. Anno ab orbo cond. 2983.

24 Regne-

24 Regnerus Hundingi fil. an. 3031.
25 Hotbroth Regneri fil. anno 3069.
26 Attila I Hotbrothi fil. anno. 3125.
27 Hotherus Attilæ frater, Anno 3174.
28 Roricus Hotheri filius, qui cum Ruſſis, Curlandis, & Vandalis bellum geſſit, Regnauit anno ab orbe cond. 3252.
29 Attila II Rorici fil. anno 3336.
30 Botwildus Attilæ filius. anno 3366.
31 Carolus II anno 3408.
32 Gramus anno mundi 3456.
33 Tordus.
34 Gotharus.
35 Adolfus Gothardi fil.
36 Algodus.
37 Erichus Algodi fil.
38 Lindormus Erichi filius.
39 Alrichus.
40 Erichus III vir ingenio lingua & manu promptus regnum adijt anno mundi 3929. Sub hoc natus eſt Seruator noſter, anno mundi 3947.
41 Godrichus Erichi filius regnare cœpit anno Chriſti 4.
42 Haldan Godrichi frater anno Chriſti 34.
43 Filmerus Godrichi filius. anno Chriſti 70.
44 Nordianus Filmeri filius. anno Chriſti. 84.
45 Siwardus anno Chriſti 100.
46 Carolus III anno Chriſti 131.
47 Ericus IV, anno Chriſti 169. Hic Siuardi nepos fuit ex filia, nupta Frotoni Daniæ regi.
48 Haldan II dictus Bergramus Caroli ex filia nepos, regnauit anno Chriſti 181. Hic cælebs vixit, obiitque ſine liberis.
49 Vnguinus Sueciæ & Daniæ rex anno Chriſti 194.
50 Ragwaldus regnauit anno Chriſti 203. cæſus eſt a Siwaldo Vnguini Danorum regis filio in Sialandia.
51 Amundus Ragwaldi filius anno Chriſti 220.
52 Haron filius Amundi natu maximus qui Sigerum in Dania vicit, regnare cœpit anno Chriſti 225,
53 Siwarous II anno 234.
54 Ingo I Sueuiæ & Gothiæ rex anno Chriſti 240.
55 Nearch Iugi filius, anno Chriſti 246.
56 Froda Pacificus, Nearchi frater, anno Chriſti 255.
57 Vrbarus anno Chriſti 257.
58 Oſteuus Vrbari fil. anno Chriſti 262.
59 Fiolmus anno Chriſti 265.
60 Swercherus I Siolmi filius anno Chriſti 273.
61 VValand Swercheri fil.
62 VVisburus VValandi fil. anno Chriſti 282.
63 Domalderus VVisburi fil. anno Chriſti 288.
64 Domar Domalderi fil. anno Chriſti 307.
65 Attila III anno Chriſti 314.
66 Dignerus anno Chriſti 336.
67 Dagerus Digneri fil. anno Chriſti 341.
68 Alricus Dageri fil. anno Chriſti 365.
69 Ingemarus I Alrici fil. anno Chriſti. 367.
70 Ingelus Ingemari fil. anno Chriſti 378.
71 Germundus Ingelderi fil. anno Chriſti 382. Huius tempore aiunt Longobardos ſedibus ſuis egreſſos abiiſſe in Italiam.
72 Hakon Germundi fil. anno Chriſti 387.
73 Egilus Hakonis fil. Anno Chriſti 399.
74 Gotharus Egilonis fil. Anno Chriſti 405.
75 Faſto Gothari frater, Anno Chriſti 421.

76 Gumundus Anno Christi 427.
77 Adelus. Anno Christi 433.
78 Ostenus II Adeli filius tyrannus. Anno Christi 437.
79 Ingemarus II Osteni fil. Anno Christi 453.
80 Holstenus Ingemari fil. Anno Christi 455.
81 Biornus I I. Anno Christi 460.
82 Ragwaldus II Biorni fil. Anno Christi 464.
83 Swartmannus Rex Sueciæ, Gothiæ, Daniæ, Anno Christi 481. obiit in Ostrogothia.
84 Tordo I I Swartmanni fil. Anno Christi 509. Hic Anglorum & Scotorum auxilia aduersus Danos exciuit.
85 Rodulfus Anno Christi 510. Sub hoc Gothi profecti in Italiam.
86 Hatinus Anno Christi 527.
87 Attila I V. Sub quo a Gothis capta est Roma Anno Cristi 548.
88 Tordus. Anno Christi 564.
89 Algotus I I. Anno Christi 582.
90 Godstagus. Anno Christi 606.
91 Arthus. Anno Christi 630.
92 Hakon I I I Gostagi fil. Anno Christi 549.
93 Carolus IV Halconis fil. Anno Christi 670.
94 Carolus V Caroli fil. Anno Christi 676.
95 Borgerus. Anno Christi 685.
96 Ericus V Borgeri fil. Anno Christo 700.
97 Tordo, Anno Christi 717. Hic templum Vpsalense spoliauit.
98 Biornus I I I Totilæ fil. Anno Christi 764.
99 Alaricus II Biorni fil. Hic filiam suam Sigridem Danorum regi Gormo vxorem dedit.
100 Biornus I I I Alarici fil. Anno Christi 813.
101 Bratemunderus. Anno Christi 824.
102 Siwartus Anno Christi 827. Hic Norwegiam Sueciæ subiecit.
103 Heroth. Anno Christi 842.
104 Carolus V I Anno Christi 856. Huic acre fuit cum Regnero Danorum rege bellum, cui tamen post ductam Herothi filiam Thoram finis impositus est. Ab Heratho vero deinceps certa est minusque impedita Regum Sueciæ genealogia, quam nos oculis subiiciemus.

SERIES

SERIES REGVM SVECIÆ ab Herotho vsque ad Philippum.



Extra ordinem lectus.

115 *Hakon Ruffus, an. Christi 1041.*

CONTINVATIO REGVM SVECIÆ a Philippo ad Magnum III.



CONTI-

CONTINVATIO REGVM SVECIÆ a Magno III vsque ad Gustauum.



Extra ordinem lecti.

136 *Margareta regina Daniæ filia Valdemari, facta etiam regina Sueciæ electo Alberto.*
137 *Ericus XIII Pomeranus, Sueciæ & Daniæ Rex adoptatus a Margareta.*
138 *Christophus Palatinus Bauariæ Dux, Rex Sueciæ Erici sororis filius.*
139 *Carolus VIII Kanuti filius Suecia Rex, Anno 1448.*

135 ALBERTVS.

Hic Euphemia Erici Sueuiæ ducis filia editus electo Magno regno præfectus est, anno Christi MCCCLXIII, sed a Margareta Daniæ Semiramide victus captusque anno MCCCLXXXVII ac tandem dimissus regnum cierare coactus est; obiit anno MCCCXCIV.

136 MARGARETA.

Hæc Daniæ regina primum fuit, inquies, & magni animi mulier. Nupta Haquino Regi Noruegiæ post obitum Olai filii sui regno etiam illi præfecta fuit. Inde capto Alberto rege, Sueciam quoque prioribus adiunxit. Destituta autem liberis, Ericum sororis suæ Ingelpurgis ex Maria nepotem, patre VVartislao septimo Pomeraniæ Duce pugnatum, adoptauit. Mortua est anno Christi MCCCC XII.

137 ERICVS.

ERICVS Dux Pomeraniæ post Margaretæ obitum, Sueciæ, Daniæ, & Noruegiæ rex, diuturnis ac difficilibus bellis cum Slesuicensibus cumque fœderatis Ansæ ciuitatibus, & Suecis rebellantibus conflictatus, tandem relictis regnis in Pomeraniam, ditionem auitam, concessit, vbi annos amplius viginti in otio vixit. Extinctus anno MCCCCLIX. Sueci enim legem regiam condiderant, anno MCCCCXIII, qua peregrinis ad coronam aditus excludebatur.

138 CHRISTOPHORVS.

Hic Palatinus Rheni Duxque Bauariæ fuit, natus ex Erici sorore Margarita, ac post Erici discessum in regem electus. Quum autem decennium regnasset, neque ex Dorothea regina liberos susciperet, Regios ex Suecia thesauros antecessorum suorum industria collectos in Daniã exportaturus, collegit, quos in mari exorta tempestate amisit, vix ipse saluus. Obiit autem improlis in ipso belli contra Lubecenses apparatu, in arce Helsinburgo, an. MCCCCLXVIII.

139 CAROLVS.

CAROLVS Kanuti equitis Sueci filius, a proceribus, exteros non sine caussa fastidientibus, rex constitutus est, Anno MCCCCXLVIII: sed intestinis postea dissensionibus agitatus, & magnatum quorundam rebellione, quorum Archiepiscopus Vpsalensis inuentor erat, Dantiscum concessit. Obiit in arce Stocholmensi, Anno Christi MCCCCLXX.

140 CHRISTIERNVS I.

CHRISTIERNVS Comes Oldenburgicus & Delmenhorstanus, post fugam Caroli in Sueciam euocatus, rex coronatus est, quum ante Danis & Noruegis imperaret. Sed quum non staret pactis, negarunt ipsi Sueci obsequium. Anno regni septimo, qui fuit Christi MCCCC LXIX conatus est armis Suecos debellare: sed victus fugatusque regressus est in Daniam, seruatis adhuc duabus arcibus, quas firmo præsidio communierat. Sueci Carolum Dantisico euocatum ipsi oppo suerunt. Eo defuncto, Gubernatorem ceperunt e nobilitate Stenonem Stuer Suantonis filium, Brigitta Caroli regis sorore editum. Sub cuius initia Christiernus Rex exercitum ad mœnia Stockholmiæ infœlici atque irrito conatu duxit, ac postea a Suecia repetenda toto vitæ tempore abstinuit. Excessit Hafniæ anno

anno Christi MCCCCLXXXII, ætatis LVI. Titulo vsus est isto. CHRISTIERNVS Rex Daniæ, Sueciæ, Gothiæ, & Norduegiæ, Dux Sclesuici, Stormariæ, & Dietmarsiæ, Comes Aldenburgensis & Delmenhorstensis. Reliquit liberos Ioannem regem, Fridericum Holsatiæ ducem, & Margaritam nuptam Iacobo III Regi Scotiæ.

141 IOANNES.

Hic Daniæ regno Sueciam iuncturus, conuentus Calmariæ instituit, non refragente Stenone Gubernatore Sueciæ, reique publicæ inuigilante: Et concepta sunt L atque amplius capita quibus ille in regem esset admittendus. Displicuere ipsi nonnulla: itaque dolo grassandum ratus, Gothlandiam statuit occupare. Exclusus a Stenone, euocat Russos. Sueci pressi Ioannem tandem regem agnoscunt, Stenoque vrbe Sockholmensi patefacta, coronam regni & cætera solemnia ipsi concedit, anno Christi MCCCC XLVIII. Ita constitutis in Suecia rebus in Daniam remeat. Sequenti anno reuersus, coniugem suam Christinam Ernesti Saxoniæ Ducis filiam coronari reginam curat. Inde regni ptouincias præcipuas obiens, filium suum Christiernum proceribus commendat: qui ipsum haud multo post in Sueciam venientem successorem patri eligunt. Digressus inde ad belli Dithmarsici apparatum, infausto certamine commisso redijt in Sueciam, vbi dissensiones intestinæ protinus in apertum bellum eruperunt, Christierno filio frustra incendium restinguente. Obiit tandem Ioannes anno MDXIII.

142 CHRISTIERNVS II.

Is viuo adhuc Ioanne successor destinatus, res in Suecia post patris obitum turbatas offendit: conatus ergo ferro viam facere, arma armis sensit opposita. Inde ad fraudes conuersus, Gustaui Vpsalensis Archiepiscopi opera multa frustra tentauit; opponente se imprimis Stenone per interregnum Sueciæ Gubernatore, patriaeque libertatis defensore. Post diuturni tamen belli molestias tandem Stockholmiæ sancita præteritarum offensarum obliuione, & legum veterum obseruatione promissa, rex Sueciæ coronatus est, accepto etiam obside Gustauo Erici filio. Sed partum malis arubus imperium non diu seruauit. Nam dum sæuit in eos a quibus se læsum existimabat, dumque Danorum consiliis haud admodum bene in Sueuos animatorum morem gerit, regno exturbatus est. Immania feruntur crudelitatis ipsius exempla, præsertim in ciues Stocholmienses. Pulsus a Suecis & post longos errore, in carcerem tandem a Danis coniectus anno MDXXXI pœnas viuus dedit immanis seuitiæ. Extinctus est anno MDLIX. Ferunt eum cadauer Stenonis hostis sui e sepulchro eductum morsu etiam appetiisse; Vxor ei fuit Isabella Caroli V soror, ex qua præter Ioannem duas filias suscepit, Dorotheam & Christinam, illam nuptam postea Friderico Palatino, hanc Duci Lotharingiæ.

REGES SVECIÆ a Gustauo I vsque ad Gustauum II.

143
Gustauus cui vxor,
1 Catharina Saxonica,
2 Margareta Sueca, ex qua liberos suscepit complures,
3 Catharina Succa.

144
Ericus XIV.

145
Ioannes III, cui vxor ..... Sigismundi Poloni soror; Liberi
- Sigismundus.
- Ioannes Dux Ostrogothiæ, cui vxor Maria filia Caroli IX.
- Anna.

146
- Anna Maria, nata anno 1600.
- Ladislaus, nat. an. 1593
- Christophorus, natus anno 1598.

Catharina nupta Edzardo Comiti Frisiæ Orient.
- Enno, Comes Frisiæ Orientalis.
- Gustauus.
- Ioannes.
- Christophorus.

*... nupta patruo suo Ioanni per dispensationē Pontificis, an. 1602.

Cæcilia nupta Christophoro Marchioni Badensi.
- Eduardus.
- Christophorus.
- Philippus.

Magnus dux Ostrogotiæ.

Stedo.

Anna nupta Georgio Ioanni Bauaro.
- Georgius.
- Ioannes.
- Anna.
- Vrsula.

Carolus infans obiit.

Sophia, nupta Magno Duci Saxon.
- Gustauus.

Elisabeth nupta Christophoro Duci Mecleburgico.
- Margareta.

147
Carolus IX, cui vxor prior Maria Christina Ducissa Scelsuicensis.
- Maria.
- Margareta,
- Elisabeth,
- Ludouicus,
- Catharina.

Anna Maria, filia Ludouici Comitis Palatini posterior,

148
GVSTAVVS.

143 GVSTAVVS.

GVSTAVVS Erici equitis Sueci filius inter pacis obsides Christierno datus, inque Daniam abductus in arce Iutica Kalo aliquamdiu arcte detentus est. Postea laxius habitus, vbi patriæ suæ mala, & efferam Christierni tyrannidem crebris rumoribus intellexit, inter venandum erroris specie secedens a custodibus, Lubecam primum mutato habitu, inde in Sueciam contendit, petens auitum gentis suæ prædium Refsinas: Sed audita illic indigna patris & consanguineorum aliorumque regni procerum morte, iusta motus indignatione, nationem belli auidam, libertatis amantem, vindictæ cupidam, verbis primum, postea, crescente fide, exemplo suo ad arma euocauit, viuo adhuc Christierno. Professi sunt nomen primi Dalkarlij, qui montes illos incolunt, quibus Suecia a Noruegia dispescitur. Sunt autem plerique fossores metallarij, dura gens, & labori adsueta. Horum opera electum Danorum præsidium Arrosiæ impositum. Archiepiscopus Vpsalensis prælio victus, postquam de Suecia desperare cœpit, in Daniam profugit. Ita Gustauus Stockholmia post biennii ferme obsidium potitus, libertatis adsertor, tyrannidis propulsator, patriæ defensor dictus, consentientibus insuper suffragiis, Suecorum & Gothorum rex salutatus est. Quod quidem regnum totos annos XL summa cum prudentia & autoritate rexit, ac tandem anno MDLX placide obiit. Dignus rex cuius memoriam Sueci celebrent, exemplum posteri reges imitentur. Liberos permultos habuit, quorum seriem in Genealogica tabula digessimus.

144 ERICVS XIV.

ERICVS Gustaui filius anno MDLXI rex inauguratus, septennale cum Friderico secundo Daniæ rege bellum gessit. Ioannem fratrem suum Finlandiæ ducem, qui Sigismundi Poloniæ regis sororem duxerat, noctu, nihil tale opinantem, in Aboensi arce cepit, duriterque in carcere habuit, multos per annos. Quum autem vellet eius vxorem Moschorum Duci coniugem dare, statuit ipsum cum filio bimulo in carcere occidere. Fecissetque adeo, nisi in inuidiam tractus ob immanem crudelitatem, Suecorum a se animos alienasset. Multa de illius feritate referuntur: illud imprimis, quod ciuem quendam supplicantis ritu aliquid postulantem, non satis habuit contumeliose reiecisse, sed etiam insuper occidit innoxium, & quidem sua manu. Hic postea furore correptus, totum regnum terrore impleuit, & mutata rerum facie, carceri inclusus est, liberato Ioanne & ad sceptra etiam promoto.

145 IOANNES III.

Erico in furorem verso, Ioannes e carcere vna cum coniuge & filio eductus, Ericum fratrem cepit, & in custodia detinuit. Coronam regni cepit Stockholmiæ anno MDLXIX. Obiit anno MDXCII. mense Novembri. Liberos reliquit, Sigismundum Poloniæ regem, & Ioannem ducem Ostrogothiæ, natos ex Catharina Sigismundi Poloniæ regis filia.

145 SIGISMVNDVS.

Sigismundus natus est anno MDLXVI. Ante patris obitum factus Poloniæ rex anno MDLXXXVII, ipso defuncto Sueciæ quoque regnum adijt, certis quibusdam legibus ipsi anno MDXCIV. delatum: aduersus quas quum proceres ipsum postea peccasse iudicarent, negarentque, licere sibi iura transmarina ex Polonia petere, Carolum patruum eius constituerunt regni ipso absente administra-


SEPTENTRIO
MERIDIES
ORIENS
OCCIDENS
36
37
39
40
49
BOHEMIAE PARS
Morauie
HUNGARIAE CON
trema
AUSTRIA archiduc.
Milliar. Germanica
1 2 3 4
Vienna
Prefburg
Soprony
Stiri Pars
Castri Ferrei com.
Laa
New Sidl
Neuſidler See
Eiſenſtat
Kornewbu
Leuceſdorf
Gras Eurzin
Marcheck
Hainburg
Ertzeſdorf
Truck
Gois
Hoff
Alefeld
Ouar
Muzo
S. Niclas
Schrein
Harka
So
Lewtſchau
Neuguns
Hodes
Slaming
Pinca fl.
Nemetuywar
Fraſtnfelt
Eberaw
Neidberg
Burgaw
Graez
Veſtriz fl.
Stubeck
Stadel
Pela
Hardperg
Veraw
Kapfenberg
Pruck an der Muer
Karlſperg
Leuben
Kamer
Obruntr
Ober Welez
Murau
Rafſtat
Enns fl.
Scheyfling Perchtng
Newmarck
Friedach
Judenburg
Kobenez
Czeyring
Murfl.
Hall
Ryed
Lintz
Wolkerſp
Volkas dorf
Nukirche
New Lagenbu
Wels
Reyt
Gayſſpach
Reſaw
Diepurg
Hauskirchen
S. Georg
Mauſee
Gemind
Weydſperg
Eureck
Scheiſtein
Perſtein
Spittal
Rabenſtein
Steynach
Wiſſenſtein
Eaſtenſtein
Laeg
Hatſtet
Clauſen am Pyrn
Geyreck
Gallentorn
Roterman
Leuſ burg
Welkenſtein
Schwarzeta
Officine ferrarie
Zell
Almarck
Waydhouē
Plancken stein
Rorwach
Seyterſtein
Haſſlach dorf
Enns fl.
Steyr
Pachlarn
Spitz
Melck
Goldec
Grein
Waldeck
Wynberg
Steinkla
Paugertnberg
Ryed
Garius
Roten eck
Ober Walſe
Haimpach
Inſtat
Hoholting
Teurbach
Paſſaw
Haitzenpeig
Schlegl
Fryeyng
Fanowitz
Krum law
Willhalytz
Crocznidorff
Copetitz
Kaplitz
Sifred Lauſtrſ
Weldaw
S. Veit
Frei ſtatt
Dietmars
Hilgar
Dyrna
Rapis
Lauſtein
Rautzar
Deſſchen
Stabaten
Hoſding
Wemſlitz
Freyn
Pivſt
maritz
Mcybiſs
Menſchitz
Soitz
Koſtri
Nidalburg
Falkenſtein
Retz
Loha
Schiritzital
Horn
Monteck
Puska
Lyebenberg
Alandſperg
Gaus
Cawett
Gundrſdorf
Miſtelbach
Aſperndorf
Gudifdorf
Eteubmy
Wilfersdorf
Sulcerſee
Gellersdorf
Wolfperſtorf
Raberſpurg
Hohenau
Breſing
Ebers Peun
Tebe
Haimburg
Reiſſing
Raſtenberg
Rau
Felsing
Kreins
Thirnſtein
Stein
Schr udorf
Newpau
Spitz
Braunſpurg
Wolfſtein
Als
Saleſd
Goldec
Melck
Pachlarn
Aurelſpach
Raſſing
Gyſſybl
Baden
Viſchermeud
Hochpiclach
Mayrnſburg
Ingelderfeld
Groß pelburg
Potmſtain
Ruſt
Hainſe in
Hoff
Alefeld
Ouar
Muzo
Niuſtat
Balm ſtein
Emerberg
Furt
Stycrnſtein
Kirchberg
Pfortſtain
Lewtſchau
Alt Gruns
Krumpach
Aſpang
Hohenwang
Glockniz
S. Johan
Kriegla
Uterez
Kapfenberg
Pruck an der Muer
Karlſperg
Leuben
Kamer
Obruntr
Ober Welez
Murau
Rafſtat
Enns fl.
Scheyfling Perchtng
Newmarck
Friedach
Judenburg
Kobenez
Czeyring
Murfl.
S. Marein
Fölſpach
Stubeck
Stadel
Pela
Hardperg
Veraw
Neidberg
Burgaw
Graez
Veſtriz fl.
Fraſtnfelt
Eberaw
Nemetuywar
Pinca fl.
Slaming
Hodes
Krumpach
Aſpang
Hohenwang
Glockniz
S. Johan
Kriegla
Uterez
Klam

administratorem. Anno autem MDXCVIII Sigismundus ex Polonia in Sueciam profectus cum ingenti militum copia quum armis vellet & terrore facta rescindere, & innouare quædam pro arbitrio, introductis etiam Iesuitis, eo redactus est, vt coactus sit Sueciam deserere. Vxor ei prior Anna Austriaca filia Caroli Austriaci ex vxore Bauara, Hanc duxit 12 Maij Anno MDXCIII ex eaque filiam suscepit . . . . , & filium Vladislaum, posterior prioris soror eodē patre & matre edita, Constantia, quam duxit Anno MDCV die 4 Decembris.

145 CAROLVS.

Carolus Sudermannorum Dux patruus Sigismundi a Rep. administrator & Ephorus constitutus regni, omnibus modis artibusque contendit, vt regem a vi & armis ad pacem, & datam initio proceribus regni fidem reuocaret: sed quum omnia frustra tentata a se videret, seque insuper in discrimen patriæ caussa coniectum, ægre tandem passus est regium sibi titulum a proceribus regni deferri. Coronatus est igitur anno MDCVIII die XXV Martij hoc titulo, CAROLVS NONVS DEI GRATIA SVECORVM GOTHORVM, VANDALORVM, FINNORVM, CARLORVM, LAPPONVM, CAIANORVM ET ÆSTYORVM IN LIVONIA REX. Obiit anno MDCXI die IX Nouembris, relicto filio GVSTAVO nato anno MDXCIV die IX Decembris, quem moriens Proceribus Ordinibusque regni commendauit.

145 GVSTAVVS.

Gustauus Caroli IX filius potentiam religione ac iustitia superans eam sui exspectationem concitauit, vt credatur regnum virtute a maioribus partum virtute quoque conseruaturus. Viuat vigeatque ipse, & cum ipso Suecorum Salus.

CAP. XVII.

AVSTRIA *cum Archiducibus suis.*

AVSTRIA, veterum est Pannonia superior. Fuit autem post Caroli Magni tempora primum Marchia, siue Imperij limes, aduersus vicinos Hungaros, postea in Ducatum versa est. Nomen habet non ab auctore, sed a mundi cardine Orientali qui Germanis Oost dicitur: Fuit enim diuisum Imperium in Oostenrijck, & VVestenrijck, Austrasiam & VVestrasiam: Etsi vero Austrasia ad Rhenum initio fuerit, tamen cum tempore serpsit appellatio etiam ad partes longius orientem versus a Rheno dissitas, pro ratione nimirum prolati imperij. Atque hæc caussa est cur illam Otto Frisingensis vocet Teutonicorum Marchiam. Habet autem ea ad Ortum Hungariam; ad Meridiem Styriam; ad Occasum Bauariam, ad Septentrionem Morauiam Teio amne discretam. Diuiditurque in superiorem siue Cisdanubianam, & inferiorem siue Vltradanubiam. Vrbs primaria est *Vienna*, veterum Flauiana. Sunt & *Lintzium, Styra, Wadenhoffum, Melicum, Cremisium, Santohippolytus, Neuburgum, Petronella*, quæ Veterum Carnuntum, *Pruck, Homburga*, & aliæ complures. Montem habet Cæcium, qui hodie dicitur Calenberg, & a Danubio ad Drauum extenditur. Eius partes sunt, Scheberg, Semering, Kemperg, Hertperg, Deubsperg, Heustperg, Plaitz; Est & Cognamus mons qui Haimburgerperg dicitur, & a Danubio extenditur ad Arabonem. Flumina præter *Danubium, Atheſinus, Tranus, Traunus, Erlaphus, Gemus, Traisus, Ypsius, Melicus, Marchia, Teius, Cambus, Leytha, Suegadus.*


1
Leopoldus præfectus Austriæ ab Imp. Ottone III, ei vxor Richarda filia Imperatoris.
2
Albertus II Marhio Austriæ ob. an. 996.
3
Henricus March. Austriæ Tutor Leopoldi II, ob a. 1014. Vxor ei Suanhilda.
Poppo Archiep. Treuirens. obijt an. 1046.
Ernest. dux Sueuiæ, occisus ab Henr. II. Vxor ei Gisela Conradi ducis Burg. filia
4
Leopold. II March. Austriæ ob. an. 1040 Vxor Agnes Comitissa Stiriæ.
5
Leopold. III March. Austriæ ob. an. 1044.
6
Albert. III March. Austriæ, ob. an. 1056. Vxor ei Adelheidis soror Petri regis Hungariæ.
Hermannus dux Sueuiæ ob. a. 1038.
Ernest dux Sueuiæ occisus an. 1030
7
Ernestus March. Austriæ ob. an. 1075, Vxor Machtildis fil. Dedonis Marchionis Lusatiæ.
Leopold. III March. Austriæ, vxor Frouviga fil Ottocari Marchionis Sueuiæ.
8
Leopold. IV March. Austriæ ob an 1096, Vxor ei Ida filia Henrici III Imperat.
Albertus IV Marchio Austriæ.
9
Leopoldus V qui Sanctus March. Austriæ, ob. an. 1136. Vxor ei Agnes fil. Henrici IV Imper. vidua Frider. a Staufen.
Albertus V.
10
Henricus I Dux Austriæ factus a Frider. Imperat. an. 1168. Vxor ei Gertrudis fil. Lotharij II Imperat. & postea Theodora fil. Emanuel. Imp. Constantinopolit.
Albert. Marchio Austr. cui vxor * . . . fil. Belæ II Reg. Hung.
Conradus Archiepisc. Salisburg.
Otto Episc. Frising. Cancellar. Frid. I Barbaros. ob. an. 1158.
Ernest. cui vxor Mechtildis filia Rudolphi Ducis Saxon.
11
Leopoldus Dux Bauariæ factus a Cõrado III Imp. ob a. 1141. Vxor ei Sophia filia Henrici Nigri.
Agnes, nupta Stephano regi Hũg.
Henricus de Medlinga Dux Austr. cui vxor Rixa filia Ladisl. regis Boh.
Hericus III de Medlinga Dux Austr. cui vxor Richardis filia Hermanni Lantgrauij Hessiæ.
12
Leopoldus IV Egregius Dux Austr. cui vxor prior Helena Geitzæ regis Hung. filia
Posterior * . . . . soror Henrici VI Imperat.
13
Fridericus Dux Austr qui obijt in expedit. Ierosolymitana a. 1191.
Leopoldus V Honorabilis Dux Austr. ob. a. 1230. Vxor ei Theodora filia Alexij Constant.
Gertrudis nupta Hermanno Badensi Marchioni.
Maria nupta Stephano Duci Sagabriæ.
Agnes vxor Vlrici Ducis Carinthiæ.
Fridericus Dux Austriæ dictus cum Conrado duce Sueuiæ Neapoli capite plexus, anno 1269.
Leopoldus.
Henricus.
Fridericus dux Austriæ occubuit cõtra Hungaros, a. 1248 vxor ei Agnes filia Ottonis.
Margareta vxor Ottocari Ducis Boh. vidua Henrici ducis Suenia.

MAR-

MARCHIONES & DVCES AVSTRIÆ.

Anno CMXXVIII quum Hungari crebris excursionibus Austriam, atque inde Bauariam reliquamque Germaniam vexarent, commendauit eius curam Imperator Henricus I Auceps LEOPOLDO cognomento Illustri, genito patre Alberto, auo Henrico comitibus Babepergensibus, qui ex Sueuiæ ducum familia originem ducebant. Is autem primus Marchio Austriæ ab Ottone primo dictus est quod imperij fines repressis hostibus egregie tutatus esset. Ob eandem fortitudinem Cæsar Henricus ei filiam suam Richardam vxorẽ dedit; Porro qui posteriore sęculo Marchiones dicti sunt, ij Romanis Duces & præfecti limitum vocabantur: quodque postea Marchia, hoc illis olim limes. Panegyrista. *Nullo siquidem certo fine fluminum aut montium tenebantur quiem dispositæ limitis custodiæ non tuerentur.* Primi vero limites fuere Romanorũ aduersus Germanos Rhenus & Danubius: Eumenius Rhetor. *Quod ergo aliarũ cohortiũ castra pertranseam, toto Rheni & Istri limite restituto?* Ausonius,

Nec Rhenum Galli limitis esse loco.

De Danubio Ammianus. *Oritur prope Rauracos montes, Rhætiæque limites.* Claudianus,

Prominet Hercyniæ confinis Rhætia siluæ
Vltraque Romuleo protendens flumina regno.

Vbi vero flumine, silua, monte destituebantur ibi palis terminabant fines. Spartianus de Adriano Cæsare, *Per ea tempora frequenter & in aliis plurimis locis in quibus Barbari non fluminibus sed limitibus diuiduntur, stipitibus magnis in modum muralis sepis funditus iactis & connexis Barbaros separauit.* Duces autem tales dicebãtur quoq; limitanei. Suidas in voce λιμιτανέοι. Οἱ Ῥωμαίων βασιλεῖς ἐν τοῖς ἄνω χρόνοις, πανταχόσε τῆς πολιτείας ἐρρατιῶν πάριπολλαὶ ἐσαυλο στρατιωτῶν πλῆθος, ἐπὶ φυλακῇ τῶν ὁρίων τῶν Ῥωμαίων ἀρχῆς, κατὰ τὴν ἑῴαν μάλιστα μοῖραν, ταύτῃ τὰς ἐφόδους τῶν Περσῶντε καὶ Σαρακηνῶν ἀναστέλλοντες, ἅπερ λιμιτανέους σκάλουω. Ad Romanorum igitur exemplum postea quoque Germani Imperatores limitibus præfecerũt viros fortitudine, prudentia, & fide nobiles, eosque Marchiones dixere. Tales in Austria aduersus Hungaros fuere Marchiones Austriaci: alibi aduersus alios alij. Leopoldus igitur Marchionis titulo, & Cæsaris adfinitate auctus, ampliauit ditionem sibi commissam, eamque totos annos LV feliciter administrauit.

2 Albertus II Leopoldi filius, obijt anno 996.

3 HENRICVS Leopoldi filius anno CMXCVIII.

4 LEOPOLDVS II.

5 LEOPOLDVS III.

6 ALBERTVS III.

7 ERNESTVS.

8 LEOPOLDVS IV.

9 LEOPOLDVS V, Sanctus.

Hic Leopoldus fuit Ottonis Frisingensis nobilissimi historici pater, quẽ idcirco Raduicus nominat Imperatorum HENRICI IV nepotem, sororium HENRICI V, CONRADI Regis fratrem vterinum, FRIDERICI Imperatoris patruum, ex clarissimo regni principe Leopoldo Marchione patre, & matre Agnete, filia HENRICI IV. Eius fratres idem memorat Conradum Patauiensem Episcopum, Leopoldum Ducem Baioariæ, Henricum Ducem Austriæ, Albertum & Ernestum. Sorores Gertrudem ducissam Boemiæ, Bertham ducissam Poloniæ, Tertiam nuptam Henrico Burggrauio Ratisponæ, Quar-

tam Hermanno Lantgrauio de Saxonia: Quintam Marchioni de Phetum.

Henric. V Imp.

Henricus IV imperat. natus an. 1050, ob. 1106. Vxor eius prior fuit Bertha fil. Otton. regis Ital. posterior Praxelis filia Regis Rutheni, vidua Vthonis March. Brandeb.

Agnes nupta
- *1 Friderico a Stauffen duci Sueuiæ & Aleman. ex quo susceperi.*
  - *Frideric. Cocles dux Sueuiæ, cui vxor Iudith.*
    - *Fridericus Imp. Barbarossa.*
    - *Conradus Dux Sueuiæ.*
  - *Conrad. Sueuus factus Imperator.*
- *2 Leopoldo Marchioni Orientali, qui sanctus dictus est, ex quo susceperi*
  - *Otto Frising. cum fratribus & sororibus.*

Adelheid. vxor Boleslai Ducis Polon.

Conradus Dux Franconiæ, cui vxor Iolante filia Rogery Comitis Siciliæ.

Elisabetha vxor Conradi Ducis Sueuiæ Comitis Palat. Rheni.

10 HENRICVS II quem post obitum Conradi Imperatoris Fridericus Barbarossa primum AVSTRIÆ Ducem creauit, quum esset eius patruus, anno Christi MCLVI Ratisponæ, die XVII, Septembris, quod tum ex Ottone Frisingensi Henrici fratre constat, tum ex priuilegio Cæsareo in quo Henricus ille primus Austriæ Dux & dilectissimus patruus Imperatoris, terra vero Austria clypeus & cor sacri Romani Imperij appellatur.

11 LEOPOLDVS IV, qui Virtuosus: Hic Richardum Austriæ regem ex bello Asendico per Austriam iter facientem cepit, extorsiq; ei, quod se ab ipso iniuriis affectũ quæreretur, immanẽ pecuniæ vim, qua emtus est Ducatus Stiriæ, Comitatus Lintz & VVels, Vienna nouo murocincta est, & a fundamẽtis noua alibi ciuitas exstructa, obiit an. MCXCI quũ renunciasset seculo.

12 LEOPOLDVS V prioris filius, defunctus est an. MCXXXII.

13 FRIDERICVS, cui Imperator Fridericus II priuilegia a Barbarossa data innouauit, addiditq; ad priora insignia crucem aureã, qualẽ in coronis gestant Imperatores, cum titulo regio. Multa huius sunt fortiter gesta. Periit tandem in bello aduersus Hungaros, interfectus ab ipsis anno MCCXLVI.

14 & 15 Friderici morte intercidit successio Ducum Austriæ, inuaseruntque prouinciam hinc Hungari, inde Bauari. Prouinciales vero ad defensionem sui & Ducatus gubernationem euocant HENRICVM Misniæ Marchionem, cuius tunc celebris erat virtutis fama, vel si is recusaret, alterum ex filiis eius Theodoricum vel Albertũ. Sed VVenceslaus Boemiæ rex OTTOCARVM filium suum, qui vxorem duxerat Margaretam viduam Henrici VI Imperatoris, in possessionem illam mittit, conniuente Imperatore, vel potius ob Remp. conturbatam aliis rebus distento. Ita excluſi sunt Misnici. Sed quum Imperij fata Rudolphum Habspurgensem rebus præfecissent, deiectus est pulsusque Austria Ottocarus, quod cum Hungaris contra Imperatorem conspirasset; ac tandem etiam interemptus. Sublato Ottocaro Rudolphus Austriam tanquã iure belli captam filio suo Alberto tradidit an. MCCLXXXII. A quo deinceps fluxit stemma Austriacorum ducum: quos priusquã recenseamus producendi videntur in mediũ Rudolphi Halspurgensis maiores.

STEMMA

STEMMA COMITVM HASPVRGENSIVM vsque ad Rudolphum I Imper.



Eſt autem Habſpurgum in Heluetia arx vetuſta haud procul a Kunincxfelden vbi Albertus I Romanorum Rex ſitus eſt, neque longe diſſitum ab oppido Brugg. Fertur autem eam ſiue condidiſſe, ſiue inſtauraſſe Radbodus ope imprimis fratris ſui VVernheri Epiſcopi Argentinenſis. Manſitque deinceps in ea linea. Porro à Rudolpho Habſpurgenſe ſic ſe habet ſeries Genealogica.

19 Albertus Luscus.

20 Rudolphus I Imperat. Habspurgicus.

Carolus obiit puer.

Hermannus Rheno mersus.

21 Albertus I Imper. factus an 1298, occisus an. 1308. Vxor Elisabeth filia Meinhardi Ducis Carinthiæ.

Albertus & Carolus Canonici Basileenses obiere iuuenes.

Rudolph. dux Sueu. Stell rex Boh. o. a. 1307 Vxor ei Agnes f. Ottocari regis Bohem.

Rudolphus Dux Austr. ob. an. 1308. Vxores ei Blanca fil. Philip. III regis Franc. & Elisabetha fil. Premissi regis Polon.

23 Leopoldus Glorioſus ob. an. 1326. Vxor ei Catharina f. Amedij Comit. Sabaudiæ.

22 Fridericus Pulcher, electus Imp. contra Lud. Bauar ob. an. 1330. Vxor ei Isabella f. Iacobi regis Aragon.

26 Albertus II Sapiens, Dux Austr. ob. an. 1358. Vxor ei Ioanna f. Vlrici Comitis vltimi a Pfirdt.

Agnes vxor Andreæ Veneti regis Hung.

25 Henric Placidus Dux Aust. ob an 1317. Vxor ei Elisabetha filia Ruperti Comitis Vlenburgensis.

24 Otto Iucundus Dux Aust. ob. an. 1340. Vxores, Elisabeth f. Stephan. duc. Bau & Anna f. Ioan. reg. Bohem.

Ioannes qui patruum suum Albertum I Imper. occidit: obiit anno 1313.

27 Rudolphus ingenios. Dux Austr. ob. an. 1365. Vxor ei Catharina fil. Caroli IV Imp.

Frideric. Dux Austriæ occisus anno 1362.

31 Leopoldus Probus Dux Austr. occisus Sempachij an. 1385. Vxor ei Virida fil. Bernabonis Vicecomit. Mediolan.

28 Albert. III fundat. scholæ Viennens. an. 1362, ob an. 1387.

Fridericus.

Leopoldus.

35 Ernestus Ferreus Dux Austr ob. an. 1424. Vxor ei prior Margareta fil. VVartislai VI Ducis Pomer. posterior Zimburgis filia Ziemonis Ducis Masouiæ.

34 Frideric. qui Concil. Constantiensi interfuit, obiit an. 1439. Vxores, Elisabeth Reineri Imper. filia. Anna f. Friderici Ducis Brunsuic.

33 Leopoldus Crassus Dux Austr. ob. a. 1411. Vxor ei Catharina fil. Philip. Audac. Duc. Burg.

32 Guiliel. Ambitiosus Dux Austr. ob. a. 1406. Vxor ei Ioanna II regina Neap.

29 Albertus IV Patiens Dux Austr. ob. an. 1404. Vxor ei Ioanna Alberti Bauari Com. Holl. fil.

36 Fridericus IV Imp. nas. an. 1415. Electus 1440 mortuus 1493. Vxor ei Leonora Eduardi Regis Portugal. filia.

Albertus Dux Austr. fundat. scholæ Friburg. ob. an. 1563 improlis. Vxor ei Mechtildis, fil. Ludouici Pal. Rheni.

Ernestus, Leopoldus, Rudolphus pueri extincti sunt.

Sigismundus Archid. nat. an. 1427, ob. an. 1497. Vxor eius prior Leonora f. Iacobi I reg. Scot secilda Catharina f. Alberti Duc. Saxon.

Catharina nupta Friderico Saxoniæ Duci.

Margareta nupta Carolo March. Badens.

30 Albertus II Imp. Electus an. 1437, ob. an. 1439. Vxor ei Elisabeth fil. Imp Sigismundi.

Anna vxor Guil. Ducis Saxoniæ.

Serrem

Seriem eorum qui a Friderico quarto deinceps vsque ad nostra tempora ex familia Habspurgensi profecti sunt, pete ex Tabula Imperatorum. Fridericus ex duce primus Archidux factus est, & post obitum Alberti II Imperator; Leonoram Lusitanam duxit vxorem: Cum fratre Alberto bella gessit, ac postea cum Matthia Coruino. Filius eius Maximilianus I vxorem duxit Mariam Burgundicam filiam Caroli Audacis, qua in ipso ætatis flore extincta, ipse a Gandauensibus in eas angustias redactus est, vt pacem cum Gallis facere coactus sit, ipsorumque Delphino filiam suam triennē desponderit, eamq; in Galliā deduxerit. Anno MCCCCLXXXVI electus Romanorū Rex in Flandriam redijt, captus autem a Brugensibus & in custodiam traditus, nō ante liberatus est, quā iureiurando promisset se iniuriam sibi illatam nunquam vindicaturum. Maximilianum sequutus est PHILIPPVS qui a patre Archidux Austriæ, Comes Tirolis & Habspurgi, a matre vero Dux Burgundiæ fuit. Hic ducta in vxorem Ioanna Ferdinandi Catholici Hispaniarum regis filia, dote amplissimorum regnorum, Hispaniæ, Siciliæ, & Neapolis auctus est. Obiit an. ætatis XXVIII. Christi M D VI. sepultus est Granatæ. Liberos reliquit præter Carolum V & Ferdinandum, Mariam, nuptam Ludouico regi Hungariæ, Leonoram nuptam primum Emanueli Lusitano, postea Francisco I Galliarum regi. Isabellam coniugem Christierni regis Daniæ, & Catharinam vxorem Ioannis I I I Lusitaniæ regis. De CAROLO V diximus alibi, etiamque de fratre eius FERDINANDO. Huius ex Anna filia Vladislai regis Hungariæ fuere liberi mares tres, Maximilianus, Ferdinandus, & Carolus, Archiduces Austriæ. Filiæ permultæ, quas alibi recensuimus. Ferdinandus ex Philippina Velseriana suscepit Andream Cardinalem & Carolum Marchionem Burgouiæ, exclusos Ducatu Austriæ, quod matrem haberent sortis haud satis illustris. Ex Mantuana vero habuit Annam Catharinam, quæ nupta est patrui sui Maximiliani filio Matthiæ. At Carolus Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, & Carinthiæ, Comes Tirolis & Goricij, vxorem habuit Mariam filiam Alberti Ducis Bauariæ, ex qua nati, Ferdinandus an. MDLXXVIII, cui vxor Anna filia Guilielmi Ducis Bauariæ, Maximilianus natus anno M DLXXXIII. Leopoldus Episcopus Passauiensis & Argentinensis, Carolus postumus Episcopus Vratislauiensis: ac præterea filiæ, Elisabetha nupta Sigismundo Batorio Principi Transsyluaniæ, Margareta nupta Philippo regi Hispaniarum, Anna nata anno MDLXXIII, nupta Sigismundo III Regi Poloniæ, anno M D XIII die 12 Maij, & Constantia nupta eidem Sigismundo post obitum sororis Annæ. MAXIMILIANVS I I Archidux Austriæ & Imperator liberos ex Maria Caroli V filia habuit Rudolphum & Matthiam Imperatores: orbis Christiani culmina, pacisque conciliatores: Maximilianum præterea magnum Magistrū ordinis Teutonici, natum an. MDLVIII. Ernestum natum anno MDLIV. extinctum Bruxellis an. M DXCV. Albertum natum anno MDLIX, qui relicto ordine Ecclesiastico ex Cardinali & Archiepiscopo Toletano factus est Dux Brabantiæ, Comes Flandriæ &c. ducta vxorem Isabella Philippi I I Hispaniarum regis filia: Ac denique VVenceslaum natum anno M D LXI, defunctum anno M D LXXVIII. Horum omnium Maximiliani liberorum in domo Austriaca præcipua semper virtus fuit; summa æquanimitatis, clementiæ, iustitiæ, ac prudentiæ laus. Sed destituti omnes sobole, bona ista ad posteros suos non transmiserunt, contenti gloria publicæ salutis: vt quemadmodum Sol lucem ad omnes transfundit, Soles tamen alios nō generat; sic isti genus humanum rexisse feliciter, nec tamen ex se sui similes genuisse dici possint.

CAP.


Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens, Oost
Lunen burgi pars
Huy co mitatus
BRAVN SWY CK
Hildeshein Epis cop
Schau wenber co
WESTPHA LIÆ PARS
Die altemarck
Die mittel marck
ARCHI EPI SC
MYD BV RG
Halberstatt epis
Regen stein
Auff dein Hartz wald
GRVBENHA GEN DVC
Hohen stein pars
Im Heinith
Thurin gie pars
Misnie pars
Brauſwik et Meydburg cum confinijs
Miliaria Germanica
1 2 3 4 5

CAP. XVIII.

Duces Brunſuicenſes & Luneburgenſes.

QVin Duces Brunſuicenſes antiqui ſint, nomenq; traxerint ab oppido Brunſuico; oppidum verò a Brunone quodam, nemo eſt qui ambigat. Sed quum multi Brunones fuerint, quis ille ſit Bruno, vrbis iſtius conditor dubitatur. Sunt qui Ludolphi ducis Saxoniæ filium fuiſſe dicant, fratrem Tanquardi, patruum Henrici Aucupis. Alijs placet, Brunonem iſtum patrem fuiſſe Ludolphi. Creuit autem ducatus, vt ſolent rerum magnarum parua eſſe principia, per incrementa. Ex vico facta eſt vrbs, inde abijt in Comitatum, ac tandē ſub annum Chriſti M CC XXX factus eſt Ducatus a Friderico II Imperatore, diuiſa tunc ea ratione Saxonia, vt Ducibus Brunſuicenſibus ex domo Saxonica ortis, magna admodum Saxoniæ pars cederet, Saxoniæ vero Ducibus cum magno titulo exigua ditio ſupereſſet. Illi certiſſimi autores ſunt, qui tradunt, a Comitibus Altorfenſibus ortos eſſe primos huius tanti nunc nominis conditores. Quorum nos ſeriem prodemus.

OTTONIS I DVCIS BRVNSVICENSIS maiores ex Comitibus Altorfenſibus, Ducibuſque Bauariæ.



1 BRVNO Comes Ringelheymij vxorem duxit Suanam filiam VVelphonis Comitis ab Altdorf. Ex qua natus
2 ETHICO, pater HENRICI Comitis Altdorfenſis,
3 Henricum iſtum ferunt a Ludouico Imperatore tantum terrarum accepiſſe, quantum potuit quadrigis a ſummo mane vſq; ad meridiem circumagere. Ab hoc aiunt conditum monaſterium Ammergaw.
4 HENRICVS II prioris filius Altdorfij ſepultus fuit, poſtea tranſlata ſunt eius & coniugis ipſius oſſa inde in montem S. Martini.
5 RVDOLPHVS I Comes Altdorfenſis, Henrici II filius fratrem habuit Conradum Epiſcopum Conſtantienſem; qui illic templa duo, vnum B. Ioanni, alterum B. Stephano ſacrum exſtruxit & dedicauit, obijt an. CMLXXVI. Habuit & alterum fratrem Ethiconem Comitem Suetenſem, cui vxor Lutgarda Hungarica.
6 VVELPHO Rudolphi filius vxorem habuit Imiſſam filiã Comitis à Gleisberch; fratres Ethiconem Epiſcopum Conſtantienſem qui patruo ſucceſſit, obijtque anno CMLXXVIII, Conradum occiſum in prœlio an. CMXLIV: & Ottonem Comitem Altdorfenſem.
8 RVDOLPHVS II VVelphonis filius vxorem habuit Itham filiam Cunonis Comitis Oetingenſis.
9 VVELPHO II vxorem duxit Irmengardam filiam Comitis Moſellani. Frater ei fuit Henricus II Comes ab Altdorf ab apro in venatione interemptus.
10 KVNIGVNDIS nupta eſt Azoni Marchioni Eſtenſi, a quo deinceps duarum nobiliſſimarum familiarum, alterius Germanicæ, alterius Italicæ riui decurrunt. Habuit autem Kunigundis fatrem VVelphonem tertium, quem Henricus III Imperator Ducem Bauariæ & Norici fecit: obijt is anno MLV & reliquit hæredem ampliſſimarum ditionum nepotem ſuum. Italicæ familiæ ſeries hæc eſt. Kunigundis, quam dixi, ex Azone V protulit Azonem VI Marchionem Eſtenſem, qui obijt an. MCXI, vxoremque habuit Mechtildem filiam Henrici III Imperat. ex qua prognati Hugo, VVelpho II, & Fulco II Marchiones Eſtenſes; Fulconis II liberi fuere Obizo IV, Albertus IV & Fulco III, qui obijt an. MCLXIX. Huius filius fuit Obizo V, qui vxorẽ habuit Sophiam filiam Comitis Bonifacij, obijtque anno MCXCVI. Obizo genuit Bonifacium V, & Azonẽ VIII Marchionem, patrẽ Aldobradini & Azonis IX Ferrariæ Marchionis, quorũ ille ex Anna filia Alberici Scaligeri genuit Bonifacium VI qui ſine liberis extinctus eſt an. MCCXIX: hic ex Eliſabetha filia Reinaldi Principis Antiocheni Reinaldum II, maritum Adelheidis natum Alberico Comite de Ouara, ex qua nati Petrus Abbas Inſulæ Põpoſianæ, & Obizo VI Marchio Ferrariæ: Obizo vxores habuit Iacobã fil. Comitis a Fliſco, & Conſtantiam filiam Alberti Scaligeri, obijt autẽ an. MCCXCIII: Filios, Azonem X, maritum Beatricis filiæ Coroli II Regis Neapolitani, Aldobrãdinum III, qui obijt an. MCCCXVIII, habuitq; vxorẽ Aldam filiã Tobiæ Comitis Bangouii, & Franciſcum occiſum an. MCCCXII, cui vxor fuit Thadea filia Ioannis Comitis de Barbiano. Ex qua nati Azo X & Berchtholdus II: Ex Berchtholdo Frãciſcus II, ex quo Azo XII, pater Thadei, quo moriente an. MCCCCXLVIII defecit hæc linea. Aldobrandini III liberi fuere Rainaldus, pater Aldobrandini Epiſc. Hadriẽſis; Nicolaus qui obiit improlis an. MCCCXLIX & Obizo VII qui genuit Albertũ II Claudum Marchionẽ Ferrarienſem, a quo deinceps cæteri longo ordine prognati ſunt. Vltimus Marchionum & Ducum Ferrarienſiũ fuit Alphonſus II, qui ſine liberis an. MDXCVII vita functus, ditionem Ferrarienſem vtpote Eccleſiæ Romanæ feudũ vacuũ reliquit. Cæſar vero Eſtenſis Alphonſi fatris filius, Dux manſit Mutinenſis & Rhegienſis, quæ duo feuda ſunt Imperij.

OTTO.

OTTONIS I DVCIS BRVNSVICENSIS maiores è Ducibus Bauariæ.



11 VVELPHO IV qui Robuſtus dictus fuit, Dux Bauariæ vxorem habuit Iuditham filiam Balduini Comitis Flandriæ; Henrico IV Imperatori aduerſus Gregorium VII. Papam fidelem operam præſtitit. Captus exutuſque ditione Bauara reſtitutus eſt: Extrema vero ætate profectus in Palæſtinam, & in itinere defunctus eſt, anno MCI. Eius filius Guelphus obijt ſine liberis.

12 Henricus III Niger VVelphonis filius Dux Bauariæ cum fratre ſuo Henricum Imperatorem aduerſus patrem iuuit: Vxor ei fuit VVilfildis filia Magni Ducis Saxoniæ: Deſijt autem viuere anno MCXXV.

13 Henricus Superbus Henrici filius Lotharij Cæſaris filiam Gertrudem vxorem duxit, cum eaque ducatum Saxoniæ adeptus eſt. Ab hoc conditum eſt Monachium anno MCXXX: proſcriptus eſt a Conrado III Imperatore, quod ornamenta Imperialia a ſocero Cæſare moriente ſibi tradita recuſaret Electoribus reddere, ipſe ad Imperium adſpirans: mortuus eſt anno MCXLI. Eius frater Guelphus vel VVelpho VI ab Imper. Conrado VVeinſpergæ obſeſſus fide vxoris Iudithæ & matronarum liberatus eſt; tantaque poſtea in gratia fuit apud Imperatorem, vt cum eo profectus ſit Ieroſolymam. Obijt anno Chriſti MCLXXIX, ſepultus eſt Steingardæ.

14 Henricus V Leo Superbus filius omnium totius Germaniæ Principum fuit potentiſſimus, habuit enim ſub ſe Bauariam, Sueciam, Saxoniam, Noricum, Vandalos quoque ducto aduerſus ipſos exercitu ſuperauit. Condidit Lawenburgum prope Hamburgum. Luneburgum reſtaurauit. Ratiſponæ pontem Danubio impoſuit. Sed fortuna elatus quum Fridericum Imperatorem ad Mediolanum deſeruiſſet, proſcriptus eſt. Exſtat autem apud Radeuicum elegans Henrici cum Guelfo comparatio, vterque enim ſub Friderico I Barbaroſſa, cuius vitam Radeuicus deſcripſit, militauit in Italia. Henricum ille Catonis, Guelfum Cæſaris ſimillimum fuiſſe dicit. Proſcriptus poſtea ab Imperatore cognato ſuo abijt in Angliam ad Henricum II regem ſocerum ſuum, eius enim filiam Mechthildem vxorem duxerat. Huius autem interceſſione reſtitutus eſt in gratiam Imperatoris, ſed non recepit omnia quæ amiſerat bona. Obijt Brunſuigæ, ibique cum vxore ſitus eſt in templo Blaſij. Filias habuit Rixam nuptam primum Friderico Palatino, poſtea Canuto Daniæ regi VValdemari filio: & Leonoram, quæ virgo peſte extincta eſt, anno Chriſti MCLXII.

15 & 16 Guilielmus Comes Luneburgēſis, & Henricus Comes Brunſuicenſis Henrici Leonis filij, fratres Ottonis IV Imperatoris ex Comitibus Duces facti ſunt. Henrico autem ſine maſcula prole extincto, deuolutus eſt vterque ducatus ad Ottonem primum, Guilielmi Ducis Luneburgici filium, a quo deinceps per annos CCCLX perpetua ſerie Principes ex illa familia dati ſunt.


1
Otto I Dux Brunsuicenſ. & Luneburgenſis factus a Friderico II Imperat. Vxor ei Mechtildis filia Alberti Marchionis Brandeburg.
Ioannes dux Luneburg.
2
Albertus Magnus. Dux Brunſuicenſis, ob. an. 1279.
Otto Epiſc. Hildesheinſ.
Conrad. Epi. Werdenſis.
Otto Strenuus.
3
Guilielm. Luderus. Cõradus.
3
Albertus Pinguis.
Henric. mirabil. a quo duces Brunſuic.
Gruuenhagienſ.
Guilielmus.
Erneſtus.
4
Magnus Senior.
Otto liberalis.
Henricus Epiſcop.
Albertus
Ioannes.
Erneſtus.
Frider.
Albert.
Henricus
Otto. Balthaſ. Melchior.
Otto malus.
Albert. Archiepiſ. Bremenſis.
5
Magnus Torquatus.
Ludouicus.
Guiliel. Otto cocles.
6
Henricus dux Brunſu.
Otto Epiſc. Verdẽſ.
Bernardus dux Luneb.
Frider. electus Imper. poſt Wẽceſlaum.
Ericus.
7
Guil. victorioſ.
Henric. Pacific.
Frider.
Albert.
Anna.
Henric. Erneſt.
8
Guilielmus.
Frider.
Bernardus.
Otto.
Otto magn.
Philipp. Erneſt. Ericus.
Henric.
9
Henric. ſenior.
Ericus ſenior.
Philipp. Wolfãg. Ioannes. Albert.
Erneſt.
Guiliel. Chriſtophorus. Ericus. Georg.
10
Henric. iunior.
Frider.
Ericus iunior.
Erneſt.
Frãciſ.
Otto maior.
Eliſabetha.
11
Carol. Philipp.
Iul. qui Helmſt. Acad. inſtituit a. 1576.
Frider.
Guilielmus.
Henric.
Frãciſ.
Otto.
Otto minor.
12
HENRIC. IVL.
Philip. Sigiſm. Ioach. Carol. Iulius Auguſt.
Erneſtus. Chriſtianus. Auguſtus. Fridericus. Magnus. Georgius. Ioannes.
Iul. Erneſtus. Franciſcus. Auguſtus.
Otto Henric. Ioan. Frid. Guilielmus. Chriſtophorus. Otto. Ioannes. Fridericus.

1 OTTO primus dictus Puer titulum Ducis a Friderico II Imperatore consequutus ad Brunsuicensem ducatum augendum ornandumque animum applicuit, emptis partim, partim ab Imperatore dono acceptis agris petmultis. Luneburgensibus leges & iura dedit. Obiit anno MCCLII. Vxorem habuit Mechtildem filiam Alberti Marchionis Brandeburgici. Filias quatuor, Helenam Alberti I Saxoniæ ducis vxorem. Elisabetham nuptam primum Henrico Lantgrauio Hassiæ, postea Guilielmo Hollandiæ Comiti electo Romanorum Regi, Agnem VVenceslai coniugem Rugiorum Principis, & Machtildem Henrici senioris Ducis Anhaltini.

2 Albertus Magnus diuisa post obitum patris ditione factus est Brunsuicensis Dux; Vir fuit belli amans: pro Ottocaro Bohemo aduersus Belam Hungariæ regem pugnauit. Lubecenses defendit contra Ioannem Holsatiæ ducem. In Misnia pugnans contra Henricum Marchionem, vulneratus, captus, carceri inclusus, magnoque pretio redemptus est. Condidit Hartburgam & Otterspergam. Obiit an. M CC LXXIX. Sepultus est Brunsuigæ. Vxores ei fuere, prior quidem Elisabetha filia Henrici II Ducis Brabantiæ, posterior vero Alexia filia Aldobrandi II Marchionis Estensis ex Anna Scaligera. Frater Alberti Ioannes Dux fuit Luneburgensis. Is vrbi iura, leges, immunitates dedit.

3 Albertus Pinguis Gottingam initio habuit: post obitum vero fratris Guilielmi etiam Brunsuigam, Henrico altero fratre per tumultum vrbe pulso, quod conatus esset mutare magistratum. Porro Albertus diu admodum prudenterque rexit, charus suis, obiitq; an. MCCCXIX. Vxor ei Rexa Vandalorum ducis filia. Ab Henrico porro profecti sunt Duces Brunouicenses Grubenhagij. Is enim pulsus Einberum trans syluam occupauit, & Grubenhagij sedem aulæ fixit: Durauit autem successio ad sextam vsque generationem, extinctaque est in VVolfgango & Philippo. Ab Alberto vero Pingui vsque adhuc sequitur perpetua series Ducum.

4 Magnus Alberti filius vxorem duxit Agnem filiam Henrici Marchionis Brandeburgici qui sine terra dictus est, auctusque per vxorem oppidis Sangershausen, Potersberg, Lechstaet, & Lansperg, aliisque aliquot.

5 Magnus Torquatus Brunsuicensis & Luneburgensis Dux nomen ex eo habuit, quod argentea catena insignis semper incederet. Hic a Megapolensibus bello victus est: Luneburgenses quoque oppugnans arcem amisit, & in singulari certamine quod cum Ottone Comite Schawenburgico instituerat, fraude gregarij cuiusdam militis confossus est, quum hostem jam pedibus premeret, anno MCCCLXXIII. vxor ei fuit Catharina filia VValdemari Marchionis Brandeburgici.

6 Henricus Dux Brunsuicensis, ac sequentium Ducum caput, Princeps fuit singulari virtute. Obiit anno MCCCCXVI. Vxor eius prior fuit Sophia filia Vratislai Ducis Pomeraniæ; postetior Margareta filia Hermanni Lantgrauij Hassiæ. A fratre Henrici Berkhardo profecti sunt Duces Luneburgenses, quorum illustre nomen etiam nunc viget floretque.

7 Guilielmus Victoriosus a septem prœliis quibus victor euasit ita dictus fuit. Hic patruo suo Bernhardo Torquati filio ex pacto concessit Ducatum Luneburgensem, seruato sibi Brunsuicensi. vixit annos nonaginta: vxor ei Catharina filia Friderici primi Electoris Brandeburgici.

8 Guilielmus iunior vxorem habuit Elisabetham filiam

Botonis

Botonis Comitis Stolbergici. Obiit ipſe anno M CCCC XCV. Eius frater Fridericus captus fuit ab Archiepiſcopo Colonienſe, anno M CCCCLIV.

9 HENRICVS ſenior Henrici ſenioris frater, Guilielmi filius, Princeps bellicoſus, Brunſuigam ope vicinorum Principuum hoſtiliter oppugnauit, eamque fame preſſit: Fruſtra; adiuta eſt enim a vicinis quoque liberis Rebuſpublicis confœderatis. Obiit autem in Friſia in obſidione arcis Otthæ, ictus globo tormentario anno MDXIV. Situs eſt Brunſuigæ ad S. Blaſium. Vxor ei fuit Catharina filia Erici II Ducis Pomeraniæ. Ericus vero iunior vxores habuit Sidoniam filiam Henrici Ducis Saxoniæ, & Dorotheam filiam Franciſci Ducis Lotharingiæ.

10 Henricus iunior ſenioris filius natus eſt anno M DLXXXIV. Adultus maximam occupauit Epiſcopatus Hildeſhemienſis partem. Suppetias tulit Georgio Saxoni & Philippo Lantgrauio Haſſiæ in tumultu Ruſtico. Orto poſtea ciuili bello religionis de cauſſa quod vocant Schmalcaldicũ, eiectus eſt bonis ab Elector Saxoniæ & Haſſiæ Lantgrauio, ac triennio poſt captus cum filio Carolo, poſt biennium vero dimiſſus, Goſlariam prædis actis damno ingenti affecit. Brunſuigam obſedit, & quidem bis, Saxoniam cum exercitu pererrauit, obiit anno MDLXVIII. Vxor ei prior filia Henrici Comitis VVirtenbergici; poſterior Sophia filia Sigiſmundi regis Poloniæ. Fratres eius functi ſunt Eccleſiaſticis dignitatibus. Chriſtophorus & Georgius fuerunt Archiepiſcopi Bremenſes; ille ab anno MDLI ad annum vſque MDLVIII. Hic ab anno MDLXVI deinceps. Fridericus fuit Epiſcopus Mindenſis. Ericus Commendator Teutonicæ domus. Guilielmus Commendator Mirouienſis.

11 IVLIVS natus anno MDXXVIII & a patre infulis deſtinatus, poſt obitum fratrum maiorum Ducatum ſuſcepit. Academiam Helmeſtadij erexit, Anno MDLXXVI. quæ ab ipſo felici augurio Iulia dicta æternam ſeruat virtutis eius laudem. Ad hunc etiam deuoluta ſunt bona Erici iunioris, qui ſine prole extinctus eſt anno MDLXXXIV. Porro Iulius poſt vitam laudabiliter actam obiit tandem anno MDXC. Vxor ei fuit Heduigis filia Ioachimi II Electoris Brandeburgici.

12 HENRICVS IVLIVS Dux Brunſuicenſis, & poſtulatus Epiſcopus Halberſtadenſis magnæ eſt hodie per orbem famæ & exiſtimationis ob inſignem iuſtitiæ, prudentiæ, fortitudinis, æquanimitatis laudem, ad quam acceſſit quoque linguarum, Sapientiæq;, & imprimis hiſtoriarum notitia. Viros doctos æſtimat; ſed rerum gnaros, non qui ſpeciem externam oſtentant: ac de hac re nemo mortalium illo melius iudicat. Scholam a patre erectam ornat, recepta in ſe perpetua eius Rectura, patrocinio, & cura, eamque liberaliter locupletat. Vxor ei prior fuit Dorothea filia Auguſti Electoris Saxoniæ, poſterior eſt Eliſabetha filia Friderici Regis Daniæ ex qua liberos ſuſcepit, Dorotheam Heduigem natam 4 Februar, Anno MDLXXXVII. anno MDCV nuptam Ludouico Principi Anhaltino. Fridericum Vldricum natum 5 Aprilis anni MDXCVI. Sophiam Heduigem natam 20 Febr. anni MDXCII; nuptam vero Auguſto Duci Saxoniæ, filio tertio Electoris Chriſtiani, 9 Ianu. an. MDCXII. Eliſabetham natam XXIII Iunii anno MDXCIII. Heduigem natam 9 Febr. anno MDXCV. Dorotheam natam 8 Iunij an. MDXCVI. Chriſtianum natum 10 Septembris anno MDXCIX. Rudolphum natum 15 Iunii anno MDCII. Henricus vero Iulius qui natus fuit anno MDXCVII die 7 Octobris, obiit immatura morte 11 Iulii anno MDCVI.

CAP. XIX.


Hollandie Pars
Tiel
Goreum
Wael flu
Worcum
Maes
Bommel
Heel
Oude maes flu
S Getruiden berg
Hertogebosch
Rauestein
Nimmegen
Meghen
Oey
Graue
Middelaer
Cuick
Haeps
Blyenbeeck
Goch
Tolhuis
Cleue
Griet
Gennep
Calcar
Embric
Rees
Aenhalt
Boechalt
Aa flu
Hereberge
Seuenar
BERG
COM
Weltfalic
Ghemen
Coeffelt Pars
Ringelberg
Halteren
Seermbeck
Lippe flu
Dorsten
Hueps
Udem
Santen
Graf
Wesel
Burick
Alpen
Well
Mosa flu
Gelre
VOG DIE
Lotthem
Venlo
Wachtedonck
Neers flu
Helmont
Die Peel
Kessel
Boxtel
Oosterwyck
BRABAN:
CLEVE et MURS
Miliare Germa
Eyndhouen
TIAE
Gestel
HORN
COM.
Weert
Hoorn
Reermūd
Bruggen
Glabeck
Dalen
Erkelens
Milendonck
Nuys
Kempen
Creuelt
Huls
Ordingen
Duysburoort
Roeroort
Stirum
Brocc
Essen
Werden
Hattingen
Marc comit Pars
Keyserswerd
Roer flu
Berg Ducatus Pars
Dusseldorf
Rhenus flu
Zons
Mullem
Collen
Duit
Bon
Erp fl
Bedbur
Gulick
Duren
Kerpen
Nideck
GVLICK
Roer flu
Worm flu
Gelekirchen
Gangelt
Sittart
Hensberg
Maeseyck
Stockem
Maestricht
Valkenburg
Hertzogeraet
VALKEN BUR
COM
LIMBVRG
DVC
Weset
Aken
DVCA TVS
Tongren
S. Truyen
Leewe
Tienen
Judoigne
PA:
TVS
Hasselt
Diest
Beringen
LEODI ENSIS EPIS:
CO:
Breugel
Brey
Bale
PARS
OCCIDENS
ORIENS
MERIDIES
27
28
50
40
30
10
51

CAP. XIX.

Duces Cliuiæ, Juliacenſes, Bergenſes.

DVCATVS Cliuiæ ab oppido ; oppidum a re appellationem habet, eſt enim conditum in cliuo ; quæ res originem quoque eius a Romanis eſſe indicat, Germani enim Bergam dixiſſent, Galli Dunum. Finitur autem regio amnis orientem verſus Ducatu Bergenſi , & Marchia illa quæ in Comitatum abijt. Septentrionem verſus obuerſum ſibi habet Sutphanienſem Comitatum , cum tractu Tranſiſalano, & inſula Batauorum : Ad occaſum eſt Brabantiæ pars cum tractu Leodienſi , Auſtrum verſus Colonienſis Epiſcopatus cum ditione Aquiſgranenſi. Medium ducatum interſecat Rhenus , quo fit , vt pars eius ſit in Gallia , pars in Germania. In ora Gallica ſunt, Xantenium, Burichium, Cliuia , Calcaria, Griethuſium. In ora Germanica ſunt Duisburgum, Embrica , Veſalia. Ditionem hanc temporibus Iuſtiniani Imperatoris ferunt paruiſſe Beatrici cuidam ; Poſtea Ælium Gracilem narrant quum opibus & potentia floreret in Gallia Belgica, donatum a Pipino & Carolo Martello hocipſo tractu. Succeſſiſſe vero ipſi ordine Theodoricum , Reinaldum , Ludolphum , Ioannem , Rupertum , Balduinum , Ludouicum , Eduardum Ludouici fratrem , Luthardum Eduardi filium , qui vixit anno Chriſti D CCC LXXXIX, & in ſua poteſtate habuit Noueſium. Ex Luthardo & Bertha eius coniuge filia Arnulphi Imperatoris aiunt proſatum Balduinum , eiuſque fratrem Richfridum. Poſt hos præfuiſſe Arnoldum, VVichmannũ, Conradum, Theodoricum III, Dietherum, Arnoldum, Theodoricum IV, Arnoldum III, Arnoldum IV, Theodoricum V, VI, VII, VIII, IX, ac tandem Theodoricum decimum , Ioannemque Ottonis fratres : quibus ſine liberis extinctis , recidiſſe Comitatum ad Imperium, & a Carolo IV Imperatore donodatum eſſe Adolpho Marchico, Archiepiſcopo Colonienſi. Eius maiorum ſeries ita ſe habet.

ADOLPHI COMITIS CLIVIÆ MAIORES Comites ab Altena & Marck.



DVCVM


7
Adolphus X. &c.
Elisabetha nupta Ioanni Comiti Nass.
8
Adolphus I Dux Cliuiæ factus a Sigismundo Imp. an. 1477. ob an. 1443. Vxor ei 1 Agnes f. Ruperti Imper. 2 Maria f Ioannis Ducis Burgundiæ.
Gerardus Comes Marcæ.
Theodoricus Dominus in Dinslack.
Adolphus Comes Marcæ & Raueſt. Vxor ei Anna notha Philippi Boni Duc Burg. & poſt eam Beatrix filia Ioannis Luſitani.
9
Ioannis I Dux Cliuiæ ob. a. 1481. Vxor Elisabetha f. Ioannis Comitis Niuerſij.
Philippus Comes Marcæ Raueſtenij, cui vxor Franciſca fil. Petri Luzelburgici.
Theodoricus Archiepiſc. Rhemenſis.
Adolphus Canonicus Leod.
10
Ioannes II Dux Cliuiæ, Comes Marcæ, Domin. Raueſtenij, obiit an. 1521. Vxor Machtildis filia Henrici Lantgrauij Haſſ.
11
Ioannes III Dux Cliuiæ duxit vxorem Mariã Iuliacenſem, Bergenſem & Raueſtenam.
Engelbertus dux Niuerſij ſub Ludouico XII Gall. rege Vxor Carola f. Ioan. Comitis Vindocini.
Carolus dux Niuerſij, cui vxor Maria fil. Ioan. Albreta Comitis de la Val.
12
Guilielmus Dux Iuliac. & Cliuiæ. Vxor ei Maria Auſtriaca Regina Hungariæ, filia Ferdinandi Imper.
Sibylla nupta Ioan. Frid. Electori Sax. an. 1526.
Anna nupta Henrico VIII. regi Angliæ.
Amelia, ob virgo.
Franciſc. dux Niuerſij, cui vxor Margareta filiæ Caroli I Ducis Vindocini, liberi
Carolus Frid. ob. Romæ anno 1575.
13
Ioan. Guil Dux Cliu. ob. an. 1609. Vxor ei 1 Badenſis. 2 Antonia Lotharingica
Maria Leonora nupta an. 1572 Alberto Frid. Duci Boruſſiæ March. Brandeb. ob. an. 1608.
Anna nupta Ioanni Sigiſmundo Electori Brandeburgico.
*.... nupta Electo-ſeniori.
*..... nupta Duci Curlandiæ.
*... nupta Ioanni Georgio fratri Electoris Saxoniæ.
Georgius Guilielmus, dux Pruſſiæ.
Anna Magdalena nupta an. 1574. Philippo Ludou. Palat. Neob.
VVolfangus Guil. natus an. 1581.
Otto Henricus.
Ioan Frider. Auguſt.
Magdalena vxor Ioan. Comitis Palat. Bipontini, qui ob. an. 1604.
Ioan nat. an. 1584, duxit B. de Roham.
Fredericus Caſimir. nat. an. 1585.
Ioan. Caſimirus nat. an. 1589.
Sibylla nupta Carolo Auſtriaco, an. 1601 fil. Ferd. March Burgouiæ.
Ioannes Fridericus captus Gothæ
Ioannes Guilielmus.
Ioan Caſim. Coburg.
Ioan. Ernest. Coburg.
Henricus dux Niuerſij. Vxor ei Anna f Ludou. ducis Monpenſerij.
Iacobus Marchio Ilæ.
Erneſtus Dux Niuerſij, obiit in pugna Dreuſiana, an. 1563.
Henrica vxor Ludouici Gonzagæ ducis Niuerſij.
Carolus Gonzaga Dux Niuerſij.

1 Comitum ab Altena qui postea etiam Comites facti sunt Marcæ, primus fuisse perhibetur Theodoricus, a quo ortum duxit Eberhardus, qui vixit circa annum Christi M C L XXX. Huius filij fuere Bruno, Adolphus & Fridericus. Bruno ex Archiepiscopo Colonienſi factus est monachus Cistercienſis. Adolphus post Brunonem eiusdem cathedræ Præsul, Philippum Romanorum Regem Ducem Sueuiæ aduersus Ottonem IV secutus, ab Innocentio III Papa proscriptus est, anno Christi M CC V. Fridericus vero Comes fuit ab Altena.

2 Adolphus V Comes ab Altena primus Comes Marcæ Hammam & Blanckenſteinium condidit, anno M CC XXVI, obijt anno M CC XLIX. Vxor ei fuit Elisabetha filia *..... Domini Fauckenberg. Filij duo Adolphus VI, & Engelbertus Comites ab Altena.

3 Engelbertus Comes ab Altena & Marcæ filiam habuit Adelheidem nuptam Domino Mechliniæ Ioanni Bertotio.

4 Adolphus VII Engelberti filius Comes ab Altena & Marcæ, vxorem habuit *..... filiam Comitis Losſenſis. Ex qua ſuſcepit Ioannem Canonicum Leodienſem, Adolphum VIII Epiſcopum Colonienſem & Engelbertum qui patri ſucceſſit. Frater Adolphi Conradus fuit Canonicus Leodienſis.

5 Engelberti vxor prior fuit *.... Domina de VVeſtmale, posterior *..., filia & hæres Domini de Arenſberg. Adelheidis filia Engelberti nata ex priore vxore, nupta est Ioanni vltimo Comiti Cliuiæ. Eberhardus Engelberti filius origine dedit Comitibus Arenbergicis. Engelbertus fuit Epiſcopus Leodienſis, & Archiepiſcopus Colonienſis, cedente ipſi patruo Adolpho VIII.

6 Adolphus IX Engelberti filius Comes in Altena & Marca vxorem habuit Mariam filiam Theodorici X Comitis Cliuenſis, eaque acceſſione ditiones ſuas anxit. Eius filius Theodoricus fuit Canonicus Colonienſis. Ioannes Dominus in Dinſlaken, Engelbertus Comes Marcæ, qui filiam habuit Eliſabetham nuptam Ioanni Comiti Naſſouio.

7 Adolphus X qui & Senior, Comes Cliuiæ Princeps Imperij factus est a Carolo IV Imperatore: obijtque anno M CCC LXXXIX. Vxorem duxit Margaretam filiam Gerardi IV Comitis Iuliacenſis & Bergenſis. Ex qua habuit filias Margaretam nuptam Alberto Bauaro Comiti Hollandiæ, Beatricem nuptam *... Comiti a Meurs, & Catharinam nuptam Domino de Moreberg. Filios, Adolphum XI, Gerardum Comitem Marcæ, & Theodoricum Dominum in Dinſlaken.

8 Adolphus XI Adolphi filius Adolphi nepos in Concilio Conſtantienſi primus a Sigiſmundo Imperatore Ducis Cliuiæ titulum adeptus est, anno Christi M CCCC XVII. Habuit vxorem Margaritam Gerardi IV Comitis Iuliacenſis & Bergenſis filiam. Hic Guilielmum Ducem Bergenſem auunculum ſuum prœlio victum cepit, anno M CCC XCVII, acceptiſque ab eo oppidis aliquot, Raueſtenio, Lewenburgo, alijſque, liberum dimiſit. Vxorem habuit Agnetam filiam Ruperti Imperatoris, & Mariam natam Ioanne Duce Burgundiæ. Filiæ fuere, Margareta nupta Vlrico Comiti VVirtenbergico, Eliſabetha Henrico Comiti Schwartzenbergico, Helena Henrico Pacifico Duci Brunſuicenſi, Catharina Arnoldo Egmundano Duci Gelriæ, Maria Carolo Valeſio Duci Aurelianenſi. Filij, Ioannes I & Adolphus Comes Marcæ, Dominus Rauenſtenij, cui vxor fuit Anna notha Philippi Burgundi cognomento Boni, filius, Philippus Comes

mes Marcæ & Rauenſtenij, qui ex vxore Franciſca filia Petri Lucelburgici Comitis S. Pauli liberos non ſuſcepit.

9 Ioannes I Adolphi XI filius Dux Cliuiæ Comes Marcæ, Dominus Rauenſtenij, apud Philippum Bonum auunculum ſuũ eſt educatus. Suſatum vrbem VVeſtphaliæ Colonienſi Epiſcopatui antea ſubditam Cliuenſi Ducatui adiunxit anno M CCCC XLIV. Vxorem habuit Eliſabetham filiam Ioannis Comitis Niuerſij, Filios, Adolphum Canonicum Leodienſem, Theodoricum Archiepiſcopum Rhemenſem, Ioannem II Ducem Cliuiæ, & Engelbertum qui a Ludouico XII Dux Niuerſij factus eſt, a quo Niuerſij Duces proficiſcuntur, quos Tabula exhibet.

10 Ioannes II Dux Cliuiæ Dauidem Præſulem Traiectenſem expulit & Maximiliano Imperatori contra Carolum Geldriæ Ducem militauit. Obijt autem anno Chriſti M D XXI. Vxor ei Mechthildis filia Henrici Lantgrauij Haſſiæ.

11 Ioannes III Ioannis II filius vnicus a patre Dux Cliuenſis, aſocero Iuliacenſis & Bergenſis, cum Carolo Duce Gelriæ fœdus inijt de ditionum ſucceſſione. Militauit aduerſus Turcas ſub Carolo V, & cum alijs Principibus Imperij Monaſterium expugnauit. Vxorem habuit Mariam filiam & hæredem Guilielmi Ducis Iuliacenſis & Bergenſis. Obijt ipſe anno M D XXXIX. Filium habuit vnicum Guilielmũ; Filias, Sibyllam nuptam Ioanni Friderico Electori Saxoniæ, Annam Henrico VIII regi Angliæ, & Magdalenam quæ cœlibem vitam duxit.

12 Guilielmus Ioannis III filius natus anno M D XVI defuncto Carolo Geldriæ Duce ditiones eius tanquã proximius hæres occupauit: quas Carolus V qui ex hæreditate Caroli Burgundi eas ad ſe pertinere adfirmabat, inuaſit, & Guilielmum eo adegit, vt ſupplex Cæſari factus veniam delicti peteret. Deſponſa vero illi fuerat Ioanna Albretana regni Nauarræ hæres, quæ dum ad ipſum feſtinat, audito in itinere nuncio victoriarum Caroli, reuerſa eſt domum, diffregitq; ſponſaliorum tabulas. Duxit autem Guilielmus Mariam Ferdinandi Imperatoris filiam, obijtq; anno M D XCII. Ex ea nati, Ioannes Guilielmus, & Carolus qui Romæ extremũ diem clauſit. Natæ Leonora, vxor Alberti Friderici Ducis Boruſſiæ, Anna nupta Philippo Ludouico Comiti Palatino Neoburgico, Magdalena Ioanni Comiti Palatino Bipontino, Sibylla Carolo Auſtriaco Marchioni Burgouiæ.

13 Ioannes Guilielmus natus anno M D LXII patri defuncto ſucceſſit in Ducatu Iuliacenſi, Cliuenſi, Bergenſi; Duxit vxorem Iacobam Philiberti Marchionis Badenſis filiam, & Antoniam filiam Caroli Ducis Lotharingiæ: Obijt anno M D C IX, die 25 Maij, an. ætat. XLVII Duſſeldolpij. De huius hæreditate hodie contenditur. Sunt qui ditiones illas tanquam feudum Imperij adſerant deuolutas ad Imperatorẽ: Saxo igitur an. M D CX inueſtiturã eius pro ſe & familia Saxonum VVitikindæa a Rudolpho Imperatore obtinuit Pragæ, die VII Iulij. Qui vero filias patris hęredes eſſe poſſe adfirmãt, contendunt inter ſe de ſponſalnibus. Maritis enim a patre elocatæ ſunt filiæ ea lege, vt ſi fratres ſine liberis morerentur, ſorores ſuccederent. Petit ergo defuncta matre hęreditatẽ Brandeburgic. ſeq; preferendũ putat, quod inter ſorores mater ſua fuerit natu maxima. Petit Neoburgic. vultq; ſibi priores deberi, quod ſua mater adhuc in viuis ſit. Neoburgicus in religione aliquid ſibi ad cauſſæ ſuæ promotionem præſidij fore ratus, conceſſit ad partes Pontificias, iuuaturq; ab ijs qui illam fidem ſequuntur: Brandeburgico fauent tum ci-


DO WIRTENBERG
Hertzogthum Wirtemberg
La Duche De Wirtemberg
Franckfurt
Nurnberg
Strasburg
Augspurg
SWE
VI
AE
PA
RS
Danubius fluuius
Rhein
Alb Flu
Neckar
Lech
Isar
Inn
Wimpfen
Hall
Sindering
Aalen
Ellwang
Gmünd
Lorch
Waldstain
Winnenden
Backnang
Murhardt
Schwabische Hal
Gaildorf
Adlmans feldt
Guntzhausenn
Knotza
Oetting
Nördling
Lesing
Dietingen
Nauen
Giengen
Brentz
Gunzburg
Elchingen
Ulm
Ebing
Geisling
Weissenstain
Rechberghausen
Adelberg
Esslingen
Stuttgart
Tübingen
Rotenburg
Horb
Hohenberg
Sulz
Horneck
Schalckburg
Balingen
Rottweil
Villingen
Mengen
Sigmaringen
Beyern
Memmingen
Kempten
Leutkirch
Isny
Pfullendorf
Ueberlingen
Constantz
Bregentz
Lindaw
Tetnang
Ravenspurg
Wangen
Leutkirch
Kempten
Memmingen
Mindelheim
Landsperg
Fürstenfeldbruck
Munchen
Freysing
Landshut
Ingolstat
Neuburg
Donauwerth
Nördlingen
Dillingen
Günzburg
Ulm
Biberach
Riedlingen
Saulgau
Pfullendorf
Meersburg
Ueberlingen
Constantz
Bregentz
Lindaw
Tetnang
Ravenspurg
Wangen
Leutkirch
Isny

ues reformati, tum Principes exteri eiusdem cum ipso sententiæ; tum quotquot effusis Austriacæ domus incrementis obnitendum putant. Hinc arma & agrorum vastationes, cum ciuium distractionibus.

CAP. XX.

Ducatus Wirtenbergicus & Duces.

WIrtenbergensis regio ad Neccarum fluuium sita orbiculari ferè forma extenditur, centrũ eius obtinente Stutgardia. Est autem tractus ille omnium penè totius Germaniæ amœnissimus & fertilissimus, quum nec siluis feræ, nec amnibus pisces, nec collibus vites, nec pratis pecora armentaque desint. Oppida sunt frequentia, Castella multa, vici complures: præter ciuitates Imperiales tres, Esslingam, VVilam, & Reutlingam, quæ intra ducatum sitæ, propriam tamen habent iurisdictionem. Præcipua oppida sunt, Stutgardia Principis sedes, Tubinga Academia celebris, Ganstadium, Rotenburgum, Heilbrunna, Geppinga. Abbatiæ complures. Habuit autem regio ista olim varios Comitatus, Kaluuensem, Tubingensem, Vracensem, VVirtenbergensem, Zabergoiensem, Kreichgoiensem, Helfensteinensem, Zollerensem, Achellensem, Teckensem, Nisensem, Herrenbergensem, Grieningensem, Veringensem, Aspergensem; quibus nunc plerisq; abolitis, tituli Ducatus solis VVirtẽbergensibus & Teccensibus Principibus adhæserũt. Initio autem Comitatus non nisi arcem VVirtenbergensem cum agro vicino haud valde amplo possederunt; sed bellis coniugiisque creuit ditio.

SERIES DVCVM VVIRTENBERGENSIVM ex Comitibus.



SERIES

SERIES DVCVM VVIRTEBERGENSIVM ex Comitibus.



1,2,3, Conradi

SERIES DVCVM VVIRTEBERGENSIVM.

1, 2, 3, Conradi altissima in historijs memoria est, quem Sueuum fuisse aiunt ex familia Beutelspachensi. Is filium habuit Vlricum, ex quo prognatus Ioannes Comes VVirtenbergicus, circa annum Christi M C XXXVIII. Vxor ei Anna filia Rudolphi Comitis Badensis. Hoc coniugio accessit Studgardia ad Comitatum VVirtenbergicum.

4 Ludouicus Comes VVirtenbergicus, anno Christi M C L XXIX: cui vxor Margareta, filia * .... Comitis de Hohenberg.

5 Henricus Ludouici filius fertur condidisse monasterium Irsinense, in quo ipse cum vxore Irmengardi filia Marchionis Burgouiæ situs est.

6 Eberhardus primus vir bellicosus, natus est anno M C II, obijt an. M CC LIII. Vxor ei Agnes filia Bertholdi Ducis Zeringiæ, vidua Comitis Vracensis: Ex hoc coniugio Teccensis etiam comitatus accessione auctus est Eberhardus.

7 Vlricus a pollice quem in dextera manu insigniter magnum habuit cognomē retulit; Vxor ei fuit Agnes filia Boleslai Calui Ducis Lignicensis: Filiæ, Agnes nupta Ludouico Comiti Oetingensi; Irmgardis nupta primum RudolphoComiti Hohenburgico, postea Marchioni Badensi.

8 Eberhardus II Illustris ab Henrico Imperatore ob contumaciæ crimen exutus fere bonis, postea restitutus est a Ludouico: obijt anno M CCC XXIII. Vxor ei prior Adelheidis filia Baronis Signouiensis, posterior Irmengardis filia Hermanni Marchionis Badēsis: Eberhardus istius frater Vlricus vxorem duxit Irmengardim filiam Alberti iunioris Comitis Hohenbergensis, ex qua natus Vlricus Præpositus S. Guidonis Spiræ, qui arces VVirtenbergensem & Studgardensem bello vastatas restaurauit.

9 Vlricus Eberhardi filius Tubingam ære suo emit a Palatinis Tubingensibus, anno Christi M CCC XLII: obijt an. M CCC XLIV. Vxor ei Sophia filia Theobaldi Comitis a Pfirdt.

10 Eberhardus III, sub Carolo IV Imperatore in bello vulneratur, amisso etiam filio Vlrico tandem ipse quoque extinctus est, anno M CCC XCII. Situs est cum filio suo Studgardiæ. Vxor ei Elisabeth filia Henrici Comitis de Hennenberg.

11 Eberhardus Mitis Vlrici eius qui in prœlio occubuit filius regionem armis vastatam prudentia & pacis artibus pristino cultui restituit: obijt anno Christi M CCCCC XVII. Coniugem habuit priorem Antoniam Barnabonis Vicecomitis Mediolanensis filiam, posteriorem Elisabetam filiam Ioannis Burg-grauij Noribergensis.

12 Eberhardus iunior superioris filius obijt in ipso ætatis flore, quum ducta vxore Henrica filia Henrici Comitis Mompelgardensis domum VVirtebergicam anxisset eo Comitatu. Hic ille est Henricus qui ad Nicopolim cæsus fuit a Turcis anno M CCC XCV. Porrō Eberhardi obitus incidit in annum M CCCC XIX. Vxoris vero in annum M CCCC XLII. Ex his nata est Anna vxor Philippi Comitis Cattimelibocensis.

13 Ludouicus maior natu filius Comes VVirtebergensis & Montpelgardensis ex vxore sua Machtilde filia Ludouici Barbati Electoris Palatini suscepit liberos complures. Mares notauimus in Tabula Genealogica: Filias, Elisabetham nuptam Ioanni Nassouio, Mechthildem nuptam Ludouico Lantgrauio Hassiæ.

Fuit autem princeps grauis & pius. Obijt an. M CCCC L Eius vidua postea nupsit Alberto Austriaco Imperatori. Frater Ludouici Vlricus, ex moribus dictus Adamatus, vxorem habuit Margaretam filiam Adolphi Ducis Cluiæ: post hanc vero Elisabetam filiam Henrici Landshutensis Ducis Bauariæ, vltimam Margaretam filiam Amedei Ducis Sabaudiæ.

SEQVVNTVR DVCES VVIRTENBERGICI.

1 Eberhardus VI Ludouici filius Barbatus magni animi & virtutis Princeps sapientiam suam non domi tãtum in gubernatione placida, sed etiam foris in communibus Imperij negotijs declarauit. Reuersus Ierosolyma a Papa Sixto IV donatus est Rosa aurea, anno M CCCC LXXXVII. Sueuico fœderi, quod pacis tuendæ caussa initum fuit, suum quoq; nomen dedit, an. M CCCC LXXXVIII. A Friderico Imperatore in ordinem equitũ aurei velleris adscriptus an. M CCCC XCVII, ac triennio post solemni ritu Dux primus VVirtebergensis & Teccensis inauguratus VVormatiæ. Magnus fuit in eo literarum & sapientiæ amor. Capnionem, Nauclerum, Melanchthoné amauit & produxit. Academiam Tubingæ constituit ope imprimis Vlrici patrui; eamque munifice imo regaliter donauit. Exijt e vita anno M CCCC XCVI. Vxor ei Barbara filia Ludouici Marchionis Mantuæ.

2 & 3 Eberhardus VII Vlrici filius VVirtenbergicus & Teccensis Dux Eberhardo sine legitima prole extincto successit. Sed quum male imperaret, pulsus est, suffectusq; in eius locum Henricus frater, qui & ipse haud diu rebus præfuit; abductus est enim in carcerẽ; ac post longa tædia mortuus, sepultus est Heidelbergæ. Eberhardi vxor fuit Elisabeta filia Alberti Electoris Brandeburgici. Henricus vero vxores habuit Elisabetam filiã Simonis Comitis a Bitz, & postea Euam filiam Ioannis Comitis Solmensis.

4 Vlricus Dux VVirtenbergensis & Teccensis an. M D IV in bello Bauarico ademit Philippo Palatino aliquot oppida, exemplum sequutus aliorum principum qui pro se quisque in Principis proscripti bona inuolabãt. Anno M D XIX Reutlingam vrbem imperialẽ obsedit & expugnauit: sed mox inde a Sueuici fœderis socijs expulsus, toto insuper Ducatu suo eiectus est. Carolus Cæsar ditionem illam a Sueuicis fœderatis sibi oblatã, Ferdinando fratri suo concessit. Indignam vero indicauerunt exclusionẽ istam quidã Germaniæ Proceres: itaq; postquã Vlricus iam II annos exsulasset, egerunt Augustæ in Comitijs an. M D XXXIII apud Cæsarem Lantgrauius Hassiæ & alij quidam Principes de illo restituendo, qui etiã pro ipso deprecati sunt. Sed perstitit Carolus in sententia sua, & excluso Vlrico in fratrem Ferdinandum publice contulit titulos honores, dignitatẽ, & bona Comitis VVirtembergici, Augustæ in Comitijs an. M D XXXIII, posthabita etiã intercessione Francisci Galliarum Regis, qui per oratorẽ suum Guilielmum Langæum contenderat ne hoc fieret. Itaque armata manu Lantgrauius rem conficiendam videns, copias eduxit, & Philippum Palatinum, qui pro Ferdinando militans, veterum damnorum vltionem meditabatur, ad oppidũ Laufenum agri VVirtenbergici cecidit, magna copiarum parte in amnẽ compulsa, & ductore ipso Palatino vulnerato. Ita reductus restitutusque Vlricus tandem cum Ferdinando transegit, vt vtile dominium ducatus VVirtenbergici esset suum, directum Ferdinandi. Idem quoq; an. M D XLVI in bello Schmalcaldico Saxonis & Lantgrauij partes secutus, factum suum postea apud Cæsarem excusare & de-

& deprecari coactus est, factus etiã Vlmæ victori supplex. Tandem vero obijt an. M D L. Vxor ei fuit Sabina Alberti II Ducis Bauariæ filia ex qua natus an. MDXV.

5 Christophorus; quem puerũ Bauariæ princeps auunculus in aula sua, adultiorem Ferdinandus Viennæ aliquandiu educarunt, trantisper dum hic aduersus patrẽ eius Vlricum bellum gerebat. Sed quum eum Carolus V clam cũ præceptore Tiferno per Carnicas Alpes in Hispaniã conaretur abducere, vt ea ratione Ducatum fratri integrum relinqueret, elapsus in Bauariam primum, inde in Galliam, opem Regis ad restituendum patrem exsulẽ implorauit. Erat forte eo tempore apud Franciscum regem legatus Pontificis Pauli III, cuius quum pedem dexterũ rex fuisset deosculatus, idemque alij omnes principes eius exemplum sequuti fecissent, Christophorus, siue Germanica vsus ingenuitate, candore, & libertate, siue heroico instinctu ductus, palam negauit se sacerdotis crepidas osculaturũ. Fecit iuuenis princeps, exsul, quod senem, regem, in suo solo facere præstitisset. Plus certe officit Christianitati Pontificũ ista elatio, quã conducit seruilis Principum demissio. Christophorus post patris obitum cuncta ad pacis artes reuocans, legibus institutisque salutaribus patriam ornauit. Extinctus an. M D LXVIII. ætatis suæ anno LIII. Vxor ei fuit Anna Maria Georgij Pij Marchionis Brandeburgici filia.

6 Ludouicus VVirtenbergensis Dux natus an. M D LIV paternis artibus Remp. laudabiliter rexit, obijt an. M D XCIII. Vxor eius prior fuit Dorothea filia Caroli Marchionis Badẽsis; posterior Vrsula filia Georgij Ioannis Comitis Palatini: Liberi nulli. Itaq; Vlrici posteritate extincta, successit fratris eius Georgij Comitis Mompelgardensis filius Fridericus, natus ex Barbara filia Philippi Lantgrauij Hassiæ.

7 Fridericus iste Ludouici patruelis pari cum maioribus suis virtute & prudẽtia ditiones hæreditarias administrauit, pietatis & eruditionis egregius æstimator. Vxorem duxit Sibyllam filiam Ioachimi Ernesti Principis Anhaltini, ex qua plures filios suscepit; omnes patriæ virtutis æmulos.

8 Ioannes Fridericus liberorum Friderici natu maximus natu an. M D LXXXII vxorem duxit Barbaram Sophiam Ioachimi Friderici quondam Marchionis Brandeburgici & Electoris filiam, Stutgardiæ, an. M D CIV, die IV Novembris.

CAP. XXI.

Ducatus & Duces Pomeraniæ.

POMERANIA, cuius typum habes cap. XII, Vandalorum priscorum sedes a situ nomen habet, adiacet enim mari Balthico, portigiturq; inde ab Holsatiæ finibus ad fines vsq; Liuoniæ: Sunt ergo Pomerani maris accolæ: Atque hoc vult vox *Pamortzi*. Slauorum nominis vestigia sonant adhuc audiunturque in multis ipsorum nominibus proprijs, Bugslauus, VVartislauus, VVitslauus: quæ nõ Germanicæ sed Slauonicæ originationis sunt. Et constat diu admodum Polonis terras istas subiectas fuisse, ac non nisi a Friderico Barbarossa Imperio additas. Regio omnis fertilis est, plana, raros montes, pascua crebra, agrum vberẽ habet, ex quo frumenti, butyri, mellis, ceræ, lini, canabis ingens copia hauritur. CASSVBII a plicis vestium nomen habent, sedemq; habent ad Casilinũ, qua Pomerellia sese extendit. Vrbes Pomeraniæ præcipuæ sunt, Stetinum diues, VVineta antiqua, Gripswaldia ob Scholam celebris, Iulinum amplum & potens, Stralsundia mercimonijs nota. Sunt & aliæ permultæ interius,

STEMMA DVCVM POMERANIÆ a VVartislao I vsque ad Barnimum VI.



CONTI-

CONTINVATIO STEMMATIS DVCVM POMERANIÆ.



Neugardia, Lemburga, Stargardia, Bergradum, Bamenez, Publina, Grifenburga. Ad littus vero Colberga, Caminum, Collinum, Sunda, Pucka, Reuecol, Louensburg, aliæque. Adsita ei est insula RVGIA ex qua profectus Odoacer Italiæ Romæque domitor. Meminere Rugiorum Tacitus, Sidonius, Ennodius.

1 Fertur Suantiborus is qui Danos bello vicit, caput esse Ducum Pomeraniæ. Eius filios VVartislauum & Casimirum aiunt circa an. M CXXIV ab Ottone Episcopo Bambergense cum ingenti numero ciuiũ Pomeranorum baptizatos. Fuit tamen ante ipsos Barnimus ex Gryphonum gente, cuius insigne fuit gryphus in clypeo. Ab hoc adiutus est Henricus Auceps Imperator in bello cõtra Hungaros, erat enim Princeps Pomeraniæ, Cassubiorum & Vandalorũ. VVartislai vxor prior fuit Hoila, Henrici Nigri Bauariæ ducis filia, soror Henrici Superbi: posterior Ioanna, filia Canuti IV Regis Daniæ. Ipse occisus est anno M CXXXVI.

2 Bugslaus & Casimirus VVartislai filij in bello Soxonico a Friderico Barbarossa Duces creati sunt, adsignato ipsis in Imperij confessu loco. Ac tum primũ a Polonia seiuncti sunt. Bugslaus fundauit Episcopatum Iulinensem an. MCLXXV. cum templo B. Iacobi quod est Stetini. obijt an. M C LXXXVIII. Vxor ei VValpurgis filia Valdemari I Regis Daniæ, ac post eam Anastasia, filia Miecislai Ducis Poloniæ. Casimirus in Palæstina mortuus est anno vno ante fratris obitum.

3 Bugslai I filij fuere Bugslaus II, qui ducta vxore VVislana filia Iarolphi Ducis Russiæ obijt an. M CC XXII. Casimirus II, qui Stargardiæ monasterium condidit, an. 1194 obijtq; Ierosolymis an. MCCXVII, habuitque vxorem Irmengardem filiã Iaromiri Principis Rugiæ, ac denique VVartislaus II qui Greiffenbergã muniuit. Hoc tempore Saxones primum sese in Pomeraniam effuderunt, Bugslaus vero etiam ab Ottone I Marchione Brandeburgico captus posteaque dimissus est, anno M C L XXXVIII.

4 Barnimus I hæres omnium eius familiæ ditionũ Stetini creauit ædem B. Mariæ an. M CC LXI. Atrocia bella gessit cũ Ioanne I & Ottone eius fratre Marchionibus Brandeburgensibus, quæ tandẽ sopita sunt data Ioanni in vxorem Heduigi filia, cum Preutzlenia & Vckermarchia dotis loco. Vxores ipse habuit, primã, Mariam filiam Alberti I Ducis Saxoniæ, secundam, Margaretã filiam Henrici senioris Ducis Brunsuicensis, tertiam Mechtildem filiam Ottonis Marchionis Brandeburgensis: Defunctus est ipse an. M CC LXXVIII. at frater eius Bugslaus III anno M CC XXIV.

5 Bugslaus IV VVolgasti aulam habuit. Cum fratre Ottone ita ditionẽ partitus est, vt quicquid terrarum est a Deutia vsque ad Ancla, cum Iulino, Caminia, Stargardia vsque ad Pomerellam sibi haberet, cætera fratri cederent. Stargardiam hic muro cinxit. Situs est Caminiæ. Vxorem habuit Agnem filiam Ioannis I Marchionis Brandeburgici, & Margaretam natam Bislao Principe Rugiæ. Filias habuit Annam nuptam Swantiboro Principi Rugiæ, Helenam nuptam Bernardo Principi Anhaltino, Elisabetham nuptã Erico I Duci Saxoniæ, ac denique * . . . nuptam Nicolao Duci Megapolensi. Bugslai frater Otto I Sterinẽsis Dux ad posteros suos ducatum transmisit, ea serie quã in Tabula descripsimus. Ottone autem III sine liberis extincto graue bellum inter Duces Pomeraniæ VVolgastenses & Marchiones Brandeburgicos ortũ est, qui feudum illud a Friderico III Imperatore acceperãt. Composita autem est tandem conrrouersia, ita, vt Brandeburgici titulo fruerentur, ac deficientibus maribus Pomeranis, ditio omnis cederet Brandeburgensibus.

6 VVartis-

6 VVartislaus IV Stetinum omnemq; Vlteriorē Pomeraniam aConrado Brandeburgico occupatam recuperauit, Rugię quoq; Principatum adijt, auunculo VVitslauo omniq; mascula prole extinctis. Vnus igitur iste Dux Pomeraniæ, Stetini, Cassubiorum, Vandalorum, Rugiorum fuit, & Comes in Gatzkan. Syndia quoq; vrbs se in huius clientelam dedit, seruatis tamen priuilegijs suis: Sepultus est Camini. Vxorē habuit Elisabetham Henrici Ducis Vratislauiensis filiam, ex qua nati, Bugslaus, Barnimus, & VVartislaus V.

7 Barnimus V & Bugslauus IV partiti sunt inter se Pomeraniam, concessa fratri tertio annua pensione. Bugslauus tenuit Orientalem Pomeraniam, Barnimus IV VVolgastanam, qui etiam Comitatum Gutzko possedit: mortuus est an. M CCC LXV. Vxor ei fuit Sophia filia Nicolai Henetorum Principis. Bugslauus vero V filium habuit Casimirum IV ex Elisabetha Casimiri II regis Poloniæ filia; qui educatus in aula aui materni, feuda habuit in Polonia, & a Ludouico rege Hungariæ & Poloniæ missus ad obsidendā arcem Schotter, dum inconsultius murū subit, lapide ictus interijt, an. M CCC LXXVII. Ipse vero Bugslauus Ludouicum Romanum Electorem Brandeburgicum acie superauit. Torgoloniam bello acquisiuit. Stetinum nouum ampliauit: Obijt autem an. M CCC LXIV, situsq; est Balbuci. Filias habuit Elisabetham Carolo IV Imperatori, & Margaretam Ernesto Ferreo Duci Austriæ nuptas. Filius Bugslaui VVartislauus VI mortuus est an. M CCC XCII, vxoremq; habuit Mariam Henrici Ducis Megapolitani filiam, eaq; defuncta Ingelburgim editā patre VValdemaro IV Daniæ rege, ex qua natus est Ericus I Rex Sueciæ, Daniæ & Noruegiæ, qui annos ampliusquadraginta regnauit, ac postea in patrio ducatu, deposita persona regia, quietè vsq; ad annum M CCCC LIX vixit. Sorores Erici fuere, Sophia vxor Ioannis Palatini, patris Christophori Daniæ regis, & Agnes, nupta Ottoni Principi Anhaltino. Bugislaus vero VIII Bugislai VII filius ex Sophia Procopij Morauī filia suscepit Bugslaum IX, qui obijt sine mascula prole, anno M CCCC XLVIII. Sepultus est Rugenwaldæ in Carthusia. Ita deuoluta est hæreditas Bugslaui V ad liberos Barnimi quarti.

8 VVartislaus VII Barnimi filius VVolgastanus, maritus Annæ, Ioannis II Ducis Megapolitani filiæ, obijt an. M CCC XCIV. Filios ex ea habuit Barnimum VI & VVartislaum VIII, Filiam Sophiam, nuptam Henrico Duci Brunsuicensi. Frater eius Bugslauus VI obijt anno M CCC XCIII & neque ex priore vxore Iuditha filia Erici I Ducis Saxoniæ, neque ex posteriore Agnete filia Ducis Brunsuicensis prolem suscepit.

9 VVartislaus VIII obijt an. MCCCCXVI. Vxor ei Agnes filia Ducis Saxoniæ inferioris Erici III, ex qua nati Suantiborius III extinctus an. M CCCC XLVI, & Barnimus VIII, denatus an. MCCCCLI, qui ex Anna Henrici Comitis VVinsdorfensis filia non habuit nisi filiā vnicam, Agnetem, coniugem Friderici Pinguis Marchionis Brandeburgici. Ita decursa hac serie ad BARNIMI VI liberos ditiones omnes peruenerunt. Barnimus iste obijt an. M CCCC V, habuitq; vxorem Veronicam filiam Friderici III Burgrauij Noribergensis, ex qua nati VVartislaus IX & Barnimus V, qui obiit anno M CCCC XLIX.

10 VVartislaus IX magni animi & virtutis Princeps Scholam Gripsualdensem fundauit an. M CCCC LVII quo etiam extinctus est. Vxor ei fuit Sophia filia Georgii Ducis Saxoniæ inferioris, ex qua editi VVartislaus X & Ericus II. Frater eius BARNIMVS VII extinctus est sine liberis an. M CCCC XLIX.

11 VVartis-

11 VVartislaus X vxorem habuit Margaretam filiam Henrici Comitis Stargardiæ, defunctus est autem anno Christi M CCC LXXVIII. Liberi eius fuere Suantiborius IV, & Hertmannus, cui vxor Vrsula, filia Ioannis primi Electoris Brandeburgici. Ita deuoluta est hæreditas omnis ad fratrem Ericum eiusq; liberos. Porro ERICO coniunx fuit Sophia filia Bugslaui IX, Ducis Pomeraniæ: Obijt autem ipse anno M CCC LXXIV, reliquitque liberos VVartislaum XI, Casimirum IX, & Bugslauum X.

12 Bugslauus X qui a rebus gestis Magnus dictus fuit, Pomeraniæ, Stetini, VVolgasti Dux, Rugiæ, Cassubiorum & Vandalorum princeps, natus est an. Christi M CCCC LIV. Hic quum ab Imperatore Friderico III feudum suum Alberto Marchioni Brandeburgico, qui Achilles Germanicus dictus fuit, concessum videret, vsque eo exarsit, vt se Imperatori opposuerit, & ab adeunda ditione Marchionem depulerit. Composita tamen sic est tandem controuersia interponentibus sese VVolgasti anno Christi M CCCC LXX Magno & Balthasaro Megapolensibus Ducibus, vt titulus insigniaque ducum Pomeraniæ penes Marchiones manerent, ac si hæres masculus ex Pomeraniæ Ducibus aliquando nō exstaret, Ducatus Stetini rediret adMarchiones. Firmata est transactio, vt fieri inter Principes solet, nuptijs; Margaretam quippe Friderici II Electoris Brandeburgensis filiam Bugslauus vxorem duxit. Ea defuncta, Annam Casimiri Regis Poloniæ filiam: ac denique Agnem filiam Ioannis Alchymistæ Marchionis Brandeburgici. Hic ille est Bugslauus, qui venenum sibi a nouerca propinatum fecit vt prior nouerca biberet: Obijt anno M D XXIII paulo minor septuagenario.

13 Georgius I & Barnimus IX filij Bugislaui X hæreditatem patris diuisere. Barnimo cessit Stetinum cum inferiore Pomerania, cætera Georgio: qui quidem non diu vixit, natus quippe est anno Christi M CCCC XCIII: obijt anno Christi M D XXXI. Hic Augustæ Vindelicorum cum fatre Georgio feudum a Carolo V accepit, & religionem in suo Ducatu reformauit. Gedanenses tumultuantes autoritate & prudentia composuit: Vxor eius prior fuit Æmilia filia Philippi Comitis Palatini: posterior Margareta filia Ioachimi I Electoris Brandeburgi. Liberos reliquit Casimirum Episcopum Caminensem & Philippum, qui cum BARNIMO patruo placide de paterno iure transegit. Natus fuit Barnimus anno Christi M D I. Fuit autem princeps litteris addictus, grauis, prudens, serius. Filios ex Anna Henrici Duci Luneburgensis filia non habuit: Filias vero treis, Mariam nuptam Ottoni Holsatiæ Duci, Annam primum Caroli Anhaltini, tum Henrici Burgrauij Misnensis, denique Iudoci Comitis Barbiensis coniugem: Et Dorotheam nuptam Ioanni Comiti Mansfeldensi.

14 Philippus I Georgij filius, natus est anno M D XV. In diuisione cum patruo VVolgastum cum superiore Pomerania & Rugia accepit: Obijt anno Christi M D L X. Vxor ei fuit Maria filia Ioannis Electoris Saxoniæ, ex qua nati anno Christi M D XL Georgius II. Anno M D XLII Ioannes Fridericus Dux Stetinensis: Biennio post Bugslauus XI Dux Pomeraniæ, Anno vero M D XLV Ernestus Ludouicus. Anno Christi M D XLIX Barnimus. Anno Christi M D L XXVII Ernestus Episcopus Caminensis.

CAP.

CAP. XXII.

HASSIA, & *Lantgrauij Haſſiæ.*

HASSI ſunt Catti, manſitq; nominis veſtigium in Cattis Melibocis, quorum ſedes nunc vocant Catzen Elbogen. A populis trãſijt poſtea appellatio ad regionem nam veteres nullam Cattiam vel Haſſiam nouerunt. Habet autem regio iſta ad Ortum Turingiam, ad Auſtrum Franconiam, cum Hennebergenſi Comitatu; ad Occaſum VVeſtphaliam, ad Septentriones Ducatum Brunſuicenſem, cum Epiſcopatu Mindenſi & Padebornenſi. Ac initio fuit Comitatenſis: ſub annum vero Chriſti MXLII euecta eſt in Lantgrauiatum. Diſerte enim ſic legitur in libro Torneamentorum. *Anno Chriſti* MXLII *Ludouicus Comes Haſſiæ fuit Hallis in ludo militari ibi celebrato; ſed factus deinde Lantgrauius aſcendit filia ſupra matrem.* Sunt autem Lantgrauij Comites maiore quam cæteri Comites dignatione. Tales vero Prouinciarum præfecti & Comites etiam in Romana Rep. fuerunt, quemadmodum ex Notitia Imperij liquere poteſt. In Germania ad imitationem Romanorum varijs locis conſtituti ſunt, titulo ipſis dato vernaculo, Germanicæ originis. In Haſſia & Thuringia præcipui fuere. Regio pleraque Haſſiæ montuoſa eſt, ferax frumenti, leguminum. Flumina habet, Viſurgim qui VVeſer, Lupiam & Adranam amnes Tacito celebratos, ac præterea, Lanum, Fuldam, alioſque. Montes, Melibocum, Taunum, Abnobios. Oppida, Marpurgum, Caſſellam, Francoburgum, Eſchwegam, Fuldam. Gens omnis grauis, animoſa, ſobria, laboris patiens, ingenioſa, fidei amans, libertatis & ſuæ & publicæ conſeruatrix.

STEMMA LANTGRAVIORVM HASSIÆ ex Ducibus Brabantiæ.

Qui hodie rerum in Haſſia potiuntur, originem ducunt ex duabus Illuſtribus familijs, vna Brabantina, altera Thuringica. Ac fuit Lantgrauiatus iſte Thuringico nexus, vſque ad Henricum Magnanimum Brabantiæ Ducem, qui ducta vxore Sophia Ludouici Lantgrauij & S. Eliſabethæ filia vnica, ditiones iſtas coniunxit. Nec manſerunt diu iunctæ; Henricus quippe puer & Henricus Manſuetus fratres, de paterna hæreditate diſceptantes, ita inter ſe tranſegerunt, vt Manſueto quidem Brabantia cederet, Puero vero Miſnia, Thuringia, Haſſia. Itaque ab illo deinceps Genealogia ducitur Ducum Brabantiæ, ab hoc Lantgrauiorum Haſſiæ. Brabantinorum vero Procerum ſeries vſque ad Henricum Magnanimum ſic ſe habet.

Lambertus Longicollus Dominus Louanij, interemptus a Gothofredo Duce Lotharingiæ, Anno Chriſti MXV.

Henricus I Lamberti filius Comes Louanienſis perijt Anno MXXXVIII.

Ex hoc natus Lambertus II Comes Louanij, Marchio Rhiæ, interemtus anno MLIV.

Huic ſucceſſit Henricus II Lamberti filius occiſus in lecto, anno MLXVIII.

Huius filius fuit Henricus III Comes Louanienſis, qui obijt anno MXCV.

Henrico ſucceſſit filius eius Gothofredus I Barbatus, qui obiit anno Chriſti MCXX. Vxor eius prior fuit Sophia filia Henrici IV Imperatoris, & Clementia filia Guilielmi Comitis Burgundiæ.

Gothofredum patrem excepit Gothofredus II filius, primus Brabantiæ Dux factus a Conrado III Imperatore. Exceſſit e vita anno M C XLIII. Vxor ei Lutgardis filia Gebhardi Comitis a Sulzbach, ſoror Gertrudis Imperatricis.

Hunc ſecutus eſt Gothofredus III qui ex vxore Margareta filia Henrici Comitis Limburgenſis ſuſcepit Henricum Probum, Albertum Epiſcopum Leodienſem, Henricum Cuchij Dominum, & Guilielmum Dominum Parneſij: Obijt anno M C LXXXIII.

Henricus Probus ex Mechtilde filia Matthei Alſatici filium habuit vnicum Henricum Magnanimum: Obijt anno M CC XXX Coloniæ.

Henricus Magnanimus vxorem habuit priorem quidem Mariam filiam Philippi Imperatoris: poſteriorem vero Sophiam filiam & hæredē Ludouici Lantgrauij. Liberi fuere ex altera Hēricus Manſuetus, ex quo profecti ſunt Duces Brabantiæ & Comites Hornæ; ex altera Henricus Puer Lantgrauius Thuringiæ & Haſſiæ, per quem ſeries poſtea Lantgrauiorum decurrit. Porro Magnanimo filiæ fuere Mechtildis Ruperti Arteſij vxor, & Maria nupta Ludouico II Palatino, de qua ſuo loco diximus.

1 Hēricus infans ex eo dictus fuit, quod eum pater moriens vix bimulum reliquit, natus eſt enim anno M CC XLV, pater e viuis exceſſit anno M CC XLVII. Ab hoc exſtructum eſt templum Francoburgenſe: obiit anno M CCC VIII. Vxores habuit Adelheidem filiam Alberti Ducis Brunſuicenſis, Mechtildem filiam Theodorici VI Comitis Cliuiæ; & Annam filiam Ludouici Seueri Comitis Palatini: Liberos permultos: Mares nos in tabula expreſſimus. Filiæ fuere Eliſabeth primum nupta Ioanni Comiti in Sain, poſtea Gebhardo Comiti in Eppſtein: Mechtildis vxor Gothofridi Comitis in Zigenheim: Adelheidis elocata Bernhardo Comiti Hennebergico: Sophia, Ottoni Comiti in VValdeck & * ... nupta Alberto Comiti Gortzio.

2 Otto Henrici filius Haſſiæ Lantgrauius, vxorem habuit Adelheidem Comitiſſam Rauensburgicam; obiit anno Chriſti M CCC XXIX. Eius frater Ioannes Lantgrauius extinctus eſt anno Chriſti M CCC XI, habuitque vxorem Adelheidem filiam Henrici Mirabilis Ducis Brunſuicenſis. Ludouicus Epiſcopus Monaſterienſis deſijt viuere anno M CCC XX.

3 Ottoni ſucceſſit Henricus Ferreus, qui cum fratre ſuo Ludouico ditionem partitus eſt, ea lege, vt quum vterque eandem virginem ambiret Eliſabetam Friderici admorſi filiā, is qui repulſam ferret, cælebs permaneret. Nupſit autem Henrico, a quo tamen poſtea repudiata eſt, anno M CCC XL, ducta altera coniuge Mechtilde filia Theodori IX Comitis Cliuiæ. Ioannes frater promiſſi immemor vxorem duxit Margaritam filiam Comitis in Spanheim.

4 Otto Sagittarius Lantgrauius Haſſiæ mortuus eſt anno M CCC LIV, improlis. Eius ſoror Eliſabeth filia Hērici ferrei, nupſit Ottoni Duci Saxoniæ inferioris. Adelheidis vero Caſimiro regi Poloniæ, a quo domū remiſſa eſt, anno M CCC LVI. Ita deficiente hic linea ceſſit Lantgrauiatus poſteris Ludouici.

5 Hermannus Ludouici filius, Lantgrauio Thuringiæ Balthaſari aduerſus Ottonem Brunſuicenſem ſuppetias tulit anno Chriſti M CCC XXVII. Senex admodum vita functus eſt, anno Chriſti M CCCC XIV. Eius vxor prior fuit Ioanna filia Ioannis Comitis Naſſouij: poſterior Margareta filia Friderici III Burggrauij Noribergenſis. Filia eius Margarita nupſit Henrico Duci Brunſuicenſi: Agnes vero Ottoni Duci, Domino in Gottingen.

STEM-

STEMMA LANTGRAVIORVM HASSIÆ a Ducibus Brabantiæ.



6 Ludouicus cognomento Mitis, natus anno Christi M CCCC II, primus fuit Comes Zigenheimii & Niddæ. Hic ille est, qui Imperij summum honorem ad se delatum in alium reiecit, Mortuus est anno Christi M CCCC LVIII. Vxorem habuit Annam filiam Electoris Saxoniæ, Liberi ex ea fuere, Hermannus Archiepiscopus Colonienſis qui obijt anno M D VIII. Henricus & Ludouicus ambo Lantgrauij, Fridericus, qui puer vitam finiuit, Elisabetha vxor Ioannis Comitis Nassouij in VVeilburg.

7 Henricus III maior natu filius, natus anno Christi M CCCC XI, Marpurgi aulam habuit, auctus Comitatu Cattimelibocenſi ab vxore Anna, vltimi Comitis Philippi filia: mortuus est anno M CCCC LXXXIII. Filium habuit Guilielmum dictum iuniorem, vt a duobus alijs Guilielmi Ludouici III filius distingueretur: Hic in venatione ex equo lapsus interijt, anno Christi M D sine liberis, relicta vidua Elisabetha filia Philippi Palatini Electoris. Filiæ Henrici fuere, Mechtildis nupta Ioanni II Duci Cliuiæ; & Elisabeth vxor Ioannis Nassouii Comitis in Dillenburg.

8 Ludouicus III dictus Comes Zigenhemii & Niddæ, aulæ sedem habuit Cassellis: duos sustulit filios ex vxore Guilielmos, alterum dictum seniorem, alterum iunioré; obiit anno M CCCC LXXI. Vxor ei fuit Mechtildis, filia Ludouici Comitis VVirtenbergici. Hermannus eius frater Archiepiscopus Colonienſis & Propositus Padebornenſis vir fuit excelsi animi: Nouesium a Carolo Burgundo obsessum strenue defendit, oppositusque est Ruperto Palatino Archiepiscopatus competitori, anno M CCCC LXXV.

9 & 10 Guilielmus senior hæreditatem paternam cum fratre post excessum Ludouici diuisit, sed ob leues causſas, cum ingenio esset querulo, resiliit. Captus, ditionibus suis exutus est. Obiit anno Christi M D XV. Vxorem habuit Annam filiam Guilielmi Ducis Brunsuicenſis, ex qua non nisi filias suscepit, Mechtildem nuptam Cononi Comiti Tecklenburgico, Catharinam vxorem postea Adami Comitis a Beichlingen, Elisabetham nuptam primum Ludouico Palatino Bipontino; postea Georgio Palatino Cimmerenſi. Guilielmus ergo medius auctus tot ditionibus potēs fuit. Ab hoc profecti sunt quotquot nunc Hassiæ Lantgrauii dicuntur. Vxores habuit duas, priorem Iolantem filiam Friderici Comitis Vademontii, alteram Annam filiam magni Ducis Mechleburgici. Filium Philippum: Filiam Elisabetham vxorem Ioannis Ducis Saxoniæ.

11 Philippus totius Hassiæ Lantgrauins Comes Cattimelibocenſis, Ziegenhemius & Niddenſis, vindex libertatis & fulmen Germaniæ dum vixit fuit, ingentis animi & consilii Princeps. Tumultus rusticorum aduersus Præsules Moguntinum & Herbipolenſem repressit: Anno Christi M D XXVII impediuit executionem edicti VVormacienſis aduersus Euangelicos concepti, adhibita protestatione publica; ex quo facto adhæsit sociis nomen Protestantium. Eodem anno Academiam fundauit Marpurgi. Sequenti, copias ingentes armauit aduersus eos qui ipsum & Electorem Saxonicum dicebantur oppressuri. Anno M D XXXIV Vlricum Ducem VVirtebergicum ditioni suæ restituit, diu exulem & vagum, cæsis copiis Ferdinandi Regis ad Lauffenum, & capto Philippo Palatino. Ad compescendos etiam Anabaptistas duce Ioanne Leidenſi tumultuantes Monasterii VVestphaliæ oppido militem suum misit. Fœderis Schmalcaldici libertatis ergo initi a Germaniæ Principibus contra inualescentem Caroli potentiam & Pontificiorum minas

ducem

ducem se præbuit Anno MDXLVI vna cum Friderico Saxoniæ Electore. Eo bello captus est Elector, Hessus vero persuasus ab Electore Brandeburgico & Mauritio Saxone vltro se fidei Cæsaris commisit dediditque, a quo in carcere habitus est totum quinquennium, frustra intercedentibus pro ipso Germaniæ Principibus. Tandem tamen quum vis ostentaretur, dimissus est. Anno MDLVII composita est controuersia inter ipsum & Comitem Nassouicum de Comitatu Cattimelibocensi quæ iam annos pene quinquaginta durauerat. Conuentum, vt abrogata Cæsaris sententia, qui Nassouijs eum adiudicârat, Comitatus ille in potestate maneret Lantgrauiorum Hassiæ, ea lege, vt is Comiti Nassouio sexies centena millia aureorum exsolueret, & Comitatu insuper Dietsensi cederet, vtque Lantgrauij nihilominus titulum haberent Dietsensium Comitum, & arma gentilitia: Comites vero Nassouij etiam vocarentur Cattimelibocenses, & arma illa in suis insignibus gererent. Ita plenus æui obijt Philippus anno MDLXVII. Vxor ei fuit Christina filia Georgij Ducis Saxoniæ. Filij, Guilielmus, natus anno MDXXXII, Philippus, natus anno MDXXXIV, qui infans obijt. Philippus alter, natus anno MDXLI, & Georgius natus anno MDXLVII. Filiæ, Agnes nupta Mauritio Electori Saxonię, ac post illum Ioanni Friderico Duci VVimarienſi; Anna nupta VVolfgango Bipontino Comiti Palatino. Barbara quæ primis nuptijs habuit maritum Georgium Comitem Monpelgardensem, secundis Danielem Comitem in VValdeck, Elisabetham vxorem Ludouici Comitis Palatini, & Christinam nuptam Adolpho Duci Holsatiæ.

12, 13, 14, 15 Guilielmus fratrum natu maximus, testamento patris (quod filij omnes ratum habuerunt) semissem bonorum paternorum obtinuit. Sed ita, vt cum Ludouico Academiam Marpurgensem, forum vero iuri dicundo fratres omnes commune haberent. Ludouicus ergo Lantgrauius Comitatum nactus Cattimelibocensem, Zigenhaim, & Nidda, Marpurgi sedem fixit aulæ suæ. Vxores habuit Heduigem filiam Christophori Ducis VVirtenbergensis, ac post eam Mariam filiam Ioannis Comitis Mansfeldensis. Philippus tertius frater, Reinfelsij aulam habuit. Vxor ei Anna Elisabetha filia Friderici Palatini. Georgius quartus frater, Darmstadij in superioreComitatu Cattimelibocensi vixit: habuitque vxores duas, priorem Magdalenam filiam Bernhardi Comitis Lippensis: posteriorem Leonoram filiam Christophori Ducis VVirtebergici viduam Ioachimi Ernesti Anhaltini, obijt anno MDXCVI, relictis multis liberis. Henrico, nato anno MDXC, qui diem extremum clausit octauo Ianuarij anno MDCI. Ludouico, nato 24 Sept. Anno MDLXXVII (cui ex vxore Magdalena Marchionis Brandeburgici filia nati sunt, Elisabeth Magdalena anno MDC die 6 Aprilis. Anna Eleonora, Anno MDCI, 30 Iulij. Maria, Anno MDCII, die 11 Decemb. Sophia Agnes Anno MDCIV, 12 Ianuarij. Georgius, natus 17 Martij, Anno MDCV. Iuliana, Anno MDCVI, die 14 April. Amelia, Anno MDCVII, die 20 Iunij, & Ioannes 17 Iunij, Anni MDCIX) Elisabetha nata 26 Nouemb. Anno MDLXXIX. Philippo nato 26 Decemb. Anno MDLXXXI, qui duxit vxorem *... ...filiam Comitis Diepholdensis. Anna nata 3 Martij, Anno MDLXXXIII, quæ post obitum patris nupsit Alberto Comiti Solmensi, Anno MDCX. ac denique Friderico nato 5 Martij, Anno MDLXXXV. Sed fuit præ cæteris Philippi Magnanimi filijs Guilielmus non a natura tantum sed etiam a studio, cura, & exercita-

tione artibus principalibus ornatus, ad quas etiam litterarum & historiæ imprimis cognitionem adiunxit. Iuuenis admodum arma sumpsit cum Mauritio Saxone, superatisque cum exercitu Rhæticarum Alpium faucibus, & occupata Ernberga, eo adegit Carolū Cæsarem, vt Æniponte noctu accensis funalibus fugere coactus sit: quam expeditionem liberatio patris & totius Germaniæ tranquillitas præsens, diu, vti optamus speramusq; duratura, consequuta est. Obiit anno M D LXVII, relicto ex Sabina filia Christophori Ducis VVirtebergensis vnico hærede filio Mauritio; nam Christianus iam anno M D LXXVIII extinctus fuerat.

16 Mauritius Lantgrauius Hassiæ, natus anno M D LXXIII virtutum paternarum hæres pariter & æmulator, ea modestiæ, prudentiæ, eruditionis, ac pietatis fama viget, qua vix alius hodie ex omnibus Germaniæ Principibus, beatam cōstituens ex sententia Platonis Rempublicam. Eius vxor prior fuit Agnes filia Georgij Comitis Solmensis; posterior nunc est Iuliana filia Ioannis Comitis Nassouij. Soboles numerosa. Otto natus anno M D XCIV. Mauritius M D C. Elisabeth anno M D XCVI. Guilielma anno M D CII. Philippina anno M D CV, Agnes M D CVI. Viuat diu vigeatque eius virtus, & serò sui desiderium mortalibus relinquat.

CAP. XXIII.

HOLLANDIA, & *Comites Hollandiæ.*

HOLLANDIÆ pars Transrhenana proprie ad Germaniam veterem pertinet, continetque in se Frisios minores, cum quibus pertinaci odio diu a Batauis pugnatum est. Rhenus enim Galliam a Germania disterminat: neque est extendenda Gallia ad tertium vsque Rheni ostium quod Fleuum vocant, quum inter illud & medium siti fuerint Frisiij maiores & Sicambri, qui tamen nunquam Gallis, nunquam non Germanis sunt accensiti. Traiectus itaque ad Rhenum, cum Amsterodamo, Harlemo, Enckhusa', Horna, Geldriaque omni ad Germaniam magnam referenda sunt. Nam de Frisiis maioribus, in quibus sunt Leodienses, Groningenses, deque Transisalanis & Sutphanienſibus nemini dubium est, quin Germaniæ accenseri debeant. Quod si vero etiam Germanias duas, superiorem & inferiorem, quæ proprie in Belgica sunt, placet Germaniæ adscribere, multo iam erit amplior amplissimæ regionis ditio: vtque vt ad eam referuntur vulgo Argentoratum, VVormacia, Spira, Treuiri, Moguntia, Colonia, ita ad eam referentur Antwerpia, Gandauum, Brugæ, Lugdunum Batauorum. Et constat, Carolum V Imperatorem postquam anno Christi M D XXVIII Hollandiæ, Brabantiæque adnexuisset Traiectum cum Transisalania, cedente Episcopo Henrico Bauaro, Anno vero Christi M D XXXVII Groningam cum Ommelandia, & anno vno post Gelriam vniuersam, omnes simul prouincias Belgicas comprehensas titulo CIRCVLI BVRGVNDICI & BELGICI in Comitijs Augustanis iunxisse S. Imperio. Factum id est, anno Christi M D XLVIII, die XVI Iunij. Quæ quū ita sint, non videbitur cuipiam mirum, si Hollandiam quoque ad Germaniam referamus.

STEMMA

STEMMA COMITVM HOLLANDIÆ.



Extra ordinem.

8 *Robertus, qui ducta Theodorici V vidua Gertrude, tutor fuit Theorici VI.*

9 *Godefridus Gibber, Lotharingus, qui pulsis tutoribus Hollandiam inuasit.*

x Carolus

1 Carolus Caluus Ludouici filius Caroli Magni nepos Romanorum Imperator quum certis nuncijs accepisset, Normannos eam Germaniæ inferioris oram quæ Oceano opposita, Rheno, Mosa, Scaldi amnibus alluitur, depopulari, ac fœdare, contulit ditionem illam quæ nunc Hollandiam, Zelandiam, Frisiam, Traiectumq; complectitur in Theodoricũ Sigeberti Aquitaniæ Principis filium, VValgeri Comitis Teisderbandiæ fratrem minorem natu, editum Haganonis sorore. Facta est autem donatio Bladellæ, haud incelebri tunc temporis Brabantiæ oppido. Theodoricus Imperatoris copijs opibusque in vacuam possessionem deductus, ditionem illam occupauit non sine sudore & sanguine, ob Burggrauij Leidensis & Falkenburgici Toparchæ armata manu sese opponentium vires. Quibus victis cœsisque digressus Carolus ad suos haud diuturnam pacem Theodorico reliquit. Frisij quippe libertatis auitæ titulo conspirantes ipsum Prouincia eiecerunt; qui ad Carolum Imperatorem profugus, ac non multo post restitutus, pacatis rebus ita cum Frisijs & Normannis, qui ex suæ patriæ nomine nomen Hollandiæ dederunt, vixit, vt vtrique come & temperatum imperium agnoscerent. Obijt tandem senex anno Prrncipatus susceptI XL.

2 Theodoricus II fertur rexisse Hollandiam annos LXXXVIII. Vxoremque habuisse Genam Pipini Ducis Aquitaniæ filiam.

3 Theodoricus III a quibusdam hoc loco inseritur, eumque dicunt vxorem habuisse Hildegardim Ludouici V regis Francorum filiam, & obijsse an. Christi CMLXXXVIII.

4 Arnulphus Theodorico patri successit; diciturque Hollandiam ac Zelandiam, exemptas Francorum Regum potestati, subiecisse Imperatori Ottoni III: occubuit in prœlio aduersus VVest-Frisios, anno CMXCIII. Vxor ei Lutgardis filia Romani Imperatoris Constantinopolitani. Frater eius Egbertus Archiepiscopus Treuirensis in sacello a se exstructo, quod ipse B. Andreæ dicauit, situs est.

5 Theodoricus IV Arnulphi filius patris necem vlturus bellum gessit cum Frisijs: Adeboldum Episcopum Vltraiectinum cepit, & in Hollandiam abductum Iselmundanæ arci inclusit. Ierosolymam profectus, dum reditum parat, in itinere obiit: anno MXXXIX. Huic Vxor fuit Vtelhaidis Ottonis III Imperatoris soror, quæ post mariti obitum ad suos rediit. Præfuit Theodoricus Hollandiæ annos XLVI.

6 Theodoricus V Dordrechti telo ictus in femore biduum ab accepto vulnere vixit: obiit anno MXLVIII, celebs. Ostenditur hodieque locus, in vico, quem ex eo vocant Comitis.

7 & 8 Florentius Theodorici frater fraternos hostes sibi infestos expertus est, Coloniẽsem, & Leodiensem antistites, & Lambertum Comitẽ Louanienſem: ac commisso cum illis prœlio, Leodiense occiso, Louanienſe capto, domum rediit victor, anno MLXIII. Ferũt eum in itinere dum sub arbore quadam defessus auram captaret, occisum a sicariis quos Coloniẽsis submiserat. Vxor ei fuit Gertrudis filia Bernardi Ducis Saxoniæ, quæ etiam post mariti obitum aliquamdiu Hollandiam gubernauit, nupta Ruperto Comiti Flandriæ liberorum Florentii tutori, qui a deuictis Frisiis Frisii cognomen retulit. Anno autem MLXX instinctu Guilielmi Episcopi Vltraiectini arma sumpsit Gothofredus Lotharingiæ Dux, pulsisque Gertrude & Ruperto Hollandiam per vim occupauit.

9 Godefridus Gibber Lotharingiæ Dux victo ad Leidam Ruperto bellum Frisiis intulit: obsessus ab iisdem

CONTINVATIO STEMMATIS COMITVM HOLLANDIÆ.



dem postea Alcmariæ, vix euasit soluta per Guilielmum antistitem Traiectensem obsidione. Tandem tamen telo per posticum acto dum aluum exonerat, pœnas dedit occupati alieni imperij, anno M LXXV. Hic Delfum creauit, oppidum inter prima Hollandiæ.

10 Cæso Godefrido admotus est rebus Theodoricus VI, qui iam aptus per ætatem imperio habebatur. Hic Traiectensem Episcopum priorum motuum autorem ad deditionem eorum quæ bello abstulerat, adegit, Frisios domuit, congressus cum ipsis non semel. Præfuit rebus annos XXV: Vxor ipsi VVithildis filia Friderici Ducis Saxoniæ. Soror Bertha nupta Philippo I Francorum regi, qui eam dimisit.

11 Florentius II Pinguis dignitatem maiestatemque imperij ornauit procera corporis venustate, adfabilitate, pudicitia, iustitia, clementia: Obijt anno M C XXIII. Vxor ei fuit Petronella Lotharij II Imperatoris filia, quæ monasterium Rhenoburgense condidit. E cuius fundamentis effossum est anno M D C XIII saxum cum effigie capitis & inscriptione PETRON quæ an ista sit, an alia de qua proxime dicam, haud satis compertum habeo. Filia Heduigis nupta fuit Gerardo Comiti Geldriæ & Sutphaniæ.

12 Theodoricus VII, Florentij II filius Frisios rebelles domuit, eosdem duce fratre Florentio Nigro Hollandicum agrum infestantes coërcuit. Traiectum ne hostiliter expugnaret, religione & precibus Heriberti Antistitis motus est: obijt anno M C LXIII. Vxorem habuit Sophiam natam Ottone Comite Palatino. Filias, Sophiam Abbatissam Fontanellæ, & Heduigim, cum Petronella, quæ ibidem virgines vixere.

13 Florentius III, post patris Theodorici excessum factus Comes, vxorem duxit Adam sororem Guilielmi Regis Scotiæ, Henrici filiam, a Viboldo Egmundano Abbate accersitam. Magna huic cum Godefrido Episcopo Traiectensi fuit de Frisiæ imperio contentio, quam Fridericus Barbarossa diremit. Postea tamen Frisios iterum rebelles vicit, exactaque ingenti pecuniæ vi ad obsequium adegit: profectus inde cum Friderico in terram sanctam post multa fortiter a se edita virtutis exempla Antiochiæ extremum diem clausit, anno M C X C.

14 Theodoricus VII cum fratre Guilielmo atrox prælium in Zelandia commisit, orta de herciscundis bonis inter ipsos controuersia. Composita tamen res est interuentu patrui Balduini Traiectensis Episcopi, cuius etiam ditionis post obitum ipsius factus est tutor. Inde Brabantiam cum exercitu ingressus, Buscum Ducis cepit. Obijt haud procul a Dordrechto, anno M CC III. Vxorem habuit Adelheidem filiam Theodorici III Cliuiæ Ducis.

15 Ada Theodorici filia post patris obitum nupsit Ludouico Comiti Lossensi: qui regnandi ignarus turbatis rebus a Guilielmo Flandriæ Comite ditione pulsus est, anno M CC IV.

16 Guilielmus I Theodorici VII frater, Adæ patruus Comes factus Hollandiæ Traiectenses bello petijt: A quibus post incensum Dordrechtum eo actus est, vt pacem immani pecunia redemerit. Damiatam, quæ Pelusium est, in Ægypto ope Harlemensium cepit. In Scotiam cum classe profectus ad capiendum regnum quod ad ipsum excessu Macolmi auunculi sui erat deuolutum, quum audisset a Lossensi Comite Hollandiam ferro & igne vastari, reuersus, armis hostem eiecit. Obijt tandem anno regiminis in Hollandia XIX, Christi, M CC XXIII. Vxor eius prior fuit Adelheidis filia Ottonis II Comitis Geldriæ: posterior Maria

Edmun-

Edmundi Ducis Lancastriæ filia. Sepultus fuit Rhenoburgi; Estque adeo ante hoc biennium effossum illic saxum cum hac inscriptione.

WILHELMVS *primus Comes Hollandie. obijt Anno 1223.*

ALEIDIS *filia Comitis Geldriæ vxor eius. obijt Anno 1218.*

Et aliud cum ista,

ADA *filia VVilhelmi primi Comitis Hollandie in Reinsburch Abbatissa. obijt Anno 1258.*

17 Florentius IV Guilielmi filius Aleide prognatus, magna claruit rei militaris fama: A Claremõtano Comite ad ludos equestres quos apparauerat inuitatus, per fraudẽ ab ipso interemptus est, quod crederet familiarius vxore sua vsum esse. Coniugem habuit Machthildem filiam Henrici Probi Ducis Brabantiæ, ex qua nata Margareta vxor Hermanni Comitis Hennenbergici quæ tot enixa liberos dicitur, quot sunt in anno dies, sepulta Losduni. Nata & Adelheidis, nupta Ioanni Auiennensi Comiti Hannoniæ, cuius liberi ac nepotes extincta Guilielmi II sobole in Comitatu Hollãdię successerunt. Natus & Guilielmus secundus de quo proxime, & Florentius præfectus Zelandiæ. De Margareta exstat in Losdunensi fano tale monumentum,

En tibi monstrosum nimis & memorabile factum
Quale nec a mundi conditione datum.
Hæc lege, mox animo stupefactus lector abibis.

MARGARETA Hermanni Comitis Hennenbergiæ vxor, quarti Florentij Comitis Hollandiæ & Zulandiæ filia, Guilhelmi Regis Romanorum, ac postea Cæsaris seu Gubernatoris Imperij, atque Adeitheiæ Comitis Hannoniæ soror, cuius patruus Episcopus Traiectensis, avunculi autem filius Dux Brabantiæ, & Comes Thuringiæ. Hæc autem Illustrissima Comitissa annos quadraginta duos circiter nata, ipso die Parasceues, nonam circiter horam, anno millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, trecentos sexaginta quinque enixa est pueros, qui prius a Guidone Suffraganeo Traiectensi omnes in duobus ex ære peluibus baptisati sunt; quorum masculi quotquot erant, Ioannes, puellæ autem Elisabethæ vocatæ sunt; qui simul omnes cum matre vno eodemque die fatis concesserunt, atque in hoc Laudunensi templo sepulti iacent. Quod quidem accidit ob pauperculam quandam fœminam, quæ ex eo vno partu gemellos in ulnis gestabat pueros, quam rem ipsa Comitissa admirata, dicebat, Id per vnum virum fieri non posse, ipsamque contumeliose reiecit. Vnde hæc paupercula animo perturbata, ac perculsa, mox tantum prolium numerum ac multitudinem ex vno partu ipsi imprecabatur, quot vel totius anni dies numerarentur; quod quidem præter naturæ cursum stupenda quadam ratione ita factum est, sicuti hic in perpetuam huius rei memoriam ex vetustis tam manuscriptis quam typis excusis Chronicis breuiter positum & enarratum est. Deus ille ter maximus hac de re suscipiendus, honorandus, ac laudibus extollendus in sempiterna secula, Amen.

18 Guilielmus II extincto indigne patre vix sexennis cõmissus est curæ Ottonis patrui Episcopi Traiectensis. Sub hoc adoleuit ad annum vsque ætatis vicesimum, quo Romanorũ rex electus est. Aquisgranũ profectus coronæ capiendæ caussa, ab Alberto Magno Coloniæ exceptus est, hiberno tempore prolatis vuis & floribus. Curiam Prouincialem iuri dicundo primus Hagæ Comitis instituit, quæ postea mirum in modũ creuit. Flandros Zelandiam vastantes repressit, reportata insigni ab ijs victoria. Ioannem Auennium adfinem suũ contra matrem Margaretam armauit. Cæsus tandem est a Frisijs, anno M CC LV Kal. Februarij, relicto filiolo qui nondum sex menses vitæ explerat ex vxore Elisabetha filia Ottonis Ducis Brunsuicensis.

19 Florentius V anno ætatis XIX Frisijs indixit bellum, vlturus patris necem; & vicit eos prœlio semel atq; iterum. Cum Flandris, qui iam multos annos Hollandis infesti fuerant, pacem sanciuit, accepta Guidonis Flãdriæ Comitis filia Breatrice in vxorem. Hic ille est qui Gerardi Velseni vxorẽ violasse perhibetur; a quo postea duobus & viginti vulneribus confossus est, adnitente etiam Hermanno VVoerdeno vitiatæ patre, anno M CC XCVI. Sed Veldenus captus postea pœnas quoque occisi Principis sui dedit.

20 Ioannes I Florentij filius Guilielmi Cæsaris nepos puer in Anglia apud Eduardum regem educatus est. Post patris vero obitum reuocatus ab Hollandiæ proceribus de cõsilio regis & Guidonis Flandrorum Comitis commissus est tutelæ VVolfardi Borsalij Toparchæ Verensis. Postquam adoleuisset bis in Frisios rebellantes exercitum duxit. Decessit e vita anno M CCC. Coniunx ei fuit Elisabetha Eduardi II Regis Angliæ filia; ex qua nullam sobolem suscepit. Eo factum est, vt Comitatui Hollãdiæ præfectus fuerit Ioannes Hannonius Adelheide Guilielmi Cæsaris sorore editus.

21 Ioannes II Hannonius grauia & multa cum Flandris bella gessit terra marique. Obijt anno M CCCIV. Sepultus est Valencenis. Vxor ei Philippa filia Henrici Lucelburgici. Porro a Ioanne isto creditur excisa esse Verona Frisiorum nõ procul ab Alcmaria vrbs. Filios habuit Guilielmum Comitem Hollandiæ, Ioannem Comitem Osteruandiæ, qui prœlio Cortracensi occubuit, anno M CCCC II. Ioannem alterum, Dominum Bellomontensem, Tolanum & Goudensem, qui filiam & hæredem reliquit Ioannam nuptã Ludouico Castilionæo Comiti Blæsensi. Filias vero, Mariam nuptam Ludouico Borbonio, & Machtildem Comiti Niuellano.

22 Guilielmus III Ioannis II filius a virtute & indole nomen retulit Boni. Hic Middelburgi in Zelandia Canonicorum Collegium instituit. Huius ope Philippus Gallorum Rex Flandrorum exercitum fudit. Ab hoc Frisij classe victi sunt. Magna fuit huius pietatis, iustitiæ, religionis, ac prudentiæ laus. Regnauit annos XXXIII: obijt anno M CCC XXXVII. Sepultus est Valencenis. Vxor ei Ioanna, sata Carolo Valesio. Filia Philippa nupsit Eduardo III regi Angliæ, Ioanna Gerardo IV Comiti Iuliacensi. Margareta Ludouico Bauaro Imperatori.

23 Guilielmus IV reportatis aliquot a Turcis ac Saracenis in Hispania victorijs clarus, postquam in Hollandiam reuersus est, Traiectum oppugnauit, vrbem dissidijs plebis aduersus nobiles laborãtem, eoq; adegit duros alioqui ciuium animos, vt nudatis plãtis apertisq; capitibus egressi quingẽti Comitis pedibus aduoluti sint, gratiam veniamq; commissorũ postulantes. Mouit inde in Frisios, & apud Staueram occisus est, an. M CCC XLV, die 26 Sept. Coniunx ei fuit Ioanna filia Ioannis III

Ducis

Ducis Brabantiæ, ex qua tamen prolem non suscepit.

14 Successit fratri defuncto in Principatu Margareta Guilielmi III filia Ludouici Bauari Imperatoris vxor, quæ ex Germania superiore in Hollandiam profecta haud diu illic mansit, licet vindictam in Frisios meditaretur: Sed filio suo Guilielmo substituto, ea lege vt fratris necem vlciscereturr, redijt ipsa in Bauariam, venditis ad sumptum belli Coloniæ omnibus bonis quæ Frisij in Hollandia possidebant. Reuersa post obitum Ludouici, bellum etiam cum Traiectensibus gessit. Ortum quoque est anno M CCC L ingens inter matrem Augustã & filium Guilielmum dissidium, quod totã Remp. ita in partes traxit, vt alij Houx, alij Cabelliaus dicerẽtur; quorum illi matri, hi filio adhærebant, nominibus a piscatu desumptis, quod aselli marini (id enim sonat cabelliau) hamis capiantur, quos hoex vocant. Obijt Margareta, Anno M CCC LV, pridie Kal. Octob. estque Valentinianis sepulta.

15 Guilielmus V Ludouici Augusti filius Dux Bauariæ, Comes Hannoniæ, Hollandiæ & Zelandiæ, exacto in Principatu septennio incidit in phrenesin, quumque per morbi impotentiam virum quendam nobilẽ (creditur fuisse Guilielmus de VVateringen) sua ipse manu etiam occidisset, vinctus ex eo est & adseruatus in custodia Hagæ Comitis totos annos XXX: obijt tandẽ anno M CCC LXXVII. Ita qui matri obsequens esse noluit, sibi ipse perniciosus fuit. Vxor ei fuit Mechtildis filia Henrici Comitis Lancastriæ. Ad hunc Guilielmum refero numum, quem se vidisse testatur Franciscus Irenicus cum hac inscriptione, VVILHELMVS BAVARIÆ, ZELANDIÆ, HANONIÆ, BRABANTIÆ ET HOLLANDIÆ DVX.

CONTINVATIO STEMMATIS COMITVM HOLLANDIÆ.

26 *Albertus I Bauarus.*	*Margareta Comitissa Hannonia, nupta Ioanni Duci Burgundiæ.*	29 *Philippus Bonus Burg.*	30 *Carolus Audax.*	31 *Mariavxor Maximiliani.*	32 *Philippus.*	33 *Carolus V.*	34 *Philippus Austriacus Rex Hispaniarum.*
					Margareta.		
		Maria nupta Duci Aurel.	*Dauid Episc. Traiect.*				
	27 *Guilielmus VI Bauarus.*	28 *Iacoba.*					
	Ioannes Episcopus Leod. relicto Episcopatu, vxorem duxit, fuitque tutor Iacobæ.						

26 Albertus I Guilielmi frater a Proceribus ad Reip. administrationem post obitum fratris vocatus, initio tranquille rexit; postea Delfenses ob effractos carceres eductosque captiuos quos Princeps comprehendi iusserat, tumultuantes, obsedit, & dirutis muris ad officium adegit. Præfuit annos XLVI. Sepultus est Hagæ Comitis monumento magnifico: Vxor eius prior fuit Margareta filia Ludouici Ducis Brigensis: posterior Margareta altera, filia Adolphi Comitis Cliuiæ, quæ monasterium Hagæ exstruxit Iacobitarum, in cuius sacello ipsa sita. Filiæ fuere, Margareta, nupta Ioanni Intrepido Duci Burgundiæ, Catharina Eduardo Duci Geldriæ, Anna VVenceslao Romanorum Regi; Ioanna Alberto Duci Austriæ.

27 Albertum patrem excepit filius Guilielmus VI, qui in Frisia sub patre militiæ tyrocinium posuit: eoque extincto Geldriam, quam tunc regebat Reinaldus Dux ingressus, omnia late populatus est. Postea tamen arctissimam cum Reinaldo amicitiam contraxit. Vxorem habuit Margaretam filiam Philippi Audacis Ducis Bungundiæ, ex qua vnam filiam suscepit Iacobam, quæ vt de Procerum Hollandiæ communi sententia sibi surrogaretur ante obitum suum impetrauit. Obijt autẽ anno M CCCC XVII. Frater eius Ioannes qui apud Leodienses nomen titulumque tenebat Episcopi, quũ sacerdos fieri recusaret, pulsus est Leodio, ac post multa discrimina bellorum adiutus a Burgundo, tandem vxorem duxit. Margareta vero vtriusque soror Comitissa Hannoniæ, nupta fuit, vti diximus, Ioanni Intrepido Burgundiæ Duci, qui a Carolo Delphino interemptus est, fuitque hæc mater Philippi Boni.

28 Iacoba Bauara patris Guilielmi hæres, virgo magni animi, multorum atque imprimis consanguinorum suorum, siue quod mulier esset, siue quod inconsultior, patuit insidijs. Statim post obitum patris Gorinchemium a Guilielmo Arkelensi occupatum misso illuc VValrauo Brederodio vi recepit. Inde ad coniugium appulso animo, quum nupsisset Ioanni Brabantiæ Duci, viro tenera corporis habitudine, ingenioque parum acri, cœpit quem dilexerat fastidire, frustra eam officij communefaciente Margareta matre, & duce Philippo. Ioannes vero Bauarus Iacobæ patruus & tutor, impetrato ab Imperatote Comitatu, in eo erat, vt neptem suam & pupillam inde pelleret. Defuncto autem Bauaro qui Philippum Burgundum præterita Iacoba hæredem instituerat, Proceres Hollandiæ Ioannem Iacobæ maritum Brabantiæ Ducem Comitem adsumpsere. Perstitit tamen in ipsius odio Iacoba, & in Angliam ad Henricum V Regem profecta, dum de diuortio consilium capit, despondetur Hunfrido Gloceſtriæ Duci regis ipsius fratri. Per id ægre tulere Iacobæ consangninei. Ipse etiam Hunfredi frater Betfordius. Pugnatum hac de caussa est in Hannonia; Tandem vero conuenit, vt Hannonienſis Comitatus esset in potestate Ducis Brabantiæ, Iacoba vero in manu Ducis Burgundiæ Philippi. At illa elapsa e custodia, virili animo arma in Philippum mouit. Sed non mansit diu mulier vna duũm virũm; Nam maritus Anglus ipsi abiudicatus est, Brabantus vero ex vita excessit anno M CCCC XXXVI. Hoc in statu, reconciliauit se Philippo (quem etiam hæredem suum instituit) nupsitque postremum Franconi Borsaliensi, quem Philippus discedens pro se Hollandiæ, Zelandiæ, & Frisiæ præsidem constituerat; ac tandem ex vita hac cessit, anno Christi M CCCC XXXVI: Sepulta Hagæ Comitis.

29 Philippus Bonus obitu patris factus Burgundiæ Dux, & Comes Flandriæ, obitu Philippi Brabanti auctus

Duca-

Ducatibus Brabantiæ & Limburgi, obitu vero Iacobæ amitæ ſuæ, Comitatibus Hollādiæ, Zelandiæ & Hannoniæ; quibus ditionibus acceſſit Namurcum ex emptione, Lutzenburgum ex tranſactione facta cum Eliſabetha eius Prouinciæ Duce; patris necem a Carolo Delphino commiſſam condonauit; auctuſque gloria & potentia ordinem inſtituit Brugis aurei velleris, quum vxorem duceret Iſabellam Luſitanam, anno M cccc xxx. Filium ſuum nothum Dauidem Traiectenſem fecit Antiſtitem; Mariam ſororem ſuam elocauit Duci Aurelianenſi. Præfuit Hollandiæ annos xxxiv. Extinctus eſt Brugis anno Chriſti Mcccc lxvii, ætatis ſuæ lxxi. Sepultus primum ad Donatiani, poſtea Diuioni Burgundiæ.

30 Carolus Bellicoſus tertia Philippi coniuge editus bonorumque patriorum hæres excelſi quidem animi, ſed conſilij parum ſecundi fuit, tenax opinionum ſuarum, & ex dignitate ſua opibuſque prudentiam ciuilem æſtimans. Bella ſemper paci prætulit. Potentiæ ſuæ fiſus amicitias aliorum deſpexit. Alias vini, & cibi ſobrius, in vita omni caſtus & temperans. Iuſtitiæ amantiſſimus. Suſcepto aduerſus Ludouicum Galliæ regem & Lotharingos, Heluetioſque bello non neceſſario, obijt confoſſus Naſij dum vrbem obſidet, proditus ab Italo Comite Campobaſſo, die v Ianuarij anno M cccc lxxvii, quum præfuiſſet Hollandiæ annos nouem: Vxor ei fuit Margareta Borbonia.

31 & 32 Maria Valeſia Caroli filia quū a præcipuis orbis Chriſtiani Principibus coniunx peteretur, Friderico Imperatore pro filio Maximiliano; Ludouico Galliarum rege pro Carolo filio ambientibus, data eſt poſt longas procerum qui Louanij ea cauſſa conuenerant, deliberationes, ex patris Caroli voluntate Maximiliano Auſtriaco, qui ſuſcepto ex ea filiolo Philippo, & filia Maria, vxorem ex equo lapſam mortuamque cū dolore amiſit, anno coniugij quinto, Chriſti M cccc lxxxii. Sed de pupilli tutela & educatione grauiter diſputatū eſt, Maximiliano eam ſibi adſcribenti vt patri, Ordinibus vero Flādriæ ſibi vindicātibus. Progreſſaq; eſt eouſq; contentio, vt etiam Maximilianū Brugenſes in cuſtodia aliquot menſes detinuerint, anno M cccc lxxxviii: ſed rebus poſtea compoſitis redijt Maximilianus in Germaniam, relicto pro ſe Belgicæ adminiſtratore Alberto Duce Saxoniæ Lantgratio Thuringiæ. Diſceſſit e viuis anno Domini M D xix.

33 Philippus II Auſtriacus ſimulatque adoleuit, cedente patre Maximiliano gubernacula Belgicarum Prouinciarum adijt, anno M cccc xliiii. ducta biennio poſt vxore Ioanna regina Hiſpaniarum, Liræ oppido Brabantiæ. Hic obitu ſocrus factus Hiſpaniarum Rex, an. M cccc v reliquit Belgicam & regna ſua petiuit, cōſtituto Gubernatore Guilielmo de Croy Domino Arſchotano. Ac biennio poſt menſe Septembri e viuis emigrauit Burgis, iuuenis adhuc. Eius coniunx quū cœlebs vixiſſet annos totos xlix, vitam cum morte commutauit Tordeſillis in Hiſpania, anno Chriſti M D lv, ætatis ſuæ lxx. Liberi fuere, Carolus, Ferdinandus, Leonora, Iſabella, Catharina & Maria.

34 Carolus Auſtriacus Philippi filius natus eſt Gandaui, an. M D, die 24 Febr. Sexennis patrem amiſit: puerum rexere Margareta amita vidua Ducis Sabaudiæ, Archiepiſcopus Veſontinus, Guilielmus Croyus Arſchotæ Dominus, & Hadrianus Florentius Vltraiectinus Academiæ Louanienſis Cancellarius, viuo adhuc auo Maximiliano. Eum anno M D xv Principatui inauguravit Belgica: Hiſpania altero poſt anno, Germania anno M D xix. Huius omnis vita exemplis plena eſt fortitudinis, gloriæ, magnanimitatis.

Anno

Anno MDXX Aquisgrani Cæsar coronatus est.

MDXXIV Turnacum cum arce & agro Gallis eripuit.

MDXXIII Christiernum Daniæ regē Isabellæ sororis maritū tribus regnis, Danico, Suecico, Norwegico pulsum, cum vxore & liberis recepit; ac illius quidē restitutionem nō vehementer vrsit, liberos vero iuuit impense.

Eodem fratribus Ierosolymitanis Rhodo pulsis donauit Melitam.

MDXXIV Francisco Galliarum rege potitus est in pugna ad Papiam, & a captiuo obtinuit renunciationē iuris Gallorum in Flandriam & Artesiam, Andegauensium in Neapolim, Aurelianensiū in Mediolanum & Genuam.

MDXXVII sexto die Maij capta est ab eius exercitu duce Carolo Borbonio Roma.

MDXXVIII Vltraiectina & Transisalana ditio translata est in Carolum.

MDXXX Bononiæ coronatus est Imperator Romanus a Clemente septimo, ipso natali suo.

MDXXXII Turcam Germaniæ imminentem fugauit. Regnū Cuscanum, Mexicanum, Puruuianum missis illuc Cortesio & Pisarro subiugauit, adegitque incolas omnes in Christi nomē. Extincto Francisco Sfortia Duce Mediolanēsi, Duçatum etiam illum suis bonis adiecit.

MDXXXVII & VIII, per Gallias iter faciens commisit se Francisci I fidei, a quo etiam honorifice exceptus est.

MDXLI Algieram Africæ oppugnauit, tempestate impeditus ne expugnaret.

MDXLIII Geldriam & Zutphaniā ditionibus suis adiecit.

MDXLVII Bellum Germanicum gessit, cepitque Saxoniæ Ducem & Lantgrauium Hassiæ.

Eodem a Paulo III Pontifice cognomen Maximi accepit.

MDLII Metas vrbem Mediomatricum frustra obsedit.

MDLIII Teruanam Morinorum vrbem antiquissimam cepit & solo æquauit.

MDLVI Deserta Belgica commendatoque Proceribus filio Philippo, Septembri mense soluit in Hispaniam, & abdicatis Imperij rerumque humanarum curis tandem anno MDLVIII vita functus est, XVI Kal. Octobr.

34 Philippus Caroli V filius Austriacus in Hispaniæ oppido Vaccæorum, quod a Valle Olitana vocant Vallidolit, natus est, anno MDXXXVI, matre Isabella filia regis Portugalliæ. Hollandiā primum adijt an. MDLI patris accersitu: postea iterum anno MDLV quum ex Anglia rediens inauguraretur Belgicarum Prouinciarum omnium Princeps: digressus inde anno MDLIX ditiones istas postea non vidit, sed per Præsides rexit, Magaritam Parmensem, Albanum Ducem Ferdinandum Toletanum, Requisenium, Ioannem Austriacū, Alexandrum Farnesium Ducem Parmensem, aliosque, quibus tamen Hollandi se opposuerunt, quæsti, non satisfieri auitis ipsorum priuilegijs, multa contra priscos mores & patriæ iura ab ipsis innouari; neque fas esse Hollandiæ Comiti per commissarios, homines non tantum rerum Batauicarum ignaros, sed etiā gentis hostes iuratissimos Prouinciam regere. Itaq; in fide Guilielmi Nassouij Principis Auriaci, quem ille ipsis proprium gubernatorem dederat, permanētes, ad Comitis sui melius informati iudicium appellauerunt. Donec ille Guilielmo Principe proscripto ac nefarie interempto, omnium a se ordinum animos alienauit. Ita ille eiusque posteri Comitatu exciderunt, publico Ordinum decreto de hac re facto anno MDLXXXI, die 26 Iulij Hagæ Comitis: Atque ex eo se Hollandia prolibera nullique Principi addicta Rep. gessit, neque tātum pro tali ab alijs Christiani orbis Regibus Principibus, Ordinibusq; agnita est, sed etiam ab ipso Philippi hærede filioq; Philippo, qui inducias cum Hollandis & Zelandis pacturus, liberos ipsos suique iuris agnouit Anno MDCIX.

CAP.

CAP. XXIV.

COMITES NASSOVII.

NASSAVIA quasi Nass-gauia dicta est, quæ vox humidam & vliginosam regionem significat, oppidum enim quod ditioni nomen dedit in colle est situm, cincto vndique humidis campis: Germanis vero aw & gaw ditionem sonat. Sic Bat-aw Batonis terram notat, Thur-gaw, regionem aridam, Rhenanam Rhyn-gaw, Laudatam Brisgaw, Honorandam Ar-gaw, Orientalem & Occidentalem, Oster-gaw & VVester-gaw, Fœno abundantem Heu-gaw. Habet autem Comitatus iste plures alios sibi adnexos, VVeilburgẽsem, Idesteinensem, VViesbadensem, Dietzensem, Cattimelibocensem, Beilstenensem. Comites porro Nassouij Dilleburgenses terminantur Austrum versus Comitatu VViesbadensi & Idensteinio: ad Ortum Isenburgico & Solmensi cum Hassia: Septentrionem versus VVestphalia & Comitatu VVitgensteinio: ad Occasum Dacatu Bergẽsi & Comitatibns VViddano & Seynensi. Ambactus siue præfecturas habet multas. Freudebergensem, Sigenensem, Nephensem, Ferndorfensem, Hilchenbacensem, Hægeranam, Ebersbacensem, Dillenburgensem, Dringenslainensem, Herbornensem, Dridorfensem, Libenschidanam, Beilsteinensem, Lonbergensem, Eurichenhaynensem, Burbacensem, Marenbergensem, Rotzenhainensem, Rennerodanam, Heenensem, Dernereeutanam, Hohnstettensem, Flachtensem, Dietzensem, Frickofianam, Zeutzheimensem, Elsofensem, Elleranam, Hadamarianam, Kirpurgensem, Cambergensem, Altenweilnensem, VVerheimensem, Esteneigensem, Altenbergensem, Oberwalmenacensem, Kirdorfensem, Nassouiensem, Dausenauiensem, & alias nonnullas. Censentur autem Comitatus isti inter liberrimos Imperij, vtpote cuius Domini nulli addicti nisi soli Imperatori, fruantur regalibus, præeminentijs, & prærogatiuis omnibus quibus præcipui alij in Imperio frui solent. Ius quoque habent cudendi monetam auream, argenteam, æream, quod & factitatum a Ioanne Comite Nassouico liquet ex numis aureis qui adhuc in hominum manibus versantur; In eorum parte vna legitur MONETA SEIGEN: in altera IOANNES COMES DE NASAV. Cattimelibocensis Comitatus fructum petcipit Hassiæ Lantgrauius, titulo ipsi etiam cum Nassouijs communi, ex quo anno MDLVII Philippus Hessorum Princeps cum Nassouiæ comite transegit, adnumeratis ipsi sexcentis aureorum millibus, cedensq; Comitatu Dietzensi: manentibus interea titulis communibus. Regio alibi in planitiem extenditur, alibi in colles adsurgit; alibi siluis horret, alibi vitibus læta, vt in Comitatu Dietzensi & ad ripam Lani; alibi pratis pascuisque amœna est, aut fertilis segete, olere, legumine. Habet vero & fodinas metallorum haud ignobiles. In territorio quippe Sigenensi ex lapide ferrea quædam massa eliquatur, ex qua postea fornaces, ollæ, tubi, incudes, globi conflantur. In oppido vero & circumiacentibus pagis omnis generis instrumẽta ferrea cuduntur. Freudenbergæ chalybs præparatur optimæ notæ, qui postea per vniuersam Germaniam distrahitur. Sunt & similes fodinæ officinæque in tractu Dillenburgico, Hægerano, Burbacensi; in quo & plumbum eruitur, & cuprum, sicut etiam in agro Ebersbacensi, qui & vitriariam officinam habet. Silua præcipua est VVesterwaldt, Hercyniæ pars; minores, & veluti prioris illius segmenta, Kaldt-Eych, Heyger-Struth, Schelder-waldt: Die Horre, Der Calmberg, in quibus ferarum ad venationem copia est ingens. Amnes præcipui sunt Lanus, Siga, & Dilla. qui singuli oppida alluunt non inamœna. Ad Si-


Descriptio Comit. Nassovi Cattimeliboci
Com: wit: genstein Pars
Solmen sis Comitat. Pars
Com. Nasso: Wil: bad: et idstein
Pars Septent.
Westph A liae
Wid: et Duc: Monta:
Seyn Com
Notulae Oppidū Pagus Arox Paroch. Cœnob. Sed: Nō. Schola
Meridies
Occidens
Miliaria German. com.
Wetzlar
Ehrnfels
Hermanstein
Solms
Braunfels
Leun
Weilburg
Lonburg
Dillenburg
Herborn
Ballersbach
Wallenfels
Dringenstein
Armontenbruck
Bicken
Offenbach
Selbach
Uckersdorf
Schonbach
Beilstein
Merkenbach
Heiger
Dridorf
Burbach
Libenscheid
Essoff
Ellar
Enrichenhain
Waldmanshausen
Langendernbach
Neutzhaum
Nid. Hasdamar
Nid. Albach
Ob. Albach
Datheim
Westerburg
Hachenburg
Ellartge
Heen
Schonstein
Vroilingen
Altenkirch
Dierdorf
Montabour
Sporkenberg
Erucht
Becheln
Nid. Bocheim
Dornholtzhausen
Embs
Hulingen
Dausenaw
Nassaw
Kirkheiner
Singhofen
Ob. Diefenbach
Nid. Diefenbach
Grunau
Mirnefels
Nid. Walmanach
Ob.
Mill fluvi.
Nassede
Catzenelnbogen
Kirdorf
Langestein
Laurenberg
Usselbach
Strintz
Holbach
Hirtzberg
Gursh ausen
Vahingen
Vlach
Dirsdorf
Honstein
Langen Schwalbach
Larheim
Nid. Neise
Ob. Neise
Dietz
Honstetten
Kieburg
Enfingen
Gnadenthal
Waldschmit
Camberg
Sweikershausen
Emmershausen
Rudelbach
New Weilna
Alte Weilna
Ob. Broche
Nid. Diefenbach
Besslich
Ob. Diefenbach
Heuchelheim
Ob. Zeutzheim
Nid. Zeutzheim
Dern
Berg
Weyer
Lon fluv.
Dill fluv.
Sieg fluv.
Seyn fluv.
Selbach
Roden bach
Salchindorf
Obernetphe
Ginsberg
Holunchusen
Crombach
Wilnsdorf
Zumroth
Sigen
Holtzglan
Olpe
Wenden
Freudenberg
Drolshain
Wildenburg
Crotorpe
Wisen
Ereusberg
Schelt
Marenberg
Wilnsdorf
Zumkorb
Zurneikirchen
Tropich
Allendorf
Fernthorf
Mandebach
Offenbach
Fronhausen
Ufdillin
Seschelden
Selbach
Ob. Broche
Nid. Diefenbach
Ob. Diefenbach
Dern
Diekirch
Ob. Neise
Nid. Neise
Dietz
Vahingen
Vlach
Dirsdorf
Honstein
Langen Schwalbach
Catzenelnbogen
Kirdorf
Nid. Diefenbach
Grunau
Ob. Diefenbach
Nassaw
Nassede
Mill fluvi.
Mirnefels
Nid. Walmanach
Ob.
Dornholtzhausen
Becheln
Nid. Bocheim
Embs
Hulingen
Dausenaw
Montabour
Sporkenberg
Erucht
Kirkheiner
Singhofen
Laurenberg
Usselbach
Strintz
Holbach
Hirtzberg
Gursh ausen
Vahingen
Vlach
Dirsdorf
Honstein
Langen Schwalbach
Larheim
Nid. Neise
Ob. Neise
Dietz
Honstetten
Kieburg
Enfingen
Gnadenthal
Waldschmit
Camberg
Sweikershausen
Emmershausen
Rudelbach
New Weilna
Alte Weilna
Ob. Broche
Nid. Diefenbach
Besslich
Ob. Diefenbach
Heuchelheim
Ob. Zeutzheim
Nid. Zeutzheim
Dern
Berg
Weyer
Lon fluv.
Dill fluv.
Sieg fluv.
Seyn fluv.
Selbach
Roden bach
Salchindorf
Obernetphe
Ginsberg
Holunchusen
Crombach
Wilnsdorf
Zumroth
Sigen
Holtzglan
Olpe
Wenden
Freudenberg
Drolshain
Wildenburg
Crotorpe
Wisen
Ereusberg
Schelt
Marenberg
Wilnsdorf
Zumkorb
Zurneikirchen
Tropich
Allendorf
Fernthorf
Mandebach
Offenbach
Fronhausen
Ufdillin
Seschelden
Selbach
Uckersdorf
Schonbach
Beilstein
Merkenbach
Heiger
Dridorf
Burbach
Libenscheid
Essoff
Ellar
Enrichenhain
Waldmanshausen
Langendernbach
Neutzhaum
Nid. Hasdamar
Nid. Albach
Ob. Albach
Datheim
Westerburg
Hachenburg
Ellartge
Heen
Schonstein
Vroilingen
Altenkirch
Dierdorf
Montabour
Sporkenberg
Erucht
Becheln
Nid. Bocheim
Dornholtzhausen
Embs
Hulingen
Dausenaw
Nassaw

gam est Sigena. Ad Dillam, Heigera, Dillenburgum, Herborna. Ad Lonam Dietza, Nassouium, Lohnstenium, vbi Lanus Rheno miscetur. Thermæ Emsanæ Comitibus Nassouijs Dillenburgicis communes sunt cum Lantgrauio Hassiæ: Eas ob occultam vim aquarum etiam longe dissiti adeunt, & experiuntur vtplurimum salutares. Aciduli fontes sunt Kodingæ & Cambergæ, quorum aquæ haustæ calculum pellere credunrur.

Nos in recensendis Comitibus Nassouicis quorum in historia fit mentio, sequemur ipsorum Genealogiam, distinctis pro ratione ditionum singulorum ordinibus: Hoc pacto,

A, habebit Nassouios vsque ad Ottonem Ducem Geldriæ.
B, habebit Duces Geldriæ Nassouios.
C, D, E, VVeisbadenses, Sarrapontanos, VVeilpurgenses.
F, G, H, Dillenburgicos, Beilsteinios, Auriacos.

STEMMA ANTIQVISSIMORVM COMITVM NASSOVIORVM.




12 Ioannes.
Agnes.
Rudolph., Gũtherus, Ioannes, obiere infantes.
Henricus, Eberhard., VValram. Ecclesiast.
13 VVarmundus.
14 VValramus.
Elisabeth & Regina.
Anna.
Magdalena.
Sibylla.
Adella.
15 Fridericus.
Bernardus.
Iacobus.
Ioannes.
Fridericus.
16 Euerhardus.
Ingara.
Rosina.
17 Euerhardus.
Iuliana nupta Ennoni Duci Bauariæ.
18 Philipp. cui vxor Catharina fil. Comitis Solmensis.
19 Fridericus.
Ioannes.
20 Arnoldus.
Anna.
Amelia.
Otto, Fridericus, Ioannes, Metta, Odilia, Dominica, Adelheida, Gertrudis. quorum nemo factus octennis.
Diedericus Episcopus Sabbiensis.
Ioan. Canonic. Colon.
Otto.
21 Fridericus marit. Diemutha vidua Henric. Com. Hennenbergici.
22 VVarmund cui vxor Sidonia filia Henr. Com Schvvartzenburgici.
Agnes.
Leukerda.
27 Diedericus, cui vxor Margareta filia Comitis Arensbergici, Liberi
23 Ioannes.
Amburgũ.
24 VVe nerus.
25 Philippus.
Leutburgis.
Ioãnes, VVarmũdus, Fridericus, Dideric, obiere iuuenes.
Otto & Henricus Ecclesiast.
Margareta. Magdalena, vxor Ioan. Comit. Montpelg.
28 Euerhardus.
Maria.
Henricus.
29 Ioannes, cui coniunx 1 Holla Schauenburgica, 2 Adelheidis, 3 Sibylla filia Ludouici Palatini Saxoniæ.
Adelheidis, Clara, Barbara, Anna, Margareta.
Adolphus Sigism. Philippus Vlricus, fratres, obiere pueri.
Rudolphus & Dideric. inserti ordinibus Ecclesiasticis.
30 Georgius, cui vxor Ioanna f. Philippi Comitis Bauneri.
32 Otto.
Magdalena, Anna, Margareta, Blaserdis, Regina, Veronica, Agnes, Metta.
Ioan. Cononic. Argentin Philipp. Burg. Kilburgensis.
26 Otto.
Gera.
Anna, nupta Lantgr. Hassiæ & Thuringiæ.
Philippus præpositus Baure.
31 Adolphus cui vxor Isabella, fil. Henrici Comitis S. Pauli.
Ioanna, nupta Com. Sabaud.
Henric. Canonic. Mogunt.
33 VValram. sub Ottone Imper. vixit, ob. an. 1020.
Noriberga.
Lucia.
Barbara.
Isabella & Ioanna extincta in infantia.
Otto in hastiludio cõfossus.
34 VValramus
B
Otto Geld
Adelheidis.
Irmtrudis.

CONTI



Extra seriem istam leguntur fuisse.

Geroldus Comes Nassouicus, cui vxor Irmengardis. Hæc fertur sua pietate maritum a Paganismo ad Christi cultum conuertisse, Anno M C.

Ioannes Nassouius XXXIX *Episcopus Vltraiectinus.*

C *
1
VValramus. obiit an. 1289.

Dietherus Episcop. Treuirensis, obiit an. 1297.

VValramus cui vxor Anna.

2
Adolphus Imperator, Liberi ei ex Imagina filia Gerlachi Com. Limburgensis.

Philippus.

Richardis monialis.

Machtildis, nupta Rudolpho Habspurgensi.

Imagina, nupta Friderico Comiti Lichtembergico.

Philippus Generalis Misniæ.

Henricus obiit iunior.

Rupertus, cui vxor Iutta filia VVinceslai regis Boh.

3
Gerlacus, cui vxor Agnes filia Conradi Lantgrau. Hassiæ. obiit an. 1361.

VValramus cui vxor Machthildis filia Rudolphi Palatini.

Adolphus.

Adelheida monialis.

Machtildis nupta Rudolpho Comiti Palat.

Imagina, obiit infans.

Gerlacus primũ Decanus, postea Archiepisc. Moguntinus. obiit anno 1388.

Ioan. Archiep. Mogunt. interfuit Comitio Constant. ob. an. 1419.

4
Adolphus, cui ex Anna fil. Vicecomitis Norimbergici. obiit anno 1370.

1
Ioan Com. Nassou. cui vxor Ioãna f. Com. Sarpruck, obiit an. 1371.

SARRAPONT.

D

Adolphus Archiepisc. Mogunt. Elector.

5
Gerlacus, cui vxor Berta VVestburgica, ob. an. 1397.

Ioanna nupta Henrico Com. VValdeck, obiit an. 1467.

Elisabeth.

2
Philippus, cui vxores 1 Catharina Lotharinga. 2 Comissa ab Hohenlo.

6
Adolphus, cui vxor * ... fil. Marchionis Badensis. ob. an. 1475.

Margareta nupta Gerardo Com. in Rodenacker.

3
Ioan. comes Sarbruck, cui Liberi

Ioanna nupta Comiti Hennenbergico.

1
Philippus cui vxor Comitissa de Liningen

VVEILPVRG.

E

Adolphus Archiepisc. Mogunt. & Elector.

7
Ioannes, cui vxor Maria Nassouia & Dillenburg. ob. a 1480.

Anna nupta Euerhardo Com. ab Eppẽsteyn.

Agnes nupta Baroni Buchenbachio.

Elisabeth nupta Guil. Ducilliliae

Ioanna nupta Ioanni Com. Palat

4
Ioan. Ludo. postumus, cui Liberi

2
Ioannes.

Philippus obiit improlis

8
Adolphus, obiit anno 1504, vxor fuit Margareta Comitissa in Hanau.

Anna, nupta Ottoni Comiti Solmensi.

Maria nupta Com. Isenburg.

5
Philippus, cui vxor Apollonia

6
Adolphus, cui vxor Anna Comitissa Mansfeldens.

Odilia.

Ioannes Canonicus Argent.

Catharina nupta Comiti a Leuichen.

3
Ludouicus.

9
Philippus cui vxor Adriana f. Ioannis Baronis Bergensis ob. a. 1520

Margareta nupta Ludouico Comiti Nass.

Philippus.

Adolphus, cui vxor Francisca fil. Ducis Lutzenb.

10
Balthasar. cui vxor Comitissa Isenburg. ob an. 1568.

Catharina, nupta Comiti Rupelsenac.

Margareta Abbatissa in VValfort.

Anna monialis in VValfort.

Magdalena nupta Ioachimo Comiti Mandersscheyd.

11
Ioan. Lud. natus 1587 cui vxor. Maria filia Ioan. Com. Nass.

5
Albertus, cui vxor Anna f. Guiliel. Nass

Ludouicus.

Æmilia nupta Ottoni Com. Solmensi.

4
Philippus

Philippus, cui vxor Comitis. in Manders.

Anna Æmilia nupta Philippo Com. Rhenatu

COMI-


1
F *
Otto filius Henrici Diuitis cui vxor Agnes Comitissa de Solms.
2
Henricus
Ioannes.
Emichus obijt infans.
3
Otto.
Henricus
Otto.
4
Ioannes.
5
Adolphus
Iuttanupta Goshofredo Baroni in Diest.
Ioannes.
6
Engelbertus.
Margareta.
7
Ioannes cui ex Maria Comitissa de Loon geniti.
Henricus cui vxor *... Comissa Sleidana.
Elisabetha.
Maria.
Margareta.
Engelbertus.
9
Ioannes cui vxor Elisabeth fil. Lantgrauij Hassiæ, ob. an. 1516.
Odilia nupta Com. de Catzenelbogen.
10
Henricus
12
Guilielmus.
Elisabeth
Maria.
Reinaldus Chalon Princ. Auriacus.
Elisabeth, obijt admodum iuuenis.
Magdalena nupta Comiti Meurs.
Guilielmus Princeps Auriacus.
* H
13
Ioannes, cui vxor 1 Isabella Luchtenburgica.
2 Kunigarda Palatina.
3 Ioanna VVitgēsteinia.
Hermannus obijt puer.
13
Ludouic. qui obijt ad Mokam
Maria nupta Comiti de Bergh.
14
Adolphus qui in Frisia occubit.
Anna nupta Comiti de Nassau.
Isabella nupta Comiti de Solms.
Catharina nupta Gūtero Suartsenb.
Iuliana nupta Comiti Svvartzenb.
Magdalena nupta Com. ab Hohenloo.
15
Henricus occubuit in ericeto Mokersi.
14
Guilielmus Lud Gub. Fris cui vxor Anna Auriaca.
15
Ioannes cui vxor Comitissa VValdec.
Philippus obijt an 1593. Rynberca.
14
Ernestus Casimirus cui vxor * ... filia Ducis Brunsf.
14
Ludouic Gunterus cui vxor Comitissa de Broeck, obijt ad Slusam anno 1604.
Isabella nupta Com. Sarbruck.
Georgius cui vxor Anna Comitissa Sarpruck.
Iuliana nupta Adolpho Comiti Rhenano
Maria nupta Ioanni Com. Nass. Mechtildis.
Æmilia.
15
Ioan Ludouicus.
16
Ioan. Ernestus
Ioannes.
Elisabeth nupta Christiano Com Valdec.
16
Adolphus qui periit ad Berkam. an. 1605.
Iuliana nupta Mauritio Lantg. Hassiæ.
Guilielmus.
Anna Maria, nupta Adolpho Comiti in Valkenstein.
Anna.
Magdalena.
Philippus, Georgius, Ludouicus Henricus, & Albertus.
G
Beylsteynii Com.
1
Henricus
2
Henricus
3
Henricus.
4
Ioannes.
5
Henricus.
Bernardus.
6
Ioannes.
7
Ioannes.

COMI-

COMITES NASSOVII AVRIACI.

H

1 Guilielmus Naßouius Princeps Auriacus, cui ex

2

1 Anna Comitißa in Buren & Lerdam.
- Philippus, cui vxor *.... filia Principis Condei.
- Maria nupta Comiti de Hohenlo.

2 Anna filia Mauritij Electoris Saxon.
- MAVRITIVS.
- Anna nupta Guil. Lud. Com. Naſſou. Gub. Friſia.
- Æmilia nupta Emanueli Luſitano.

3 Charlotta Borbonia filia Ducis Montpenſierij.
- Loyſa Iuliana.
- Iſabella.
- Catharina.
- Flandrina.
- Charlotta Brabant.
- Æmilia.

4 Loyſa Collignia filia Caſparis Collignij.
- Henricus Fridericus.

P. BERTII

COMMENTARIORVM RERVM

GERMANICARVM

LIBER TERTIVS

qui est

DE VRBIBVS GERMANIAE.

Cum earum iconiſmis & deſcriptionibus.

P. BERTII

COMMENTARIORVM RERVM

GERMANICARVM

LIBER TERTIVS

qui est

DE VRBIBVS GERMANIAE.

CAPVT I.

Vrbium GERMANIÆ *origines.*

NVLLAS Germanorum populis vrbes olim fuisse, pro re suo æuo satis nota habuit Cornelius Tacitus, qui etiam libello de moribus Germanorum idipsum inseruit, addens hoc amplius, Ne passos quidem ipsos coniunctas sedes: Coluisse vero discretos ac diuersos, vt fons, vt campus, vt nemus placuisset. Vicos etiam locasse non Romanorum ritu connexis & cohærentibus ædificijs, sed insularum in morẽ suam quemque domum spatio circumdedisse, siue aduersus casus ignis remedium, siue inscitia ædificandi. Ne cæmentorum quidem apud illos aut tegularũ vsum fuisse. Materia vsos informi, & citra speciem aut delectationem. Quædam tamen loca diligentius apud ipsos alicubi culta, illitâ terrâ ita purâ ac splendente, vt picturam & lineamenta colorum imitaretur. Solitos quoque frigidioribus locis subterraneos specus aperire, eosque multo insuper fimo onerare, suffugium hiemi & receptaculum frugibus, dum rigorem frigorum eiusmodi locis mollirent, & quia siquando hostis aduenit, aperta populatur, abdita autem & defossa aut ignorantur, aut eoipso fallunt, quod quærenda

 sunt.

sunt. Tales ego fuisse Sueuorum ciuitates centum crediderim, quas refert C. Cæsar. Et sunt qui existiment eneruatos fractosque masculos Germanorum animos ex quo cæperunt vallorum & fossarum munimentis potius quam virtute sua niti, Atque hoc voluit Georgius Sabinus versibus illis quibus decus Germanorum plus quam par erat depressit.

Quando ruinosis stabant circumdata muris
Oppida, nec præceps fossa nec agger erat,
Inclyta tunc belli Germania laude vigebat,
Hoste tibi nullos incutiente metus.
At fossis postquam nunc es munita profundis,
Aggeribusque vrbes vallat arena tuas.
Nunc virtute cares, nunc supplex porrigis vltro,
Omnibus imbelles hostibus ipse manus.
Grandia quod trepidos formidine cornua ceruos
Hoc tua te fossis mœnia iuncta iuuant.

Sed primis istiusmodi oppidorum conditoribus prout vel fons placuit, vel torrens, vel collis, vel campus, vel vallis, ita lectus est habitationi locus, & indita vico vel oppido appellatio, cum adiectione brun, heym, bach, burg, berg, thal, steyn, furt, feld.

Itaque a BRVN & BORN nomen habent Hailbrun, Padelborn, Maulbron, Thieffenbrun, Frawenbrun, Steinbrun, Praidenbrun.

Ab AA, EE, II, ACH quæ voces aquam significant, Breed-a, VVydd-a, Bryf-ach, Thur-ach, Dobl-ach, Cron-ach, Surf-ach, Creutzen-ach.

Ab AW & GAV, Hagen-aw, Thon-aw, Dachn-aw, Land-aw, Rheyn-aw, Schoon-aw, Oppen-aw, Nassaw, Rosen-aw, Brisgaw, Sunt-gaw, Ergaw, Hewgaw, Nort-gaw, Oster-gaw, VVester-gaw.

A BACH, Eber-bach, Murbach, Lan-bach, Auf-pach, Mos-pach, Putz-bach, Culm-bach, Aberf-pach, Mistel-bach.

A traiectu, qui Germanis est FVRT, Franck-furt, Schweyn-furt, Ochsen-furt, Hasen furt, Stein-furt, Stat-furt, Klagen-furt, Diet-furt, Erfurt, & apud Ptolemæum Tuliphurdum, Lupfurdum.

Sed traiectum Belgæ vocant TRECHT, inde ad Rhenum, VVt-recht, ad Mosam Maef-tricht, ad Dortam, Dort-drecht, ad paludem Moer-drecht, & a rebus quæ transmittuntur, Schwyn-drechtum, Papendrechtum.

A campis FELD, Koninx-feld, Hersch-feld, Lingenfeld, Lindin-felss, Off feld.

Ab ædificijs quæ Germanis dicuntur HAIM, Pfortzhaym, Bern-haym, Saxen-haym, Oppen-haym, VVeynhaym, VVinden-haym, Hildes-haym, Rosen-haym, Mul-heym, Heyden-haym.

Huc refer ea quæ desinunt in GHEN, in quibus auditur fractum HAIM, vt Tubing-hen, Essling-hen, Ettlinghen, Reutlingen, Vberlingen, Stulingen, Villingen, Ehingen, Memmingen, Laubingen, Nortlingen, Geppingé, Seckingen; qualia in Sueuia multa sunt. Eiusmodi est quoque Ptolemæi Ascalingium.

A monte BERGH, habent appellationem VVirtenberg, VVittenberg, Heidelberg, Hardenberg, Hersthberg, Freiberg, Fridberg, Fronsberg, Furstenberg, Kuninghperg, Kupferberg.

A valle THAL, ista, Reichthal, Franchenthal, Mergenthal, Gnadenthal, Marienthal.

A BVRCH vel PVRGH ista, Mersburg, Martpurg, Magdeburg, Regensburg, Offenburg, Hamburg, Cloppenburg, Augspurg, VVurtzpurg, & Ptolemaica, Laciburgium, Asciburgium, & Antonini Teutiburgium.

A STEYN

A STEYN Falken-ſteyn, Herten-ſteyn, Heſſen-ſteyn, Lowen-ſteyn, Regen-ſteyn, Carel-ſteyn.

Ab ECK augulo, Stal-eck, VVald-eck, Rheyn-eck, Geroltz-eck.

Sunt etiam quædam oppida quæ a DORF appellationem traxere; nimirum quia ex domibus vicus, ex vicis pagi, ex his ciuitates paullatim factæ ſunt. Talia ſunt, Alt-dorff, VVaren-dorff, Otteren-dorff, Inderſ-dorff, Duſſel-dorff, Buben-dorff, Marck-dorff.

Quædam eriam deſinunt in STADT, vt Gelden-ſtadt, Hern-ſtadt, Ingolſtadt, Duder-ſtadt, Halber-ſtadt.

Quædam in KIRCH, VVald-kirch, New-kirch, Barten-kirch, Ober-kirch, Lowen-kirch.

Quædam in PRVCK, ob pontis commoditatem, Inſpruck, Sar-pruck, Aren-pruck.

Quædam veterem adhuc & a Romanis vſurpatam appellationem ſeruauerunt, flexa nonnihil ad vernaculum vſum voce, Talia ſunt,

Auguſta Rauracorum, *Augſt.*

Auguſta Vindelicorum, *Augſ-purg.*

Alta ripa, *Altrip.* vide pag. 137.

Ambra, *Embring.* p. 125.

Ad fines, *Pfin.* p. 125.

Arbor felix, *Arbon.* p. 125.

Acumincum, *Cametz.* p. 126 & 137.

Antunnacum, *Andernach.* p. 130 & 135.

Aſciburgium, *Asburg.* p. 144.

Albiniana, *Alphen.* p. 135 & 142.

Arlape, *Erla.* p. 125.

Arenacium, *Arnhem.* p. 135.

Bonna *Bon* a felici vt opinor omine: ſicut ex Μαλόεις ſeu Maloento, factũ eſt boni ominis cauſſa Beneuentũ.

Blariacum, *Blerick.* p. 144.

Mons Briſiacus, *Briſach.* p. 126.

Bononia, *Bonmunſter.* p. 126 & 137.

Beda vicus, *Bedburg.* p. 135 & 144.

Bingium, *Bingen.* p. 130.

Buruncum, *Burch.* p. 130.

Buricianæ, *Burchaym.* p. 148.

Bromagum *Bro.* Eſt autem MAGVS terminatio vetus Germanica oppidorum, vt in Breucomago, Borbetomago, Druſomago, Durnomago, Marcomago, Neomago, Rigomago.

Confluentes, *Coblentz.*

Cambete, *Camps.* p. 146.

Campodunum, *Kempten.*

Caſtellum, *Caſſel, & Keſſel:* illud Morinorum, hoc Menapiorum.

Cætius mons, *Kelmuntz.* p. 129.

Concordia, *Kochersberch.* p. 129.

Colonia Traiana, *Kelle.* p. 139 & 144.

Durnomagum, *Durnmegen.* p. 130.

Fletio, *Vleuten.* p. 142.

Graium, *Gretz.* p. 137.

Gelduba, *Gelb.*

Helellum, *Ell.* p. 145.

Iuliacum, *Gulick.*

Lauriacum, *Lorch* in Auſtria. p. 125.

Lugdunum, *Leyden.* p. 142. DVN enim collem ſignificat: auditurque ea terminatio in multis. Andomatunum, Auguſtodunum, Cæſarodunum, Carrodunum, Ebrodunum, Magdunum, Minnodunum, Nouidunum, Rigodunum, Segodunum, Tarrodunum.

Moguntiacum, *Mentz.*

Noueſium, *Nuyſ.*

Nouiomagum, *Nieumegen.*

Petouio, *Bettauw.*
Pons Saraui, *Sar-pruck.*
Parthanum, *Parthen-Kirch.* pag. 130.
Quintiana, *Cuntzingen,* iuxta *Filiſchofen.* p. 128.
Segodunum, *Siegen.*
Saletio, *Zeltz.* p. 134 & 145.
Soppianæ, *Soppan.* p. 124.
Siſcia, *Siſſeg.* p. 131.
Tolbiacum, *Zulg.* p. 135.
Tabli, *Alblas.* p. 142.
Theodurum, *Tuderen bey Sithart.* p. 136.
Auguſta Treuirorum, *Triers.*
Vindoniſſa, *Windiſch.* p. 146.
Vitodurum, *Winterdur.* p. 129. Eſt autem DVRVM terminatio Celtica multarum vrbium, Batauoduri, Marcoduri, Boioduri, Diuoduri, Gamanoduri, Octoduri, Theoduri.
Vallatum, *Pfal.* p. 129.

Quædam deſertis priſcis appellationibus mutarunt omnino nomina: Factum id poſt pulſos Romanos, mutatis priorum colonorum ſedibus. Talia hæc ſunt,

Aræ Flauiæ, *Norlingen.* p. 146.
Auenticum Heluetiorum, *Wuſtiſpurg,* Galliçè tamen ſeruat nomen *Auanches.*
Ala noua, *Eberſdorff.* p. 128.
Arialbinum, *Pantzenheym.* p. 146.
Artalbinum, *Mulhauſen.* p. 126.
Amſana vicus, *Balleſcheyd.* p. 144 & 135.
Altinum, *Boſock.* p. 127.
Aureus mons, *Merkzeck.* p. 127.
Antianæ, *Baranauver.* p. 24.
Argentoratum, *Strasburg.*
Annamatia, *Almuz.* p. 127.
Acincum, *Repel.* p. 127.
Æquinoctium, *Wiſmund.* p. 128.
Argentuaria, *Horburg.* p. 134 & 145.
Aduaca Tungrorum, *Maeſtricht.* p. 144.
Aſcalingium, *Hildesheym.*
Aliſium, *Harnſteyn.*
Auguſtanæ, *Azelburg.* p. 128.
Abuſina, *Fuſſen.* p. 140 & 153, vel *Abenſperg.* p. 129.
Abodiacum, *Happing.* p. 148.
Aſanca, *Cleppern.*
Artobriga, *Veltenburg:* Nam & BRIGA vetus eſt terminatio Celtica, vt in Auguſtobriga, Bodobriga, Cæſarobriga, Conimbriga, Flauiobriga, Iuliobriga, Lacobriga, Nemetobriga, Segobriga, aliſque apparet.
Aredate, *Beuerſpach.*
Bolentium, *Bachelſpurg.*
Bidaium, *Dietmanung.* p. 125.
Bregetium, *Bontuda.* p. 127.
Bauconica, *Oppenheym.* p. 135 & 145.
Burginacium, *Kranenburch.* pag. 130 & 135 & 144.
Buritium, *Sundt.*
Budoris, *Heidelberg.*
Belgium, *Baldenaer.* p. 145.
Breucomagus, *Bruomat.*
Batauodurum, *Wyck te duerſte.*
Baudobrica, *Bopperden.* p. 130 & 145.
Boiodurum *Paſſavv* vel *Boyter.* p. 128.
Clarenna, *Rain.* p. 148.
Carnuntum, *S. Peteruel* vel *Paſſavv.* p. 128.
Ceuelum, *Graue.* 144.
Cibalis, *Palma.* 124.
Calo, *Cleue.* p. 153. *Kellern.* p. 130.
Caſurgis, *Prag.*
Cuſi, *Cudelaſs.* p. 126.

Cucci,

Cucci, *Coroßka.* p. 126.
Cornacum, *Zata.* p. 126 & 137.
Campona, *Cepel.* p. 127.
Campodunum, *Freyſingen.* p. 148.
Crumerum, *Comorn.* p. 127.
Cetium, *Seyſſel*, vel *Sotwig.* p. 128.
Comagenis, *Holſpurg.* p. 124 & 128.
Coriouallum, *Falckenburg.* p. 136. *Aken.* p. 144.
Curta, *Gran.*
Caruco, *Reinecom.* p. 135. *Kellern.* p. 142.
Carnus, *Melb.*
Caſpingium, *Gießen.* p. 142.
Dumnus. *Thaun.*
Diuodurum, *Metz.* p. 126. *Tionuille.* p. 135.
Decem pagi, *Duoze* in Lotharingia. p. 126.
Elcebus, *Schleſtadt.* p. 129.
Flexum, vide Phlexum.
Forum Adriani, *Foorburch.* p. 142.
Fereſne, *Maeſeyck.* p. 144.
Fleuium, *Delft.* p. 142.
Germanicum, *Foburg.* p. 148.
Gerulata, *Homburg.* p. 128.
Guntia, *Guntſpurg.* p. 129.
Gamannodurum, *Saltsburg.*
Grinatio, *Gnaringen.* p. 148.
Inicerum, *Ceruice.* p. 131.
Iuliobona. *Linx.*
Icorigium, *Ruyt.* p. 144.
Iuliomagus, *Pfullendorff.* p. 146.
Iuuauia, *Saltzburg.* p. 125.
Iſiniſca, *Iſmaning.* p. 125.
Limuſia, *Muſuburg.* p. 124.
Lacus felix *Nidern Vaulſee.* p. 125. *Wiſegrod.* p. 127.
Luſſunium, *Bax.* p. 127.
Latonicum, *Brodanich.*
Legio Traiana, *Coblentz.*
Locoritum, *Pfortzeym.*
Lirimiris, *Muben.*
Leuefanum, *Leeuvven.* p. 142
Marcodurum, *Duren.* p. 31.
Mannariacum, *Maurick.* p. 135.
Murſa Colonia, *Muronitza.* p. 124.
Mogecianum, *Zika.* p. 124.
Murenum, *Martz.* p. 124.
Menneianæ, *Manſprug.*
Mediolanum, *Meylandt,*
Mureola, *Moreck.*
Mederiacum, *Mierle.* p. 136.
Minnodunum, *Milden.*
Munitium, *Gettingen.*
Mœnium, *Magdenburch.*
Nemetes, *Speyer.*
Nouiodunum, *Neumarck.*
Nemauia, *Wangen.* p. 125. *Memmingen.* p. 148.
Neomagus, *Oppenheym, Speyer.* p. 129.
Ouilabis, *Lambach.* p. 125.
Octodurum, *Martinach.* 133.
Phabiranum, *Bremen.*
Prætorium Agrippinæ, *Roomburch.* p. 142.
Pheugarum, *Halberſtadt.*
Pons Æni, *Waſſerburg.* p. 125.
Petineſca, *Biel.* p. 133.
Phlexum, *Wien.*
Prætorium Latouicorum, *Brodomich.* p. 131.
Picentium, *Bekaric.* p. 131.
Quadratum, *Radmanſdorff.* p. 125.
Roſtrum Nemauiæ, *Memmingen.* p. 125.
Ritti, *Salmkaenen.* p. 126.

Rapæ, *Sept.* p. 124.
Reginum, *Rocking.* p. 124.
Silicenæ, *Sept.* 124.
Scarabantia, *S. Pulten. Scapring.* p. 124.
Sabaria, *Stain an der Anger.* p. 124.
Stanacum, *Varenkirchen.* p. 128.
Sirmium, *Leibach.* p. 131. Sirmisch. 132.
Summontorium, *Hohenwart.* p. 129.
Stabula, *Mulhausen.* p. 134.
Sablones, *Sambeck.* p. 136.
Sublauio, *Brixem.* p. 153.
Tarnadæ, *S. Mauritz.*
Tuderium, *Hailbrun.*
Teutoburgium, *Sena,* vbi Dauus influit in Danubium. *Erdenbud.* p. 137.
Tiberiacum, *Berchem.* p. 136.
Taurunum, *Griex-Weynssenburg,* Belgradum. p. 126.
Valcum, *Veltz.* p. 124.
Vlmi, *Iltz* in Pannonia infer. p. 124 & 132.
Veronianæ, *Winten.* p. 148.
Vosauia, *Oberwesel.* p. 145.
Vemania, *Wangen.* p. 147: vide Nemauia.
Vetera, & Vetera castra, *Santen.* p. 144 & 130.
Vindobona, Vendum, Vendobona. *Wien.* p. 124.
Vindonissa legio, *Windisch.* p. 125.
Vicus Iulius, *Germerscheym.* p. 137.
Vetussalina, *Adom.* p. 127.
Vruncis, *Ensishaym.* p. 129.
Veldidena, *Wilten.* p. 130.
Varianæ, *Waradinum* p. 131.

Vrbium muniendarum principium factum est a Romanis; His exactis quum Hunnorum, Vandalorumq; excursionibus paterent omnia, cœperunt arces, castellaque exstrui, munirique vrbes. Multæ conditæ sunt sub Carolo Magno. Multæ sunt Henrico primo. In Saxonia Otto primus cæsis Vngaris crebras exstruxit vrbes, easque vallo & fossa firmauit. Fuit id quoque Marchionum aduersus hostes studium. Brandeburgenses limitem suum aduersus Pomeranos, Vandalosque defensuri, vrbes suas muniuerunt, & quascumq; ceperunt, eas ad formam suarum vrbium condiderunt. Placuit exemplum vicinis; itaque & ipsi idem sequuti sunt: Teutonici equites Borussiam & Liuoniam oppidis exstructis, arcibusque ornauerunt. Ita tota Germania paullatim armata est, ad sui & totius Christiani orbis defensionem.

Cap. II.

Scholæ & Academiæ Germaniae.

Litterarum secreta, inquit Tacitus, *viri pariter ac fœminæ in Germania ignorant.* Maluerunt scilicet simplicem & innocuam virtutem colere parum solliciti de famâ apud posteros, quam scribendo otium conterere. Carminibus maiorum gesta complectebantur, ipsque se aliosque ad fortitudinem animabant. Itaque de Arminio, *Canitur,* inquit, *adhuc apud barbaras gentes, Græcorum Annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur.* Sed statim cum armis suis litteras quoque in vicina Germaniæ loca intulere Romani: Studium enim ipsis fuit ad remotas gentes iura sua & linguam transferre, vt quam late pateret ipsorum imperium, tam late quoque ipsorum sermo audiretur. Itaque obsides ex prima nobilitate capiebant, eosque docebant Latine & loqui & scribere. Suetonius Caligulæ ad Rhenum in castris agentis ineptias describens, inter alia hæc refert, *Mox deficiente belli materia, paucos de custodia Germanos* (adhibebantur enim

enim Germani ad custodiam corporis Imperatoris) *trajici, occulique trans Rhenum iussit, ac sibi post prandium quam tumultuosissime adesse hostem nuntiari. Quo facto, proripuit se cum amicis, & parte equitum Prætorianorum in proximã siluam; truncatisque arboribus, & in modum tropæorum adornatis, ad lumina reuersus, eorum quidem qui secuti non essent, timiditatem & ignauiam corripuit; comites autem & participes victoriæ, nouo genere ac nomine coronarum donauit. Rursum, Obsides quosdam abductos* E LITERARIO LVDO, *clamque præmissos, deserto repente conuiuio cum equitatu insecutus, veluti profugos ac reprehensos in catenis reduxit.* Aperte testatur, obsides e ludo litterario abductos esse. Erat igitur sub Caligula ad Rheni ripam Schola in qua Germani litteras Latinas docebantur. Durauit hic Romanorum conatus quamdiu ipsis spes fuit Germaniam vincendi. Quocirca mirum non est, si Arminius alijque Germani Latine locuti sint: militârant enim sub Romanis. Christianorum postea maius studium fuit; Et videtur ipse etiam Deus infudisse Germanorum animis ardorem non litterarum tantum, sed etiam Sapientiæ cœlestis. Itaque Hieronymus, *Quis hoc crederet? vt Barbara Getarum lingua Hebraicam quæreret veritatem, & dormitantibus, imo contendentibus Græcis, ipsa Germania spiritus Sancti eloquia scrutaretur? Dudum calloſa tenendo capulum manus, & digiti tractandis sagittis aptiores, ad stilum calamumque molleſcunt, & bellicosa pectora reuertuntur in mansuetudinem Christianam.* TREVIROS constat ipsis statim Apostolicis temporibus Episcopos habuisse; quibus quum Scholarum mandata fuerit cura atque inspectio, negari non potest, quin & Scholæ illic fuerint. Athanasium illuc concessisse certum est. Hieronymum quoque constat ibi Hilarij librũ sua manu descripsisse, ipse enim id testatur de se. Primam itaque iure optimo, suoque merito ponamus TREVIRENSEM Scholam. Hieronymi locus extat in epistola ad Florentium, qua ille dum plures alios ab ipso libros petit, ita scribit. *Interpretationem quoque Psalmorum Dauidicorum, & prolixum valde librum de Synodis sancti Hilarij, quem ei apud Treuiros mea ipse manu descripseram, vt mihi transferas peto. Nosti hoc esse animæ pabulum, si in lege Domini meditetur die ac nocte.* Merito mihi vrbs ista gloriari posse videtur, quod tam eximium virum hospitem habuerit, atque id quidem non exiguo temporis spatio.

MOGVNTINA Treuirensi proxima est: cuius ego vetustatem parem fere cum Treuirensi puto: Fuit enim hic sedes Ducis Moguntiacensis, qui inspiciebat in vicina loca, præsidebatque cum autoritate. Sub Francis Episcopi Christiani & hic & in vicinia cum doctrina salutari litteras quoque & humaniorem viuendi modum ad Gentiles propagarũt. Hinc Synodi illic frequentes. Cœpit vero Schola inclarescere sub Diethero Isenburgico eius loci Archiepiscopo, qui etiam stipẽdijs eam exornauit. Adserunt ei vrbi quidã repertæ typographicæ artis laudem; sed nos alibi ostendimus, vnde eius famæ initium ortum sit; ac reuera eam Harlemensibus Batauis deberi.

COLONIENSIS quoque Schola inter antiquissimas Germaniæ fuit: & ad eam putarim referendum Suetonij locum paullo ante a nobis citatum: nisi forte de Cliuorum oppido litem moueat Pighius, & qui eum sequuntur. Nec potuit carere litterarum cultura locus primum castris Romanorum, postea Ecclesiæ Christianorum primariæ dicatus. Post Caroli Magni tempora magis etiã Episcoporũ opera emicuit Schola; Donec tandem anno MCCCLXXXVIII publice inaugurata est ornataque priuilegijs Lutetianæ similibus

ab Vrbano VI. Sequenti mox anno in domo capitulari Ecclesiæ metropolitanæ præsente clero & Senatu primam in S. Theologia lectionem publice habuit Gerardus Calcariensis, explicuitque verba Iesaiæ cap. LX. Surge, illuminare Ierusalem. Primus Vniuersitatis Cancellarius designatus est Præpositus Colonensis. Primus Rector Hertlinus de Marca.

Non est dubium, quin sub Carolo Magno in alijs quoque Germaniæ locis Scholæ fuerint, tum in Episcopatu Monasterensi, sub Ludgero; Traiectensi sub Sixfrido; Padebornensi, VVormacensi, Osnaburgensi, alijsque, tum in monasterijs Fuldæ, VVerdæ, atque alibi. Harum quoq; Scholarum vsus multum contulit ad conuersionem Saxonum, Thuringorum, VVestphalorum. In Osnaburgensi collegio nominatim edixit Carolus, vt autores Latini & Græci explicarentur. Exstatque eius de libris sacris apud Amalarium edictum tale, *Volumus, & ita Missis nostris mandauimus, & præcepimus, vt in Ecclsijs libri Canonici veraces habeantur, sicut iam in alio capitulari sæpe mandauimus.* Auctor est quoque Theoagus ipsum sub vitæ finem vacasse corrigendis libris deprauatis. Eius verba hæc sunt, *Postea Dominus Imperator nihil aliud cœpit agere, nisi in orationibus & eleemosynis vacare, & libros corrigere. Nam quatuor Euangelia Christi, quæ intitulantur nomine Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis, in vltimo ante obitus sui diem cum Græcis & Syris optime correxerat.* Ferunt, eum, quum Scholam, quod sæpius facere solebat, ingressus, pauperes nobilesque promiscue sedentes conspexisset, vtrosque cohortatum esse ad studia litterarum, illos quidem propositis amplis honorum præmijs, istos vero comminatione iræ suæ, & dignitatum spoliationis. Sed nos cæteras Academias prosequamur.

ARGENTINENSIS instituta est anno MDXXXVIII a prudentissimo eius vrbis Senatu, auctore potissimum Iacobo Sturmio Syndico, qui Ioannem Sturmium Belgam Lutetia euocatum ei ludo præfecit Rectorem perpetuum. Creuit autem Schola ob insignem Rectoris, qui eloquentiam profitebatur diligentiam, mirifice; neque est vlla in orbe Christiano gens ad quam non aliquis illius scholæ fructus peruenerit. Anno vero MDLXVI a Maximiliano Imperatore in Comitijs Augustanis obtentum est ius creandi Baccalaureos & Magistros Philosophiæ: neque enim putauit Senatus suæ Reip. conducere maiores Academiæ honores, qui sæpe plus splendoris quam vtilitatis habent.

ALTORFINA Schola a Senatu Norico aperta est anno MDLXXIX die XXIX Iunij. Primus in ea Rector fuit Valentinus Erythræus. Priuilegia Academica obtenta sunt a Rudolpho Imperatore anno MDLXXXI. Translatum igitur eo est quicquid erat Noribergæ iuuentutis eruditioris, vt illic plenius poliretur. Fuerat enim iam ante Noribergæ Schola satis celebris, ad cuius constitutionem multum contulerant Melanchthon, Bilibaldus Pirchaimerus, Vitus Theodorus, Eobanus Hessus, Ioannes Funccius, Vincentius Opsopœius. Sub annum MDLXXXVIII euocatus est Altorphium a Senatu Noribergensi Hugo Donellus Iurisconsultus, & post eam Obertus Giphanius, Scipio Gentilis, Conradus Rittershusius, Philippus Scherbius, viri toto orbe celeberrimi.

BASILIENSIS Academia priuilegia Bononiensibus paria consecuta est, anno Domini MCCCCLIX, die XI Nouembris. Celebratus autem est eius natalis anno sequenti præsente Episcopo Ioanne a Veningen. Primus Rector fuit Georgius ab Andlo Canonicus.

CHEMNICENSIS Schola in Saxonia sub Georgio Agricola viguit floruitque. Eo extincto, concidit.

CVI-

CVLMENSIS in Boruſſia inchoata eſt anno MCCCCV, reſtaurata anno MDLIV.

CORONENSIS in Tranſſyluania nomen aliquod obtinuit anno Chriſti MDXXX, viuis adhuc Ioanne Huntero, Valentino VVagnero, Matthia Fronio, Ioachimo Eberhardo: ſed poſt illos collapſa eſt. Habet tamen illic Bibliotheca libros multos manuſcriptos, ereptos ex flammis Regiæ Bibliothecæ Budenſis, quam immani ſumptu & ſtudio ex omnibus Europæ & Aſiæ regnis collegerat Rex Hungariæ Matthias Coruinus.

DILLINGANA in Bauaria ſuperiore ad Danubium initium ſuum accepit anno Chriſti MDXLIX ab Ottone Truceſio Cardinale Auguſtano, voluntate Iulij Papæ III, euocatis illic Profeſſoribus Louanio & Ingolſtadio.

ELBINGENSIS fundata eſt in Boruſſia anno MDXLII ab Alberto Duce primo.

ERPHORDIENSIS in Thuringia inſtituta creditur a Dagoberto Francorum Rege, circa annum Chriſti MCCCXCI. Priuilegia contulerunt Bonifacius IX & Pius II. Inter primos eius profeſſores memorantur Nicolaus de Bibera Philoſophus & Poëta, Henricus de Erphordia, Cunradus de Magdeburg, Ioannes Zacharias Maternus, Georgius Pætus, & Benedictus Stendel.

FRANCOFVRTENSIS ad Viadrum in Marchia Brandeburgica ſolemniter inaugurata eſt anno Chriſti MDVI, die VI Aprilis auſpicijs Ioachimi I Electoris Brandeburgenſis & fratris Alberti Archiepiſcopi Moguntini & Magdeburgenſis, ac poſtea etiam Cardinalis. Primus eius Rector fuit Conradus VVimpina Francus, Profeſſor Theologiæ: Reliqui lectores euocati ſunt ex Academia Lipſienſi. Priuilegia collata ſunt ab Alexandro VI Fontifice & Iulio II, adnuente Imperatore Maximiliano I, qui iam ſexennio ante litteris Noribergæ datis conſilium Electoris, & leges, & inſtituta, ac priuilegia omnia confirmârat.

FRANEKERENSIS Academia in Frisia Occidentali inſtituta eſt ab Ill. eius Prouinciæ Ordinibus anno Chriſti MDLXXXVI. Vixit in ea Ioannes Druſius linguæ Hebraicæ peritiſſimus. Viuit adhuc Sibrandus Lubbertus Theologus, qui non eſt veritus editis ſcriptis docere. Non exigere Deum a nobis in Euangelio conditiones vllas præſtandas. Illud B. Petri, Reſipiſcente & conuertimini vt deleantur peccata veſtra, tantum valere, ac ſi dixiſſet, Deus condonat vobis peccata veſtra, in eum finem, vt reſipiſcatis. Nuſquam proprie doceri in ſacra Scriptura, Fidem ſumptam reputari credenti in iuſtitiam. Itaque in hoc, *Credidit Abraham Deo & fides illa reputata eſt ipſi in iuſtitiam*, poſterius membrum ſic ille reſoluit, vt non Fides proprie accepta, ſed obiectum fidei, id eſt, res credendæ, imo, Chriſtus, & iuſtitia Chriſti, ipſi reputatæ ſint in iuſtitiam. Fidem hanc dicit infundi impio; atque ita verum eſſe illud, Iuſtificari impium. Conuerſionem ait poſteriorem eſſe fide. Si roges quibus hæc fides infundatur? Reſpondebit, Dari eam non niſi illis, quos Deus, reiecta cætera mundi parte, ſaluare abſolutè decreuit. Et dari illis citra vllum concurſum hominis, per vim Dei maiorem. Et in quibus ſemel fuit, illis ſemper adeſſe, neque peccatis vllis excuti. Atque hanc audet dicere ſententiam eſſe Orthodoxam, Eccleſiarum Chriſti, Apoſtolorum, antiquitatis, quo nihil tamen poteſt dici abſurdius & ad religionem omnem euertendam efficacius. Sed nos hoc agamus.

FRIBVRGENSIS in Brisgoia Rhætiæ condita est ab Alberto Duce Austriaco circa annum Christi M CCCC L. Ad eam exornandam septennio post euocati sunt Vienna professores Theologiæ, Liberalium Artium, Philosophiæ, & Iurisprudentiæ. Ornauit eam dum vixit Vlricus Zasius, Cæsarei iuris Professor, sub annum Christi M D XVIII, ac post illius obitum concessit etiam eo Erasmus Rotterodamus relicta Basilea, anno M D XXIX, qui etiam illic mansit vsque ad annum M D XXXIX; quo tempore vir eruditus & pius, scribendo, commentandoque non tam se ad mortem, quam anno post Basileæ oppetijt, præparauit; quam æterni nominis fructum victuris operibus acquisiuit.

GIESSANA Academia nupera admodum est, instituta quippe anno M D CVII, die octaua Octobris, a Ludouico Lantgrauio Hassiæ, impetratis a Rudolpho Imperatore immunitatibus & priuilegijs; colonia est Academiæ Marpurgensis.

GOLTBERGENSIS Schola in Silesia claruit potissimum circa annum M D XX. Ex eo attritus est nonnihil eius fulgor.

GORLICIENSIS Monasterij Gymnasium in Lusatia superiore apertum est anno M D L XV, die IX Iulij. Claruere in ea Petrus Vincentius Vratislauiensis, Laurentius Ludouicus, & nostra memoria Gaspar Dornauius.

GRIPSWALDENSIS Academiæ principium refertur ad annum Christi M CCCC LVI, quo a Vratislao Principe Pomerariæ impetratis a Friderico III priuilegijs solemniter instituta est, die XVI Octobris. Ac floruit aliquantisper: postea tamen collapsa nonnihil est; ac tandem a Philippo Pomeraniæ Duce restituta, anno Christi M D XLVII.

HAFNIENSIS originem suam debet Friderico Danorum Regi, qui illam anno Christi M D XXXIX instituit. Cobenam vocat Iouius, alludens forte ad vernaculum nomen Copen-haffen; Christianus Holsatiæ Dux, & postea Rex Daniæ, multum ad eam ornandam contulit. Sed & nostra memoria illam auxerunt Fridericus II & Christianus IV.

HAILBRVNNENSIS Schola in Franconia inhoata est anno Christi M D L XXXII a Georgio Friderico Marchione Brandeburgico; die quinto Aprilis, qui Principi natalis.

HEIDELBERGENSIS instituta fuit ad exemplum Parisiensis a Ruperto II Duce Bauariæ, anno Christi M CCCXLVI. Primus eius Rector fuit Marsilius ab Ingen Vltraiectinus, qui illuc Lutetia euocatus est. Claruit diu, claretque adhuc, nobilis litterarum artium, Sapientiæque tum diuinæ tum humanæ studijs Academia, Principibus Palatinis ingentem sumptum in viros eruditione celebres facientibus. Ornant eam Aulæ vicinia, & instructissima omnis generis libris Bibliotheca, cui nunc post Paulum Melissum præest Ioannes Gruterus vir doctissimus & vere μουσεῖον περιπατοῦν.

HELMSTADIANA in Ducatu Brunsuicensi constituta est a Iulio Duce, anno Christi M D LXXVI, atque ab eo nomen seruat Academiæ Iuliæ. Eius filius Henricus Episcopus Halberstadensis, anno ætatis suæ XIII, ipso die natali suo declaratus est eius Rector perpetuus. Vixit in eâ Ioannes Caselius eloquentiæ lumen. Viuunt hodie professores omnium scientiarum absolutissimi. Situm est Helmstadium medio inter Brunsuigam & Magdeburgum itinere. Ipsum a Caroli Magni filio muniri cœpit, vt esset præsidium contra Sorabos & Vilsos. Tradidit ilie oppidum S. Ludgero, qui ipse illud tribuit cœnobio Beuedictino quod

quod est VVerdenæ ad Ruram flumen. Huius monasterij Abbates Domini fuere Helmstadienses, vsque ad annum M CCCC XC, quo accepta pecuniæ summa Abbas Guilielmo Brunsuicensi duci illud vendidit.

HERBORNENSIS Schola fundata est a Ioanne Comite Nassouico, anno M D LXXXIX, ac post decenniũ translata est Sigenam: Non est incelebris neque obscura eius fama.

IENENSIS in Thuringia ad Salam excitata fundataque est a Ioanne Friderico Electore Saxoniæ, anno Christi M DXLVIII, die 25 Ianuarij. Sed post decennium impetratis ab Imperatore priuilegijs solemnitet inaugurata est, die 2 Februarij. In hac aliquando docuit Iustus Lipsius.

INGOLSTADIENSIS in Bauaria Academiæ natales referuntur ad annum Christi M CCCC X, traductis eo ex Schola Viennensi professoribus. Priuilegia illi cõfirmata sunt a Pio II Pontifice, anno M CCCCLIX. Ludouicus Bauariæ Dux valde eam ornauit: nec defuere ei postea Ernestus & Albertus.

LAVINGENSIS Schola in Superiore Palatinatu ad ripam Danubij initium habuit a VVolfgango Comite Palatino Rheni Bipontino, imperante Ferdinando.

LIPSIENSIS Schola in Misnia inaugurata est 12 die Nouembris, anno M CCCC VIII auspicijs Friderici I Electoris Saxoniæ Bellicosi. Creuit autem Schola ex ruinis dilapsæ Scholæ Pragensis: nam quum magistratus Scholæ ademptus esset Germanis, indignata animosa natio iniuriam discessu suo vindicauit. Vno enim die abierunt Lipsiam supra duo studiosorum millia.

LOVANIENSIS Academia opus est Ioannis Brabantiæ Ducis, & Papæ Martini V: Inaugurata est anno M CCCC XXV. Sed cauerat Martinus Papa ne ibi doceretur Theologia; Eugenius tamen IV id postea indulsit. De hac multa Lipsius in eius vrbis & scholæ descriptione.

LVGDVNENSIS apud Batauos Schola ad medium Rheni ostium sita, iam sub Guilielmo Comite & Florentio tenuia habuit initia; Emicuit ea tandem in medio belli æstu, & (mirum dictu) inter tubas & tympana, nondum in societatem redactis cæteris Hollandiæ & vicinarum Prouinciarum ciuitatibus, (Amsterodamum enim adhuc Hispanis addictum erat & Traiectus ad Rhenũ) magno animo ab Ill. Ordinibus, Gubernante Hollandiam Guilielmo Principe Auriaco instituta, maiore creuit, euocatis vndiquaque viris doctissimis: Natalis eius fuit anno post solutã arctissimã obsidione ciuitatem, qui fuit M D LXXV. Hæc caussa est, cur Palladem armatam, in sigillo suo eius Academiæ Curatores & Consules habeant. Quãta eius per orbem vniuersum sit celebritas, testari possunt exteri, qui magno numero quotannis ad eam confluunt, excultique Sapientia redeunt cum fructu ad suos.

MARPVRGENSIS Academia in Hassia instituta est anno M D XXVI. Sub Philippo tamen Lantgrauio primum nacta est omnium scientiarum facultatumque professores: Confirmata est a Carolo V Imperatore & Clemente VII Pontifice.

MISNÆ in Saxonia Schola est illustris in qua destinatis in eum vsum reditibus cœnobij Afrani aluntur adolescentes centum sub quatuor præceptoribus. In ea Schola docuit Georgius Fabricius, magnum Germaniæ ornamentum.

NEOSTADIANA in Nemetibus Schola instituta est a Ioanne Casimiro Comite Palatino ad Rhenum, quum post obitum Friderici ex Heidelbergensi Academia digressi essent quotquot religionem mutari ægro animo fe-

mo ferebant. Docuerunt in ea Hieronymus Zanchius, Zacharias Vrsinus, Nicolaus Dobinus, Henricus Smetius, Ludolphus Pythopoeus, Fortunatus Crellius. Sed postquam restituta est in Palatinatu religio, redierunt ad priora munia professores, cessitque in Collegium Schola: Habet illic alumnos quinquaginta Princeps stipendiatos.

PRAGENSIS Academia fundata est anno Christi M CCC LVIII ad exemplũ Parisiensis, & mirifice initio creuit. Carolus IV Imperator multis splendidis ædificijs eam ornauit, vt sunt Collegium Caroli Magni, Cæsareum, Regium, Bohemorum, Bethlehemiticum, aliaque. Heduigis quoque regina sub annum M CCC Lithuanorum in ea Collegium condidit.

REGIOMONTANA Academia in Borussia instituta est anno MDXLIV ab Alberto Marchione Brandeburgico, magno crucigerorum militum magistro hæreditario. Primus in ea Rector fuit Georgius Sabinus Brandeburgicus, cum alia omni amœna litteratura, tum imprimis Poëtica arte excultus; quarum virtutum gloria eo vsque pronectus est, vt eum Carolus V Ratisponæ nobilitate donauerit: Eius instrumenti, quia rarum est, & lectorem ad bonarum artium studia præmiaque excitare potest, inserendum exemplum duxi. Sic ergo illud se habet,

CAROLVS QVINTVS ROMANORVM IMPERATOR SEMPER AVGVSTVS *Georgio Sabino Brandeburgensi gratiam Cæsaream, & omne bonum. Etsi antea propter doctrinam & virtutem non solum clarus, sed etiam equestris ordinis gradu ornatus es ab alijs: tamen & nos exstare aliquam significationem nostræ, & voluntatis & opinionis de tua virtute volumus. Nam illos præcipue dignos honore iudicamus, qui ingenio & doctrina excellunt. Quare cum in omnibus honestarum artium studijs summa cum laude versetis, nos sponte lubentique animo eadem ornamenta nobilitatis tibi decernimus autoritate Imperiali, approbante Principum, Comitum, Baronum, aliorumque procerum nostrorum, ac sacri Romani Imperij Senatu. Adhæc liberos vtriusque sexus ex te legitime aut natos aut nascituros, eorundemque posteros omnes, creamus vere nobiles, atque in numerum nostrorum ac sacri Romani imperij nobilium cooptamus. Te igitur, Sabine, liberosque ac posteros tuos omnes harum literarum testimonio renunciamus vere nobiles, tanquam de domo ac prosapia nobilium, a quatuor paternis ac maternis auis procreatos. Tales itidem nobiles, ab omnibus, vniuersis ac singulis, cuiuscunque conditionis, eminentiæ, status, gradus aut dignitatis existant, vos dici, nominari, & haberi volumus. Facimus etiam tibi, liberisque tuis, ac posteris omnibus potestatem, nunc & deinceps in perpetuum, vbicunque locorum ac terrarum in iudicijs & extra, in rebus spiritualibus ac temporalibus, Ecclesiasticis & prophanis: denique in quibuscunque rebus, quarum mentio diserte hic fieri deberet, nec non in omnibus & singulis honestis exercitijs, negocijs & actionibus, vt illis honoribus, dignitate, feudis, officijs, immunitatibus, libertate, insignibus, & priuilegijs, gaudere, vti, & frui possitis: in quibus cæteri nostri, & sacri Romani imperij vere nobiles, de equestri prosapia*

ſapia a quatuor paternis & maternis auis geniti & procreati, vtuntur, fruuntur, ac gaudent quoquo modo, vel de conſuetudine, vel de iure. Porro ad hunc equeſtris ordinis gradum addimus etiam tibi inſignia quibus nobilitas tua latius inclareſcat: videlicet clypeum cæruleum, & in eo Pegaſum candidum ex nubibus volantem, alis in altum porrectis. Galeam vero cancellato ore, qualis ſolet eſſe nobilitatis non poſtremæ: Et in galea alium Pegaſum cum nubibus, ſimili figura qua eſt in clypeo. Poſtremo tegumenta clypei & galeæ diſtincta duobus coloribus, cæruleo & albo: quemadmodum hæc omnia exactius pictoris ingenio ac manu depicta, im medio harum literarum cernuntur. Id vero inſigne apte conuenit homini non ignauo, ſed ad gloriam excitato, cui eſt virtute efficiendum, vt alios omnes tantum poſt ſe reliquat, Ante citos quantum Pegaſus ibat equos. Nos igitur & illud ipſum inſigne tibi & hæredibus tuis tradimus, perpetuum virtutum tuarum monumentum, quo ad virtutem & gloriam poſteri tui incitentur. Illud perpetuo in omnibus honeſtis actionibus & expeditionibus, in ſerijs vel ludicris certaminibus, in prælijs, duellis, & quibuſcunque pugnis, vexillis, tentorijs, ſcutis, ſigillis & annulis, monumentis, ſepulchris, prædijs, ædificijs, tabulis & picturis, nobilium armigerorum, pro arbritrio ferre ac geſtare poteritis ac debetis, ceſſante omni impedimento: nec obſtantibus quibuſcunque conſuetudinibus, ſtatutis, priuilegijs, præſentibus aut futuris, quæ quoquo modo contra huiuſmodi nobilium creationem, aut priuilegium noſtrum facere poſſint: quibus omnibus diſerte per has literas derogamus, & derogatum eſſe volumus. Nulli ergo hominum liceat noſtrum hoc decretum reſcindere. Si quis autem id attentauerit, illum iudicamus noſtram & ſacri Romani imperij grauiſſimam indignationem ipſo quidem facto incurriſſe. Et mulctam illi dicimus quinquaginta Marcarum auri puri: partem dimidiam, vnam fiſco noſtro Cæſareo, alteram iniuria affectis, adiudicandam. Idque his publicis literis teſtatum volumus: de quarum autoritate ne quis dubitaret, eas noſtro tam autographo, quam ſigillo muniuimus, Datæ Ratiſponæ in vrbe noſtra imperiali die XIIII *Iulij, Anno* MDXLI, *Imperij noſtri* XXI. *Aliorum regnorum noſtrorum* XXVI.

ROSTOCHIENSIS Schola in Ducatu Megapolitano ad mare Balthicum inſtituta eſt anno M CCCC XV impetratis a Cæſare & Pontifice priuilegijs. Viget illic hodie floretque Profeſſorum eruditione, ſtudioſorum frequentia, ciuium comitate, Magiſtratus optimi beneficentia Muſarum ſedes.

SERVESTANVM Gymnaſiũ a Ioachimo Erneſto Principe Anhaltino erectum eſt anno MDLXXXV.

STEINFVRTENSE inſtitutum eſt ab Arnoldo Comite Benthemio & Tecklenburgico; tranſlatũ eo Schuttorfio, ob loci commoditatem.

TIGVRINA Schola ſub Zwinglio, Bullingero, Pellicano, Geſnero, Rudolpho Gualtero, Simlero, Stukio, viguit: neque adhuc incelebri eſt fama.

THV-

THVBINGENSIS Academiæ initium incidit in annum M CCCC LXXVII, tunc enim Eberhardus Barbatus VVirtembergæ & Mompelgardiæ Comes eam erexit. Primus eius rector fuit Ioannes Nauclerus. Gabriel Biel Professiones direxit. Priuilegia cõcessa sunt a Friderico Imperatore & Sixto IV Papa, quorum quotannis lectio publice instituitur in templo S. Georgij, Dominica S. Georgij diem sequente.

VIENNENSIS Academia in Austria fundata est a Friderico II Imperatore, anno M CC XXXVII, ad exemplum Scholæ Parisiensis: restaurata est ab Alberto III Archiduce Austriæ, anno M CCC LXV.

VRATISLAVIENSIS in Silesia instituta est ab eius vrbis Senatu, anno M D V, consensu regis Hungariæ & Bohemiæ Vladislai, sed Cracouiensis Academiæ vicinia luminibus eius offecit.

VPSALIENSIS in Suecia Academia vetusta est, Anno M D XL in ea vixit magni nominis Mathematicus Iacobus Zieglerus Landauus Bauarus: Celebrem quoque eo tempore reddiderũt Olaus & Ioannes Magni, fratres Lincopienses, quorum iste etiam Vpsalienſis fuit Archiepiscopus.

VVITTEBERGENSIS Academia condita est anno M D II, auctoritate Friderici Electoris Saxoniæ, die 18 Octobris. Eius Rector primus fuit Martinus Polichius Francus, professione Medicus.

CAP. III.

Vrbium Germanicarum variæ classes.

GErmaniam qui ex linguæ sono æstimant, coguntur eam extendere vbi non est. Factum est enim fortissimæ & animosissimæ gentis victorijs, vt quam latissime se populus Teutonicus diffuderit, occupata olim Hispania, Italia, Africa, vbi & linguæ suæ vsũ seruasse ipsos ex nominibus proprijs virorum, fœminarum, vrbium, populorum manifestum est. Saxones in Anglia hæsisse constat, ab ijsque dictos Anglosaxonas. Quis autem Anglos quorum sermo etiã hodie ad Saxonicum accedit, audebit Germaniæ tribuere? Non sunt igitur ex solius linguæ vsu Germaniæ fines æstimandi. Qui vero non nisi ex hodierni Imperij terminis Germaniam metiuntur, etsi quidem illi magnas & graues causas sententiæ suæ proferant: tamen quia augustiorem nunc faciunt Germaniam quam olim fuit, non videntur mihi hoc tempore ad vrbium Germanicarum enumerationem properanti pro assiduis autoribus admittendi. Neque enim ex earum rerum numero est Germania, quæ modo extenduntur, modo contrahuntur; sed habet suas dimensionis leges, quæ variantibus imperijs non mutantur. Quod si ergo Ptolemæus naturam sequutus Rheno & Vistula Germaniam definiuit, si Tacitus Danubio & Oceano; non faciemus præter rationem, si in colligendis Germaniæ ciuitatibus veterum sententiam cum hodierna temperantes, non illas vrbes tantum Germaniæ accenseamus quæ hodie sacro Imperio subsunt, sed & eas quæ cœli, linguæ, morumque cognatione cum illis iunctæ, antiquis Germaniæ terminis comprehenduntur. Et si olim Gothi, Normanni, Cimbri, Sueui Septentrionales, Teutonis accensi sunt, & nomini Germanorum primi occasionem dederunt, nihil caussæ est, cur nunc a Germaniæ appellatione ipsi sint excludendi, etiãsi suis regibus subiecti ad Imperij ordines proprie non pertineant; quum aliud sit Germania, aliud imperiũ Germanicum; possitq; pars aliqua Germaniæ ab imperio Germanico esse exempta. Quæ quum ita sint, sic nos Germaniæ vrbes distinguemus, vt alias dicamus esse extra imperium, vt sunt Bohemicæ, Hungaricæ, Danicæ, Succicæ, Norue-

Norvegicæ, alias imperio ſubditas. Atque has rurſum vel Municipales, vel liberas. Municipales voco, quæ ad Principes Imperij pertinent, ac dominos habent ſingulares ſubiectos Cæſari, cuiuſmodi ſunt quæ Electoribus, Moguntino, Colonienſi, Treuirenſi, Palatino, Saxoni, Brandeburgico parent: tum quæ Archiducibus, Ducibus, Principibus, Lantgrauijs, Comitibus, Marchionibus ſunt obnoxiæ. Liberas voco eas quæ a iuriſdictione alterius præterquam Imperatoris immunes, ſubſunt ditioni & poteſtati Cæſaris. Harum iterum aliæ ſuis fruuntur legibus ad morem liberarum Rerumpublicarum, ſeruantes ſuam autonomiam, aliæ planè ſunt Imperatoriæ, & ad ipſius nutum arbitriumque gubernantur. Ad illud genus pertinent ciuitates pleræque Heluetiæ, ex quo excuſſo Auſtriacorum imperio ſeſe in libertatē adſeruerunt. Eodē etiam referri poſſunt ciuitates quædā Anſeaticæ, in extremis Saxoniæ partibus ſitæ, de quibus ſtatim dicemus. Imperatoriæ verò ſunt, quæ veluti quoddam patrimonium Cæſaris & Imperij habentur, ſtatimque creati Imperatoris ditioni ſubiectæ ſunt. Harum numerus ſuperiore ſeculo non parum eſt imminutus, quibuſdam magna vi pecuniæ oppignoratis, quibuſdam bello deuictis, vel alio modo a ditione Imperij Germanici alienatis, vix vt ſpes aliqua earum recuperandarum reliqua eſſe videatur. In harum numero ſunt, *Meta, Veſuntio, Conſtantia, Verodunum, Tullum, Cameracum, Bodobriga, Nouiomagum, Veſalia, Dauentria, Suolla, Briſacum, Rhenifeldum, Neoburgum, Rheni, Mosbachium, Oppenhemium, Ingelhemium, Cæſaris Lotharia, Lauingia*, & aliæ nonnullæ. Porro eæ vrbes quæ adhuc ſunt Cæſaris, in & Imperio ſeſſionem habēt, in duo ſcamna vel latera diuidi ſolent. Nam ex his quædā ſunt ditionis Rhenanæ, quædam Sueuicæ, ducta a potiore parte donominatione. Rhenanæ ſunt, *Colonia Agrippinenſis, Aquiſgranum, Argentoratum, Wormatia, Spira, Lubeca, Francofurtum ad Mœnum, Hagenoa, Colmaria, Seleſtadium, Landauia, Weiſſeburgum, Goſlaria, Northuſa, Mulhuſium Thuringiæ, Gelnhuſa, Fridberga, Wetzlaria, Cæſaris mons, Offenburgum, Gegenbachium, Roshæmium, Dortmunda.* Sueuicæ ſunt, *Ratiſpona, Auguſta Vindelicorum, Noriberga, Vlma, Nordlinga, Eſlinga, Hala Sueuorum, Roteburgum Franciæ, Memminga, Campidonum, Rotwila, Reutlinga, Hailprunna, Dinckelsbyielha, Gamunda, Weiſſeburgum Noricum, Windeshæmium, Lindauia, Donawerda, Kaufbeura, Rauenſpurgum, Bibracum, Buchauia, Wimpina, Schweinfurtum, Gienga, Wila, Ala, Bopfinga, Vberlinga, Wangena, Buchorna, Pfuldorfium, Leukircha, Iſna*; Nos harum omnium typos & deſcriptiones non dabimus, ſed earum duntaxat, quarum potuimus habere imagines. Daturi plures melioreſque quum ad noſtras manus tales peruenient. Rogamus Lectorem, vt conatus noſtros æqui & boni conſulat, atq; ex ſuis opibus ſtudia noſtra iuuet, ſubmiſſis ijs quæ ad Germaniæ pleniorem accuratioremque deſcriptionem faciunt. Non conſtant hæc talia niſi ex ære collatitio, & in eos qui nos iuuerunt, gratos nos & memores beneficij futuros pollicemur.

CAP. IV.

De vrbibus Anſeaticis deque Anſea Teutonica.

MAGNA quondam Hunnorum aliarumq; Barbarum gentium fuit in Germania vexanda immanitas, eoque magis formidanda, quod iam Saxoniæ maritimæ viciniſq; Pomeranię, & Megapolenſi ac Brandeburgēſi tractui regionibus imminerēt.

Eo tempore feruntur aduersus Barbarorum excursiones, & ad mercaturæ commodam vtilemque vsum coijsse in Germania vrbes maritimæ, quæque adsitæ fluminibus cum maritimis illis commercia exercebant, conceptis certis quibusdam fœderis capitibus. Conspirarunt autem in eam societatem inde a Finnico sinu, quod est in vltimo recessu maris Balthici, vsque ad Rheni ostia vrbes præcipuæ; nomenq; sibi indiderunt, Anzeaticarum, vel a mari Teutonico, quod ad illud sitæ essent, hoc enim est *An Zee*, vel a fide quam dextra pangere receptus gentibus mos est, manum enim Germani *Handt* vocant, vel, vt alijs placet, a fœdere & concilio, quod prisca Germanorum voce *Hansam* dici aiunt; prolato etiam ex veteri codice Noui Testamenti loco insigni, vbi pro eo quod Latine dicitur, *Concilium fecerunt in eum*, Germanicè legitur, Fecerunt *hanzam*. Iidem ab immunitatibus quoque dicti sunt *Frye Hansſen*. Qui autem Francos ex eo nomine contracto deriuant quasi Franssen, manifecte errant. Neque enim *Fransos* appellamus, sed *Francos*, quæ vox non ab Hansis vel Ansis, sed a *franck* quod liberum sonat originem trahit. In eam vero societatem recipiebantur non nisi ciuitates Germanicæ maritimæ quæ ius habebant portarum suarum claudendarum & aperiendarum, siue illæ Principem agnoscerent, siue omnino essent liberæ. Diuiditur autem Hansa Teutonica in quatuor regiones, Lubecensem, Colonienſem, Brunsuicensem, & Borussicam: habetque sibi sociatas vrbes LXVI, nimirum Vandalicas sex, Pomeranicas octo, Borussicas sex, Liuonicas tres, Saxonicas tredecim, VVestphalicas decem, Cliuicas seu Marchicas septem, Transisalanas tres, Gelricas septem, Frisicas tres. LVBECA ex aliorum consensione caput est totius Anseatici fœderis, tum ob faciles accessus, est enim medio pene loco situm, tum ob vrbis ciuiumque potentiam. In ea sunt archiua societatis, cum iure euocandi vicinas vrbes. Habet autem iunctas sibi ciuitates Vandalicas quinque, Hamburgum, Rostochium, VViſmariam, Stralsundam, & Luneburgum, ac præterea Pomeranicas, Stetinum, Anclemium, Golnauam, Gripswaldam, Colbergam, Stargardam, & Stolpam. COLONIA AGRIPPINENSIS quæ anno Christi MCCCC LXXXI Anseaticarum vrbium numero iuncta fuit, primaria est secundæ regionis ciuitas, habetque sibi sociatas ciuitates Cliuenses & Markenses, Vesaliam, Duisburgum, Embricum, VVarburgum, Vnnam, Hammam. Tum VVestphalicas, Monasterium, Osnaburgum, Tremoniam, Susatum, Herfordiam, Padebornam, Lemgouiam, Bilefeldiam, Lippiam, Coesfeldiam. Tum Geldricas, Nouiomagum, Zutphaniam, Rurmundam, Arnhemium, Venloam, Elburgum, Harderuicum. Et Transisalanas, Dauentriam, Campos, Zwollam: Ac denique Frisicas Septentrionales, Groningam, Bolswerdiam, Staueram. BRVNSVIGA primaria tertiæ regionis Anseaticæ ciuitas habet sub se vrbes Saxonicas, Magdeburgum, Goslariam, Embecam, Gottingam, Hildeshemium, Hannoueram, Vlsam, Buxtehudam, Stadam, Bremam, Hammelam, Mindam. DANTISCVM primaria Borussiæ ciuitas habet sub se Regiomontum, Colmariam, Toruniam, Elbingam, Brunsbergam; Liuonicas quoque vrbes, Rigam, Dorpatum, & Reualiam, quæ Germanica vtuntur dialectico, cæteris Slauonicam sonantibus. Est & in Norwegia BERGA iuris Anseatici. Sunt & quatuordecim controuersi iuris, Stendelia, Soltwedelia, Berlinum, Brandeburgum, Francofurtum ad Oderam, Vratislauia, Cracouia, Halla, Asterslebia, Quendelburgum, Halberstadium, Helmstadium, Ryla, Northemium, & in agro Leodiensi Dinantium, ob ferri & chalybis prouentum. Harum omnium fœdere inter se iuncturum dici non potest quanta sit potentia. Multa illarum præclare gesta refert Cran-

Crantzius; Hoc constat, illarum ope grauia bella olim fuisse composita, discordias vicinorum regum Principumque sopitas, pacem restitutam, quod magnum crederetur momentum ipsorum potentia allatura si se alterutri parti adiunxissent: merito vt societas ista Teutonica sequestra pacis, publicæque per Germaniam tranquillitatis procuratrix multis iam sæculis habita sit; Earundem ope ad Belgas, Anglos, Gallos, Hispanos, Italos merces deferuntur necessariæ, triticum, siligo, lana, cera, corium, canabis, linum, pix solida & liquida, chalybs, ferrum, pisces aridi, salsamenta, trabes quernæ & abiegnæ, mali, & quicquid præterea terræ Septentrionales ad vsum humani generis benigne suppeditant. Vtque commodior esset mercium istarum per reliquum orbem distributio, impetrarunt diuersis in locis ius institorium, exstructis illic ad commercia agitanda ingentibus aulis, & obtentis varijs priuilegijs. Quatuor autem fuere istiusmodi primaria emporia, *Nouogrod* in Russia, *Londinum* in Britannia, *Brugæ* in Belgica, & *Bergæ* in Norwegia. Hisce in vrbibus liberum permissumque erat omnibus in Anseaticis vrbibus natis, morari, mercaturam exercere, & priuilegijs frui Teutonicæ societatis, iuxta leges in eam rem a reliquis vrbibus ipsarumq; legatis de publica sententia constitutas. Habent autē leges illæ capita ad honestam iuuentutis educationē pertinentia. Iuuenes enim in illis collegijs domo procul educabantur, qui simul atq; ad coniugium animū appulissent, cogebātur in patriā aut alio discedere, ac per proxenetam iuuenem vel famulum res suas administrare. Collegio præerat in singulis vrbibus præfectus senior, quam alij Consulem, ipsi Aldermannum vocabant. Is cum assessoribus constituebat Senatum Mercatorum, habebatque adiunctum sibi Secretarium, Quæstorem, archimagirum, aliosque necessariorum munerum administratores, qui cum Lubecensi Senatu communicabat res pleraſque ac controuersias diiudicabat, nec dabatur ab ipsorum sententia nisi ad alias ciuitates Anseaticas appellatio. LONDINVM societati Anseaticæ ab Henrico III Anglorum rege tributum est anno Christi M CC L. Et quia confœderatorum summam fidem certaque auxilia posteri reges dubijs temporibus experti sunt, præsertim in bello quod Eduardus III aduersus Gallos gessit, sanciuerunt, negotiatores Teutonicos illius collegij nullis nouis vectigalibus, tributis, exactionibus, subsidijs, alijsque præstationibus in posterum onerandos, sed immunitates ipsis olim concessas indultasque integras atque inuiolatas perpetuo relinquendas esse. Estque decretum illud peculiari quoque diplomate confirmatum, & a Richardo II, Henrico IV, quinto, sextoque religiose obseruatum. Donec ardente inter Anglos & Danos bello quum in freto Danico Anglorum naues interceptæ essent, naues vicissim Teutonicæ L X ab Anglis captæ ac spoliatæ sunt, quæ res initium bello triennali Anglis cum ciuitatibus Anseaticis præbuit. Neque ante potuerunt offensi animi pacari, quam interuentu Caroli Burgundi qui Eduardi sororem vxorem duxerat, Teutonicæ nationis spiritus lenitus esset Traiecti ad Mosam anno M CCCC LXXIV. Ab eo tempore per annos circiter X X C sub Richardo III Henrico VII, & VIII, atque Eduardo VI Germani immunitates suas in Anglia retinuerunt, licet Gedanenses nonnihil eas conturbarint. Domus ipsorum dicta fuit *Staelhof*, a chalybe, qui *ſtael* Germanis vocatur, eo quod ingentem chalybis vim eo deferrent; Eum nunc nemo importat nisi cui singulariter hoc a rege indulgetur. Priuilegia illi collegio concessa quatuordecim retro regū sigillis confirmata sunt. Primarium hoc erat, quod non penderent nisi centesimā & eius dodrantem pro vectigali: quodque exempti essent ab alijs exactionibus. Arctioribus Reip. temporibus, si obsidione Londinum premeretur, vnam tantum vrbis

portam quam Episcopi vocant, defendere obstricti. BRVGÆ, vbi alterum Anseaticarum ciuitatum Emporium esse diximus, a socijs Teutonicis frequentari cœpit circa annum MCCLXII: durauitque diu admodum negotiatio, florentibus Brugensium rebus; sed postquam ipsi Maximilianum Romanorum regem, præcipuis ipsius ministris in conspectu eius interemptis captum ignominioso carceri incluserunt, dilapsæ sunt ipsorum fortunæ. Nam Fridericus Cæsar Maximiliani pater toto imperio ad arma cõcitato vlturus iniuriam filio illatam cum exercitu in Belgicam profectus, obstructo Brugensium portu, & euocatis inde Teutonicis, negotiatoribus, causa fuit, cur commercia omnia ANTVERPIAM Brabantiæ vrbem transferrentur, & societatis Anseaticæ confœderati collegium suum in ea vrbe collocarent. Itaque ad priuilegia societati a Ioanne II Brabantiæ duce anno MCCCXV concessa, ac per Antonium postea confirmata, quum Lubecensium rogatu auctoritas quoque accessisset Philippi, qui Antuerpienses ad recipiendos Teutonorum confœderatorum mercatores flexit, protinus in comitiis ejus societatis decretum est, vt collegium Antuerpiæ constitueretur, domo etiam ad eam rem magnifice exstructa in qua propriam iurisdictionem Senatus mercatorum haberet: eaque de re cum Senatu Antuerpiensi transactum est, expensis in structuram à societate LX Caroleorum millibus. Exstat hodieque superba & magnifica domus, sed dilapsis alio mercatoribus magna parte deserta: quum videatur diuina numinis prouidentia hoc bonum nunc polliceri AMSTELODAMENSIBVS, quorum emporium frequentia negotiatorum, nauium copia, diuitiis ciuium, industria nautarum, magistratus prudentia, iustitia, æquitate, grauitate cæteris Europæ emporiis hoc tempore antecedit. Tertiam societatis sedem diximus esse NOVOGARDIÆ Russorum vrbe amplissima, XL millibus passuum à Narua Liuonica, XXXVI à Plescouia, CXX à Mosca Russorum metropoli. Hic ante hos annos trecentos monopolium Hanseatici instituerunt; sed ob sæuitiã & perfidiam Ioannis Mosci Reualiam inde translatum est. Sed neque illic perpetuum fuit. NARVAM enim posteà delegerunt negotiorũ suorum sedem anno MDLVIII, confluentibus eodem Anglis quoq; & Belgis, & Gallis. Ægre quidẽ hoc tulit Liuonici ordinis magister, deq; iniuria tanquẽ Imperio ipsi facta apud Ferdinandum Cæsarem grauiter questus est; sed quod factum fuerat, infectum reddi non potuit. Quarta sedes fuit BERGIS in Noruegia, vbi magis expressa antiqui fœderis vestigia quam alibi remanserunt: Sed tractu temporis Danicæ nobilitatis sordibus factum est, vt multum illi societati decederet; ipsi enim sub Friderico II quæstu allecti institoriã faciebant, translatis ad se mercatorum compendiis. Quum autem de ea re apud Daniæ regem Fridericum Lubecenses sociiq; Anzæ Teutonici per legatos questi essent, promisit ille quidem se immunitates semel ipsis concessas regia fide seruaturum; sed quod promiserat non præstitit. Passus est enim Danicam nobilitatem nauigationibus suis mercatorum cõmoda interuertere, & collegia opificum quæ socii Belgæ suis domiciliis iuncta communi secũ libertate frui patiebãtur, omninò aboleuit. Atq; hæc de quatuor Anseaticorum emporiis sufficiãt. Antiquitas eius societatis tanta est, vt difficilius sit ostendere quando non fuerit, quam quando esse cœperit. Vetustissima eius memoria est in diplomate Henrici III Anglorum regis, dato anno MCCVI. sed talis, vt haud obscure altiorem eius indicet originem. In eo dicuntur Anseaticæ ciuitates Regi naues complures ad belli auxilia subministrasse, ea lege, vt si quæ caperentur, frangerentur, perirentue, eas Rex adnumerata pecunia solueret. Cessit ea res tam feliciter, vt rex Anseaticorum opera superatis hostibus victoriam reportarit. Sed quum reditum parant, tam immanis classem afflixit tempestas, vt plerãque

ræque naues merſæ vndis perierint. Rex autem quum ſoluendo non eſſet, videns debitum ex mora creſcere, ita cum Teutonis mercatoribus tranſegit, vt ipſis conderet in ſuo regno facultatem mercaturam exercendi, importandiq; & exportandi merces, ſoluta tantum centeſima parte pro vectigali. Atq; hoc ille priuilegium irreuocabile ſibi poſteriſque ſuis eſſe voluit. Ex hac autem narratione duo iſta colliguntur, quibus antiquitas eius ſocietatis demonſtrari poſſit. Primum, tam potētes tunc fuiſſe illius fœderis ſocios, vt etiã claſſe polluerint, regiq; Anglorum ſuppetias tulerint. Quum autem nihil repente ſummum fiat, ſed per crementa augeantur vires & potentia, fieri non poſſe, quin multò ante hæc tempora Anſeatica iſta fraternitas ſit inſtituta. Deinde, quum rex exſertè dicat, ſe priuilegia à maioribus ſuis conceſſa confirmare, indicat, iam ante ſua tempora ſocietatem iſtam viguiſſe: maiorum enim nomine veniũt parentes, aui, ataui, & qui ante ipſos vixerunt. Tertium argumentum vetuſtatis ex eo peti poteſt, quod inſtituta creditur ſocietas iſta aduerſus Hunnos, quum autem Hunni antea palabũdi ab Henrico Aucupe ad Danubium propulſi ſint, non videtur niſi ad priora illa tempora inſtitutio iſtius ordinis referenda eſſe. Itaq; in primis illius ſocietatis legibus cauetur, ne mercatores Teutonici argentũ, vel aurum ad Barbaros deferri patiantur, ſed ita cum ipſis tranſigant, vt pro ſuis quidẽ mercibus pecuniam ab ipſis recipiant, pro Barbaricis verò mercibus non pecuniam adpendant, ſed merces alias commutent. Creuit autẽ in tantũ Anſeatici fœderis potentia adjungentibus ſe ad eas aliis atq; aliis ſubinde vrbibus Teutonicis, vt ſub Henrico III Angliæ rege duæ & ſexaginta ciuitates in illud corpus coaluiſſe perhibeantur. Ac fuit ſocietas iſta perdiu ſine capite, conſilius ariſtocraticis vtiliter directa, cum ingenti fructu mercatorum, & laudabili omniũ concordia. Sed ad ſplendorem cõfœderatorum potentiamq; augendam actum eſt aliquando de Principe aliquo Teutonico (neque enim fas aliter) deligendo qui Protector futurus eſſet iſtius ſodalitatis. Ac primum quidem delatus eſt honor iſte magno Boruſſiæ magiſtro, quod & vicinus eſſet, & ſacri imperii Princeps, & portus haberet commodos, eiuſque maxime intereſſet curare, ne arma, vel ferrum, vel aurum ad Moſcos exportarẽtur, quibus Liuoniæ offici poſſet. Sed ſimulatq; Albertus Brãdeburgicus Boruſſiam Poloniæ regi ſubiecit, excidit protinus ea dignitate; neq; enim exiſtimarunt licere Teutonis ab imperio ſe ſeiungere. Viſus eſt poſteà ambire eam titulum Sueuorum rex; ſed quum non eſſet Imperii Princeps, non eſt admiſſus, tametſi commoda multa oſtentaret, & cumprimis vtilis ſocietati crederetur ob Liuoniam, in qua multas ciuitates poſſidebat. Eadem quoq; ratio fuit regum Poloniæ & Daniæ, licet hic ob fauces freti Balthici quibus inſidet, inſulaſq; & oppida maritima, perquam opportunus ei rei, ob Ducatum verò Holſatiæ Princeps quoque Imperii videri poſſet. Creſcentibus verò inter Anglos & Hanſeaticos diſſidiis, quibus effectum eſt tandem vt Aula ipſorum Londini, quam *Staelhof* vocari diximus, occupata ſit ab Anglis, ſuffudit quoq; frigidam Hiſpaniarum rex, & miſſis anno MDXCVII legatis ſuam quoq; operam obtulit, modo ipſi in Anglorum odio pertenderẽt, & Belgarum confœderatorum ſocietate abſtinerent. Multa interceſſerunt inter Anglos & Anſeaticos parum amicè geſta, illis in ſuo regno & mari pro potentia ſua, his pro iure antiquo & partis multo labore ac ſumptu priuilegiis nitentibus, Cæſariſq; etiam & Imperii totius autoritatem opponentibus: ſed non potuerunt hactenus animi coaleſcere. Rogandus eſt Deus, vt ea vtrimq; conſilia inſpiret, quibus ſocietas publica conſeruari, ſepoſitiſque partium ſtudiis ea quæ ad communem hominum vtilitatem tranquillitatemque pertinent, procurari poſſint.

CAP. V.

Annatarum Archiepiscopalium, Episcopalium, & Abbatiarumque Germaniæ prouentus.

COLLIGAM hoc capite prouentus Ecclesiasticos Germaniæ, prout annno Christi MDXXII in conuentu Noribergensi æstimati, libelloque singulari comprehensi, arque in lucem edidi sunt.

I MOGVNTINVS Archiepiscopatus Ecclesiæ in Germaniæ Metropolitanæ, est 10000 fl.
Sub eo sunt Episcopi, Curiensis 2000.
Constantiensis 2000.
Argentinensis 2500.
Spirensis 600.
VVormacensis 1000.
Herbipolensis 2300.
Augustanus 800.
Aichstetanus 800.
Hildesheimensis 1000.
Padelbornensis 1000.
Halberstatensis 100.
VVerdensis 400.

II COLONIENSIS Archiep. est 10000.
Sub eo sunt Episcopi, Monasterienſis 1000.
Traiectensis ad Rhenum 4600.
Leodiensis 2700
Mindensis 1000.
Osnaburgensis 6000.

III TREVIRENSIS Archiepiscopatus est 70000.
Sub eo est Episcopus Metensis 60000.
Tullensis 2500.
Verdunensis 4400.

IV MAGDEBVRGENSIS Archiepiscopatus est 2500.
Sub eo sunt Episcopatus, Merseburgensis 120.
Naumburgensis 200.
Brandeburgensis 1000.
Hauelbergensis 600.
Misnicus 120.

V SALTSBVRGENSIS Archiepiscopatus est 1000.
Sub eo sunt Episcopi, Tridentinus 2000.
Passauiensis 103.
Viennensis 500.
Gurckensis 1066.
Brixinensis 3000.
Frisingensis 4000.
Sikauiensis
Chiemensis.
Ratisponensis 1300.

VI BREMENSIS Archiepiscopatus est 6000.
Sub eo sunt Episcopi, Lubecensis 3000
Suerinus
Schlesuicensis. 1000.
Ratzenburgensis 323.
Hamburgensis

VII RIGENSIS Archiepiscopatus est 800.
Sub eo sunt Episcopi, Reualiensis 300.
Curlandensis 4000.
Lundensis 500.
Vpsalensis 1030.
Derpatensis
Nidrosiensis 800.

VIII BAMBERGENSIS Archiepiscopatus est 3000.
IX Sunt præter hos Episcopatus quidam exempti, ut sunt
Caminiensis in Allemania, 20000.
Vratislauiensis in Silesia 4000.
Olmutiensis in Marchia.
Florentinus ad Albim in prouincia Bremensi 60
Triestinus in Foro Iulij 4600.
X Et isti
Strigoniensis in Hungaria 2000.
Quinque clesiensis 3300.
Canadrensis in Hungaria 800.
Pragensis 2800.
Rugiensis Metropolitanus marcarum argenti 160.
Basilicnsis 1000.
Camerinensis in Marchia
XI Magister ordinis Crucifigerorum, 400.

ABBATIARVM præcipuarum prouentus annuus hic se habet.

S. Ægidij Brunswigæ sub Halberstad. flor. 113.
S. Albani extra muros Moguntiæ Ordinis S. Benedicti, est flor. 133.
In Anberach ord. Benedicti sub Herbip. fl. 200.
S. Antonij sub Camerinensi in Marchia, fl. 1200.
Apollonij sub Rugensi Episc. ordinis Benedicti, taxatus 800.
Arnolphi sub Metensi Episc. ordinis Bened. 166.
Benedicti sub Strigoniensi Episc. ord. Bened. 200.
Bledenstadt sub Mogunt. ord. Bened. 133.
Blidernac. sub Leod. ord. Bened. 100.
Bruelbilienſis sub Colon. 200.
Burchardi extra muros Herbip. 300.
Carnofori extra muros Camerini in Marchia. 125.
Cladrabrensis ord. Bened. sub Pragensi Epis. 33.
Clarevallis sub Camerinensi Epis. ord. Cistert. 100.
S. Clementis extra muros Metenses ordinis Benedicti, taxatus fl. 233.
Corbiensis sub Padebornensi Epis. ord. Bened, 300.
Depositarius sub Pragensi ord. Bened. 83.
Ebracensis sul Herbipolensi ord. Cistert. 800.
Egmundensis in Holl. sub Traject. ord. Bened. 200.
S. Emerani sub Episc. Ratisp. ordinis Bened. fl. 150.
Eternacensis sub Treuirensi ord. Bened. fl. 300.
S. Eustacij sub Camerin. ord. Bened. fl. 60.
Fliderbitensis sub Leodiensi ord. Bened. fl. 100.
Fontissalutis sub Aechstetensi ord. Cistert. fl. 333
Fuldensis sub Herbip. qui sub Moguntino ord. Bened. 300.
Gemblacensis sub Leod. ord. Bened. flor. 502.
Georgij de puteſimi sub Ratisp. ord. Bened. 100.
Gorziensis sub Metensi, ordinis Bened. 1000.
Guttenthal ordinis Cistercicnsis. 300.
Grandisprati sub Leod. ordinis Cistert. 100.
Heilprunnensis ad Iseram 800.
S. Helenæ sub Camerin. ordinis Camald. 50.
Herosueldensis sub Bremensi ordinis Bened.
Hirschfeldensis in Thuringia sub Mogunt. ordinis Bened. floren. 170
Hirscaugiensis sub Spirensi ord. Bened. fl. 100.
S. Huberti in Artemia sub Leod. ord. Bened. 1000.
S. Iacobi in Bauaria sub Ratisp. ord. Bened. 40.
S. Iacobi Leodiensis ord. Bened. flor. 540.
de Insula sub Camerinensi ord. Bened.
de Insula sub Traiectensi ord. Præmonstr.
de Lambana ord. Bened. sub Camerin. flor. 100.
S. Lamberti sub Saltzburgensi ord. Bened. flor. 100.

S. Lam-

S. Laurentij de doliolo sub Camerin. ord. Bened. fl. 53.
S. Laurentij in Hersberch sub Traiect. ord. Bened. 1000.
S. Laurentij sub Leodiensi extra muros, flor. 1000.
Lichtenbergensis qui & montis Sereni sub Magdeburgensi Augustin. 33.
Lörensis sub Argentinensi ord. Bened. 310.
S. Martini sub Colon. ord. Bened. 150.
S. Martini prope muros Treuirenses, ord. Bened. 300.
S. Martini Glanduensis sub Metensi, ord. Bened. 500.
S. Martini prope Metas. 300.
S. Matthiæ prope muros Treuir. ord Bened. 150.
S Maximini extra muros Treuir. ord. Bened. 400.
Milocensis sub Pragensi, ord. Præm. 233.
Montis S. Michaëlis, vulgò *Munchenberg*, prope Bambergam. 200.
Montis Sionis, qui est Stragoniæ sub Pragensi Episc. 100.
Naboris ord. Benedictini sub Metensi. 100.
Nemllor sub Argentin. ord. Bened. 301.
Newstadiensis, aliter Nouæ ciuit. sub Herbip. ord. Benedictini. 300.
S. Nicolai in Camberg sub Herbipol. ord. Bened. 120.
S. Nicolai Vmbilicensis sub Colonicnsi, ord. Bened. 150.
Optanensis ord. Bened. sub Pragensi. 500.
S. Pancratij de Sillo ord Bened. sub Rugensi non taxatus.
de Paro ducis in Brabantia ordinis Præmonstratensis sub Leodiensi. 300.
S. Pauli sub Traiect. ord. Bened. 400.
S. Petri montis Augustin. sub Metensi floren. 100.
Pirimij de Hone, aliter Arribacensis vel Hornebacensis ord. Bened. sub Metessi fl. 126.
Ramoalli de val casto, ord. Bened. sub Camerin. 50.
In Ronsse valle, sub Bremensi ord. Bened. 100.
de Rotis sub Camerin. ord. Bened. 40.
S. Salsensis ord. Bened. sub Argentin. 200.
Salua de Saxo sub Quinquecclesi. ord. Bened. 266.
Schattensis ord. Bened. 300.
In Senethera ord. S. Augustini sub Argent. 200.
In Schrarizach ord. Bened. sub Argent. 333.
Sengebach sub Argent. ord. Bened. 200.
Sibergensis sub Colon. ord. Bened. 107.
Silcensis ordinis Præmonstrat. sub Traiect. 200.
Stabulensis sub Colon. 140.
Stephani sub Herbipol. ord. Bened. 110.
In Sucter ord. Bened. sub Herbipol. 140.
Symphoriani extra muros Metenses. 350 ½
Templensis sub Pragensi Episc. ord. Præmonst. 260.
Tuitiensis sub Colon. ord. Bened. 150.
S. Trudonis sub Leodiensi. 1568.
Vallis fossinæ sub Camerin. ord. Bened. 50.
Vallis S. Georgij sub Moguntino. ...
Valeodorensis ord. Bened. sub Leod. 100.
Villari, ord. Cistert. sub Leod. 200.
Vincentij sub Metensi ord. Bened. 400.
VVeissebergensis sub Spirensi. 750.

Longit. XXXV. *o.* *Latit.* XLVI. *55.*

NON est idem Pons Æni veterum qui noster hodie: Antoninus & Notitia Imperii Pontem locant in Rhætia, quo loco Auentinus Oetingam posuit: qua tamen in re ipsum ratio fugit. Proficiscenti quippe Iuuauo Isiniscam, hoc est Salisburgo Monachium, non est iter instituendum per Oetingam, quum tamen & Antoninus & Tabula Peutingeriana in eo itinere viam sternant per Pontem Æni. Melius ergo Cluerius noster, qui existimat, Pontem illum Æni esse *Alten-Hohenaw*. Qui verò nunc Æni pons dicitur, is longe est à priore diuersus, loco & tempore. Sunt autem qui putent illum antiquis vocatum fuisse Veldidenam. Etsi verò ratio itineraria haud admodum refragetur: tamen nos Simlero iisq; suffragamur, qui Veldidenam dicunt esse monasterium illud quod haud procul Æni Ponte hodie vocatur *Wilten*. Nomen vnde inditum sit, res docet. Pons enim Æno amni quem Græci Αἶνον vocant, iniectus, vrbi dedit initium. Ænus vero Rhætos, vt ait Tacitus, Noricosque interfluit. Habet autem vrbs forum eius ditionis iudiciarium, ad quod prouocationes instituí solent, estque idcirco sedes Principum, inuitante præterea tum loci opportunitate, tum amœnitate, & fertilitate. Læti sunt agri segete, montes siluis, siluæ feris, colles vitibus, valles fontibus perennibus, ac piscosis lacubus amnibusq;: Estque præterea per eam Tridento ex Italia in Germaniam proficiscentibus iter necessarium. Habet & argentifodinas vicinus ager, præsertim ad oppidum *Schwatz*, tam quidem vberes, vt ex iis quotannis fructum ccc millium aureorum Principi cedere, autor sit Cuspinianus. Aeris nusquam maiorem copiam, nusquam præstantiorem bonitatem idē prodidit, quod in Falkensteyn & Erbstollern effoditur. Ædificia pleraque vrbis quadrato saxo, quod vicini montes suppeditant, exstructa sunt. Prætorium magna parte deauratum est. Ei vicinum cōspicitur palatium, cuius tectum laminis argenteis stratum est à Maximiliano Imperatore Friderici IV filio. Atria in eo magnifica, conclauia, porticus, xysti, sacella, supellectile varia aulæisque & picturis instructissima. Est imprimis cœnaculum ibi ingens, in quo Illustris Austriacorum Principum prosapia ad viuum ingeniosa Titiani manu depicta cernitur. Spirant illic vultus FERDINANDI Imperatoris cum coniuge Anna: CAROLI V cum Leonora Emanuelis regis filia: PHILIPPI Hispaniarum regis cum Maria Angliæ regina, MAXIMILIANI II cum Maria Caroli V filia. SIGISMVNDI Poloniæ regis, ALEXANDRI Hetruriæ Ducis, aliorumque. In eiusdem Palatii armamentario ostenditur armorum telorumq; ingens copia: tum exuuiæ & hostium spolia: Acinaces Persici & Scythici: Samatereſ Daricæ: Sarissæ Macedonicæ, Arcus Ithyrei cum sagittis & pharetris: postremum, statuæ equestres Numidarum, Maurorū, Parthorum, Thracum, Thessalorum, Pannonum, Germanorū, Turcarum: omnia ad stuporem vsque admiranda. Templum Ferdinandus Imperator quadrato saxo exstruxit. In medio templi conspicitur Imperatoris Maximiliani monumētum, quod nepotes Carolus V & Ferdinandus Augusti auo suo posuere, exsculptis è marmore Pario rebus ab ipso pace ac bello præclarè gestis, & ad vtrumque latus positis per templi intercolumnia veterum Austriacæ domus heroum statuis ex ære fusis, cum titulis suis & elogiis: inter quas eximia est Gothofredi Bullionei Ierosolymorū regis cum corona spineâ: quod auream, ductus reuerētia Seruatoris sui, detractasset. Extra vrbem in Æno est insula *Mulbach*, in quo Armamentarium & officinæ ferreæ.


AMBERG

Longit. Grad. XXXII. *40. Latitud.* XLIX. *26.*

AMBERGA superioris Palatinatus ciuitas primaria est, vallo, fossa, turribus, propugnaculis, situ egregie munita, ciuium vero concordia & in Principes suos fide, armorumque tractandorum peritia inuicta. Sita est ad amnem Vilsam, qui in Nabum sic sese exonerat, vt hic in Danubium. Creuit vrbs paullatim incolarum industria, prudentia magistratus. & liberalitate Principum. Maximus in ea prouentus est ex metallis, ac ferro imprimis, quod ex vicinis montibus magna copia eruitur, & ingenti cum lucro ciuium partim rude ac impolitum, partim in vsus humanos artifici manu formatũ varie distrahitur. Fuit autem initio sub potestate Sueuorum: sed eam Ludouicus II Dux Bauariæ & Elector Palatinus emit a Conrado Sueuiæ duce, anno Christi M CC LXVI, firmatusque est contractus ab Episcopis, Abbatibus, & Principibus cõpluribus. Post cæsum verò ab Heluetijs Leopoldum Austriacum Imperante VVenceslao, tres hic cõuenere Ruperti, fœdusq; inter se pepigerunt, quo comprehensi sunt etiam Albertus Ludouici Imperatoris filius, Comes Hollandiæ, nepotes Imperatoris, alijq;. Lectus postea in Imperatorem Rupertus Palatinus Ambergam egregie auxit muniuitque. Is moriens quum plures liberos relinqueret, voluit vt Friderico cederet Amberga, cæteris liberis aliter ipse prospexit. Frederici huius, itemq; Ottonis, & Ioannis Neoburgici nepotes nulli fuerunt: itaq; ad Ludouicum II Electoré Palatinum deuoluta sunt, Amberga, Mosbachium, Neoburgum. Eius filius Ludouicus Mansuetus tranquille vrbem, vt & cætera vtriusq; Palatinatus rexit. Obijt anno M CCCC XLIX, relicta vxore grauida quæ eopse anno enixa est Philippum postumum, cui tutor ex lege fuit patruus Fridericus. Is quum statuisset Palatinatũ tempore suæ tutelæ ornare, protinus se gessit pro Electore, hortantibus etiam ad id Comitibus, & Ordine Equestri, & pleriſq; ciuitatibus, quod vererẽtur, ne per infantiã legitimi hæredis alius in bona illa inuolaret. Displicuit autẽ ea res Imperatori, quod existimaret, Fridericum crescentẽ potentia ad se suosq, pupilli hæreditatẽ translaturum. Itaq; ab Imperatore proscriptus est. Quum autem postularet, vt Ambergenses fidẽ sibi tanquam Palatino Electori darent, difficiles offendit ad eam rẽ animos ciuium, dicentium, se obstrictos esse Ludouico eiusq; hæredibus, nec posse aut ipsum ad se trahere pupilli bona, aut se duos legitimos dominos habere. Fuit enim Ambergẽsium summa semper in suos Principes fides. Ille ergo contra obniti. Hi cũ Senatu pertendere. Tandem decretum vnanimi omnium cõsensu, Friderico præstandum quidẽ iuramentum obsequii & fidelitatis, sed vt tutori & Administratori, non vt Electori. Ille nihilominus missis ad ipsos Consiliarijs conatus est mentes eorũ ad se inflectere, vim etiam si recusarent, ostentans. Offensi ergo ciues quosdam ex iis in Curia captiuos tenuerunt aliquandiu, quos tamen haud multo post dimiserunt, vno excepto, qui vt iratæ multitudinis furorem euaderet, boui mactato atq; exenterato se insui passus est, & corruptis custodibus pro cadauere extra vrbem deferri. Irritatus hac legatorum suorum iniuria Fridericus, collecto subito milite cum M D equitibus Ambergam properauit, cęteris sequi iussis, pœnas à ciuibus contumacibus sumpturus. At illi iam ducti pœnitentia cum Senatu & ordine Ecclesiastico ipsi obuiam progressi, veniam delicti postulabant. Fridericus quinque e ciuibus noxæ dedit, deque iis tres securi percussit. Ita tandem iurarunt Ambergenses in verba Friderici, ipsumque pro Electore habuerunt.


AMSTERDAM

Longit. XXVII. *34.* *Latit.* LII. *40.*

AMSTELODAMVM quum vltra medium Rheni ostium situm sit, Germaniæ Transrhenanæ adscribendum est: Nomen habet ab aggere Amstelæ obiecto. Est autem Amstela amnis ille qui per vrbem lapsus in flumen maius quod *Ye* vocāt exoneratur. Is ergo amnis ex obiectu aggeris oppositi, quē cataracta admittēdis atque emittendis aquis nauibusq; peruium facit, nomen vrbi dedit. Valet enim Amstelodamum tantundem ac si dicas aggerem Amstelæ fluuij. Sic a *Rotta* & aggere Rotterodamum; a *Schia* Schidamum, ab *Ya* Edamum, quia *Dam* vernacule est agger. Fuit autem hoc territorium olim Dynastarum Amsteliorum & Iselsteniorū, haud infimæ in Hollandia nobilitatis: Memoraturq; anno MCCIV, (neq; enim est altior vel Dynastarum istorū vel oppidi memoria,) Gisbertus quidam fuisse Amstelius, qui se Guilielmo Frisiæ principi Comitatū Hollandiæ ambienti oppositi, secutus parteis Ludouici Lossensis Comitis, qui Adam Theodorici filiam vxorem duxerat, cui etiam fauebant Vltraiectini. Creuit vrbs paullatim, vt fit ex familiarum plurium coniunctione in pagum, inde in vicum aut municipium, ac tandem in potentissimā ac florentissimam vrbem, Emporiumque toto orbe celeberrimum, incolis accolisque quasi Genio quodam loci ad res suas augendas cōpulsis, quod ipsos a luxu & profusione ad temperantiam frugalitatemque agri & circumfluarum paludum inamœnitas, ad industriam vero hæcipsa & præterea adnatum genti studium exteras regiones inuisendi, reuocarent. Anno MCC LXXV data est ipsis a Florentio Comite facultas merces suas bonaque per vniuersam Hollandiam distrahendi, idque in compensationem damnorum ipsis a se illatorum; Ac tunc quidem temporis adhuc parebant Dynastæ suo. Sed post Florentij necem, cuius etiam conscius fuit Amstelius, deuolutum est ius eius oppidi ad Comites Hollandiæ, tam quidem volentibus ciuibus, vt pro beneficio Principali habeant, quod non possint a Comitatu Hollādiæ diuelli, cuius priuilegij diplomata a Principibus suis obtēta in archiuis studiosè seruāt. Post Florentium Guilielmus IV ius quoque municipij ipsis dedit, anno MCCC XLII, dimensis insuper definitisque quaquauersum limitibus, dataque Prætori ac Consulibus potestate admittendi in ciuium numerum quoscumq; ipsi vellent. Albertus Bauarus facultatem concessit ampliandi oppidum ad decempedas centum. Tandem anno MCCCC LXXXII Imperante Maximiliano, qui surgēti vrbi ob egregias opportunitates ciuiumque singularem industriam fauebat impensius, muro lateritio turribusque & portis splendide exstructis ornata est. Ita intra paucos annos ex vlua palustri & iuncis atq; arundinetis caput extulit Amstelodamensis ciuitas magno Hollandiæ bono. Seruant hodieque aggerum nomina plateæ, Maris, atque Arundinum. Mediam vrbem perlabitur Amstella fluuius, secatque eam in duas partes, quarum illa quæ curiam habet, nouum latus dicitur; altera, vetus; manifesto indicio, hanc illa priorem habitatam cultamque. Templum veteris lateris B. Ioanni sacrum ante hos annos ducentos condi cœptum est: ac lente, ob vastam operis molem & sumptuum magnitūdinem ad eam quam nunc habet maiestatem peruenit. Anno MD auctum est sacellis aliquot, & sexagesimo sexto post pulcherrima turri. Fuit in eodem tractu quoq; ædicula B. Petri, quam a piscatoribus (vt sunt magnarum rerum exigua initia) factam aiunt, sed ea nunc abijt in macellum. Templum noui lateris condi cœpit anno MCCCC VIII, ac centesimo post anno est perfectum. Aucta vero est imprimis ciuitas nauigationi-

bus

bus Balthicis, Scanicis, Norwegicis, Suecicis, Danicis, tum piscatu, lanificio, & Vandalicarum vrbium commercijs, postremum egregia in Principes suos fide: qua factum est, vt Maximilianus Imperator cum alijs priuilegijs atque immunitatibus eam exornarit, tum concesserit, vt insignibus ciuitatis honoris causa corona Imperialis imponeretur. Verba diplomatis sic sonant, versa ex sermone Belgico in Latinum ab Isaacio Pontano,

MAXIMILIANVS *Dei gratia Romanorũ Rex semper Augustus, omnibus hasce inspecturis salutem. Ob fidem, promptitudinem, necnon merita ac beneficia multiplica, quæ cum erga nos, tum erga Proauos filij nostri Philippi Regis, diuersis occasionibus, tam Ciues, quam Ciuitas Amstelodamensis præstitere; quæque durantibus istis, quibus nunc fato quodam inuoluimur, armis, dum nimirum municipium nostrum Roterodamense, itemque Arcem atque Vrbem Voerdensem ad pacis atque obedientiæ conditiones reuocare studemus, sedulo etiamnum maximisque impendijs præstant; Decreto isto sancitum cupimus, vt dicta Amstelodamensium ciuitas, cum præsertim terra marique longe lateque mercaturam exerceat, nec ijs decoretur, quæ eiusmodi Ciuitatem deceant, insignibus, decreto, inquam, sancimus, nostraque autoritate ac gratia concedimus, indulgemus atque iubemus, vt deinceps Amstelodamum nostrum, in perpetuum rei ac fauoris nostri memoriam*, Imperiali Corona *insignia sua adornet ac muniat. Atque id cum nunc atque in omnem posteritatem firmum ratumque haberi cupiamus, hasce literas proprij, nominis* CHIROGRAPHO *subsignauimus. Datæ in vrbe nostra Schiedamensi decimo Februarij anno millesimo quadragentesimo nonagesimo.*

Curia exstructa est sub annum M CCCC XXVIII. Libra ex aduerso eius anno M D LXVI. Sunt autem in Curia aulæ multæ & conclauia Collegijs diuersis dicata. Primum est sub turricula Consulum, in quo de vniuersa Rep. deliberatur. Secundum Scabinorum, in quo ius dicitur. Tertium est præfectorum pupillis. Quartum Assecurationis, in quo ea peraguntur quæ ad nauium merciumque securitatem faciunt, si quis pro ijs spondere suo periculo velit. Quintum Argentariorum, in quo mercatorum pecuniæ fide publica adseruantur, exque arbitrio ipsorum erogantur. Quæ omnia magna prudentia instituta, singulari grauitate & constantia cõseruantur. Est præterea in vrbe Orphanotrophium in vsum pauperum: Gerontocomium in quo senes & decrepiti honestè aluntur. Nosodochium, quo ægroti, si non sufficiant ipsis opes, recipiuntur. Prochodochium, in quod inopes adultiores admittuntur. Brephotrophium, in quod infantes expositi, Ergastulum duplex, alterum pro maribus, alterum pro fœminis, in quibus adiguntur pigri ad operas præstandas; religionemque & cultum DEI, quem anteà neglexerant, curare tenentur. Est & domus mente captorum hominum aut phreneticorum, in quam insani compinguntur; Suntq; singulis istis Collegijs præpositi a Magistratu præfecti quidam graues & prudentes, tum etiam matronæ honestæ ad curam rerũ earum quæ illum sexum potius quam viros decent: Illos vocant partes, has matres. Istis legibus atque institutis commode prospicitur magno illi corpori Reipublicæ, neque in tanta mortalium frequentia quicquam inordinatum aut neglectũ relinquitur. Ergo ex remotissimis mundi partibus petuntur merces, inque vnam vrbem ingenti copia importantur, vt postea per reliquum orbem distrahi cum fructu ciuium possint. Ex Suecia, Dania, Norwegia, Borussia, petuntur mel, cera, triticum, siligo, pix, ligna fabrilia, asseres, salnitrum, pisces vento indurati, pelles pretiosæ, mali, ferrum, plumbum, æs. Ex Anglia & Scotia panni, lana, vellera, lithanthraces, cereuisia. Ex Gallia

vina

vina alba & rubra, sal, carbasus, oleum, papyrus. Ex Hispania sal, vinum, oleum, mala aurea, citrea, punica, oliuæ, ficus, vuæ passæ. Ex Italia byssus, fila serica, aurea, argentea, panni holoserici. Ex Cypro gossypium, alumen, galla, saccarum. Ex Ægypto Mumia, dactyli, rhabarbarum. Phœnice panni cymatiles, sericum vndulatum, tapetia Turcica. Ex Germania vina Rhenensia, charta, lana, resina, opere Noribergensia. Ex Islandia sebum; Ex Guinea aurum; Ex Spitsbergia oleosa balenarum pinguedo. Ex Moluccis aromata, caryophylli, cinnamomum, piper, nuces myristicæ. Ex America coria. Nihil è mari educitur, nihil vspiam terrarum procuditur, denique nihil nascitur e terra, aut ex eius visceribus eruitur humano artificio, quod nō magna copia Amsterdamum deferatur, sæpe etiam tanta, vt petita aliunde vilius illic vendantur quam ipsis illis locis vnde illa allata sunt: quod ipsum permutationibus mercium imputari debet. Hoc constat, gossypium, quod Venetiis peti solebat, nunc maiori Amsterodami vilitate esse quam sit Venetiis. Italiæ non semel in summa annonæ charitate subuentum esse. Aromata, & merces Indicas omnis generis Amsterodami tanta copia reperiri, vt nunquam maiore reperta sint in Lusitania. Omnium nationum mercatores illic conspici, Anglos, Gallos, Germanos, Danos, Suecos, Polonos, Russos, Noruagos, Hispanos, Lusitanos, Italos, Mauros, Numidas, Turcas, Iudæos. Quodque imprimis stupendum est, creuit vrbs & aucta sunt mercimonia mediis armis, neq; vnquam minora fuere bellorum quam pacis lucra: præsertim ex quo post captam Antuerpiam illuc concesserunt prudentes & sollertes mercatores, Brabantini, Flandri, Artesii, quorum viuacitate ingenii, indefesso studio, singulari industria nihil eorum omissum est, quibus & Reip. Batauicæ commoda, & Hispanorum regis incōmoda procurari possent; circumnauigato etiam orbe, & tentatis itineribus frigore perpetuo rigentibus. Sed infinitum esset omnia recensere. Concludam hanc descriptionem egregia Hadriani Iunii Arioſtichide, qua ille vrbis laudes complexus est tum quidem florentis, sed ex eo duplo etiam maioris & potentioris.

A *ureus, vt perhibent, quondam ab Ioue perpluit imber*
M *agnificis turgentem opibus Rhodon: horrea Romæ*
S *icaniam esse Ceres victuro munere cessit.*
T *orsit & huc oculos facilis Deus ipse benignos,*
E *t me mactam opibus iussit, florereq; rebus*
L *atis: at circundor aquis, pigraq; palude*
O *bsita: roboreoq; solo stant culmina nixa*
D *ejectis altè trabibus, surgentia cœlo:*
A *lternansq; statis vicibus maris æstus aperti*
M *œnia subcingit, qua parte exotica puppes*
V *eliferæ inuectant onera, exportantq; frequentes*
M *ercatu, Hesperias quà se demittit in vndas,*
B *arbaraq; Eoüs pandit quà littora Titan.*
E *xpedio, quos nostra tamen non area verrit,*
L *egifera cumulos Cereris, genitalia dona.*
G *argara prouentu tanto non farris abundant,*
I *nferior fuerit, vel Momo iudice, mecum*
C *ontendat locuplete penu si Trinacris ora,*
Æ *qualeisq; ferax non Africa stipat aceruos.*
H *orreum & agnoscit me non malè Belgica felix,*
O *mnigenæ vt opes, sic vitæ alimenta ministro.*
R *ectè vt quis saturæ similem me dixerit aluo,*
R *obore defectos succum quæ didit in artus.*
E *ximiæ hinc adeò Cæsar me ferre Coronam*
V *irtutis decus, ac munus spectabile iussit.*
M *ateriem at linquo scribendi vatibus amplam.*


AKEN

Longit. Grad. XXVII. *15. Latit.* LI. *10.*

ANTONIVS Nebrissensis in dictionario suo autor est, hanc vrbem Ptolemæo dici Nuagerram; & sequitur eum Iouius libro XXIX Historiarum. Atqui nusquã apud Ptolemæum comparet Nuagerra. Itaque non dubito quin illi ἕτερα indicari voluerint. Nos verò libro primo ostẽdimus, Vetera ista alibi sita fuisse. Aquarum verò nomen quin a thermis fontibusque tractum sit non est dubium. Eos describit Ligurinus lib. I. vbi Friderici Barbarossæ iter narrat,

Inde per Ardennæ saltus peruenit ad illum
Vsque locum, cui nomen Aquis posuere priores,
Quæ ratio facti, vel quæ sit nominis huius
Caussa, requirenti solum hoc opponere possum.
Sunt ibi secreti terræ cæcique meatus
Dissimilique modo, tacita tellure latentes
Eiaculantur aquas: alias nam sulfure viuo
Feruentes vndante ferunt erumpere fumo;
Ast alij gelido veluti de fonte liquores
Emanant. Tunc ducta cauis canalibus vnda
Confluit in quandam mira ratione lacunam.
Regia sic calidis miscentur balnea thermis,
Marmoreosque gradus veterum sollertia circum
Artificum posuit, per quos descendat in vndam
Quantum quisque volet; gelidas hinc, inde calentes
Inuenit, arbitrioque suo sibi temperat vndas.
Hos illis secreta locis natura vapores
Addiderit, manuumue labor, quæratur ab illis
Qui loca nota colunt.

Aquarum verò illarum vim atque efficaciam sic describit Andernacus. Fontes Aquenses in solo plano præter aliorum naturam prope ciuitatem Imperialem Aquisgranum scaturiunt, sulfure, sale, & alumine imbutæ, Emsensium more propemodum feruentes. Tum potæ tum in balneis illæ salutares sunt, neruosis, contusis, vulsis, ruptis, distortisque membris. Torpida rosolutaque instaurant. Vteros mulierum egregiè calefaciunt, vt facilius concipiant, externa corporis vitia mirifice abstergunt. Hæc igitur causa est, cur Rhegino sæpius Aquas simpliciter vocet sine vlla adiectione, sicut Galli *Aix*, Germani *Ach*, Flandri *Aken*, Rhegino etiam Aquas Palatinas dixit, nimirum quia illic Carolus Palatium condidit, sicut postea docebimus. Grani adiectio vnde sit, ambigitur, quũ alij Aquas Grani alij Thermas Grani, alij Grani Palatium, alij Aquisgranum vocent. Qui Granum quendam Neronis fratrem commenti sunt, prodiderunt suam audaciam: finxerunt enim ipsi quod a nullo vetere scriptore traditum est. Sylpurgus putauit Aquas Gratianas vero nomine appellatas fuisse, sed vnde hoc ipse habuerit, nescio. Nec desunt qui existiment nomen deriuatum ab Apolline Granno, quem in Rhætia cultum constat. Et citatur Lauingana in eam rem inscriptio,

DEI APOLLINIS GRANNI
RELIGIONI SACRVM P. P.
DIONYSIVS LEG. AVG. PR. PR.
RHÆTIÆ KAL. IVN. DD.

Sed vt in Rhætia istud sit, vnde liquebit Grannum in Gallia Belgica cultum fuisse, aut appellationem vrbi dedisse? Ego quum videam hoc nomen etiam ante Caroli Magni æuum fuisse vsurpatum, ijs adsentior, qui putant a Serenio Grano Præside Romano vrbẽ conditam sub Hadriano Imperatore. Sita est autem quarto milliari a Traiecto superiore, tertio a Limburgo, sexto a Leodio. Opportunitas loci & fœcunditas allexit vicinos ad sedes istas incolendas. Sed surgentem adflixit Attila Hunnus, neque hanc

tantùm, sed vicinas omnes, quacumque incedebat cum numeroso quingentorum millium exercitu. Restituit verò eam Carolus Magnus, qui etiam ob Francici regni vicinam, voluit, vt ibi Imperatores coronam Regum Francorum acciperent: quæ res etiam postea distractis ab Imperio Gallis, tamen in vsu mansit. Guntherus Ligurinus,

Hoc sibi prima loco veluti cunabula regni
Carolus esse volens, magno cum Francia regi
Vtraque seruiret, primam gestare coronam
Iussit, & in sacro reges ibi sede locari.
At simul a nostro secessit Gallia regno,
Nos priscum regni morem seruamus, at illa
Iure suo gaudet, nostræ iam nescia legis.

Testatur idem quoque vetus & inde a Caroli ipsius temporibus posita inscriptio, quæ in frontispicio portæ Palatij legitur. Nos eam qualis est, pronemus.

CAROLVS INSIGNEM REDDENS HANC CONDIDIT VRBEM
QVAM LIBERAVIT POST ROMAM, CONSTITVENDO
QVOD SIT TRANS ALPES HIC SEMPER REGIA SEDES
VT CAPVT VRBS HANC QVÆQVE COLAT ET GALLIA TOTA,
GAVDET AQVISGRANVM PRÆ CVNTIS MVNERE CLARVM
QVÆ PRIVS IMPERII REGES NVNC LAVREAT ALMI.

In alius portæ fronte hæc leguntur,

HIC SEDES REGNI TRANS ALPES HABEATVR.
CAPVT OMNIVM CIVITATVM ET PROVINCIARVM GALLIÆ.

Exstant hodieque varia Caroli Magni opera regaliter exstructa: Præcipuum est templum B. Virginis forma rotunda, quod columnis fultum ingentes infra habet crypto porticus. Ad eius templi ornatum fertur ipse columnas marmoreas ex Italia ac præsertim Roma Rauennaq; transportasse. Palatium quoque fecit idem, sed illud a Nortmannis circa annum DCCCLXXXI sub Carolo Caluo in fauillas redactum est, volentibus iniurias quas ipsorum maiores a Carolo pertulerant, reponere. Conati sunt ijdem ædem quoque sanctæ Dei genitricis incendere, sed non admisit opus flammam, quod maxima parte constaret ex marmore. Sunt qui narrent, ipsum Palæstina deuicta pulsisque Saracenis magnam vim reliquiarum Ierosolymis ablatarum in Belgicam asportasse, eique templo intulisse, ac nominatim clauum vnum crucis, sudarium Domini, partem coronæ spineæ, induſum B. Virginis, fasciam cui Seruator inuolutus fuit; caligas Iosephi, linteamina decollationis Ioannis, quæ postea magna in religione habita ac septimo quoque anno ostentari solita fuerunt. Sed mihi quidem hoc totum fabulosum, & a pietate ac grauitate maximi Imperatoris alienum videtur. Fuit tamen lucrosum postea iliud spectaculum: Eius verò pars tertia cedere solita est Comiti Iuliacensi, cuius quoque iuris fuit ibi Præpositum constituere; Estque ius illud natum ex contractu quodam inter ipsum & Episcopum Colonensem inito sub annum Domini MCCCLXXXII:

Nam

Nam quum dissideret a Colonienſi Ciuitate Engelbertus Epiſcopus, ſubſidio venerunt Epiſcopo Aquenſes, Colonienſibus vicinus Comes Iuliacenſis; quem quum in ipſo foro cum CCCC L militibus mactaſſent Aquenſes, poſt multas contentiones non potuit aliter componi lis, quam vt Iuliacenſis in poſterum præfectum ipſis daret, tertiamque inſuper partem oblationum ex æde B. Virginis acciperet: Non tulit hoc damnum æquo animo Sifridus Engelberti ſucceſſor, itaque ſumptis in Adolphum armis terras ipſius vaſtauit. Sed captus ab Adolpho ſeptemnali carcere factum illud luit, amiſſa etiam magna reditnum Epiſcopalium parte. Sed, en ſortem humanam. Incidit in ipſius poſtea manus Adolphus, ab eoque ferreæ caueæ incluſus eſt, ac in ea ad vltimum vſque ſpiritum detentus. Anno Chriſti M CCCC LX diſcedens Leodio Burgundiæ Dux Carolus cum rege Franciæ, mouit in Aquenſes exercitum, a quibus conquerebatur ditiores Leodienſium ciues patria profugos poſt interdictum exceptos vrbe, & hoſpitio donatos eſſe. Expugnaſſetque ciuitatem, niſi illi ſe ſupplices ipſius poteſtati dediſſent. Victori ergo Duci obuiã progreſſi primores eius Reipubl. nudatis capitibus, diſcalceati, ſolis induſijs amicti, reſtem ex collo geſtantes, ſeſe ipſius genibus aduoluerunt, atque ita proni poſt longas preces vix tandem elapſo dimidiatæ horæ ſpatio veniam gratiamque conſecuti ſunt. De hac vrbe Conradus Celtes ſic cecinit,

Fumat aquis calidis Granno vrbs ab Apolline dicta,
Corpora quæ morbis tincta liquore leuant.
Quæque patent celſæ genitricis templa Tonantis
Sanctius in noſtro queis nihil orbe micat.
Hanc caput imperij ſtatuit rex Carolus olim,
Dum Gallos noſtro ſubderet imperio,
Gallia ſed noſtris vitijs nunc libera viuit,
Et ſpernit leges Romulidaſque duces.

De thermis alius ſic,

Vnde hic feruor aquis terra erumpentibus vda?
Tela illis ludens ignea tinxit Amor.
Et gaudens ſtridore nouo, Feruete perennes
Inquit, & hæc pharetræ ſint monumenta meæ:
Ex illo feruent, raruſque his mergitur hoſpes,
Cui non titillet pectora blandus amor.

Anno MDXCVIII proſcripta eſt ab Imperatore ciuitas, decreto publicè edito menſe Iulio.

Anno MDCXII die 28 Nouembris venere Aquiſgranum fæciales Cæſaris, qui excepti a Conſulibus & Senatu perquã benigne, mandata ſua poſtea expoſuerunt. Cõſules ab ipſis exauctoratos, a Cæſare in integrum reſtitutos eſſe. Nec velle ipſum deinceps a ciuibus quicquam in Republ. innouari, ſed jubere vt in poſterum ceſſent a motibus, omneſque controuerſias ſibi diſceptandas ac definiendas relinquant: abrogatis etiam quos conſcripſerant militibus præſidiarijs. Sed parum obſequioſa ciuitas vi tandem ad officium compulſa eſt.


STRASBURG

Longit. XXVII. *50. Latit.* XLVIII. *44.*

QVOD nos nunc Argentoratum veteres sequuti appellamus, id auorum nostrorum ætate vocauerunt pleriq; Argētinam & Strasburgum. Nec ante Thomam VVolphium iuniorem, teste Rhenano, quisquam Argētorati vocabulo ad vrbem istam significandam vsus est. In caussa verò fuit fœdus error, qui Ptolemæi codicem insedit. Librarius enim Argentoratum, quod Ptolemæus Breucomago coniunxit, vicinum fecerat Borbetomago, ratus idem esse Breucomagum & Borbetomagum. Eundemque errorem sequutus postea is qui Tabulas cōcinnauit, Argentoratum non in Triboccis, sed in Vangionibus collocarat. Meminit autē eius Ammianus, qui in campis Argentinēsibus narrat à Iuliano Cęsare multa Allemannorum millia cæsa ac deleta esse, capto etiam rege Chonodamario. Argentinæ nomen manasticæ inuentionis est, qui etiam ex Moguntiaco Moguntiam, ex Cōfluentibus Confluentiam fecere: neq; verum est, argentum illic solutioni militum destinatum adseruatum fuisse, quum Treuiris fuerit Præpositus Thesaurorum Galliæ Belgicæ, & procurator monetæ, sicut ex Notitia Imperii à nobis adnotatum est libro I. cap. XI. Ansonius respiciens ad cladem illam Argentoratensem, & statum sui æui, vocauit vicum, in Mosella, vbi iter suum Argentorato Treuiros describit,

Trānsieram celerem nebuloso flumine Nauam,
Addita miratus veteri noua mœnia vico,
Æquauit Latias vbi quondam Gallia Cannas
Infletaq; iacent inopes super arua caterua.

Necesse est enim ei qui à campis Argentoratensibus Treuiros proficiscitur, Nauam flumen traiiciat. Fuit autem Ausonius sub Valentiniano præfectus Prætorio Galliarū. Postea oppidum Allemanni adflixere, quo tempore ipsi pulso Romanorum pręsidio, cum Francis de imperio certabant; Indicat hoc Sidonius Apollinaris.

Francus Germanum primum Belgamq; secundum
Sternebat, Rhenumq; ferox Allemanne bibebas
Romanis ripis, & vtroq; superbus in agro
Vel ciuis vel victor eras.

Respexit eodem Hieronymus quum epistola XI de Quadis, Vandalis, Sarmatis, Alanis, Herulis, Saxonibus, Burgundionibus, Allemannis, Pannonis conquiritur. Moguntiacū, inquit, ab illis capta atq; subuersa est, & in Ecclesia multa millia trucidata, Vangiones longa obsidione deleti, Nemetes, Argentoratus, translati in Germaniam. Creditur quod reliquum fuit vastasse Attila, sub Valentiniano Theodosii iunioris successore, post cladem Catalaunicam. Ægrè postea extulit caput traductis illuc Germanis. Ac initio quidem in ruinis veteris Argentorati, loco qui nunc Kuningesshofen, hoc est aula vel prædium regis vocatur, habitatum est. Ipsum quoque monasterium confluente illuc opificum turba muniri cœpit aduersus subitam vim; Ita paullatim ex oppidulo cœnobii creuit in ingentem vrbem. Sita est autem ad Rheni ripam Gallicā, modico à flumine interuallo. Eam perfluūt Ellus & Bruscha, qui postea extra vrbem Cincio iuncti in Rhenum sese exonerant. Templum vrbis initio sub Hlodoueo rege ligneum fuit, sacrum B. Virgini, anno DC. Id postea à Dagoberto factum est Cathedrale. Nunc elegantissimum est totius Europæ. Exstrui cœptum est anno MXV. Ei ducentis LX post annis addita est à Senatu populoque Argentoratensi turris miri ac plane stupendi operis, sub Conrado à Liechtēberg, architecto Erkuino à Steinbach, qui XXVIII annos

annos in illud opus impendit. Perpendiculum à summo eius fastigio ad imam basin est DLXXIV pedum Geometricorum. Lapides prominentes sunt, exsculpti insigni artificio. Eorum verò tanta est frequentia, vt fabrum quendam non semel viderim per illos ab imo solo ad summam crucē sine scalarum ope enitentem. Nodus qui sub cruce est, fertur sex homines capere, quum infra contemplanti non videatur disci excedere magnitudinem. De hac vrbe Sturmius in epistola ad Hermannum Adolphum Comitem Solmensem sic scribit. Quatuor res sunt quas exteri homines & magni viri quum in hanc vrbem veniunt, videre & spectare cupiunt. Harum vna est Turris primariæ ædis vestræ, cui par nulla vel magnitudine, vel firmitate operis, vel artificio in Europa & Asia inuenitur. Altera, Armamētariū magistratus nostri, quod ad omnium quidem salutem comparatum est, nō tamen omnibus ad spectandum patet. Tertia est cornu monocerotis vestrum, raræ & inuisæ magnitudinis. Quarta, Academiæ nostræ constitutio, quam mihi si per homines concederetur exædificare, mortē nullam mihi acerbam fore crederem. Miror cur nō quinto loco posuerit Reip. formam, ipso etiam phosphoro formosiorem: est enim dispositа ordine, mensura, & iudicio, ita vt primarii magistratus pars tertia legatur ex nobilibus, reliquæ partes duæ tam ex patritiis quam ex plebeijs. Post Senatores hosce tribus sunt constitutæ viginti, & singulis tribubus præfecti, Tribunus cum quatuordecim Scabinis. Hi regunt consilia & deliberationes suæ cuique tribui conuenientes. Sunt præterea quindecim viri, & XIII viri. Ac præter Senatum maiorem Senatus etiam minor. Horum omnium solerti cūra & industria cuncta ad Reip. salutem administrantur. Est & alius Senatus, qui non nisi difficillimis temporibus cogitur. Is constat trecentis viris ex singulis tribubus delectis. De hac vrbe memorabile est Eras. Rotterodami verumq; iudiciū. Hæc ciuitas (inquit) hodie inter Germanicas vel florentissima est, non solum opibus, ac non Rheno tantum præterfluente, libertate perpetua, diuturna pace, qua iam olim sub clementissimo Cæsare Maximiliano semper Augusto, fruuntur; verum multo magis ciuium moribus, magistratuum prudentia simul & integritate; quorum opera fit, vt quemadmodū olim à Massilienſium, ita nūc ab Argentoratoratenſiū Rep. vniuersa virtutū & recte institutæ ciuitatis exempla petere possis. Adhæc, quod ego sane vel in prima nobilitatis parte posuerim, in nulla gente plus honoris habetur vel egregiæ virtuti, vel excellentibus ingeniis. Vnde fit, vt non alia magis abundet summis viris, in quibus & eruditionem cōmendat morum integritas, & morum integritatem ornat erudito. Vulgo nunc Strasburgum appellant, nonnulli Argentinā: cui si quis ex re nomen commutare velit, nō abs re eam dixerit Aurentinam. Huius nunquam satis laudatæ vrbis laudibus diutius immorari liberet, nisi vererer, ne quis me dicat Scholiorum oblitum scribere Panegyricum. Hæc ille. Etiam nos dum ista scribimus, ægrè auellimur à consideratione vrbis omnium pulcherrimæ, recolentes vitæ aliquando illic suauiter, & cum laude in Sapientiæ studiis actæ memoriam. Maneat diu hac ciuitati laus.

EPISCOPORVM Argentoratenſium Catalogus.

1 *Amandus* Traiectenſis Eccleſiæ Epiſcopus domo Aquitanus a rege Dagoberto nouæ Eccleſiæ Argentoratenſi præfectus eſt: ingreſſus eſt monaſterium deſerto Epiſcopatu anno 640

2 *Arbogaſtus* Amando a Dagoberto ſuffectus præfuit Eccleſiæ annos ſex, obiit anno Chriſti 658

3 *Rodtharius*

3 Rodharius 663
4 Florentius 675
5 Ansoaldus. 680
6 Iustus. 681
7 Maximus, obiit an. 686
8 Valentinus. 689
9 Solarius. 692
10 Biulphus, obiit anno 700
11 Magnus 706
12 Aldus. 714
13 Gaorinus. 721
14 Landebertus. 727
15 Rodobaldus. 730
16 Magnebertus. 735
17 Vbiolus. 742
18 Gundoaldus. 746
19 Gaudo. 748
20 Vtho. 756
21 Wiggerus. 761
22 Waldelfridus. 765
23 Ethico vel Etho. 773
24 Aulidulphus, obiit anno. 781
25 Remigius. 803
26 Ratho obiit anno. 812
27 Vtho. 821
28 Erlenhardus. 828
29 Adelochus. 840
30 Bernoldus. 857
31 Ratholdus. 875
32 Grimoldus 883
33 Regenhardus. 895
34 Baldramus Bavarus. 906
35 Odobertus. 913
36 Godefridus. 913
37 Richivinus. 928
38 Ruthardus. 950
39 Vdo. 965
40 Eckenbaldus. 968
41 Baldus. 979
42 Wildeolphus
43 Adovicus. 1006
44 Wernharius. 1028
45 Wilhelmus, 1047
46 Heczilo 1065
47 Wernharius, 1078
48 Theobaldus, 1084
49 Otto frater Frederici a Stauffen, obiit anno 1100
50 Balduinus. 1102
51 Chuno qui exstruxit monasterium Barumgartense, obiit an. 1123
52 Bruno, invisus Lothario Saxoni Imperatori, 1130
53 Gebehardus, mortuus anno 1141
54 Burchardus extinctus anno, 1161
55 Rudolphus Simoniacus, deturbatus a Papa Alexan. 1179
56 Conradus, obiit anno, 1180
57 Henricus Baro ab Hasenburg, obiit anno 1190
58 Conradus II, obiit anno 1202
59 Henricus Comes a Veringen, obiit anno 1223
60 Bertholdus 1239
61 Henricus a Stahleck, extinctus anno 1260
62 Waltherus, obiit anno 1263
63 Henricus Baro a Geroldisseck. 1273
64 Conradus Baro a Liechtenberg 1299
65 Fridericus Conradi frater sub Alberto Austriaco, obiit ann 1306
66 Ioannes a Dirpheym Helvetius 1326
67 Bertholdus Comes a Buckeck, obiit ann. 1353.
68 Ioannes Baro Liechtenbergius 1365
69 Ioannes sub Carolo IV Imp. 1373
70 Lambertus a Bueren sub quo Angli in Alsatiam irruperunt.
71 Fridericus Baro a Blanckenheym translatus Vltraiectum.
72 Burchardus Comes a Lutzelstein, deseruit Episc. 1394
73 Guilielmus Comes Diestensis ex Episcopo Traiectensi, 1439
74 Conradus electus legitime, statim resignavit.
75 Rupertus Palat. Rheni, ob. an. 1478
76 Albertus 1506
77 Guilielmus 1541
78 Erasmus, qui Thomense Collegium Senatui in vsum Scholæ tribuit.
79 Ioannes a Manderscheydt, sub quo anno 1584 ingens certamen ortum est inter Canonicos Argentinenses Pontificios & Euangelicos: eo extincto an. 1592 administrator ab his electus est Ioannes Georgius Marchio Brandenburgicus: ab illis Carolus Dux Lotharingiæ Episcopus Metensis: Ei postea successit Leopoldus Austriacus.


AUGSPURG
S. Vlrichs
Thum Kirch

Longit. XXXII. 30. *Latitud* XLVIII. 20.

AD Danubium ſunt Rhætia & Vindelicia. Sed ſicut Aſia Aſiam in ſe habet propriè ſic dictam, ac prætereà alias complures diſtinctis nominibus regiones; ita Rhætia illa communis habet in ſe Rhætiam ſingularem ac prætereà etiam Vindeliciam, Lyco amne a ſe invicem diſcretas. Atque hanc quidem cauſam nonnulli eſſe opinantur, cur Auguſta interdum dicatur eſſe Rhætorum, interdum Vindelicorum. Tacitus eam vocat ſplendidiſsimam Rhæticæ provinciæ coloniam: Quum autem credibile ſit, Vindelicos aliquid etiam in adverſa ripa terrarum habuiſſe, non eſt mirum, ſi quæ propriè Rhætorũ fuit, ob hanc cauſam etiam dicta ſit Vindelicorum, ipſis quoque Vindelicis in altera fluminis ripa ab hac parte nomen trahentibus. Vindus quippe in Licum ſeſe exonerat in Rhætia, & ab hoc confluxu qui ad Auguſtam fit, dicta eſt Auguſta Vindelicorum. Huc ſpectant verſus iſti Fortunati libro quarto de B. Martino, quibus carmen ſuum alloquitur,

Si tibi Barbaricos conceditur ire per amnes
Vt placide Rhenum poſſis tranſcendere & Iſtrum,
Pergis ad Auguſtam, quam Vindo Lycuſq; fluentat.
Illic oſſa ſacræ venerabere virginis Afræ.
Si vacat ire viam, neque te Baioarius obſtat
Qua vicina ſedent Breonum loca, perge per Alpes
Ingrediens rapido qua flumine volvitur Aenus.

Et Richardi Poetæ iſti,

Reſpicit & late fluvios, Vindamque Lycumque
Miſcentes vndas, & nomina littoris: Vnde
Antiquam gentem, populumq;, vrbemq; vocarunt
Vindelicam.

Sed Vindam hodie vocant *Werdam*: Itaque rectè Camerarius,

Vinda parum a propria deducto nomine voce
Sic proprium quod nunc Werda vocatur, habet.

Eſt autem vetus admodum & antiqua hæc vrbs, imo & ante Romanorum imperium celebris inter Rhætos & Germanos: Sed in eam poſteà auſpicijs Cęſaris Auguſti deducta eſt colonia, ex eoque illa Auguſta dici cœpit; quo modo ad Danubium Auguſta Acilia; in Gallia Auguſta Auſciorum; in Hiſpania Auguſta Bracarum; In Luſitania Auguſta Emerita; in Comagena Auguſta Euphrateſia; Prætoria in Salaſsijs; Rauracorum ad Rhenum; Veromanduorum, Sueſſonum, Taurinorum, Tiberij, Trevirorum alibi. Exſtat hodieque numus Auguſti aureus, in cuius antica parte effigies conſpicitur Auguſti cum hac inſcriptione, IMP. CÆSAR AVGVST. PONT. MAX. TR. POT. XVI. COS. XI IMP. XIV. In averſa, Sacerdos, agens iugum boum, cum hac inſcriptione, TI. SEMP. T. F. GRACCVS IIVIR ITER. COL. IVL. AVG. EX S C. Et infra COLONIA DEDVCTA. Nec dubium eſt, quin ad Vindelicorum Auguſtam hoc referendum ſit. Quo etiam pertinet æreus numus anni præcedentis, in quo caput Auguſti cum titulo, AVG. TRIB. PO. XV. Et in averſa parte, figura paludata ſedens, dextera pini conum tenens, ſiniſtra cornu copiæ, qui citra controverſiam eſt typus Auguſtæ Vindelicorum. Exſtat & alius cum capite Auguſti laureato, cui additum, IMP. CÆSAR AVGVSTVS. In averſa verò parte ſpectantur quadrigæ triumphales vehentes pini conum, cum inſcriptione, TI CLAVDI. T. F. NERO COS. ITER. IMP. ITER. Et credibile eſt id factum quo tempore Tiberius & Cl. Druſus Nero-

nes Rhætiam Vindeliciamque devicerunt subsidio adversus rebelles, & imbuendis socijs ad officia legum, vt ait Tacitus. Huc refero illud Ottonis Frisingensis. *Hic Drusus Moguntiam in Gallia & Augustam in Rhætia, quæ ante Vindelica dicebatur, ex nomine Augusti vocatam fundasse vel instaurasse dicitur.* Ac sunt qui initio putent a Druso dictam vrbẽ Drusomagum, posteà verò a Romanis Augustã, inde addita Germanicæ vocis, terminatione dictam Augs-purgum, quasi dicas πύργον, burgum sive oppidum Augusti. Nunc ea Sueviæ accensetur, ex quo fortis Suevorũ natio transito Danubio illa etiã loca insedit. Sunt enim nunc circuli Sueviæ partes quatuor. Prima habet Ducatum Wirtenbergicum, cum Vlma, Reutlinga, Eslinga, Norlinga, Hailbrunna, & Halla. Secunda, Marchionatum Badensem, Rotwilam, & Gidebachum. Tertia, Principatum Constantiensem & Campidoniensem, Biberacum, Isnam, & Lindaviam. Quinta Augustam, Caufbyrum, & Memmingam.

Post calamitatem ab Attila illatam cœpit se vrbs paullum erigere, sub Ostrogothorum rege Theodorico. Quum verò exactis Romanis Suevi Danubium imperij limitem transgressi, Rhætiam omnem invasissent, ac cum Alemannis ipsi quoque de pellendis Francis consilia agitassent, victi ad Tolbiacum cessere potestati victorum, facti Fiscalini, parveruntque Augustani cum Rhętis & Vindelicis Austrasiorum regibus vsque ad Carolum Martellum: Anno DCCLXXXVII Carolus Magnus dum Tassilonem Bavariæ ducem oppugnat, ingentem vrbi calamitatem intulit.

Anno CMLV Otto Magnus Vngaros ad Augustam iam quinquagesimum annum Germaniam divexantes funditus delevit, adiutus imprimis a textoribus Augustanis quibus idcircò Hunnorum regis insignia concesserit, clypeum rubro & flavo colore decussatim distinctum.

Anno MLI Henricus Niger conventum hic habuit Imperialem Kalendis Februarij.

Anno MLXXVII Rudolfus Rhijnfeldensis Sueviæ Dux, Hildebraudi Papæ instinctu contrà Henricum IV Cæsar electus, comitia hic celebravit, vna cum Legato Romano. Ex eo multis calamitatibus exposita vrbs, atque imprimis a Guelfone Bavaro capta anno MLXXXVIII multa adversa a bello & incẽdio passa est.

An. MCXXXII sub Lothario Saxone iterum flãmæ & belli damna sensit. Sed sub Conrado III restaurata, sub Frederico Barbarossa restituta & multis modis supra priorem statum aucta est.

Sub Rudolpho Habspurgensi Comitia hic habita sunt anno MCCLXXIV, quibus e filijs suis Ioannem quidem Sueviæ, Albertum verò Austriæ & Styriæ duces solenniter renunciavit, Ottocarum verò Bohemiæ regem vnà cum Henrico Bavarię duce qui ipsius electioni obstiterant, atque adhuc sese hostiliter gerebant, inimicos pronunciavit.

Sub Carolo IV Imperatore primum multa feliciter, impetratis immunitatibus, posteà sub filio eius Wenceslao improsperè gesta sunt, Episcopis domi avaritia & ambitione cuncta turbantibus.

Sub Sigismundo aucta sunt vrbi privilegia & immunitates. Respublica eo nomine Imperatorem pecunia sua iuvit adversus Hussitas.

Anno MCCCCLXIX sub Frederico Imperatore composita est controversia inter Remp. & Ludovicum Bavarum, inque lætitiæ signum celebrati sunt ludi anno sequente totius fere Germaniæ populis ad eos evocatis.

Anno

Anno MCCCCXCVI celebravit hic Festum Maximilianus Austriacus cum Philippo filio suo Archudice.

Sub eodem Maximiliano sæpius hic agitata comitia: Anno 1518 evocatus Lutherus rationem fidei suæ reddidit.

Sub Carolo quinto in Comitijs oblata est Cõfessio anno 1530. Decimo octavo post anno cusa est moderatio religionis quam INTERIM vocarunt, per Iulium Pflug, Michaelem Heldum, & Ioannem Islebium. Biennio post habitis ibi comitijs vrsit Carolus V Concilium Tridentinum.

Sub Ferdinando confirmata est pax Augustana.

Sub Rudolpho celebrata ibidem comitia, anno 1582, quibus ille sumptus impetravit ad fines Hungariæ defendendos, proposita etiam emendatione Kalendarij, ex formula Gregorij Papæ: sed quum eam dissuaderet Elector Saxoniæ Augustus, tumultuatum est illic miris modis anno 1584.

ECCLESIASTICA.

Circa annum Christi CXC fertur Augustę prædicasse Euangelium Lucius quidam, & Prætorem Campestrium ad religionem Christianam convertisse; quod tamen quia certis historiarum documentis non probatur, in medio relinquimus. Certiora hæc sunt: Sub Diocletiano Narcissum Gerundensem docuisse, & primum illic Episcopum constituisse Dionysium Cretensem, qui cum Afra, Digna, Eunomia, Euprepia, multisque alijs sanctis a Caio Diocletiani Duce interfectus est, quorum martyrum memoria incidit in quintam & duodecimam Augusti.

Circà annum verò Christi CCCC missi sunt ab Ambrosio Mediolanensi Episcopo Augustam Albanus & Theomnestus, vt Ecclesiam ibi Arriana hæresi infectam purgarent.

Circa DLXXX Columbanus monachus Scotus cum S. Gallo his locis & in vicinia docuerunt.

1 An. Christi DCXVIII prefectus est Ecclesiæ *Sozimus*, qui primus Episcoporum Augustanorum censetur; præfuit annos 18.

2 An. DCXXXVI *Berwelphus* Suevus, Duce Alemanorum & Rhætorum Sigeberto, Rege Francorum Dagoberto: sedit an. 6.

3 An. Christi DCXLII, *Dagobertus*: sedit an. 17.

4 An. Chr. DCLIX, *Manno*, sedit an. 19.

5 An. Chr. DCLXXXVI *Wicho*, sedit an. 18.

6 An. Chr. DCCIV *Bricho*, sedit an. 20. sub hoc celebrata est Synodus, anno Christi 710. autore Wunefrido Anglo qui Bonifacius dictus est, fuitque Episcopus Moguntinus, sub Pipino.

7 An. Chr. DCCXXIV *Zeiso*, sed an. 21.

8 An. Chr. DCCXLV *Marcmannus*: sed an. 29. Huius tempore Andogarius primus Abbas fuit Campoduni.

9 An. Chr. DCCLXIII *Wicterpus*, quo tempore Carolus Magnus Francorum & Germaniæ Rex fuit. Sedit an. 16.

10 An. Chr. DCCLXV. *Tosso*: sed an. 12.

11 An. Dom. 777. *Simpertus*, Caroli Magni ex sorore nepos, monachus ante Murbacensis. Hic templum maius Augustæ honori B. virginis consecravit, in profesto S. Michaelis Archangeli: sedit an. 30.

12 An. Dom. 820. *Hanto* sedit an. 7.

13 Anno DCCCXXXIX *Neodegarius*. sedit an. 4.

14 Anno MCCCXLIV. *Vdalmannus*. sedit an. 7.

15 Anno MCCCLVII *Wiggerus*, sedit an. 10.

16 *Anno* 867. *Lauto*. an. 3. Hic Lotharij Gallię Belgicę regis digamiam damnavit, vna cum Arsenio Apocrisiario Pontificis. Exstruxit idem quoq; cœnobium Faucense, & Magnum Episcopum sanctis adscripsit.

17 Anno DCECLXXI *Adalbero* ſedit anno 16.

18 An. DCCCLXXXVII *Hildenius*, ſedit an. 15.

19 Anno Chr. DCCCCXXIII. *Vdalricus*, Hugobaldi Comitis Dillingenſis filius, e proſapia vt quidam opinantur Kyburgiorum, ab Henrico Aucupe ad Epiſcopatum promotus eſt e monaſterio Sangallenſi. Vir fuit gravis: Oppoſuit ſe Pontifici cupienti ſacerdotibus legitimas vxores eripere. Ottoni Magno adfuit in belllo contra Hungaros, anno Chriſti CMLIV, captumque regem eorum baptizavit, indito ipſi nomine Stephani, & exſtructo templo cognomine. Idem S. Ioannis ædem Auguſtæ condidit anno CMLVI. & ſacellum S. Afræ extra vrbem, in quo etiam condi voluit: ſedit anno 50.

20 An. Chr. DCCCCLXXIII *Henrichus* comes a Geiſenhauſen. Hic captus eſt a Saracenis quum Ottonem Magnum ſequutus fuiſſet vſque in Calabriam, ſedit an. 2. Comitatum ſuum donavit Eccleſiæ Auguſtanæ.

21 An. Chr. 987 *Vdalgerus*.

22 An. Chr. 920. *Eutychus* ſub Ottone II.

23 An. Chr. 992. *Luitholdus*. Hic templum B. Virginis vetuſtate conlapſum reſtauravit, invitante Adelhaide vxore Ottonis primi, filia Rudolphi regis Burgundiæ, & pecunias in ſumptum conferente: ſedit an. 5. Vdalricum in ſanctos referri curavit.

24 An. Chr. 997. *Gualterus*, ſedit an. 10.

25 An. Chr. 1006. *Gebhardus*, ſed. an. 9. Hic Benedictinos monachos primus intulit in monaſterium S. Vdalrici, præpoſito ipſis abbate Reginboldo, Anno 1012. Ita Eccleſia S. Afræ in monaſterium abiit.

26 An. Chr. 1016. *Sigefridus* ſedit an. 3. Hic inteſtina Ottonis III honorifice ſepelevit.

27 An. Dom. 1019. *Bruno* Dux Bavariæ & Saxoniæ templum S. Mauritij exſtruxit, conferente impenſas Henrico II Imperatore. Poſt cuius obitum operam dedit Conrado II Salico in Imperatorem promovendo, cui etiam ius ſuum in Bavariã donavit. Ex eo bella ipſi cum Guelpho Suevo Boiorũ Comite, qui Auguſtam oppugnavit, cepit, & demolitus eſt. Eum tamen Imperator ex Italia reverſus omnia reſtaurare coegit.

28 Anno Chr. 1028 *Eberhardus*, ſedit an. 4.

29 Anno Chr. 1033 *Henricus* ex ſacellano Henrici III Imperatoris factu Epiſcopus, ſedit annos triginta. Homo inquies & ambitioſus. Heri ſui familiaritate vſque eo abvſus eſt, vt etiam in Agnetem Imperatoris viduam arſerit. Hac de cauſa inviſus Imperatori, prodente Fridebodo abbate Vlrichiano, profugit in arcem Falkenſteyn a ſe exſtructã: ſed deditione facta pœnas dedit, adacto per pudẽda palo, an. 1063. Huius opus eſt palatium Epiſcopale ad templum B. Marię.

30 An. Chr. 1063 *Imbricus*. Vir ſeverus & gravis, Saxones ab Henrico IV alieniores ipſi conciliavit: Captus quoque a Longobardis, quod Cæſari contra Papam eſſet addictior. Huius opus ſunt duę illæ turres Eccleſię cathedrali contiguæ.

31 Anno 1077 *Sigefridus* Comes Dornbergenſis. Hic quum Henrico IV faveret impenſius, in Hildebrandi papæ iram incurrit, qui Wigholdum quendam ipſi Epiſcopum oppoſuit. Hinc ſchiſma, ex ſchiſmate bellum, Pontificias partes defendente Guelpho Bavaro, qui Auguſtam cepit, S. Mauricij templum incendit, Sigefridum captivum abduxit Ravenſpurgum: Sed is ex carcere liberatus extinctis pleriſq; hoſtibus ſuis tandem ipſe quoque obijt Auguſtę.

32 An. 1093 *Hertowichus* Comes a Tichein ſe. an. 33.

33 An. 1035 *Hermannus*, adverſarium ſibi expertus Moguntinum Archiepiſcopum, eo quod addictior eſſet Henrico V Imperatori, concitatis etiam adver-

ſus

sus ipsum civibus, & Episcopo Curiensi.

34 An. 1134. *Gualterus*, sedit an. 20. resignavit Episcopatum vivus.

35 An. 1154. *Conradus* Comes a Bol & Lutzelstein, sedit an. 22. factus Monachus ad *S.* Vdalricum.

36 An. 1176 *Vdalscalcus* sedit an. 23. Sub hoc arsit monasterium *S.* Vdalrici, restitutum statim ab Henrico abbate; Dedicatum est a Cunrado Moguntino præsente Friderico Barbarossa.

37 An. 1199. *Hertowiehus* sed. an. 4.

38 An. 1203. *Sigefridus a Rechberg.* anno 30.

39 An. Dom. 1230 *Siboto*, sedit an. 9.

40 An. 1239. *Hartmannus* Comes a Dillingen, sedit annos 47. Hic Episcopatui Augustano donavit Dillingam, quo tẽpore Albertus Magnus Laugingensis Episcopatum Ratisponensem cuculla monastica permutavit.

41 Anno 1276. *Sigefridus* sedit an. 2.

42 *Anno* Christi 1289. *Wolfardus a Rodt.* an. 12.

43 *An.* Chr. 1301. *Degenhardus ab Helenstein.* an. 6.

44 *An.* Chr. 1212. *Fredericus Spet*, Baro. Sub hoc deletis per Imperium Templarijs an. 1312 habitatio ipsorum Augustæ cesit Dominicanis.

44 *An.* Chr. 1323 *Vdalricus a Schoneck* scriba Imperatoris Ludovici Bavari, Papę infensissimus, sed. an. 2.

46 *An.* Chr. 1341. *Henricus III* superioris frater, haud impar ipsi fide in Imperatorem, sedit an. 19.

47 *An.* Dom. 1360 *Marquardus* nobilis Suevus a Randeck Caroli IV vicarius in Italia, potestatem cudendi monetam impetravit.

48 *Anno* 1362 *Gualterus Hochschlitz.* an. 7.

49 *Anno* 1370 *Ioannes*, sedit an. 12. Sub hoc variè discordijs agitata est Respublica.

50 *An.* Chr. 1382 *Burgardus ab Ellerbach* factus Episcopus ab Vrbano VI, sedit an. 22.

51 *An.* Chr. 1404. *Eberhardus* Comes a Kirchberg sedit an. 7. Sub hoc Senatus sacrificulos quosdam ferreæ caveę inclusos, quum a suo Episcopo non punirentur, fame necavit.

52 *An.* 1421 *Anshelmus de Nevingem* sed. anno 12,

53 *An.* 1434 *Petrus de Schauwenberg* sed. an. 45. Vir gravis & doctus: interfuit concilio Basileensi: Henricum VI Anglię regem, Carolum IX Gallię, & Philippum Burgundum inter se dissidentes conciliavit.

54 *An.* 1369 *Ioannes* Comes a Werdẽberg, sed. an. 17

55 *Anno* 1486 *Fridericus II* Comes ab Hohenzollern, sedit an. 10.

56 1496 *Henricus a Lichtenaw*, sedit an. 12.

57 *Anno* 1517 *Christophorus a Stadio* magnus Erasmi Rotterodami sed serus fautor. Habuit initio a concionibus Ioannem Oecolampadium, postea Vrbanum Regium. Sed turbatis Augustę rebus Ecclesiasticis ipse cum omni clero anno 1537 vrbe cessit.

58 *Anno* 1543 *Otto* Baro de Waldpurg imperij Dapifer. Hic anno 1546 a confœderatis Schmalkaldensibus omni ditione exclusus, per Carolum V restitutus est. Dillingæ scholam instituit, in qua ipse lectiones audivit & disputavit. Idem quoque Wormaciæ nomine Cæsaris in Comitijs præsedit.

59 *Anno* 1560 *Ioannes Egolphus de Knæringen.*

60 *An.* 1576. *Marquardus*, Dillingæ consecratus Episcopus Augustanus in arcis sacello.

POME-


BARTH in Pomeren.

Longit. Grad. XXV. *0. Latitud.* LIV. *28.*

POMERANIA, quæ a situ maritimo, sicut alibi diximus, nomen habet, in duas partes, superiorem & inferiorem diuiditur, interfluente Odera distinctas, quarum hæc in Orientem vergens, Vandaliam Cassubiamque, illa, Ducatum Stetinensem & VVolgastensem cum insula Rugiensi complectitur. Habet autem pars vtraque egregia & crebra oppida; in quibus Bardum haud infimæ famæ est. Nomen quidam deducunt a Longobardis: alij a Bardo flumine quod accolæ Bartze vocant; id enim iuxta oppidum mari Balthico se infundit mistum ante aquis Bekenitzæ amnis. Ac fieri potest, vt & ipsi Longobardi, quorum circa Bardum flumen sedes fuerunt, nomen ab eo flumine traxerint. Vrbis primordia referunt plerique in annum a Christo nato MLXXIX, cui etiam sententiæ archiua vrbis adstipulantur: Tunc ergo ferunt Longobardos Rugiensem insulam occupaturos, vrbem in suo littore condidisse, loco negotiationi peropportuno. Paruit autem ea diu admodum Duci VVolgastensi, fuitque haud incelebre eius tractus emporium. Postea tamen Stetinenses Pomeraniæ Duces situs commoditate illecti, amplissimarum vrbium priuilegijs, Ducali residentia, Palatio sumptuose admodum splendideque exstructo, adhæc Schola, & officina typographica, denique etiam horto amœnissimo eam exornauerunt, in quo sepimenta, diuersarumque herbarum, florum, arborum, & plantarum, tum vernacularum, tum exoticarum varietas liberalem adfert ciuibus delectationem. Forum quoque spatiosum insignem ciuitati & mercatoribus vsum præstat: in quo ob agri vicini fertilitatem & maris opportunitatem, res vsui humano necessariæ venum exponuntur ingenti copia. Habet ciuitas ipsa artifices industrios: mercatores strenuos: Ager suburbanus vicinusque omnium rerum ad vitam necessariarum grata vbertate affluit, est enim irriguus, abundat stagnis, peruius est etiam onerarijs mercatorum nauibus, habet pascua, pomaria, siluas, montes, arua, riuos, ex quibus pecora, poma, ligna, feræ, triticum, pisces, alites petuntur, ac præterea butyrum, mel, cera, lana, pelles, coria. Merito vt Illustres Pomeraniæ Duces inuitati illectique tot bonis, sedem sibi vitæque domicilium in ea delegerint. Distat miliaribus tribus Stralsundia: septem Rostochio, totidemque Gripsualdia. Commoda est ex ea in Rugiam Daniæque insulas nauigatio. Ciuitatis opes in re pecuaria & negotiatione consistunt, quam nauibus magno suo commodo in vicina Daniæ, Norvegiæ, Sueciæque regna exercent. Audent & remotiores regiones petere: & ex rariis mercibus ciuitatem suam ornare. Cereuisiam coquunt sapidam, cuius beneficium vicinis vrbibus suo cum lucro indulgent.


BASEL
Rhen flu

Longit. XXVIII *o.* *Latitud.* XLVIII. *30.*

BASILEA amœniſſima atq; ampliſſima hodie cõfœderatorum ciuitas, ex Auguſtæ Rauracorum ruderibus creuit, initio parua, ſed poſt euerſam Auguſtam maior celebriorque. Remotiſſima eius memoria eſt apud Ammianum Marcellinum, qui Baſiliã vocat, & Gratianum Imperatorem narrat prope eam propugnaculum aduerſus Germanos cõdidiſſe. Sunt autem qui a Baſilina Iuliani matre nomen inditum credant. Rhenanus a paſſu mauult, quod ibi traiectus eſſet Germanorũ Gallorumque, ſiue merces ſuas, vt fit, commutantium, ſiue exercitus in alterutram ripã exponentium, quod vtrimq; ripa depreſſa ſit, Auguſtæ vero inacceſſa. Ille ergo exiſtimat Baſileam quaſi Paſſileam dictam eſſe. Addit amplius, ad munimentum illius traiectus duas a Romanis turres exſtructas, quarum etiam hodie altera conſpicitur in capite pontis, altera paullo inferius; nomen habet a ſale quod ibi adſeruatur. Eſt autem Baſilea in numero liberarum Romani Imperij ciuitatum prima, ampliſſimis inſuper immunitatibus ac priuilegijs donata. Celebris Epiſcopatu, & Gymnaſio. Mediam Rhenus diuidit, ac veluti duas vrbes ex vna facit, quarum illa quæ in ripa Gallica eſt maior Baſilea dicitur; hæc vero quæ in ripa Germanica, minor: paruitq; olim illa quidem Veſontino Epiſcopo, hæc Conſtantienſi. Partes põte, ex quo amœniſſimus eſt proſpectus, nectuntur. Aer apertus & liber, ager planus magna ex parte, campi fertiles. Flumina præter Rhenum Byrſa & VVieſa, quorum ille ex Iura monte per valles lapſus Baſileã maiorem multa ligna defert: Hic ex aduerſa parte e Nigra ſilua, quæ Hercynia eſt, vel Heluetiorum veterum eremus, minorem Baſileam ornat, multis officinis inſeruiens. Nam & trabibus ſecandis conducit, & frumento cõminuendo, & fabrilibus inſtrumentis exacuendis poliendiſque, dum molas verſatiles impellit. Eſt autẽ VVieſa piſcoſior Byrſa; ſed hic illo ad molas papyraceas aptior, quarum ingens numerus ad Byrſæ elicẽ conſpiciuntur, haud procul a monaſterio S. Albani. Aucta & ornata eſt Baſilea templis alijſque ædificijs ab Henrico Imperatore I & II, quorum exemplum alij quoq; Imperatores ſequuti ſunt. Templum B. Virginis quod Epiſcopale eſt, opus eſt Henrici Auguſti, qui poſt Hungaricã vaſtationẽ illud vel ex ſolo excitauit, vel collapſum reſtituit. Eius donum & anathema eſt lamina illa aurea ligneæ tabulæ adhærens, ſeptem millibus florenorum æſtimata, in qua cõſpiciuntur imagines Michaëlis, Gabrielis, Raphaëlis, Vrielis, & Benedicti, inq; horum medio IESV CHRISTI, cuius pedibus ipſe cum vxore Kunigunde aduolutus iacet. Anno Chr. M CC LXXIII certatum eſt ſumma contentione animorum aduerſus Baſileenſem Epiſcopũ Henricum a Rudolpho Habſpurgenſe, ob Briſacum & Neopurgum: quæ Epiſcopus ſua, ſua eſſe dicebat Rudolphus. Ipſa quoq; ciuitas Balileenſis in parteis tracta factionibus ardebat, inditis nominibus ſtelliferorum & pſittacigerorum, quorum illi Rudolpho, hi Epiſcopo fauebant. Sed quum illos iſti expuliſſent vrbe, acceſſit ad veterẽ noua hæc belli atq; obſidij cauſſa. Forte autem tunc Septemuiri conſtituendo Imperatori Francofurti cõgregati Rudolphum nihil minus cogitantem in Regem Romanorum eligunt: Eæ litteræ a Moguntino ad Baſileenſes miſſæ cauſſa fuerunt conſtituendæ ſubito pacis. Baſileenſes quippe Electionis litteras nouo regi offerẽtes, ipſique acceſſionem ſummi in terra honoris gratulantes, pacem veniamq; petiuerunt ſimul & obtinuerunt. Eius rei fidem etiam hodie facit ſtatua lapidea, quæ adhuc Baſileæ exſtat prope interiorem portam B. Ioannis in Burſa quæ olim Leonina dicta fuit, referens imaginẽ Rudolphi chlamydati, ſedentis, ac ſiniſtra ſceptrum, dextera litteras tenẽtis. In minore Baſilea (licet ea Cõſtantienſis eſſet Epiſcopi)

habitarunt olim Antistes Basileenses;vsq; ad an. M CCCLXV, quo tempore Episcopatui præfuit Ioannes de Vyan homo Italus, inquies, auarus. Hic vt ægre faceret Basileensibus minorem vrbē vendidit duci Austrię triginta millibus florenorum. Sed Basileenses cum Austriaco ita transegerunt, vt adnumerata ipsi pecunia quam expenderat,additoq; luculento honorario, eius quoq; partis Domini facti sint. Nobilitauit autē Basileam imprimis CONCILIVM sub Eugenio Papa celebratum,quum antea id Martinus instituisset; Initium eius incidit in an. M CCCC XXXI, finis in M CCCC XLII. Caussa conuocati concilij fuit decretū Constantiensis, quo statutum erat,vt proximo inde quinquēnio,postea septennio,ac deinceps decimo quoq; anno vniuersales Synodi cogerentur: vrgebatq; periculum defectionis Bohemorum, qui irritati magis quam deterriti exemplis Hussi & Hieronymi Pragensis,aperte grassabantur. Quum autē in ciuitate Papiensi Concilium iam celebrari cœpisset,atq; inde translatum esset Senas, vbi Alfonsus Arragonū Rex odio Martini V Petrum de Luna Constantiæ Pontificatu abdicatum restituere conabatur, placuit futuro Concilio in septennium celebrando eligere Basileam. Missus est ergo in eam rem a Martino ægro atq; inualido Iulianus Cardinalis,vt is vice Papæ Concilio præsideret. Prima sessio habita est XIV Decemb. an. M CCCC XXX. Atq; hactenus quidem quæ gesta sunt probauit postea Eugenius, litteris datis 2 Kal. Iulij anni sequentis. Postea tamen mutauit sententiā, conatusq; est irritum reddere Conciliū. Sed quo ille magis obnitebatur,eo impensius patres Basileę persistebant in recte decretis. Statuerunt ergo secunda sessione ista, Concilium legitime esse inchoatum,Concilium generale esse supra Papam, Inobedientes Concilio esse puniendos, Personas Concilij non debere extra cōcilium trahi aut impediri. Neq; licere cuiquam sine venia de Cōcilio recedere. Anno M CCCC XXXII habita est tertia sessio, die 29 Aprilis,in ea inuitatus est Eugenius Papa vt Synodo se iungeret. Et quia relatum erat, Papam dissolutionem Concilij tentâsse,missi sunt,qui rogarent, vt decretum illud reuocaret, Synodūq; auxilijs consilijsq; debitis promoueret. Statutum præterea, Nullo modo dissolutionē Concilij esse faciendam, sed aduersus quosuis cuiuscumq; tandē essent dignitatis, etiam Papalis aut Cardinalitiæ,qui Concilio resisterent,iure agēdum esse. Eodem anno 12 Kal. Iulij Sessione quarta decretum, Irritas esse omnes actiones, promissiones, obligationesq; quæ Pontifici factæ sint de non veniendo ad Conciliū: Adempta quoq; Papæ potestas creandi Cardinales durante Concilio. Anno M D XXXII, 15 Kal. Ianuarij habita est aduersus Eugeniū sessio octaua. Dati ipsi dies sexaginta,vt intra eos reuocaret dissolutionem Concilij a se factā, alioqui Synodum vltima aduersus ipsum tentaturum. Decretum quoq;,Non licere eodem tempore plura esse Concilia Generalia: iam enim Eugenius Bononiam euocarat aliā Synodum. Sequenti anno die 22 Ianuarij receptus est Sigismundus Imperator in Protectorem Concilij aduersus Eugenium. Declaratum insuper, Irrita esse omnia quæ Papa aduersus illum tentaturus esset in priuatione reguorū, prouinciarum, dominiorum, aut censuris Ecclesiasticis. Idem quoq; statutum in gratiā Guilielmi Ducis Bauariæ, qui alter Synodi Protector erat. Sessione IX die 19 Febr. anni M CCCC XLIII accusata est grauiter contumacia Papæ. Die 13 Iulij facta est citatio contra eum: vt intra X dies declararet legitimum esse Concilium Basileense,aut si in pertinacia perseueraret, haberetur pro contumaci notorie & incorrigibiliter scandalizante Ecclesiam,suspensusq; esset ab omni administratione Papatus. XIII Sessione,quæ fuit 3 Idib. Sept. ad intercessionē Sigismundi Imperatoris, & Guilielmi Bauariæ Ducis,intercedente quoque Iuliano Cardinale præside Concilij,& Archiepiscopis Spalatino & Cernensi,dilata est sententiæ in Papam Eugenium pronunciatio ad dies triginta, ea lege, vt si interea non satisfaceret, iure aduersus ipsum ageretur, nemine intercedente.

Sessio-

Sessione XIV, quæ habita est 7 Id. Nou. dilata est pronunciatio in dies adhuc nonaginta, & cõcepta formula qua se Eugenius declararet adhærere Cõcilio. Sessione XVI Anno M CCCC XXXIV die 24 April. reuocauit tandem Eugenius resciditq; a se facta : Confirmauit Concilium Basileense, eiusque omnia decreta : promisit, se ab innouationibus & obstaculis Synodo inferendis abstenturum. Sed quum antiquam cramben sæpius recoqueret Eugenius, accusata est an. M CCCC XXXVII ipsis Kal. Octob. contumaciæ Papa, declaratusq; est refractarius : Eademque sententia sessione proxima iterum confirmata est. Anno M CCCC XXXVIII 9 Kal. Febr. decreta est suspensio Eugenij Papæ manifeste cõtumacis, & in aperta rebellione persistentis, ac notorie Ecclesiam Dei scandalizantis : Eodem, quum relatum esset, Eugenium Ferrariam Concilium euocare velle, decretũ est, locum illum inutilẽ ineptumq; esse ei rei, neq; recte ac ordine delectum. Relatæ quoq; artes quibus Eugenius aduẽtum Græcorum ad Concilium retardare conatus est, eosq; alio auertere. Sequẽti anno statutum 17 Kal. Iunij, ad veritatem fidei Catholicæ pertinere, 1 Quod Concilium Generale sit supra Papã. 2 Quod Papa Concilium Generale non possit contra voluntatem Concilij dissoluere, aut alio trãsferre. 3 Quod qui his repugnet, sit hæreticus. Et quia post hæc omnia Eugenius nihilo secius pertendebat, pronunciata est tandem in ipsum sententa 7 Kal. Iulij qua decretũ a Synodo statutumque est, GABRIELEM, qui olim Eugenius IV nominatus fuit, ESSE NOTORIVM & manifeste CONTVMACEM, mandatis Ecclesiæ inobedientẽ, & in aperta rebellione persistentẽ, VIOLATOREM & contemtorem sacrorum Canonum, pacis & vnitatis Ecclesiæ PERTVBATOREM, vniuersalis Ecclesiæ SCANDALIZATOREM, SIMONIACVM, PERIVRVM, incorrigibilem, schismaticum, a fide deuium, pertinacem hæreticum, dilapidatorẽ iurium & bonorum Ecclesiæ, inutilem ac damnosum administratorem Romani Pontificatus, omni titulo, gradu, honore, & dignitate Ecclesiæ indignum. Nec multo post electus est aduersus Eugenium tunc Florentiæ Synodum agitantem Pontifex Amedeus Sabaudiæ dux, qui in solitudine Ripariolæ ditionis Geneuensis monasticam agebat. Non tulit hanc ignominiam æquo animo Eugenius; Itaq; defuncto Sigismundo excitauit Ludouicum Galliæ regis filium, qui ingentibus copijs in Germaniam adductis ita a Basileensibus exceptus est, vt reditum statim adornarit.

SERIES EPISCOPORVM BASIL.

Panthalus An. Chr.	228	Lutholdus	1192
Iustinianus	248	Gualterus	1195
Adelphius	505	Henricus II	1238
VValanus	740	Lutholdus	1247
Baldebertus	743	Bertholdus	1263
Geitzo, vel Hatto	777	Henricus II	1279
Vlricus	815	Henricus III	1285
Fridbertus	830	Petrus I	1292
Adelwinus	835	Petrus *II*	1296
VVichardus	840	Otto	1299
Heringus	890	Gerardus	1325
Landeolus	930	Ioannes	1336
Rudolphus	956	Ioan. *II* de Vyan.	1382
Adelbertus I	1019	Himmericus	1386
Adelbertus II	1020	Conradus	1394
Vlricus II	1022	Fridericus	1412
Bruno	1025	Humbertus	1416
Dietricus	1040	Hermannus	1420
Beringerus	1052	Ioannes *III*	1424
Burchardus	1070	Fridericus	1437
Rudolphus II	1107	Arnoldus	1451
Ludouicus	1113	Ioannes IV	1458
Bertholdus	1120	Caspar	1479
Adelbertus III	1142	Christophorus	1503
Ortliebus	1157	Philippus	1523
Henricus	1160	Melchior	1555
Hugo	1172	Iacobus Blaurerus	1575


BERGEN in Norwegen

Longit. Grad. XXIV. *16. Latitud.* LXI. *25.*

BERGA vel a montibus vel a recipiendis occulendisque nauibus nomen habet: est enim eius portus ampliſſimus ac tutiſſimus, cinctus vndique altis montibus, in eoque naues ab Oceani furore commodè seruantur, *Berg* autem mons est, *Bergen* occulere, seruare, custodire. Vrbs admodum antiqua est, quippe cuius & Plinius & ante illum Pomponius Mela mentioné faciant. Melæ verba hæc sunt. Thyle Bergarum littori opposita est, Graijs & nostris celebrata carminibus; In ea quod sol longe occasurus exsurgit, breues vtique noctes sunt, sed per hyemem sicut alibi obscuræ; æstate lucidæ; quod per id tempus iam se altius euehens, quanquam ipse non cernatur, vicino tamen splendore proxima illustrat; per Solstitium vero nullæ, quod tum iam manifestior, non fulgorem modo, sed sui quoque partem maximam ostendat. Non sum nescius, codices quosdam habere, initium periodi istius hoc modo, Thyle Belgarum littori opposita. Sed vt ante nos alij recte adnotarunt, vitiosa est ea lectio. Nihil enim commune Belgis cum Thyle. Plinius quoque ex Pomponio aut aliunde Bergam describens, Sunt, inquit, qui & alias produnt Germanici Oceani insulas, Scandiam, Dumnam, Bergas, maximamque omnium Nerigon, ex qua in Thylen nauigatur. Errauit quidem quod insulam dixerit, sed nos hoc nunc non agimus. Illud sufficit, Bergam, vel Bergos, vel Bergum, priscis notum fuisse. Iornandes quoque Bergionis meminit insulæ: neque est dubium quin hunc locum voluerit designare. Oppidum Bergense cum portu suo in recessu est, ad quem per sinum, qui *Carmesunt* vocatur, contenditur, rupibus vtrimque imminentibus, & fauces dispari spatio munientibus, per aliquot milliaria. Estque sinus profundus, vt qui naues onerarias cc atque amplius lastarum, sine periculo in portum deducat ad ipsas vsque mercatorum casas, vbi vel anchoras iacere, vel saxis funes suos alligare licet. Sunt enim rupibus immissi annuli ferrei, in istum vsum. Ac videtur opportunitas ista condendæ primum vrbi occasionem maioribus dedisse. Distat vero Berga a Schagen (quod oppidum est in extrema ora Iutiæ Boream versus, notissimum nautis) milliaribus propemodum LXXX. Diem habet longissimum XX, breuissimū IV horarum. Ciues & incolæ partim e Germania sunt, partim e Noruagia, quam Plinius Nerigon dixit: suntque his alij quoque populi permixti; inuitante ad migrationem quoslibet lucri spe. Ad occasum est arx regia, in qua Præfectus ius dicit. Sedes hic est Episcopalis, subiecta Archiepiscopo Nidrosiano. Ædificia sacra satis sunt splēdida: vt & ea quæ ab Anseaticis exstructa sunt. Viliora ex trabibus inter se compactis constant, cespite viridi constratis tecti loco. Anseatici mercatores a Regibus Daniæ concessis varijs priuilegijs huc allecti sunt, vt regionem annona, cuius ibi ingens penuria est, reficerent. Petunt inde pisces vento induratos, pelles pretiosas, ligna. Inferunt triticum, siliginem, farrinam, panem bis coctum, cereuisiam, vinum, aquam vitæ. Pisces sunt ex salparum & strumulorum genere. Hos mense Ianuario captant, quum frigus maximum est, & ab ventum indurant baculorum instar. Eorum captura exercetur non tantum aperto mari, sed etiam in sinubus ac lacubus, quorum aqua maxima ex parte est dulcis. Nidrosiani, quique in vicinia degunt, captos a se & ita exsiccatos vel ipsi Bergam mittunt, vel mercatoribus Bergam deferendos vendunt.


BERN
Aar flu

Longit. Grad. XXIX. *45. Latit.* XLVI. *25.*

BERNAM vrbem condere cepit Berchtoldus IV Zeringiæ Dux, absoluit eius filius Berchtoldus V: Prior ille Friburgum quoq; Brisgoiæ creauit, & alterum Friburgum in Nuchtlandia: quumque esset libertatis amantissimus, vtrique oppido nomen dedit a libertate. Vt autem ciues Nuchtlandi tutius viuerent, statuit & aliud oppidum cõdere, iuxta arcem Nideck in peninsula Arolæ amnis fluxu circumscripta quæ Saccus vocabatur: Eam autem peninsulam tunc querceta opplebant. Nomen oppido daturus, vouit, quodcumq; animal ex silua quam cedebat primum prosiliret, se eius appellationem vrbi tributurum. Exsilijt autem vrsus. Hinc læta cedentium cantio,

Holtz laß dich hawen gern
Die Statt muß heyssen BERN.

Obijt Berchtoldus iste anno MCLXXV, & pendens opus reliquit. Filius consummauit, vir grauis & iustus, sed exosus nobilitati, quod crederetur ipsis alas vulsurus. Ferũt nobiles re cum liberorũ matre cõmunicata pueros interfeciss̃e. Suspicioné auget, quod qui Soloturi ipsorum monumentum viderunt, narrent, matris quidem ossa ibi cõspici sine capite, puerorum vero singulorum (quorum alter nondũ annum secundum, alter nondum decimũ excesserat) cum capitibus. Berchtoldus filiorum necem tam indigne tulit, vt BERNAM cum pagis & omni minore Burgundia dederit imperio. Imperabat autem tunc Fridericus II, qui & ratam voluntatẽ eius habuit, & post obitũ Zeringij nomine imperij præfectum dedit Ottonem Rauenspergicum. Sed aliquot annis post ob nauatã fideliter operam imperio, ciues maioribus priuilegijs atq; immunitatibus ab ipso donati sunt, & a iure præfecti exempti. Sed in turbis & anarchia Imperij, conatus est Kyburgij Comes Burgdorffij dominus libertatẽ vrbis opprimere coniuncta sibi nobilitate, & Friburgo oppido. Occasio belli ex eo ortã, quod Bernates agro trans Arulam empto pontẽ ædificare cœpissent. Comes Kyburgicus, cuius in altera ripa erat ditio, id quum frustra sæpius fieri vetuisset, tandem armata manu conatus est impedire. Conspicati id Bernates, Sabaudiæ duci sese in clientelam dederunt, vt potentis patroni opibus hosti metum, surgenti vrbi securitatem pararent. Sic fractus est Kyburgici Comitis conatus, & pons perfectus. Nec mãsuerunt diu in ea clientela Bernates; bello enim inter Sabaudum & Burgundum orto, Bernatibus pollicetur Sabaudus, si strenue auxilium ferant, se re bene gesta præmium quodcumque peterent daturum. Illi igitur fortiter pugnantes victo hoste præmij loco veterem suam libertatẽ a Sabaudo repetiere, idq; illis bona fide ab eo præstitum est. Ab eo tẽpore perpetuo Bernates cum Sabaudo fœdus coluere. Ita restituta in libertatem Respublica varia & difficilia pericula adijt, priusquam in fœdus Helueticum reciperetur. Anno M CC LXXXVI pugnatum est aduersus Dominũ VVissenburgensem in Sibenthal. Anno sequenti Rudolphus Habspurgensis Romanorum Rex exercitum XXX millium armatorum in Bernenses duxit, Iudæis gratificaturus, qui indigne ferebant quosdam suæ gentis supplicio adfectos, reliquos vrbe pulsos esse, quod puerum Christianum clanculum occidissent. Sed respexit iuuitque Bernatium pietatem e cœlo triumphator hostium suorum CHRISTVS; flexitque Regis animum, vt post geminam oppugnationem re infecta domum regressus sit. Post multa certamina Bernates experti semper aduersam sibi nobilitatem, quæ ob Austriorum clientelam impotenti animo sese efferebat, perpetuo fœdere se cum tribus pagis, Vria, Suitia, Vnderualdia coniunxerunt. Ex eo firmata est auctaque multis modis Respublica.


BONN

Longit. XXVIII *38. Latitud.* L. *42.*

BONNÆ in historia Romana frequens mentio est. Tacitus ad eam locat hiberna legionis primæ, sicut a nobis alibi notatum est. Idem vocat Castra Bonnensia. Ptolemæo Βώννα dicitur: additurque in Latinis codicibus Legio prima, quæ verba in Codicis Palatini medio spatio interlineari rubrica exarata leguntur Græce, λεγίων ά. Sed Ptolemæus eam ponit Longit. grad. XXVII. 40. Latitud. L. 56. Meminere eiusdem quoque Antoninus & Tabula Peutingeriana. In numis Augusti citatur a Goltzio inscriptio COL. IVLIA BONA, quæ citra controuersiam huc respicit. Condita est sub Augusto a Druso, qui etiam ad tuendam Rheni ripam quinquaginta amplius castella exstruxit, & Bonnam Genosiæ, ponte Rheno imposito, iunxit. Testatur id aperte Florus lib. IV. *Per Rheni ripam quinquaginta amplius castella direxit, Bonnam & Genosiam pontibus iunxit, classibusque firmauit.* Neque causa vlla fuit, cur hoc loco reponeretur Bononia, & Gessoriacus. Hodie neque pontis illius, neque Genosiæ quicquam exstat. Dicta est Bonna vel Bona ab omine, sicut in Italia Bononia, in Gallia Agatha, in Codice libro XII Tit. XXXVIII Bona mansio, rursumque in Italia Beneuentum quod antea, teste Plinio, Maleuentum vocabatur. Ecclesiastici scriptores interdum vocant Castrobonnense oppidum. Fertur autem hic statim a temporibus Apostolicis docuisse Maternus B. Petri discipulus, arasque & idola Mercurij, quem Germani his locis venerabantur subuertisse, non alijs vsus armis quam efficaci doctrina Christi. Præcipuum Mercurij delubrum fuisse creditur vno a Bonna miliari meridiem versus, loco, qui etiam hodie Godesburck quasi Mercurij castrum, appellatur. Tacitus quoque de Germanis, Deorum, inquit, maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hostijs litare fas habent. Verona cur postea vocata sit, non habeo dicere: nisi forte a Christianis id nomen loco datum. Hic enim deprehensi sub Maximino Imperatore aliquot Thebeæ legionis milites Christiani veritatem suo sanguine fortiter obsignarunt. Itaque in vrbis istius Archiuis sic legitur. Anno Domini CCC XXXIII. S. Helena Regina Bonnam veniens, sanctos Dei martyres, Cassium, Florentium, Malusium, cum eorum socijs exquisiuit, reperit, repertosque exaltauit & transtulit, sub eorum honore & nomine Collegiatam hanc Bonnensem Ecclesiam construxit, munere & priuilegijs dotauit imperialibus. Helena ista mater fuit Constantini magni: quæ quomodo Bonnam venisse, & quidem anno Christi CCC XXXIII dicatur, quum defuncta sit anno CCCXXVI, non video. Oppidum amœnum est, muro & fossis cinctum, ædificijsque commodis ornatum, situ plano, qua se montes qui a Bingio inde profecti Rhenum quasi constringunt, in planitiem apertam diffunduntur. Læta hic agri vbertas; non tantum omne frumenti genus, sed & vina optima insigni vbertate fundentis. Vicini sunt colles qui præstantissimos fructus æstate fundunt, non tantum ad necessitatem sed etiam ad delicias. In his feræ venatoribus iucundam & vtilem relaxationem præbent. Sunt & cultissimi passim horti, & pomaria amplissima, quæ dulci riuulorum ac fontium aqua non sine grato murmure irrigantur. Iocundus hic nobilitati secessus: Sedes est ordinaria Archiepiscopi Colonienſis. Eam nostra memoria a Carolo Truchsesio Gebhardi Præsulis fratre occupatam, defensamque, præsidiarij vendiderunt quatuor millibus dalerorum Ernesto Bauaro, qui pulso victoque Gebhardo in locum ipsius successit.


Boppart
Rhin flu

Longit. Grad. XXIX. *o. Latitud.* L. *11.*

GERMANIAM ſuperiorem ab inferiore ſeparat Moſella fluuius, qui Ptolemæo Obrincus dicitur, & ad Confluentes in Rhenum ſeſe exonerat: Tertio autē ſupra miliari in ripa Gallica oppidum eſt vetus, neque inamœnum, quod nunc *Boppart* vocant, veteres Bodobrigam dixere: cuius haud dubie initium referendū ad Druſum, qui per ripam Rheni quinquaginta amplius caſtella direxit, vſque ad Oceanum, ſicut a nobis ex Tacito obſeruatum eſt. Teſtanturque adhuc vetuſta in muris propugnacula Romani operis, paribus interuallis diſſita, quæ periti antiquitatum a Druſo condita adſerunt. Antoninus iter ſternens Treuiris Argentoratum, ponit quoque Boudobricam; Notitia Imperij Bodobricam vocat, & in ea præfectum locat militum Baliſtariorum. Tabula Peutingeriana habet Bontobricam vitio pictoris. Eſt autem BRIGA terminatio Celtica multarum vrbium, ſicut alibi a nobis annotatum eſt. Manuſcriptus quidā liber perantiquus autoris anonymi, notat, Oppenheym, Ingelheym, & Bodobrigam vno eodemque tempore conſtructa fuiſſe: a Druſo ſcilicet, tempore Auguſti. Seruauit autem nominis antiqui elementa paucula. In inſtrumento Ottonis III qui Eccleſiam VVormaciæ S. Martini fieri fecit, vocatur Bochbarda; Ad Eccleſiam Sancti Martini infra muros VVormacienſes conſtructam dedimus quandam noſtræ proprietatis Eccleſiam in villa Bochbarda nuncupata, infra noſtram regiam Curtim ſitam, &c. Dat. Idib. Sept. anno Dominicæ Incarnat. DCCC XCI, indictione ſexta, anno autem III Ottonis regnantis, Imperij ſui primo, Actum Romæ feliciter. Fruſtra itaque ſunt qui a Poppone Fuldenſi Abbate, aut ab alio Poppone Treuirenſi Epiſcopo nomen deductum putant. Fruſtra quoque eſt Ioannes Flamingus qui a bono portu dictam vult, quaſi Bonportum. Sub Henrico IV, qui vixit anno ML XXX, fertur fuiſſe in Comitatu cuiuſdā Bertholdi. Henricus vero VII Lutzelburgicus eam cū Veſalia Balduino Archiepiſcopo Treuirenſi fratri ſuo oppignorauit, anno MCCC XII. accepta certa pecuniæ ſumma apud S. Caſſianum in caſtris ad Florentiam: itaque in diplomate eius tranſactionis exſerte legitur, Boppardiēſes & VVeſalienſes in Sturis alijſq; Archiepiſcopo Treuirenſi obedientiam debere. Eſt autē Stura nihil aliud quam tributum quod exigitur a Principe: vnde apud Belgas adhuc vox Suferi, & in Germania Turckenſtuer, & Nouiomagi ius Sturiæ. Habet hodieque in hoc oppido Treuirenſis Archiepiſcopus vectigal. Anno MCCC XIX Balduinus ille quē dixi Ludouico Cæſari aduerſus Fridericū Auſtriacum in aduerſa ripa VVeiſbaden ſuppetias venit: ac pro fideli opera impetrauit, vt poſſet Boppardiēſes, ſi obedientiam detrectarent, & Sturam non ſoluerent, autoritate regia ad officium adigere. Hanc autem poteſtatem nactus, protinus Boppardienſes ope Epiſcopi Moguntini adoritur, & perruptis portis incenſaque oppidi parte cum ſuburbio, effecit, vt illi gratiam poſtularent, ſeque in poſterum dicto audientes fore promiterent. Idem quoq; arcem illam quæ telonio vicina eſt condidit. Eſt autem Vicina vrbi arx vetus, quam vulgo vocāt Domum regiam, pertinetq; ad Barones Bodobricenſis, *Die Bannherrn von Boppart*, qui etiam in Lotharingia multas arces poſſident. Sed arcem iſtam Anno MCCCC XCVII ciues Boppardienſes incenderunt, ne Marchioni Brandeburgico, qui tunc obſidionem vrbi minabatur, vſui eſſet, ciuibus nocumento. Torrens vicinus *Die Konings Bach* ſeptem molas impellit. Primarium oppidi templum ſacrum eſt S. Seuero, non illi Rauennati, ſed Treuirenſi Epiſcopo, qui ſub Honorio & Valentiniano claruit, ordine XXIX. Eius memoria incidit in diem XV Octobris.

BREMEN



Longit. Grad. XXX. *20. Latitud.* LIII. *23.*

BREMA ignobilis primum ad Viſurgim vicus fuit: nunc inter præcipuas Saxoniæ maritimæ ſiue VVeſtphaliæ vrbes cenſetur, natura pariter atque arte elegans ac munita. Fr. Irenicus primus dixit eſſe Ptolemæi Φαβίεανον Fabiranum, quem poſtea ſequutus eſt P. Appianus. Creuit oppidum cum religione Chriſtiana: poſt fundatam illic per Carolum magnum Eccleſiã, anno D CC LXXXVIII. Itaq; in ea ſedes fuit Metropolitina Eccleſiarum omnium Aquilonarium: quarum Antiſtites eam vallo, portis, turribus, muris ornauerunt. Primus id molitus fertur Libentius, aduerſus Slauos. Cõtinuaſſe dicitur Hermannus ſub annum M XXXV. Auxiſſe Bezelinus, qui murum vſq; ad propugnacula deduxit, relicto adhuc opere imperfecto. Illius impenſis exſtructa fuerat ad occaſum porta inſignis cum turri firmiſſima, operis Italici. Sed templum viuo adhuc Bezelino conflagrauit, anno CC LXX ab eius conditu. Canonici etiam relicta regula ſolutam ſequuti ſunt vitæ rationẽ, quiq; antea communi dormitorio & refectorio vſi fuerant, deflexerunt ad priuatam licentiam. Anno M LXIII Albertus Archiepiſcopus reſtauraturus Baſilicam, murum vrbis magna parte diruit, eius lapides ad templi ſtructuram adhibuit: portamq; illã ſpecioſam cum turri ad ſolum vſq; euertit. Ita paulatim ad eam formã redacta eſt ciuitas quã nunc habet. Fluuius Viſurgis vrbẽ prꝛterlabitur, idoneus admodum mercaturę, ſiue efferendæ ſiue inferendæ ſint merces. Fuit enim, eſtq; adhuc Anſeaticę ſocietatis emporiũ celebre. Præbet inſuper vrbi alias quoq; commoditates amnis, ex priſcatu anguillarũ, murenarum, ſalmonum, exq; cereuiſiæ coctura, quæ ob gratum ſaporẽ ab exteris expetitur, æſtiuiſq; menſibus ſumpta temperat calores internos. Ad ripã fluminis rota eſt miræ altitudinis, quæ aquã ad ciuium vſum artificioſe cochleis eductum per canales ſubterraneos transfundit. Pons ligneus vtramq; flumi nis ripã iungit, egregij operis: Eum munit propugnaculum aduerſus hoſtiles impetus. Noſtro ſæculo inſigne vrbi acceſſit ornamentum a Schola, quæ Ioannis Molani Flandri opera initio creuit, poſtea euocatis ad eam a grauiſſimo & prudentiſſimo Senatu viris eruditis auctior multo celebriorque facta eſt.

EPISCOPOR. BREMENSIVM SERIES.

1 VVillehadus *Anglus*: cuius opera Saxon. Boreales & Tranſalbini conuerſi ſunt.
2 VVillericus.
3 Leudericus.
4 *Anſgarius*, ſub quo Eccleſia Bremẽſis quæ Colon. fuerat ſuffraganea, vnita eſt Hamburgenſi. Obijt anno 864.
5 Rembertus.
6 Adalgarius.
7 Reginwardus.
9 Vnno.
10 Adeldagus.
11 Libentius *I.*
12 Onwanus.
13 Libentius *II.*
14 Hermannus.
15 Bezelinus.
16 *Albertus.*
17 Liemarus.

Deinceps ARCHIEPISCOPI.

18 Humbertus.
19 Fridericus *I.*
20 *Adelbertus.*
21 Hardwicus *I.*
22 Balduwinus.
23 Sifridus.
24 Hardwicus *II.*
25 Gerhardus.
26 VValdemarus & Gerhardus Dn. de Lippia in Schiſmate.
27 Hildebrandus.
28 Giſelbertus.
29 Henricus.
30 Florentius.
31 Ioannes.
32 Burchardus.
33 Otto I.
34 Gotfridus.
35 *Albertus.*
36 Otto II.
37 Ioannes Slantſdorp.
38 Nicolaus Delmenhorſt.
39 Balduwinus II.
40 Gerardus.
41 Henricus.
42 Ioan. Rodius an. 1506.
43 Chriſtoph. Dux Brunſ.
44 Georg. Chriſtoph. frat.
45 Henricus Dux Saxoniæ.
46 Ioannes Dux Holſatiæ.

BRVN-


BRAUNSCHWEIG
S Andreas
S Peter
De Dom
S Martin
S Ciriacus

Longit. Grad. XXXII. *40. Latit.* LII. *30.*

CHAVCOS maiores diximus ad Albim vſque ſedes ſuas extendiſſe: Brunſuiga igitur in Chaucis fuit, condita a Brunone Saxoniæ Duce, a quo etiam nomen habet: eſt enim *Brunſwyck*, Brunonis vicus. Initia vrbis referuntur ad annum Chriſti DCCC LXI: Vici ad Carolum Magnum, quum aduerſus VVitikindum Saxonum ducem bellum gereret. Franciſcus tamen Irenicus putat hoc eſſe Ptolemæi Τελισήριον. Frater Brunonis Danewertus vel Tanquardus arcem condidit, quam de ſuo nomine Danckwerderodam appellauit. Hæc nunc penè collapſa eſt. Templum B. Iacobi ab his fratribus fertur exſtructum, priuſquam a Normannis, qui in Saxoniam effuſi ſunt, ingenti prælio cæderentur. Noua vrbs Brunſuiga opus eſt Henrici Aucupis. Templum vero Cathedrale quod in ea vrbe eſt, fundauit Henricus Leo, qui S. Blaſio,& Ioanni Baptiſtæ illud conſecrauit. Idem quoque ædem S. Catharinæ ſtruxiſſe dicitur. Incrementa ſumpſit hæc vrbs tanta, vt neque magnitudine, neque pulchritudine, neque victus commoditate vlli ciuitati in Germania cedat. Duo millia paſſuum complectitur ſuo ambitu: hoc eſt, dimidium miliare Germanicum: tantumque fere patet latitudine quantum longitudine. Eſt aliquanto maior Noriberga: Erfordia vero minor. Ad orientem habet diœceſin Magdeburgenſem, ad meridiē nemus Hattonicum, quod pars eſt ſyluæ Hercyniæ. Occaſum verſus eſt Epiſcopatus Hildeshemius; Ad arctum, ducatus Luneburgenſis. Vrbem perlabitur fluuius Onacra, ortus ex ſilua Hattonica. Mœnia habet duplicia, foſſas duplices. Fora quinque, totidem prætoria, & magiſtratus. Ciues libertatis amantes ſunt, opifices induſtrij, Magiſtratus grauis & prudens. Anno Chriſti MXC poſt occiſum Ecbertum Marchionem Cæſaris Henrici IV impulſu, quum hæres maſculus deſideraretur, occupata eſt a Cæſare ciuitas, electa Gertrude Ecberti trucidati ſorore, collocatique in arce milites qui ciuibus multum incommodi adferebāt. Ciues eorum iniurijs laceſſiti, quum viribus inferiores eſſent, conati ſunt arte ſeſe vindicare. Inuentus eſt ergo balneator, qui noctu ignem in arcem coniecit, quo proterui illi milites exuſti ſunt. Reſtincto vero incendio, excuſſoque impotentis imperij iugo, ciues Gertrudim expulſam reuocarunt, principem ſuam crearunt, & arcem ſuam reſtaurarunt. Anno Chriſti MCCXXIX mortuus eſt Dux Henricus Elector Palatinus, dominuſque Brunſuicenſis, relictis poſt ſe duabus filiabus, quæ vrbem Henrico Cæſari Friderici filio vendiderunt. Per id moleſte tulit Otto Luneburgi dux, ad quem hæreditatis iure vrbs pertinebat. Itaque manu duorum millium equitum facta, adiuuantibus ciuibus clam vrbem inuaſit, & cum præſidiario milite, qui arcem tenebat, conflixit, eumque expulit. Inde ciues alloquutus, promiſit ampla ipſis priuilegia ſi ſe reciperent, quæ etiam admiſſus dedit. Hinc tanta vrbi libertas. Reconciliatus Friderico Imperatori Otto Ducis titulū obtinuit, & eorum quæ fecerat confirmationem. Anno Chriſti MCCXCII defuncto Guilielmo diſtracta eſt ciuitas in factiones duas. Populus enim Tribunos plebis duodecim conſtituerat, qui ſe Senatui opponerent, quoties aliquid ſtatueretur quod ipſis diſpliceret. Forte autem decretum fuit aliquid, in quo ciuium maxima pars Senatus partes ſequebatur, tribus vero ſententiam Tribunorum ſuorum duodecim, quos ipſi elegerant, quumq; eo tēpore in vrbe eſſet Henricus Dux cognomento Mirabilis, qui Tribunos iſtos plebis cum ſuis tuebatur, tribunitij ſigillum & litteras ei tradiderunt, rogarūntque ipſum, vt quum ſenior

esset, præ minore fratre ciuitatem obtineret. Ægre id tulit Senatus cum meliore ciuium parte, quocirca fœdus ipsi cum Alberto fratre minore fecerunt clanculum, eumque noctu in vrbem admiserunt. Is occupata curia nouæ vrbis, tribuum præfectos XL capit, & vrbe pellit. Capit & XII viros, atque ex his decem suspendit, vni caput detruncat, duodecimus fuga sibi cõsulit. Etsi vero noctu vrbem inuasisset, militesque duxisset alieni appetentes, ita tamen eos cohibuit, vt nemini ciuium iniuriam fecerint, aut cuiusquam bona rapuerint. Vrbe potitus, præsidia disposuit necessaria, & euocatos ad se nouarum rerum auidos ita alloquutus est, vt eum fratri maiori natu prætulerint, Ducemque suum ac Dominum agnouerint, pulso Henrico Mirabili. Anno Christi MCCCCXCII dissidium exstitit inter Henricum Seniorem & ciuitatem, ob bona quæ in agris habebat Respublica Brunsuicensis olim a Principibus & nobilibus vicinis accepta, eorumque voluntate in illud vsque tempus possessa, id quod litteris obsignatis confirmare poterant. Henricus iniquum ratus tam ampla bona a ciuitate possideri, postulauit, vt communia onera cum reliquis sibi subditis ferret Respublica, vtque solueret vectigal mercium quæ vel importarentur, vel exportarentur. Brunsuiga neutrum concessit; litteris imo ac diplomatibus prolatis ostendit, possessionem illorum agrorum ditionumque iam multo tempore ad se pertinuisse, neque motam sibi de iure ab vllo principe controuersiam. Dux bellum minatur: neque illud abnuunt Brunsuicenses. Ille socijs vicinorum principum & comitum armis adiutus vrbem obsidione cingit. Hi confœderatorum ope suisque viribus se defendunt. Quum autẽ vi efficere nihil posset, statuit in cœnobio Rittershusio hibernare, & intercepto præclusoque omni commeatu ad annonæ inopiam & extremam famen ciues adigere. Erant autem Hildesheimenses amici Brunsuicensium, ac leuare ipsorum inopiam illatis cibarijs conabantur Itaque commeatus bonam copiam cum necessario militum comitatu in vrbem inuecturi, obuios habuere, (sic enim conuenerat) Brunsuicenses iunctisque viribus vrbem petebant. Henricus certior de hac re factus, prohibere importationem frumenti conabatur. Nequicquam. Iam enim in tuto res erat. Videns ergo Dux se operam omnem ludere, ad componendam pacem cum Brunsuicensibus sese offert. Deliguntur arbitri, qui sic litem post multas disceptiones diremerunt, vt Dux quidem arces duas quas Brunsuicensibus eripuerat, retineret: duas vero reliquas ciuitati redderet; idque ea lege, vt earum altera, videlicet Asseburgum destrueretur, altera vero ciuibus relinqueretur: atque in posterum Brunsuicenses obtenta amnestia præteritorum, fidele suo Duci obsequium officiumque in rebus omnibus præstarent. Sed non facile coalescunt ad eiusdem Reip. constitutionem imperium vnius & plurium, quod Principes libertatem ciuitatum sibi noxiam, ciuitates Principum conatus libertati suæ aduersos suspicentur. Itaq; & olim & nostra memoria recruduerunt simultates. Anno MDXLII ab Henrico iuniore Duce Brunsuicensi oppugnata vrbs & diuexata, quum nullum sanis pacis consilijs locum relictum videret, implorauit opem Ioannis Friderici Electoris Saxoniæ, & Philippi Lantgrauij Hassiæ, quorum fœderata erat. At hi adductis XXII millibus selectorum peditum cum iusto equitatu arcem *Wolfenbuttel* inuaserũt, eamq; in fidem suã redegerunt pulso Duce. Religionem quoq; reformarunt, ciuibus ad eam rem operam suam accommodantibus. Anno Christi MDL obsedit eam iterum Dux: quumque in alterum vsque mensem durasset obsidio, iamque annona ingraueseeret, edicto Cæsaris ab armis discedere vtraque pars iussa est, & controuersias suas iure disceptandas committere. Ac

sic

ſic quidem tunc arma depoſita ſunt: ſed triennio poſt iterum obſeſſa eſt ab eodem multo quidem quam antea arctius, ac tormentorum globis verberata. Sed reuocatus eſt a ſocijs Noribergenſibus, & Epiſcopis duobus, Herbipolenſi & Bambergenſi, quorum ſumptibus ille tunc res gerebat. Ita ſubducto belli neruo, deſeruit obſidionem. Superiore quoque quam hæc commentabamur anno, is fuit XV poſt milleſimum ſexcenteſimum, arctè vrbem preſſit Dux Henricus Iulius. Euocatis etiam in auxilium copijs regis Daniæ adfinis ſui; ſed quum Anſeatici confœderati ſuppetias obſeſſis ferrent, Ordineſque confœderatarum Belgicæ Prouinciarum miſſo Henrico Friderico Naſſouico vim etiam oſtentarent, ſoluta eſt obſidio, & concepta quædam perpetuæ ac duraturæ concordiæ capita. Religionem primus in ea vrbe patrum memoria reeſtaurauit D. Ioannes Butenhagius Pomeranus, euocatus VViteberga, qui aliquamdiu illic moratus, inſpectorem ipſis dedit Martinum Gerlicium, addito ipſi collega Henrico VVinkelio VVerningerodenſi. Et manſit in ſua ſtatione ad finem vſque vitæ VVinkelius, ſed Gerlicius Ienam redijt, ſuffecto ſibi Nicolao Medlero Theologiæ Doctore. Medlerum ſequutus eſt Ioachimus Morlinus, Morlinum Chemnitius, hunc Polycarpus Lyſerus, donec & ipſe VVitebergam euocatus ad Eccleſiam illic gubernandã, & docendi partes in aula & Academia, alteri lampadem iſtã tradidit. Curiæ præfixa eſt hæc inſcriptio,

IN CONTROVERSIIS CAVSSARVM
CAPITALES INIMICITIÆ ORIVNTVR;
FIT AMISSIO EXPENSARVM.
CORPVS QVOTIDIE DEFATIGATVR.
LABOR ANIMI EXERCETVR.
MVLTA ET INHONESTA CRIMINA DEINDE CONSEQVVNTVR.
BONA ET VTILIA OPERA POSTPONVNTVR.
ET QVI SÆPE CREDVNT OBTINERE, FREQVENTER SVCCVMBVNT.
ET SI OBTINENT, COMPVTATIS LABORIBVS ET EXPENSIS NIHIL ACQVIRVNT.


OFEN

Longit. Grad. XLII. *o.* *Latit.* XLVII. *o.*

BVDAM nunc habet Turca; ereptam Christianis anno Domini MDXIX ab Imperatore Solymanno, die XIX Augusti, postquam vndecies illam oppugnasset, facta ad muros vsque impressione, tanto impetu vt extrema non illi vrbi, sed orbi vniuerso labes instare crederetur. Sita est autem in Hungaria citeriore, cuius etiã quondam caput fuit, ad Danubij ripam, amœno prospectu. Nomen vulgo habere aiunt a fratre Attilæ, qui eam condidisse primus, vel ante conditam exornasse, deque suo nomine appellasse creditur. At ille Bleda dictus fuit, non Buda. Lazius tradit eandem esse cum Antonini Herculia, vel ad Herculem. Irenicus putat esse Ptolemæi Κέρταν, additque Pauli eremitæ ossa illic adseruata fuisse. Alijs placet, esse Ptolemæi Salmum, eo quod Curtæ potius respondeat Belusium cœnobium, vel etiam Visségradum. Simlerus mauult Budam esse Acincum, vel Aquincum Antonini. Tanta est iudiciorum de hac vna vrbe varietas. Sunt etiam qui Sicambriam dictam velint, sedemque aiunt fuisse Legionis Germanicæ. In hac vrbe Sigismundus Rex. splendidas fecit varij operis structuras. Ædificauit in arce Palatium ad exemplum Romanorum operum. Arcem ipsam muro obduxit, & amœnissimis ambulacris exornauit. Fecit quoque in media fere arce turrim amplissimam ex quadrato lapide, quã tamen non perfecit. Hortos quoque addidit peramœnos, in quos prospectus erat ex arce. Hortis coniunctæ sunt thermæ non ad valetudinem tantum, sed ad voluptatem quoque vtiles. Sita est partim loco montoso; partim plano & campestri. Muros habet validos: Propugnacula firma. Ædificia priuata publicaque ornatissima, vix vt habeat reliqua Hungaria quicquam vel elegantius, vel amœnius, vel munitius.


CASSEL
Die Statkirch

Longit. Grad. XXXI. *20.* *Latit.* LI. *20.*

SICVT in Morinis Castellum fuit quod nunc *Cassell* appellatur *op den berch*, & in Menapijs ad læuam Mosæ ripam Castellum aliud, quod nunc vocant *Kessel*: ita haud procul a Visurgi conditum fuit a Druso Castellum Cattorum, eo loco quo nunc *Cassel* spectatur, quod vulgo Cassulam & Cassellam ignari antiquitatum Germanicarum vocant. L. Florus res gestas Drusi describens, extremo suo opere, Præterea, inquit, in tutelam prouinciarum præsidia atque custodias vbique disposuit, per Mosam flumen, per Albim, per Visurgim. Nam per Rheni quidem ripam, quinquaginta amplius castella direxit. Itinera vero & profectiones Germanici in Cattos descripsit prolixe Tacitus primo Annali suo. Ac posuit Castellum illud consulto Drusus in ripa amnis læua, quod hæc Rheno esset & Mattiacis propinquior. Mattiaci enim inter Cattos & Rhenum siti minus erant alieni a Romanis. Certè Taciti æuo ita ipsis addicti, vt in eodem eos dixerit fuisse obsequio cum Batauis, fede quidem, finibusque in sua ripa, Germanica scilicet, sed mente animoque cum Romanis agentes. Ad amnem ergo Fuldam, læua eius ripa, nouem millibus passuum a confluentibus Visurgis castellum struxit Drusus Germanicus aduersus Cattos, gentem Germanorum fortissimam, cuius virtutes moresque prolixe ipse libello singulari exsequitur. Habemus igitur Castellum Cattorum in Germania, sicut alibi, Castellum Menapiorum, Castellum Morinorum, quæ eadem flexione vocis, *Cassel* vel *Kessel* vernaculo sermone appellantur. Quæ quum ita sint, nescio cur Fr. Irenico placuerit dicere, hanc esse Ptolemæi Stereontium. Vrbem præterlabitur Fulda, vti diximus, irrigant Ana & Trusula. Sedes hic est Lantgrauij. Ager suburbanus fœcundus; prata quibus imprimis pascendis apta, quarum insignis copia non tantum carnes suppeditat ad cibum, sed etiam vellera ad vestem, lanam ad textrinas. Est ergo in hæc vrbe lanæ lucrosa negotiatio, quam etiam ex Buchonia, omniq; reliqua Thuringia ciues sollerti cura coëmunt, & ingentibus saccis stipatam ad exteras regiones deferunt. Ipsi etiam Angli, quorum lanificia imprimis hactenus laudata sunt, magnam lanæ vim quotannis hinc ad se asportatam caro emere consueuerunt, pannosque suos Hamburgi, Stadæ, & Francofurti ad Mœnum diuendere. Solebatq; Antuerpiæ eius negotiationis sedes esse, atque inde lana Londinum transmittebatur. Videntur autem offensæ vrbes Anseaticæ in eo nunc esse, vt ex lana Germanica & Belgica pannos parent nulla parte inferiores Anglicanis: Ad quam rem si Illustris quoque Hassiæ Lantgrauius subditorum sibi ciuium operam conferri passus fuerit, fiet id cum maximo Germanicæ nationis bono.

CHILO-


CHILONIUM
Xenodochium
Schlos

Longit. XXXII. *o. Latitud.* LV. *o.*

CIMBRICAM Cherſoneſum longe Septentrionem verſus in mare procurrentem, hinc Albis & Oceanus Germanicus, inde Sinus Codanus premunt. In illa parte eſt Ditmarſia: in hac Holſatia cum Ducatu Sleſuicenſi. Sed Holſatiam imprimis ornat CHILONIVM, quod a naturæ beneficio ſedem, ab artificum induſtria cætera ornamenta nactum eſt. Nomen habet a cuneo. Portus ei capax & opportunus nautis: itaque in eum ex Germania, Liuonia, Dania, Suecia, magno oppidanorum quæſtu merces deferuntur. Neque vero infructuoſam incolis Salmonum piſcationem præbet vicinum mare, qui tam vbere illic copia capiuntur, vt & ciuibus ſufficiant, & ad vicinas gentes deferantur, expetiti ob gratum ſaporem. Sed imprimis ornat Chilonium ſolemnis Holſatiæ nobilitatis Panegyris, quæ illuc quotannis celebratur circa feſtum Antonij; Eo quippe tempore videas ingenti numero proceres nobileſque titulis atque imaginibus antiquis claros conuenire in vrbem, & de rebus publicis priuatiſq;, ac præſertim de re pecuniaria, cuius illis ingens vis eſt, inter ſe agere. Arx in colle eſt conſpicua; opus Adolphi Holſatiæ Ducis, ſplendidis ædificijs exornata, cui adiacet magnifica Ranzouiorum domus, firmi & decori operis. In foro templum paroeciale, cui illuſtris ac nobilis Ranzouiorum familiæ ſacellum adiunctum eſt, continens varia Ranzouiorum monumenta, atque imprimis Ottonis Ranzouij equitis aurati, cum filijs, filiabus, ac nepotibus.

Hic decies ſenos clypeos galeaſque comantes
Magnorum videas ſigna vetuſta virûm.
Qui de Ranzouio florentes ſtemmate, clara
Temporis vnius laude fuere duces.

Obijt Otto Ranzouius eques aur. Dominus in Bulck & Cnop, Conſiliarius Ioannis Regis Daniæ, Sueciæ & Noruegiæ, Chilonij, anno MDXI. Eſt & minoritarum Monaſterium, nunc conuerſum in Xenodochium, in cuius ſacello Adolphus IV Holſatiæ & VVagriæ Comes, qui VValdemarum ſecundum Daniæ regem in Bornhofede deuicit, ſepultus eſt, anno Salutis MCCLXI, quum antea ipſe monachus cœnobium illud exſtruiſſet. Anno MCCLXXI amplis priuilegijs ornata eſt Chilonenſis ciuitas a Gerardo I Holſatiæ & Schouwenburgi Comite. Anno MCCCXV Gerardus II Holſatiæ Comes, Henrici filius, & filius Gerhardi Ioannes ius municipale Chilonenſibus conceſſerunt omnino tale quale habent Lubecenſes. Anno MCCCXC, Nicolaus Holſatiæ Stormariæ ac Schouwenburgiæ Comes ſuperiora omnia priuilegia præſente VValdemaro Ranzouio confirmauit; quæ poſtea quoque ſereniſſimi Daniæ reges ac Holſatiæ ex Oldenburgenſi familia Duces corroborârunt.


CLEEF

Longit. Grad. XXVII. *30.* *Latitud.* LI. *49.*

CLIVIÆ oppidū a cliuis: Ducatus omnis ab oppido nomen habet: est enim in colle situm, ad amnem qui haud procul inde leni murmure in Rhenum labitur. Collis dorso arx imposita est elegantis structuræ, ex qua in vrbem, inq; subiectos agros, amnes, siluas, segetes, amœnissimus patet prospectus, imprimis vero ex turri, quæ a cygno ventorum indice appellationē habet. Ex hac turri conspexit Anno M CCC XCVII Margarita filiorum suorū Adolphi & Theodorici aduersus Guilielmum Ducē Bergensem auunculum suum pugnam; ortā ex negata nepotibus annua pensione telonij. In qua pugna Guilielmus dux ab Adolpho captus est, cum quinq; præfectis bellicis. Signa suspensa adhuc conspiciuntur. Est autem in arcis aula effigies quædā Rhetoris cum inscriptione, EVMENIVS RHETOR, quæ quia nobilis inter Stephanum Pighium, & Iustum Lipsium, viros clarissimos, dissertationis materiam præbuit, excutienda nobis hoc loco est. Ediderat B. Rhenanus vir & eruditus & candidus orationes aliquot Panegyricas, & inter eas vnam Eumenij, in qua Constantij Cæsaris erat epistola continens sacram ipsius donationem factā Eumenio ad constitutionem Scholæ. Eius initium sic ille vulgauit, Merentur & Galli nostri, vt eorum liberis, quorum vita in Augusto Cliuensium oppido ingenuis artibus eruditur, & ipsi adolescentes, vt eorum indoli consulere cupiamus. Ac in præfatione quædam adsperſit, quæ Lectorē eo trahunt, vt credat in Gallia Belliga Eumenium docuisse, vbi & auus eius Athenis ortus ante ipsum docuerat. Ipsumne, an alias rationes sequutus sit Carolus Sigonius, haud constat: Illud certum est, eum quoq; credidisse in Belgico isto oppido Scholam hanc fuisse: sic enim scribit libro primo de imperio Occidētali. In Gallia, Rhetore publico apud Cliuienses extincto, Constantius ciuitatis eius ornādæ & iuuentutis excolendæ gratia Eumenium Rhetorē qui sibi magister memoriæ fuerat, illi præesse auditorio iussit, ac salarium D C millium nummūm ei attribuit. Idem quoq; Cliuorum oppidi meminit sub Diocletiano, vbi narrat, Cliuiam a Batauis, qui Britānico tumultu defecerant sollicitantibus Francis, arcte obsessam fuisse. Constantium vero aduersus eos profectum, neq; locorum stagnantium difficultate permotum, nam Batauiā a Scalde interlutam diuortio suo Rhenus cōplectitur, neq; siluarū Barbaros occultantiū densitate deterritum, hostes ad deditionē adduxisse, atq; obsidione Cliuiam liberasse. Barbaros autem & Francos captiuos ab ipso, ad agros Lingonum, Rhemorū, Ambianorumq; a solitudine vindicandos destinatos esse. Stephanus Pighius post istos sententiam eandem tuetur, statuamque describens, Stat, inquit, in vestitu sui temporis, tunica talari tectus, & calcei ex aluta pedem ac talos cingunt, & supra pedē exsecti atq; fenestrati sunt. Comam in fronte & ceruice decurtatā æqualiter constringit vitta, sicut ventrē latus baltheus atq; bullatus. Dextra massam vel auri vel argenti in patera positam præsentare videtur: siniſtra tenuit ferulam demissam, magisterij insigne. Sed negat Lipsius ista Cliuensium oppido competere, vultque Augustodunensibus tribuere. Primum, quia ita ante Rhenanū ediditus fuit Eumenij locus a Cuspiniano Viennæ anno M D XIII. Sed certum est tam a Rhenano abfuisse fraudem, quā abfuit a Cuspiniano. Neutrius interfuit fallere; aliunde ergo petenda fides. Negat postea statuam istam Rhetoris esse, vult credi esse suppositiam. Atqui vetus est; & ante Rhenanum & Cuspinianū posita, cū titulo Eumeniij. Negat hoc loco Scholam fuisse: Vnde autē hoc ipsi liquere potuit, quum Suetonius in Claudio diserte meminerit ludi litterarij circa hæc loca? Ego etsi in hanc partem inclinem potius, tamen non præscribam Lectori.


COLMAR

Longit. Grad. XLVII. *57. Latit.* XXVIII. *6.*

ARGENTVARIÆ quis ſitus fuerit, dictum eſt libro primo, ptopter eos qui putant eã eſſe hodiernam Colmariam: recte anté Rhenanus, Excidium Argentuariæ, inquit, Colmariã nobis peperit, Allemannorum opus, diſtantem non multis ab ea paſſibus, & paullum ſubductam ab Ello flumine. Certe Argentuariam, cuius Ptolemæus, Eutropius, Antoninus, alijque meminere, euertit Attila, a Gratiano antea ob victoriã a Sueuis atq; Allemannis reportatam, ſatis nobilem. Locus eius fuit vbi nunc eſt Harburgum vicus cum ſacello B. Virginis, & arce a Georgio Comite VVirtébergico Richenwitæ Domino exſtructa, ad quam hæc legitur inſcriptio facta ab eo quem dixi Rhenano. In ruinis veteris Argentuariæ, ab Allemannis in hanc prouinciam irrumpentibus funditus euerſæ, (Harburgum ipſi dictitabant) Gratiani victoria, cæſis haud procul hinc XXXV Allemannorum Lentienſium millibus, anno a Chr. nato CCCLXXX vt B. Hieronymus auctor eſt, nobilitatæ, Antonino Cæſari, Ptolemæo, Marcellino, alijſq; commemoratæ, clariſſimus Princeps Georgius Comes a VVirtenberg hoc ædificium exſtrui fecit, anno M DXLIII, ſane quã multis Romanæ vetuſtatis monumentis dum fundamenta locantur, repertis erutiſque. Ex huius igitur ruinis, vt ſunt humana, creuit Colmaria, quæ antea non videtur fuiſſe niſi forum carbonarium; id enim ſonat vox, ſicut VVimaria, forum vinarium, in Thuringia. Oppidum eſt in medio Alſatiæ ſitum, ſupra Sleſtadium, loco opimo & fertili, in quo præter torrentes, egregij amnes quatuor numerantur, Lucha, Durus, Fechta, & Ellus, adeo vt & vbertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine paſtionis & pulchritudine earum rerũ quæ exportantur, facile omnibus vicinis ciuitatibus præferri poſſit. Planities vrbis in longum vndique porrecta, a montibus ferme duobus diſtat paſſuum millibus. Vallo eam cinxiſſe fertur VVolffelinus Præfectus Hagenoæ, imperante Friderico II Auguſto. Maiores Caroli Magni has ſedes amaſſe & coluiſſe creduntur. Bertha quippe Caroli mater Prioratum Benedictinorum illic inſtituit, alterum quoque Adelheidis eius filia. Sunt & cœnobia, Minoritarum ſpatioſiſſimum, Prædicatorum opulentum, Auguſtinianorum exiguum, Monialium item ſub tilijs (ita vocant) maximum, & alterum B. Catharinæ. Sub Adolpho Naſſouio Prætor vrbanus, quod fidem datam Cæſari fregiſſet, currui impoſitus eſt, & quocumque Cæſar ibat, circumuectus eſt, alligatus rotæ, manu exſerta, vt refert Cuſpinianus. Inſigne vrbis eſt claua. Huc reſpexit Collerus noſter, quum a nobis digreſſus Argentorato anno M D XCII ſic ſcripſit,

Hac ego deliteo miles Phœbeius in vrbe
Dum Mars Alſaticis turbat Lotharingus in aruis.
Quos non audiui gemitus a rure? volantes
Quas non adſpexi tectis crepitantibus ignes?
Salue chara mihi patria altera; vos quoque in illa
Patroni ſaluete mei. Tuque inclyte Lince
Qui Martis Phœbique artes æqualiter vrges.
Aſt ego pro meritis quæ digna redhoſtio tantis
Colmaria? Anne tuis ſat poſſim laudibus eſſe?
Grandius illud opus. Tibi fœcundiſſima tellus
Vel Siculis æquanda ſatis. Tibi ſemper apricis
Vina recocta iugis, Campano digna Falerno.
Quid fontes colleſq; loquar, Rhenumq; propinquum?
Quid priſca hic referã monumẽta? Quid Herculis arma,
Vrbis honeſtamentum, vrbiſque inſignia narrem?


COLN
T.S. Martini
Praetorium
Trium Regum
S. Katarinen
T.S. Martini. Magni
S. Seuerins
T.S Cuniberti
Beyen toorn
Rhin flu
Teutsch

Longit. Grad. XXVII. *40. Latitud.* LI. *0.*

DE COLONIA Agrippinensi præstaret omnino tacere, quam pauca dicere, nisi nos & ordo tractationis a silentio, & modus a prolixitate reuocaret. Vbii Cæsaris æuo trans Rhenum siti in ripa Germanica, ciuitatem habuere amplam & florentem, vt tunc erat captus Germanorum. Eos quũ Sueui (Cattos fuisse opinor) multis sæpe bellis experti, finibus expellere non possent, tamen vectigales sibi fecerunt. Quod quum inuitis ipsis fieret, miserunt ad Cæsarem legatos, & cum eo amicitiam fecerunt, obsidesq; dederunt, auxilia aduersus potentiorem hostem postulantes. Ac tunc quidem repressi sunt a Cæsare: Postea tamen videntur iterum petiti a Sueuis. Vt ergo tutius in posterum viuerent, traduxit eos Agrippa gener Augusti, haud inuitos, vt ait Strabo, deditque locum vbi nunc *Vpen* vel *Vben* spectatur. Eodẽ quoque Agrippina, Germanici filia, Agrippæ neptis, Claudij vxor, quod ibi genita esset, Coloniam deduxit sub Tiberio. Tradidit hæc Tacitus. Agrippina, inquit, quo vim suã sociis quoq; nationibus ostentaret, in oppidum Vbiorum, in quo genita erat, veteranos Coloniamq; deduci imperat, cui nomen inditum ex vocabulo eius. Ac forte acciderat, vt eam gentem Rheno transgressam auus Agrippa in fidẽ reciperet. Ex eo igitur Vbij, quasi pudori ipsis esset Germanos vocari, non se Vbios, sed Agrippinenses dici voluerunt. Tacitus iterum. Vbij quidem, quanquam Romana Colonia esse meruerint, ac libentius Agrippinenses conditoris sui nomine vocentur, origine erubescunt, transgressi olim, & experimẽto fidei super ipsam Rheni ripam collocati, vt arcerent, non arcerentur. Hinc nomina Coloniæ Agrippinensis, Coloniæ Vbiorum, Coloniæ Agrippinensium, & Coloniæ Agrippinæ Vbiorum, ac simpliciter Coloniæ, orta sunt. Creuit vrbs felici condita auspicio, vsque adeo, vt eam Zosimus maximam, Marcellinus vrbẽ magni nominis, vrbemq; munitissimam vocauerint: Constetque eam caput fuisse & metropolim Germaniæ secundæ, sedemque Ducis, adeo vt pugionem quo se Otto occiderat, Vitellius non alio quam huc miserit, teste Suetonio: & in eadem vrbe Traianus imperij insignia acceperit, ad se missa a Nerua. Inuisa fuit Transrhenanis, defectione, atque opulentia, & auctu rerum, vsque adeo vt sub Ciuili Tencteri postularint, vt muros suos, munimenta vt dicebant seruitij, detraherent, Romanos omnes in suis finibus trucidarent, bonaq; interfectorum in medium proferrent. Sed declinauit callide tempestatem illam constans in fide Romanorum Colonia. Donec anno CCCC LXII attritis ipsorum viribus ac debilitatis, Franci eam Childerico ductore vi occuparunt, & ad Ottonis vsque I tempora moderati sunt. Hic enim eam Francis ereptam Romano imperio reddidit anno C M XLIX, fecitq; liberam. Initio quadrata fuit, exstantq; adhuc murorum, turrium, & fossarũ priorum reliquiæ. Anno M C LXXX a Philippo Præsule amplicata est, redactaq; in arcuatam formã multis ædificijs suburbanis sacris pariter ac profanis intra pomœria cõclusis. Paullo ante tempora Friderici II sub annum Christi MCCI socia facta est Hansæ Teutonicæ. Nunc LXXXIII tribus turribus munitur, duplicique fossa, & muro, quem intus forisque arbores vestiunt, iucundo ob virorem, proceritatem, vmbramque spectaculo. Multa habet cum Roma adfinia, In Magistratibus, Consules, Proconsules, Prætores, Censores, Tribunos vigilum, Quæstores, Ædiles, Præfectos annonæ, aliosque. In structuris sacris, templa permulta: In ciuilibus, Curiam, forum, porticus. Creditur omnino & loci amœnitate, & populi frequentia, & dignitate magistratus, & amplitudine opum, & magnificentia ædium sacrarum, & publicorum priuatorumque operum splendore atque elegantia, deniq; sapientiæ ac virtutis bonarumque litterarum

rum

rum gloria, vera Germaniæ Roma vocari posse. Iam olim Iuris fuisse Italici, apparet ex Vlpiano ff. de Censibus. Ambitus est stadiorum XXXVIII. Portæ numerantur XXXIV. Basilicæ multæ. Templa plebanica IX, Collegiata X. Cœnobia virorum XV. Virginum XXII. Monialium & vetularum LIX. Sacella XXX. Xenodochia II. Nosocomia totidē Gerontotrophia VIII. Eminet præ omnibus templū B. Petri cathedrale, vastum & immane; cui si artificum opera extremam manum apposuisset, nullum ei par esset in tota Germania, possetq; merito stupēdis Europæ miraculis adcenseri. Nunc pendentia opera venerationem loco adduut, structuræ famā minuant. In eo multa conspiciuntur Principum, Episcoporū, Ducum ex cupro & lapide alabastritide monumenta. Memorandum quoq; est templum Macchabæorum, & aliud vndecim milliū Virginum. Curia celsam habet & rari operis turrim, ex quadrato saxo, quæ artificiosis statuarum signis vndiq; exornatur. Ex aduerso sacellum est, vbi olim Iudæorum Synagoga fuit; nunc vocant Ierosolymam. Estq; in eo tabula eximij ac plane Apellei operis. Forum vicinum ternis per septimanam nundinis frequentatur: illud vndiq; cingunt superba ciuium ædificia: Rhenus amnis vrbem præterlabens non ad mercaturas tantum fructuosum, ad spectaculum iucundum, sed etiam ad vitam & valetudinem salutarem vsum præstat. Ex aduerso fuit olim Diuitense munimentum, exstructum cum ponte a Cōstantino Maximo Constantij filio pro militibus illic ad tutelam Galliarum collocandis, a quo milites Diuitenses in Notitia Imperij, iuncti Tungrianis. Id cum ponte destructū est a Brunone Episcopo, lapidibus in Abbatiam insumptis, cui anno MCXXIV præfuit Rupertus Abbas, vir scriptis notus: De Colonia multi multa: Scaliger paucis dixit omnia,

Maxima cognati regina Colonia Rheni
Hoc te etiam titulo Musa superba canit.

Romani statuunt: habitat Germania; terra est Belgica; Ter fœlix: Nil tibi Diua deest.

De Academia Colonienſi actum est a nobis capite secundo, quod est de Scholis Germaniæ. Superest vt recenseamus EPISCOPOS.

Anno Chr. XCIX fertur Maternus prima hic salutaris doctrinæ semina iecisse: sed nō sustulit planè Paganismū.

Anno CCXCI S. Gereon cū socijs legionis Thebęæ, ad Coloniam interemptus sub Diocletiano & Maximiniano.

Anno CCCLXXVIII Gothi Ariani vrbe capta hæreticum quendam Euphratam Photinianum Ecclesiæ præficiunt, qui loco mouetur.

2 Seuerinus Aquitanus Burdergalensis, electus an. 396. præfuit an. 40.
3 Euergisſus Tungrensis: an. 438. sedit an. 15.
4 Aquilinus ordinatus an 463. sedit an. 10. Sub hoc imperante Martiano fertur Vrsula cum XI millibus Virginum martyrio functa.
5 Simoneus electus an. 511.
6 Carentinus.
7 Remidius, electus an. 614. sedit an. 8.
8 Cunibertus Mosellanus elect. an. 622, sub Dagoberto.
9 Bocaldus.
10 Stephanus elect. an. 660 sub Theodorico Franc. rege.
11 Abeluuinus elect. an. 690 sub Clodoueo.
12 Giso, elect. an. 699: Sub hoc Swibertus Anglus in insula VVerda (*Keyserſ-weerdt*) collegium exstruit.
13 Hanno I.
14 Pharamundus elect. an. 728.
15 Agilulphus elect. ao. 728.
16 Rangefridus elect. an. 746 sedit an. 20.
17 Hildebertus elect. an. 778, obijt an. 804 sedit an. 26.
18 Bertholinus sub Pipino Caroli magni patre.
19 Ricolphus sub Carolo magno.

20 Hil-

20 Hildeboldus, qui Ludouicum Caroli Magni F. Aquisgrani regem Romanorum consecrauit.
21 Hattebaldus: obijt an. 840.
22 Guntherus electus an. 840, cuius sororem Vastradam Lotharius repudiata coniuge Tyberga vxorem habuit. Hunc excommunicauit Nicolaus I Papa.
23 VVillibertus sub Arnulpho Imp.
24 Hermannus Pius electus an. 890. obijt an. 924.
25 VVitfridus sub Henrico Aucupe an. 925. ob. an. 924.
26 Bruno filius Henrici Imper. frater Ottonis Imper. Hic pontem, cum munimento Diuitensi destruxit. Situs est in æde Pantaleonis.
27 Folcmarus præfuit an. 4. obijt an. 929.
28 Gero electus an. 930.
29 VValramus, qui Geronem ecstasi correptum extulit & sepelijt viuum.
30 Euergerus design. an. 975. obijt an. 990.
31 Eribertus sub Ottone III Imp. obijt an. 1021. Primus Elector.
32 Pilligrinus electus an. 1021, sedit an. 15.
33 Hermannus II Palat. Rheni sub Conrado II Imp.
34 Hanno II sub Henrico III Imp. elect. an. 1055.
35 Hildolphus sub Henrico IV Imp. elect. an. 1067.
36 Sigenuinus electus anno 1014, præfuit an. 10.
37 Hermannus III Dives elect. an. 1089.
38 Fridericus I el. an. 1112, vnxit Coloniæ Lothar. Imp.
39 Bruno II electus an. 1152, obijt Barræ in Apulia.
40 Hugo electus an. 1158, obijt eodem anno.
41 Arnoldus sub Conrado III, elect. an. 1160.
42 Arnoldus II de Altena, obijt an. 1166.
43 Fridericus sub Friderico I Imp. præfuit an. 3.
44 Reinoldus electus an. 1163, obijt an. 1181.
45 Philippus qui vrbem ampliauit, præfuit an. 30.
46 Bruno III de Altena, sub Henrico VI, præfuit an. 3.
47 Adolphus de Altena fratri successit.
48 Bruno III, obijt an. 1218.
49 Theodoricus Comes Montensis sub Ottone III, obijt an. 1214.
30 Engelbertus Comes Montensis sub Friderico II, occisus an. 1225.
51 Henricus I obijt an. 1232, præfuit an. 12.
52 Conradus ab Hoisteden, sedit an. 34.
53 Engelbertus II, obijt Bonnæ an. 1272.
54 Syfridus qui Adolphum Nassouiũ coronauit Aquisgr. & Comitẽ Montensem nudum caueæ ferreæ inclusit.
55 VVichboldus electus an. 1298.
56 Henricus II sub Alberto I Henrico VII & Ludouico Bauaro.
57 VValramus obijt Parisijs an. 1349.
58 Guilielmus electus an. 1350, sub Carolo IV Imp.
59 Ioannes a Virnenburg.
60 Adolphus II Comes de Marca, qui resignauit.
61 Engelbertus III Comes de Marca, ob. an. 1368.
62 Cono a Falkensteyn, adsumptus an. 1368.
63 Fridericus III, adscitus an. 1370.
64 Theodoricus Comes de Morsa, electus an. 1414.
65 Rupertus Dux Bauariæ electus an. 1463.
66 Hermannus IV Lantgr. Hassiæ elect. an. 1480.
67 Philippus de Thuyn Comes Oberstenius.
68 Hermannus V Comes de VVeda electus an. 1518.
69 Adolphus III Schawenburgicus adijt Episc. an. 1548.
70 Antonius Adolphi frater electus an. 1556.
71 Ioannes Gebhardus Mansfeldicus elect. an. 1558.
72 Fridericus Comes de VVeda elect. an. 1562.
75 Salentinus Comes Isenburg. elect. 1567.
76 Gebhardus Truchsesius.
77 Ernestus Bauarus, obijt an. 1612.
78 Ferdinandus Bauariæ Dux.


COBOLENTS
Rhenus flu
Mosel flu

Longit. Grad. XXXVII. *30.* *Latitud.* L. *30.*

CONFVENTIVM meminere Antoninus, & Tabula Peutingeriana; Est autem oppidum Galliæ Belgicæ inter Moguntiam & Coloniam, diœceseos Treuirensis, qua se Mosella (qui Ptolemæo Obrincus dicitur) Rheno miscet. Oritur autem is Vogeso monte, multisque per Leucos & Mediomatrices receptis amnibus, tortuoso fluxu agrum amœnissimum Treuirensium perlabitur, vbique sui similis, vt vix etiam maiori amne mixtus mutetur: colorem quippe diu seruat in ripa sua. Guntherus Ligurinus de Mossella,

Vix Rheno minor hic, placidos dum permeat agros,
Frugibus & pomis, & dulci fertilis vua,
Nomen aquasque suas proprio sub iure retentans,
Fluminis ex gemini confluxu nomen habentem
Seruat adusque locum: victor mox Rhenus vtrunque
Eripit, & mixtis dominatur fortior vndis.

Sed Confluentiũ nomen alijs quoq; vrbibus similiter sitis tributum fuit. In Rhætia primum: nam in libro Notitiæ scribitur Præfectus numeri Barbaricariorum Confluentibus siue Brecautiæ. In Rauracis, medio fere itinere inter lacum Acronium & Basileam. Florus quoque in Italia Confluenteis agnoscit, libro IV cap. 6. Pax, inquit, inter tres duces (Triumuiros intelligit, Cæsarem, Antonium, & Lepidum) componitur. Apud Confluenteis, inter Perusiam & Bononiam iungunt manus, & exercitus consalutant. Talibus vero locis veteres in prouincijs præsidia arcesque collocarunt, ob situs opportunitatem, facilesque aditus, & rerum copiam, quodque ea loca & tutiora sint, & ad hostem propellendum aptiora. Porro vrbs ista siue frequentiam ciuium spectes, siue ædificiorum publicorum priuatorumque dignitatem, siue prospectus amœnitatem, siue agrorum fertilitatem, siue collium montiumque vinetis oppletorum iucunditatem, non est inter postremas Germaniæ. Pulchras ædes habet ad pontem vsque longo ordine. Pons ipse quadrato lapide exstructus, arcuato opere, vtrumque Mosellæ ripam iungit inter se, sternitque viam ex inferiore Germania in superiorem proficiscentibus, aut ex hac ad illam commeantibus. Ciues comes sunt, blandi, candidi: vt in ipsis agnoscas ingenium Gallicæ viuacitatis cum Germanico candore & grauitate temperatum. Ex aduerso in dextera Rheni ripa Castellum est *Ernbretsteyn* in summo montis culmine positum, Archiepiscopi Treuirensis, quod despicit subiectam vrbem, & in officio tum illam, tum præternauigantes continet. In radice montis pagus est Molheimius, in quo monachorum cœnobium, & fons acidulus arcanam habens aduersus morbos vim. Est autem tabellæ quem damus chorographicæ typus delineatus ad exemplum eius quem ante hos annos LX Ioannes Archiepiscopus Treuirensis Imperij Septemuir ad Sebastianum Munsterum misit: Vel eo felicem, quod conatus ipsius adiuuerit tanti Principis non tantum fauor, sed etiam auxilium. Memorabilia sunt verba epistolæ quam tum mittebat. Oppidum, inquit, nostrum a Rheni & Mosellæ confluxu decantatũ, atque adeo circumiacentem ambitum quaqua patet, montium iugis eminentem, castris insuper & vinetis conspicuum, adhæc insulis irriguis & vallibus non inamœnis illustratum, in tabula delineatum tibi suppeditamus, sperantes gratum apud te locum habituram esse hanc exaugendi Cosmographicum opus tuum intentionem & voluntatem nostram.


COSTANTZ

Longit. Grad. XXXI. *o.* *Latit.* XLVII. *3.*

CONSTANTIVS Constantini Magni pater non vno loco hiberna fecit suis militibus, quæ ab ipso Constantia castra appellata sunt. Ammianus Marcellinus in Gallia ad ostium Sequanæ castra istiusmodi agnoscit. Matrona, inquit, & Sequana amnes magnitudinis geminæ, fluentes per Lugdunensem, post circumclusum ambitu insulari Parisiorum castellum, Lutetiam nomine, consociatim meant, meantesque protinus prope CASTRA CONSTANTIA funduntur in mare: Eo loco hodie vrbs est Episcopalis attributa Normanniæ. Diuersa ab illa est hæc nostra, sita ea Sueuiæ parte, qua Rhenus ex lacu Acronio sese in Venetum mergit. Vetustatem indicat nomen: quum tamẽ nulla eius in antiqua historia extet mentio; indicari tantum eam putant quidã ab Ammiano, quum scribit, Allemannos Arbetione Romannorũ duce fugato, sublatis animis ferocibus incedentes, cottidie prope muniméta Romana strictis mucronibus discurrisse, frendendo minas tumidas intendentes: Acceperat enim ab Imperatore Constantio in mandatis Arbetio, vt margines lacus Brigantini legeret. Quicquid est, constat Episcopalem sedem Vindonissa huc translatum, post Hunnorum in hæc loca incursiones. Fuit autem Vindonissa in Verbigeno pago Heluetiorum, qui Ergow dicitur, ad confluentes Arolæ, Rusæ, & Limagi. Duo vero Episcopi Vindonissenses in antiquis concilijs leguntur, Chromatius in Aurelianensi, & Bubulcus in Epaonensi. Tabula lapidea vetus quæ Constantiæ exstat, in qua fit mentio IMPP. C. AVREL. VAL. DIOCLETIANI, ET M. AVREL. MAXIMIANI, ET VAL. CONSTANTII, ET GAL. VAL. CÆSS. creditur ex vico propinquo Vitoduro Constantiam aduecta. Scadus, Cognatus, & Cænalis putauerunt Constantiam eandem esse cum Ganoduro Ptolemæi, γανόδουρον. Hermannus Scheydel putat esse Vitodurum: quum hoc sit *Winterthur.* Et tamen eundem quoque errorem errauit Aretinus. Picus non a patre Constantini, sed ab eius filio conditam & vocatam putat, sic enim scribit,

Quos Constantini proles oriente subacto
Occiduas repetens stellanti murice terras
Condidit, & proprio signauit nomine *Constentz.*

Sita est inter Acronium lacum (vt dixi) & inter Venetum, quorum ille maior est & superior, hic minor & inferior. Sed illum hodie a castro de Podmen vulgo Podamicum vocant: hunc ab oppido quod Cella Rudolphi dicitur, Cellacensẽm. In extrema ergo lacus superioris parte, vbi Rhenus nondum inferiori lacu miscetur, sita est Constantia: pontem habens quo vtrimque fluminis ripæ inter se iunguntur. Est autem hodie omnium vttiusque lacus ciuitatum & maxima & florentissima, distincta in duo hominum genera. Alij enim sunt equestris ordinis, alij plebeij. Hi mercaturam & artes sellularias exercent; Illi partis sine labore suo opibus contenti, matrimonijs eas augent, reditibusq; suis aluntur. Nec miscentur inter se: nefas enim & præter dignitatem suam putant, si nobilis etiam tenuioris sortis, plebeio ditiori copuletur. Ita per longa tempora vterque ordo in suis finibus constitit. Gubernatio tamen Reip. communis est plebeis & nobilibus, eaque citra æmulationẽ aut fastum, aut alterius partis contemtum oppressionemque instituitur. Tantum valet siue adnata genti æquanimitas, siue inolita consuetudo. Ager Constantiensis ferax est vini, frumenti, pomorum, olerum; Habet pabula optima: neque quicquam ei denegauit natura, cuius ad vitam necessarius sit vsus. Templum Cathedrale sacrum est B. Stephano.

EPISCOPI VINDONISSENSES.

1 Paternus.
2 Lando. Vtrumque nominat P. de Natalibus in suo diario.
3 Maximinus.
4 Bubulcus. Hic interfuit Concilio Epaonensi circa annum Chr. CCCC XCVIII. In eo sic suscripsisse legitur, *Bubulcus Episcopus Vindonissensis.*
5 Chromatius: Hic interfuit Concilio Aurelianensi in Gallijs, celebrato anno D XLVI. Suscripsit sic, *Chromatius Episcopus Vindonissensis.* Legitur vulgo Grammaticus.

TRANSFERTVR EPISCOPATVS CONSTANTIAM.

1 Maximinus vixit sub Clotario II, & Dagoberto. Eum Clotarius transtulit ex veteri Vindonissa in regiam villam Constantiam anno Domini D LXX. Hic ergo est vltimus Episcopus Vindonissensis, primus Constantiensis.
2 Rudolphus.
3 Vrsinus.
4 Gaudentius qui obijt anno Christi D C XVIII.
5 Martinus: Huius tempore circumpscripsit certis limitibus Episcopatum Constantiensem Dagobertus rex, deditque ei multas immunitates, anno D C XXXIII.
6 Ioannes Curiensis, discipulus S. Galli eremitæ Scoti. electus anno D C L.
7 Obhardus Bosso.
8 Pictauius.
9 Seuerus.
10 Astropius.
11 Ioannes secundus.
12 Ruffo.
13 Audonius. Huius meminit Hermannus Contractus, obijt anno D CC XXXVI.
14 Ernfridus Abbas diuitis Augiæ, a Carolo Martello factus Episcopus.
15 Sidonius, Abbas diuitis Augiæ. Sub hoc Bertrada Pipini coniunx Caroli magni mater dotauit Ecclesiam.
16 Ioannes ex monacho diuitis Augiæ Episcopus, ob. an. 781. Sequuntur, Gangolfus, Fedelis, Theobaldus.
17 Egino obijt an. 813.
18 VVolfoleon obijt an. 831.
19 Salomon I præfuit an. 42.
20 Bathago obijt an. 877.
21 Gebhardus trucidatus a Normannis an. 885.
22 Salomon II obijt an. 891. Sub hoc Carolus Crassus imperio exutus ad vltimam paupertatem redactus est.
23 Salomon III constitutus ab Arnulpho Episcopus an. 891, obijt an. 919. sub Conrado Saliquo.
24 Notingus obijt an. 935.
25 Conradus præfuit an. 42. condidit Templum B. Ioannis, Ecclesiam parœcialem B. Pauli: sacellum S. Mauritij, & pro peregrinis Xenodochium, obijt an. 976, sub Ottone II.
26 Gaminolphus, præfuit an. 4.
27 Gebhardus II præfuit an. 16, obijt an. 996.
28 Lambertus electus an. 996: extinctus phthiriasi an. 1009. Huius tempore vixit in Sangallensi cœnobio Hermannus Contractus Comes Veringensis.
29 Rodhardus præfuit an. 4.
30 Haymo electus an. 1013, sublatus paralysi an. 1026.
31 VVarmannus sepultus Constantiæ an. 1034.
32 Eberhardus VVarmanni frater. Sub hoc celebrata sunt Comitia Constantiæ ab Henrico III, an. 1044.
33 Theodoricus electus an. 1047, obijt 1051.
34 Rumoldus, qui templum cathedrale collapsum restauravit, obijt an. 1069.

35 Caro-

35 Carolus Thuringus, factus Episc. ab Henrico IV.
37 Otto tempore dissidij inter Henricum IV Imper. & Gregor. VII.
38 Gebhardus III Dux Zering. monachus Hirsaug. electus an. 1082, eiectus an. 1092, restitutus an. 1105, defunctus an. 1116.
39 Arnulphus Sueuus eiecit Gebhardū; ipse postea eiectus.
40 Vlricus I sub Henrico V, ob. an. 1127.
41 Vlricus II resignauit anno 1138.
42 Hermannus, sub Friderico Barbarossa: ob. an. 1165.
43 Otto II obijt an. 1169.
44 Bertholdus præfuit an. 10, ob. an. 1179.
45 Hermannus II. Sub hoc fuere Imperij Comitia Constantiæ celebrata a Friderico Barbarossa: ob. an. 1191.
46 Diethelmus, defunctus an. 1205.
47 VVernerus obijt an. 1210.
48 Conradus II præfuit an. 24, obijt an. 1234.
49 Henricus defunctus an. 1248.
50 Eberhardus II extinctus an. 1294.
51 Rudolphus Comes Habspurg. Imperatoris patruelis, electus an. 1274, præfuit an. 20, mortuus an. 1294.
52 Fridericus a Zollern. cessit Episcopatus ob. an. 1304.
53 Henricus II præfuit an. 11, obijt an. 1306.
54 Eberhardus III extinctus an. 1318, sub hoc arsit Constantia.
55 Rudolphus III excommunicatus a Papa quod adhæreret Ludouico Bauaro: obijt an. 1332.
56 Nicolaus electus in schismate, obijt an. 1344.
57 Vdalricus III defunctus an. 1251.
58 Ioannes III, VVindlock, Schafhusius, trucidatus anno 1356.
59 Vdalricus IV electus resignauit.
60 Henricus III Baro a Brandis præfuit an. 26, obijt anno 1383.
61 Mangoldus a Brandis Henrici nepos electus in schismate.
62 Nicolaus II præfuit annos IV, regnauit an. 1388, obijt Dresdæ.
63 Burchardus electus an. 1388, ob. an. 1798.
64 Fridericus II electus, statim resignauit.
65 Marquardus extinctus an. 1508.
66 Albertus Blaurerus electus an 1408, resignauit.
67 Otto III electus an. 1411, præfuit an. 23. Sub hoc celebrata est SYNODVS CONSTAN. Imperante Sigism. Senex incidit in epilepsiam, & resignauit Episcopatui.
68 Fridericus III Comes a Zollern præfuit an. 3. obijt an. 1436. Hic euocauit Synodum Diocœsanam, cui interfuerunt Abbates 26. Præpositi 6. Canonici 40. Sacerdotes 260. In ea Synodo censa sunt per diœcesin Constantiensem monastria CCCL. Ecclesiæ parœciales MDCC & IX. Sacerdotum vero septendecim millia.
69 Henricus IV Baro Heuwensis, sedit an. 36, sub Eugenio PP.
70 Burcardus II obijt an. 1475, quum sedisset an. 3.
71 Hermannus electus an. 1475, obijt biennio post.
72 Ludouicus, obijt Romæ an. 1484.
73 Otto Comes a Sunnenberg. obijt an. 1491.
74 Thomas Perlouerus, obijt an. 1496.
75 Hugo, sedit an. 33, sub hoc fuere COMITIA CONSTAN. euocata a Maximiliano Imper. de rapta a Carolo sponsa.
76 Balthasar, præfuit mens. 15, excessit Treuiri.
77 Ioannes V, Comes a Lupffen præfuit an. 6, resignauit anno 1537.
78 Ioannes VI obijt an. 1548 Augustæ.
79 Christophorus Metzlerus.

CRONE-


Cronenburg
Sundt

Longit. Grad. XXXVI. *30.* *Latitud.* LVII. *0.*

EST in Dania insula nobilis, quæ a mari vocatur *Zelandt*, in ipsis faucibus sinus Codani sita, ac proinde imperans omnibus qui ex Oceano Balthicum hoc mare nauibus ingrediuntur, siue Austrũ versus Sleswicum, Lubecam, VVismariã, siue Boream versus Sueciam, Gothiamq; & extremas sinus Codani oras petituri sint. Sed Austrum versus rara est & infrequens nauigatio. Ad Boream est fretum illud nobilissimum quod vocãt *Orr-sundt*, siue porthmum Danicum, inter *Helschenor* Selandiæ, & *Helse-burgũ* Scaniæ, promontorijs vtrimque prominentibus ita coarctatum, vt vix parui milliaris spatium libero mari relinquatur. Per has angustias exonerãt se ingentia illa Germaniæ, Poloniæ, Sueciæ, Russiæ flumina in Oceanum: perq; easdem necessario naues littora portusq; maris Balthici ex Oceano, vel ex his locis Oceanũ petituræ velificationem instituunt, tanto quidem numero, vt interdum vno die ducentas, sæpe etiam quadringentas, imo & sexcentas, atq; adeo plures onerarias ex varijs Europæ tractibus eo conuenisse obseruatum sit. Habet autem Daniæ rex in ipsis freti faucibus arcem regiam nomine *Kroneburg* quã ipse incolit, Helsenburgi vero etiam publicanum, cui vectigal a singulis nauibus ex more & lege penditur, neque fas est cuiquam præteruehi, nisi collectis ante honoris caussa velis, & persoluto vectigali. Ex hoc portorio magnæ Regi opes. CRONEBVRGVM arcem e solo excitauit eo loco Fridericus II Daniæ rex, vetere arce subuersa. Eam ab Oceano ingentes pali fistucato opere ac transuersis lignis firmati, immanibus saxis ad frangendos fluctus ingenti numero interiectis turam reddunt. Structura arcis est ad normam exacta, symmetria Italica, respondentibus inter se fundamentis, parietibus, tectis, pauimentis. Fossis præterea, vallis ac propugnaculis ad vim inferendam & pellendam aptis. Ad arcis mœnia, iacet ingens saxum, tam vastum, vt nulla humana vi aut arte moueri loco posse videatur. Id iussu regis aliunde huc pertractum, variam differendi de organis mechanicis materiam spectatoribus suppeditat: Inscriptio eius sic habet, ANNO M D LXXX FRIDERICVS II DANIÆ REX CVRAVIT HOC SAXVM A PRIMO SVO LOCO, VBI VICISSIM ALIVS SVBROGATVS EST LAPIS AD HVNC DEVOLVI LOCVM. Frontispicio arcis hoc carmen incisum legitur,

Inclytus hanc celsam FRIDERICVS condidit arcem,
Nomine qui simul & sorte SECVNDVS erat.
Rex pius & iustus, mitis, robustus in armis,
Qui tamen inuitus prætulit armæ togæ.
Cui regina thoro vidit sociata iugali
Mechleburgiaca nata SOPHIA domo.
Quæ pariter virtutis amans, studiosa mariti,
Pignora coniugij plena decore dedit.
Ergo vbi pacatos ageret Rex impiger annos,
Structuræ tanta mole peregit opus.
Muniuitque arcem, velut aspicis, haud quod in ista
Spem sibi tutelæ præsidijque locet:
Nec velut antiquæ structor Babylonis, ouando
Iactet vt humana robora facta manu.
Iste luit pœnas fastus, dum septimus annus
Cerneret amentem perfimilemque feris.
Rex nihil ostentat Danus, se credit & optat
Præsidio tutum solus esse Dei.
Scit bene, ni faueat numen, quod robora nulla
Aut chalybe aut duro facta adamante iuuent.

In medio freto sita est insula Huæna, in qua Tychonis Brahe Vraniburgum.


DANTZIG
Ooſt Zee
S Catarine
Phar kirck
Wiſſel flu

Longit. XLV. *o. Latitud.* LIV. *50.*

GEDANVM veteribus ignotum fuit. Kantzius in ſua Vandalia recentem illam atque adeo heſternam vocat, imo ex Turoniæ, olim florentis (vt ſunt humanarum rerum vices) interitu ortã, quod ob maris viciniam portuſq; commoditatem negotiatio hic eſſet aptior: eſt enim Torunia interior, ad Viſtulam, vigeſimo a mari milliari. Narrat idẽ, vixiſſe ſuo æuo, qui audiſſe ſe teſtaretur ex auo, relatum ſibi a patre, veniſſe ſe Gedanũ Hamburgẽſis vrbis nuntiũ & oratorẽ, Senatũq; adijſſe eius loci, qui tunc in priuata domo coactus erat, quæ vnica illic ſtabat lateritia, inter plures alias cannis paluſtribus & limo firmatas. Ingreſſum, vidiſſe patres conſcriptos ad menſam ſine pallio, ſine toga, cultellis ad componendum ſymbolũ per plana demiſſis, ad metam ludentes. Eam ſcilicet tum fuiſſe publici concilij grauitatem. Ab illis exordijs intra vnum ſeculum in eum ſplendorẽ excreuiſſe, vt electis dominis ſuis, fratribus Teutonicis, regẽ Poloniæ ad patrocinium ſuum euocarint. Vixit autẽ Krantzius, ſicut in Hamburgi deſcriptione patebit, anno MD, vt videatur legatio illa ad annum MCCCC referenda. Tunc ergo vicus erat. Ac fuiſſe iam olim, licet nulla eius nominis exſtet in veteribus Græcorum & Latinorum monumentis memoria, vel ex eo conſtare poteſt, quod ex his locis electrum Græciæ, Italiæ, cæteroq; orbi ſubminiſtratum eſt, quod non alibi quã hic colligitur. Hic quoq; flu. eſt *Rodaune*, hic accolæ Venedi, qui occaſionẽ imperitioribus dederunt, fingendi multa de Eridano amne & Venetis Italiæ populis: Alij ex *Rodaune*, qui Viſtulæ miſcetur, Rhodanum fecere Galliæ flumen. Quamdiu ergo collectum ſuccinum, & in pretio habitũ, tamdiu quoq; ad Viſtulã, & *Rodaunam* amnes, locus fuit habitationi humanæ aptus. Ac crediderim ſuccinum hinc Toruniam, inde per Pannoniam aut Germaniam ad Venetos Italiæ populos Eridani accolas delatum fuiſſe, vulgus vero quod ibi primum viderat, ibi natum putaſſe, vt recte iudicat Solinus. Nomen vrbi ſunt qui datum putent a Getis & Danis; Goropius Becanus exiſtimat dici quaſi vicum Danorum *Danſ-wyck*. Mihi certum eſt, eandem eſſe analogiam vocum *Dan*, *Codan*, *Cdan*, *Gdan*, & cum terminatione Slauonica, *Gdanſke*; vnde poſtea fluxerunt *Danſig*, & Dantiſcum: quod etiã Clariſſimo Cluuerio video placuiſſe. Locum deſcribit Plinius. Pytheas, inquit credidit, Guttonibus, Germaniæ genti, accoli æſtuarium Oceani Mentonomon nomine, ſpatio ſtadiorum ſex millium. Ab hoc diei nauigatione inſulam abeſſe Abalum. Illo vere fluctibus aduehi electrum, & eſſe concreti maris purgamentum. Incolas pro ligno ad ignem vti eo, proximiſq; Teutonis vendere. Hæc igitur antiquiſſima primordia vrbis nunc toto orbe celeberrimæ: Eius ſi quis nunc ſplendorẽ ac magnificentiam, opes, priuilegia, eximias commoditates maris & fluminis, ſtructuras publicas priuataſq;, turres, templa, portas, baſilicas, prytanea, Xenodochia, atque imprimis hominum vltro citroque commeantium frequentiam, cum priſca ſolitudine conferre velit, videbit, ſingulari Dei fauore, & egregia Magiſtratus prudentia, ciuiumq; induſtria vrbẽ creuiſſe. Emporium eſt totius illius tractus opulentiſſimum, ampliſſimum, venuſtiſſimum. Vicum apertum primus aſſeribus muniuit Primiſlaus Dux Poloniæ anno MCCXCV. Quando muro cincta ſit, teſtatur inſcriptio in ſummo templo poſita, ANNO DOMINI MCCCXLIII QVARTA POST LÆTARE, POSITVS EST PRIMVS LAPIS MVRI CIVITATIS DANTZK, ET POSTEA PROXIMA FERIA SEXTA POSITVS EST PRIMVS LAPIS MVRI ECCLESIÆ BEATÆ VIRGINIS MARIÆ. Nõ potuit Reſpublica tam elegans locari Nobiliore loco, nobiliore manu.


DRESEN
Pfarkirch
Das Schlos
Zolhaus

Longitud. Grad. XXXVI. *o. Latitud.* LI. *3.*

PROPTER Albim tertio ſupra Miſnam milliari ad radicē Sudetorum montium ſita eſt Dreſda vtraque, vetus & noua, quæ ponte committuntur. Illa ad Luſatiam, hæc ad Miſniam ſpectat. Illa Slauorum opus, qui ante Henricum Aucupem ad Albim incoluere: hæc poſt Hunnorum irruptionem fuit veteris Dreſdæ colonia. Sed hanc Imperator Miſnenſi Eccleſiæ dedit. Adolphus Naſſouius qui auro Anglicano Thuringiam emerat, adflixit Miſniam: venerunt autem tunc in eius poteſtatem Friberga, Dreſda, Miſnia. Anno M CCC III Dreſda ceſſit regibus Bohemiæ, quod eam VVenceſlaus ab Alberto Miſnenſi Præſide emiſſet: non multo tamē poſt redijt ad Henricum Marchionem: qui numeratis MLX marcis a Miſnenſi Epiſcopo VVitigone eam redemit. Ex eo creuit vrbs. Pons ædificari cœpit anno M LXX, eſtque decennio poſt conſummatus. Omnium is totius Germaniæ pontium eſt elegantiſſimus & firmiſſimus, vt qui paſſus DCCC vel cubitos nongentos, fornices vero ſiue arcus habeat XXIV, de quibus tamen quatuor propter arcis ampliationem deceſſerunt. Pragenſis hoc eſt minor. Sunt qui eius initium referant ad Ottonem Diuitem, qui ex reditibus argentifodinarum Fribergenſium eum cœperit exſtruere ſub annū M C LXXV. Iidem perfectum aiunt tempore Henrici Illuſtris anno M CC XXII. Templum crucis a Conſtantia Leopoldi Archiducis Auſtriæ filia, eiuſdē Henrici coniuge, circa idē tempus exſtructum fertur. Anno M CC LXXXV ab Henrico Marchione Miſniæ magis munita eſt ciuitas, edictumque, ne cui venderetur domus vel area, qui iura municipalia ſeruare nollet. Anno M CCC XLIII die 21 Martij conuulſa eſt pars pontis lapidei inundatione Albis. Anno M CCCC XCI exuſta eſt pars vrbis media cū templo & turri S. Crucis: poſtridie vero etiam ſuburbium ante portam Pirnenſem conflagrauit. Albertus Saxoniæ Dux ciuibus ad penſanda incendij incommoda ſingulari minificentia ſuccurrit. Anno M D XXIII celebratæ ſunt Dreſdæ nuptiæ Philippi Lantgrauij Haſſiæ cum Chriſtina Georgij Ducis filia. Sequente anno aliæ Ioachimi Marchionis Brandeburgici cum Magdalena ſorore Chriſtina. Anno M D XXVIII Georgius Saxoniæ Dux illectus loci amœnitate magno ſtudio in id incubuit, vt vrbs vallo foſſiſque muniretur, ædificijs publicis & priuatis augeretur, & Albis propius admoueretur. Ædificata eſt quoque turris rotunda, quæ in arcis aditu conſpicitur. Anno M D XXXVIII venit Ferdinandus Romanorum Rex Dreſdam ſpectatum ſtructuras Dreſdenſes, quæ iam magna ex parte erant abſolutæ. Anno M D XLIV curarunt Mauritius & Auguſtus Saxoniæ Duces arcem valida munitione firmari. Ioannes Fridericus vero Elector triennio poſt eam obſidere cœpit: ſed ab inſtituto reuocatus eſt. Poſt captum Ioannem Fridericum reſtauratus eſt pons, quē Duces, vim veriti, reſciderāt. Mauritius quoq; vrbis incrementis ſtudens vtriuſq; Dreſdæ Remp. vnam eſſe voluit. Idem arcem anno M D LI ampliorem fecit. Templi ſtructuram ante inchoatam abſoluit Auguſtus. Ita per incrementa creuit Dreſda. In ea nunc omnia ſunt illuſtria. Arx, ſedes magni Principis, Ducis & Electoris: Nobile armamentarium: Equile Martiū. Muri ad vſum & ornatū elaborati. Celebre illud, & acuminis humani vix humanum ſpectaculum, quod incolæ *die Kunſtkammer* vocant. Forma Reip. quouis concentu ſuauior. Leges iuſtitia & æquitate temperatæ. Ciues obſequioſi & fideles. Et ſuper hæc omnia Princeps cui nihil diuinitus negatum. Extra vrbem quaquauerſum omnia ſunt hortis, pomarijs, ſegetibus, viridarijs obſita.


EGRA

Longit. Grad. XXXIV. *20. Latit.* L. *3.*

EGRA Nortgauiæ ciuitas extra Hercynium saltum sita, nomen habet a fluuio Egra, cui adsidet: Eam Marchio Vohburgensis Friderico Barbarossæ dotis loco dedit quum filiam suam Adelheidem natam Henrico Bauaro ipsi desponderet, anno MCLXXIX. Etsi vero Hermanni Episcopi Constantiensis opera matrimonium illud postea rescissum fuerit, tamen adhæsit imperio Egra, vsque ad annum Christi MCCCXV, quo Ludouicus Bauarus capto Friderico III Austriaco, quum pecuniæ inopia premeretur, Ioanni Bohemorum & Polonorum regi eam oppignorat, acceptis ab ipso quadragies mille argenti marcis. Ita Egra in confinio Imperij & regni sita, cessit regi Bohemiæ, cui etiamnum paret, adeo vt in Senatu ad solum nomen regis adsurgant patres venerabundi, & in vrbis insignibus aquilæ pars inferior concellata sit, lineis decussatim productis. Creditur aliquando dicta Saurstadia a vicinis fontibus acidulis: Sed antiquiora ignorari mirum non est, quum tota ciuitas cum omnibus priuilegijs, monumentis, ædificijs, tristi incendio conflagrarit, anno MCCLXX. Sita est in amœna valle, ita vt pars eius ex decliui colle pendeat. Cingit eam murus duplex; cui tertius etiam additus, ea vrbis parte quæ a flumine est remotior. Arx inter flumen & vrbem posita ornamentum ei & tutelam adfert. Templum S. Nicolao sacrum splendidum est, præsertim ob turres duas quæ Orientem respiciunt. Templo vicina ac pene contigua est domus fratrum Teutonicorum. Est & alia Cruciferorum, & alia Stelliferorum domus, prope Xenodochium. Curia ampla est & laxa: In ea Carolus V anno MDXLVII exercitum colligens quo postea Saxoniæ incubuit, diuersatus est. Senatus est Centumuiralis. In hoc nouendecim lecti e patritijs, Consules vrbi sufficiunt quotannis quatuor. Tredecim sunt Scabini, qui ius dicunt, caussasque ciuium dirimunt, non ex scriptis constitutionibus Romanorum, sed ex legibus municipalibus, exque recepto iure. Reliqui LXVIII sunt plebeij. Porro a Senatus Egrani sententijs non datur nisi ad ipsum Bohemiæ regem prouocatio. Præter ædificia publica quæ iam diximus, sunt & horrea, omni frumentorum & leguminum genere referta; Armamentarium quoque instructissimum. Molæ duæ. Xenodochia duo. Balnea publica quatuor. Portæ maiores tres: minores totidem; quarum non est vsus nisi ad Consules noctu admittendos, si quando Reip. caussa abfuerint: nam maiores extra ordinem nemini aperiuntur. Pons vrbem suburbio nectit amœnissimo, in quo fons est, quem dixi, acidus, cuius potus æstiuis mensibus leniendis caloribus expetitur. Suburbium illud incolunt magna ex parte coriarij, quorum merces per Bohemiam, Pannoniam vtramque, & finitimas regiones plaustris petitæ diuenduntur. Arcem incolit regio nomine Burggrauius siue torparcha ad vrbis præsidium. In ea præter turres vrbi imminentes, sacella sunt duo, alterum B. Martino sacrum: alterum B. Vrsulæ. Ciues Egrani hydromeli coquunt, expetitum Germanis ac Bohemis ob vinuli saporis gratiam, & aromata quibus temperatum est. Ditio Egrana habet sub se arces duodecim, pagos complures: oppidum *Radunitz* ad amnem Cossenium.

EISLEBIA

EISLEBEN



Longit. Grad. XXXII. *30. Latitud.* LI. *46.*

COMITATVS Mansfeldiæ superiori Saxoniæ innexus est, inter Salam & VVipperā fluuios. Primaria eius ciuitas est EISLEBIA, quæ a metallis, quorum illic ingens prouentus, nobilitata est. Eruitur enim prope eam lapis niger fossilis, lithanthracūm facie, qui excoctus igni, æs fundit, magno ciuium & aliorum incolarū lucro, quod acerui scoriarum & recrementorum ingentes demonstrāt. Lapis ille fissus in scindulas, varias repræsentat formas, anguillarum, carpionum, ranarum, gallorum quoq; & salamandrarum, dædalo naturæ opificio. Arx vrbis satis firma est. Ager vicinus fertilis, ac porro imprimis abundās Mercatus duos solemnes habet ciuitas, vnum Dominica post *Viti*, alterum Dominica post *Galli*, qui in eos dies reiecti sunt, propter Lipsienses nundinas, opera Hoieri Comitis Mansfeldici consiliarij Cæsarei. In hanc vrbem conuenere anno MLXXXII Principes Germaniæ, & Hermannum Ducē Lotharingium Comitē Sarrapontanum Romanorum regē designarunt, fixa etiam illic sede regia. Eum aduersarij per contemptum vocabant regem porraceum. Sequente vero anno Bremēsis Archiepiscopus cum præsule Hildeshemio, qui Henricum Cæsarem sequebantur, cōtractis copijs Islebiam obsederunt, & totam, excepta arce, expugnarunt, diripuerunt, incenderunt, ac vastauerunt Sed repulsi sunt ab Hermanno rege. Ferunt ingentem tunc Frisiorum numerum qui sub Hentico militabāt, ab Hermanno cæsum esse, ope Ernesti Comitis Mansfeldici, in vico qui inde Frisonū appellatur, *die Freystrasse*. Anno M CCC LXII obsessa est iterum a Friderico Lantgrauio Thuringiæ & Marchione Misniæ, fratreq; eius Ludouico Episcopo Halberstadensi: arx etiā tunc valide oppugnata. Sed quum expugnare fratres arcem non possent, ira & indignatione concepta exusserunt pagos circumiacentes, & ingens damnum agris intulerunt, templis & cœnobijs ex mandato Episcopi relictis integris. In bello autem Germanico anno MDXLII Albertus Comes Mansfeldicus, qui ob religionem innouatam proscriptus fuit a Carolo Cæsare, ipso die Ioannis Euangelistæ vrbem inuasit, arcem occupauit, ciues euocatos ad Sacramentum sibi præstandum adegit, pecuniam & supellectilem pretiosam ex arce ablatam Mansfeldiam misit. Idē tamen anno MDL, receptus est a Cæsare in gratiā, & in integrum restitutus. Anno vero MDX tributus est a Maximiliano I Imperatore Comiti Mansfeldię Hoiero, atque adeo omnibus huius ditionis Comitibus, titulus Generosorum; concessumq; ipsis, vt pro viridi, rubra cæra vti ipsis liceret. Hæc vrbs Martinum Lutherum orbi dedit anno M CCCC LXXXIII, parētibus Ioanne Luthero & Margareta: Huius, si quantus initio fuit in oppugnando Papam animus, tanta quoque fuisset in progressu prudentia, maluissetq; ipse cum Erasmo & alijs viris grauibus consilia moderata sequi, ad emendandos laborantis Ecclesiæ errores, quam Andabatæ more quiduis ferire, potuisset ipsius opera ingens fieri ad veritatē & regnum Christi accessio. Nunc ille dum omnia gladiatorio animo oppugnauit, coactus est in varias se formas vertere, & a se prius dicta rescindere; plura haud dubie rescissurus, nisi veritus fuisset, tam multa innouando ipsa etiam certissima in dubium vocari posse. Vtinam qui illum sequuntur potius videant, quid dictum sit, quam a quo. Præstringunt enim iudicium adfectus: nec fieri potest, vt verum æstimet, qui illud ex homine metiri mauult, quam ex se.


EMBRICK
S Martins kerk
Stein poort
Die scheel
Raet huiß
frater huis
Cruis brueders
Die Alde kerck
Rhin flu

Longit. Grad. LI. *51.* *Latit.* XXVII. *36.*

QVI Asciburgium Taciti putant esse Embricam, nihil adferunt, ob quod fides ipsis adhibenda sit. In his fuere Cornelius Marlianus, & Althamerus. Sed refutant eos tum Tacitus, tum positus Embricæ. Tacitus enim libro IV histor. narrans copiarum Ciuilis aduersus Voculam expeditionem, ita Asciburgium describit, vt errare non possimus. Nam quum Ciuilis Vetera obsideret, Vocula vero ad Geldubam castra posuisset, dicit, Ciuilem parte copiarum retenta, veteranas cohortes, & quod e Germanis maxime promptum, aduersus Voculam exercitumque eius misisse: Eos vero in transitu hiberna alæ Asciburgij sita rapuisse. Expendamus ista. Vetera castra hodie sunt, *Xanten*, Gelduba, *Gelb*, infra Nouesium. Quomodo *Xantis Gelbam* proficiscentibus potuit in via occurre *Embrica*, quinq; milliaribus atque amplius posita infra Vetera? Deinde Embrica trans Rhenum sita est: Asciburgium fuit in ripa Gallica. Res ipsa clamat Embricam non esse Asciburgium: sed hoc esse pagum qui hodie in Comitatu Meursensi *Aspurg* dicitur, medio fere spatio inter Vetera & Geldubã. Refutat quoq; eos optime Newenarius Comes, hisce verbis. Miror quosdam asseuerare, Asciburgium esse Embricam, quum itinerarium Theodosij a me in Spirensi bibliotheca perspectum, atque aliud peruetustum a Peutingero mihi exhibitum, constantissime Asciburgium inter Nouesium & Vetera constituãt castra, quibus subscribens Tacitus, Asciburgium citerioris Germaniæ oppidum esse testatur. Est autem pagus quidam, in cuius agro varia adhuc vetustatis indicia reperiuntur, quẽ ego ex interitu Asciburgij natum esse credo. Hic ab indigenis *Asburg* etiamnum appellatur, mágno argumento veritatis. Rustici agrum istum Burgensem vocãt, eo quod fama semper fuerit, Burgũ ibi fuisse, cuius rudera totus ille ager ostẽdit. Hæc ille. Non negauerim tamẽ viros eruditos caussam aliquã habuisse, cur ita errarent. Videbant enim a Ptolemæo Asciburgium poni in Germania non Belgica, sed Transrhenana. Atqui Ptolemaica ista valde incerta esse alibi diximus. Et potuit forte ille aliud Asciburgiũ significare trans Rhenum, quale vnum spectatur ad Mœnum, aliud in VVestphalia, aliud in Thuringia. Porro Embricæ remotissima memoria est in historia Suniberti: vbi narratur, eum Archiepiscopo VVillebrordo aduentanti obuiam Durostadio processisse Embricam vsq;, temporibus regis Franciæ & Pipini Ducis; sub annum Christi DCXCVI. Est illud hodie amœnum oppidum, ad Rheni ripã dexteram, Ducatus Cliuensis, incolarum frequentia, ædificiorum pulchritudine, Collegio Canonicorum, & Schola satis celebre. Id, bello hoc Belgico quo aduersus Hispaniarum regem ab Ill. confœderatarum Prouinciarum Ordinibus pro patria & anita libertate aduersus iniustam tyrannidem pugnatum est, victrici parte aliquoties cessit, modo occupatum a Belgis, modo ab Hispanis; quod vtrique parti ad res suas tutandas multum momenti allaturũ iudicaretur, ob egregium loci situm. Quum autem anno MDC illud Hispanis ereptum Ordines tenerent, postulauit missis legatis Cæsar Rudolphus vt redderetur imperio. Nec displicuit hoc Ill. Ordinibus, modo *Berckæ*, quam Hispanus Colonienſi Episcopo eripuerat, imperio similiter redderetur. Postquam vtrimque consensum est, deseruerunt Præsidiarij Ordinum Embrikam: Sed Hispanus Berkam deserere noluit: quæ res quibusdam suspicionem iniecit, non sincere tunc actum a legatis, plus æquo addictis Hispanorum partibus: alijs composito ita actum a Principibus, ad minuendam potentiam surgentium Belgarum.


EMBDEN

Longit. Grad. XXVIII. *26.* *Latit.* LIII. *34.*

CHAVCOS minores ab Amisia, qui extremus Frisiorum limes fuit, ad Visurgim porro habitasse proditum est a Ptolemæo: qui maiores etiam producit vsque ad Albim. Eius sententiam, nullo tamen minorum maiorumue facto discrimine, confirmat Tacitus libello de moribus Germanorum. Idem quoque lib. I Annalium vtriusque eius amnis meminit, vbi narrat, Germanicum Cæsarem patris exemplo fossa Drusiana in Isalam, inde lacus & Oceanum vsque ad Amisiam secunda nauigatione peruectum fuisse: atque ita ad Visurgim, vbi Arminius cum exercitu erat, venisse. Versabatur igitur tunc Germanicus in tractu Emdensi. Hunc enim occidentem versus Amisia, versus occasum Visurgis, egregij amnes terminant. Illum hodie vocant *die Eems*, hunc *die Weser*. Ad Amisiæ vero amnis ostium sita est EMDA, nobile Germaniæ Emporium, iuxta sinum maris quem a fluctuum concitatione vocant *Dollaert*. Neque est admodum vetustum: quum in antiquioribus monumentis nulla eius extet memoria, & ipse eius Dominus non ante annum M CCCC LXV titulum Comitis adeptus sit. Eum quippe Fridericus III contulit in Vdalricum: nam antea regio ista in partes plures tributa, diuersis dominis parebat. Hodie ei fœliciter præest Illustris & Generosus Comes ENNO, non suis tantum ciuibus a clementia, iustitia, pietate, sed vicinis quoque Belgis a prudentia, Germaniæ toti a fide, cæteris orbis Principibus a natalibus & inclyto stemmate satis notus. Situs vrbis ad mercaturam ita est commodus, vt nullus in toto littore Saxonico sit commodior, quum in portum, imo ad ipsam vrbem ingentes corbitæ onustæ mercibus possint commode appellere, merceque suas deponere, sine minutarum nauicularum opera. Sed fuit ea nostra memoria multo quam nunc est opulentior. Nam quum Belgas ob tyrannidem Hispanorum ex Brabantia, Flandria, Hollandia, Zelandia, & vicina etiam Frisia fugientes comiter illic reciperentur, benedixit Principis humanitati Deus, & peregrinorum opera ex lateritia pene auream fecit Emdam, vix vt vlla in tota Belgica tunc esset Respublica opulentior. Vidisses illuc quotidie ingentem nauium numerum appellentem ex Gallia, Anglia, Dania, Suecia, Norwegia, & confini Belgica. Struebantur ædes, effodiebantur euripi, portus, naualia, recipiendis condendisque nauibus: Stetnebantur plateæ nouæ; Ipsa vrbs ampliabatur, vt sufficere posset aduentanti quotidie multitudini. Sed ex quo Diuina benignitas Belgas respexit, & ad suos penates concesserunt, qui antea tyrannidem exosi patriam deseruerant, facta est illa quidem aliquanto desertior, sed tamen seruat adhuc reliquias augustæ illius dignitatis. Arcem habet in ipso portus aditu amplam, propugnaculis firmam, vndique aquis marinis cinctam, sedem Comitis, ad tutelam vrbis, & nauium. Ager vicinus planus est & compascuus. Prata ampla, & pascendis armentis apta, quorum illic tam est fœcundum seminium, vt non ei tantum ditioni, sed vicinis etiam gentibus sufficiat. Fuit memoria nostra hæc vrbs Anglorum mercatorum sedes, in quam vnam pannos suos, quos antea Antwerpiam deportare consueuerant, conferebant, vt inde Belgæ, Germanique eos peterent: sed offensi Angli minutijs quibusdam, protinus Emda Hamburgum, hinc postea Stadam, inde alio commigrarunt.


ERDFURT
Vor Stat
Onser Frauwen
S Wipert

Longitud. Grad. XXXIV. *30. Latitud.* LI. *10.*

ERFFVRDIA nobilis Thuringiæ ciuitas amœnissimo ad Ierram fluuium situ, nomen habet ab *Erffa* arce peruetusta septẽ inde milliaribus dissita, cuius olim Dominus ius illic habuit telonij haud procul Prulio. Inde fluxit fabula, Molitorem quendam Erfum noctu suspendere solitum fuisse lucernã cum candela, vt ad eam transituri flumen iter dirigerent, ne eluuione in deuia abriperentur; Ita paulatim conuenarum numero crescente factum pagum, qui Erffurdia dictus sit, quasi Erfes-furdia, hoc est, vadum Erffi molitoris. Atqui *furtum* proprie non vadum sonat, sed traiectum: & *Erffa* non molitoris obscuri nomen, sed arcis tota Thuringia vetustissimæ & notissimæ, cuius etiamnunc supersunt parietes, & Domini. Estque adeo vero similius vrbem a familia nobilissima potius quam ab ignoto molitore nomen traxisse, nisi forte ille ipse molitor, vt fieri interdum solet, ab arce *Erffa* familiarem appellationẽ habuerit, vel quod illic natus, vel quod à Domino eius loci missus fuerit ad exigẽdum portorium. Non possum vero adsentiri Irenico, qui pũtat dici quasi Hercino-fordiam, a silua: neque alijs, qui ab amne existimant vocari, quasi Ierrofurdiã. Fuerintne aliqua eius initia tunc quum Attila per Thuringiã exercitum raptaret D CC millium capitum, non habeo dicere. Thuringos in eo exercitu fuisse testatur qui illo tempore vixit Sidonius Apollinaris, a quo nominantur

Chunnus, Bellonotus, Neurus, Bastarna, Thuringus,
Bructerus, atque vluosa quem Nicer abluit vnda
Francus ----

Sunt tamen qui eius primordia referant ad Arcadij & Honorij tempora. Etsi vero nunc inter primas Germaniæ sit, neque vel ciuium frequentia, vel opibus, vel amplitudine structuræ, vel murorum ambitu dicatur cedere Coloniæ Agrippinẽsi, tamen exigua eius fuisse initia verisimile est. Hoc constat, quo tempore Bonifacius Moguntiaci agebat, vrbem fuisse, & quidem antiquam Paganorum; ipse enim postquã illic prædicando ad Christum multos cõuertisset, petijt a Zacharia Põtifice, vt aliquis illic cõstitueretur Episcopus. Verba eius epistolæ hæc sunt, *Vnã esse sedem Episcopatus decreuimus in castello quod dicitur Wirtzburg, & alteram in oppido quod nominatur Buriburg* (puto legendũ Nuriburg) *tertiam in loco qui dicitur Erphesfurt, qui fuit olim Paganorum.* Neq; arbitror exstare vetustiorem huius vrbis memoriã. Itaq; etiam cathedrale templum B. Mariæ idẽ ille exstruxit. Sunt qui existiment monasterium B. Petri quod in monte est, quodq; monti nomen dedit, opus esse regis Dagoberti: fidẽq; faciunt prolato instrumento fundationis, & quod in porta cœnobij spectetur sex liliorum insigne perantiquum; Sunt tamẽ qui Pipini illud esse malint, quod is Dominus fuerit Thuringiæ; non Dagobertus, tametsi *Daberstedt* pagus vrbi vicinus nomen Dagoberti præferat, est enim ac si dicas Dagoberti ciuitatem. In eiusdẽ quoq; templi fastigio spectantur dracones duo saxo inciſi, quorum alter diducto rictu infantem, alter adultiorẽ virum deuoraturus videtur: quod opus extra controuersiã Gothicæ structuræ est. Vtut sit, negari non potest, quin antiqua vrbs sit: & initio paruerit Archiepiscopo Moguntino, a cuius potestate postea, crescẽte cum viribus libertate, se exemit. Manet tamen hoc reliquũ, quod ciues quotannis solemniter iurant, se iura Domini sui Moguntini non imminuturos, sed fideliter ea defensuros. Muris cingi cœpit anno M C LXIII. Chorus templi B. Virginis exstructus est anno M CCC LI, dicunturque in eum expensæ vicies mille marcæ argenti. Academia sub VVenceslao instituta est, anno M CCC XCII. Anno M CCCC XCVII fusa est grandis illa campana Erfurdiensis quæ in æde B. Mariæ spectatur: Eius ambitus habet XIV cubitos cũ sesquiquadrante.

FLENS-


FLENSBURGUM

Longit. Grad. XXXI. *25. Latitud.* LV. *30.*

SLESVICVM Epiſcopalis ciuitas in Cimbrica Cherſoneſo, proximam ſibi habet Flenſbargum, ad ſinũ Orientalem maris Balthici. Nomen ei a Flenone viro nobili, qui eo loco caſas quaſdam piſcatorias & ruſticorum tuguriola habuit tributaria. Conuenere eodem ducti loci opportunitate vicini complures, quos Fleno comiter exceptos patrocinio ſuo defendit, & quia arx vicina Flenſburgum vocabatur, inditum quoque oppido idem nomen, vt ſit Flenſburgum quaſi burgus Flenonis. Geſta hæc ſunt circa annum M CC. Nec multo poſt Anno ſcilicet M CC LXXXIV VValdemarus Dux Iutiæ ſurgenti oppido ius municipale conceſſit, cum priuilegijs, quæ ille diplomate dato confirmauit. Contulere etiam non parum Daniæ reges, cæterique Iutiæ & Holſatiæ Duces, donec ad eam quæ nunc conſpicitur pulchritudinem peruenit. Situm eſt inter excelſos montes, portumque habet tantæ profunditatis, ſecuritatis, opportunitatis, vt & appellere eo tuto onuſtæ naues poſſint, & ſinguli fere ciues ex ſuis domibus naues queant mercibus implere, eaſdemque in portum rebus confectis reduces, exonerare. Locus eſt peramœnus, aër ſalubris: fundus ob montium copiam viuos exprimit & ſalientes fontes: ager reliquus vbere omnium ad vitam neceſſariarum rerum copia abundat. Ædes in vrbe ſatis ſplendide ad vnam plateam ſeriatim vtrimque exſtructæ; Platea vna longa eſt paſſus M CCC XLI. Templa habet aliquot haud inuenuſta. Arcem in monte ſuburbano, quæ portui, & toti vrbi imminet. In templo ſita eſt VValdemari II Regis Daniæ filia, cuius monumento inſculpta leguntur hæc verba, SOPHIA MARCHIONISSA DE BRANDENBVRCH, FILIA QVONDAM REGIS WALDEMARI II HIC SEPVLTA EST CVM PROLE. Variam experta eſt fortunam hæc ciuitas, quo tempore reges Daniæ aduerſus Holſatiæ Duces bella geſſerunt ob Ducatum Sleſwicenſem, petita modo ab hac modo ab illa parte, quod ingens crederetur momentum ad ſummam rei allatura. De ea Crantzius in Saxonia ſua hæc ſcribit libro X. cap. XXV. Ericus Rex Daniæ Flenſburg opidum ab Henrico Comite ob damna illata Danis pignoris loco accepit, donec certa pecuniaria ſumma perſolueretur. Sed acceptum oppidum iuſſit profundiſſimo cingi foſſato, quod hodie quoque cernitur, murum etiam ſuſtolli, & vicinum montem foſſatis ambiri, vt facile appareret, quid in animo geſtaret. Comes dictam pecuniarum ſummam circa finem anni depromere paratus, reſtitutionem oppidi popoſcit. Sed Rex auerſatus, nullas aures præbuit, ſemper cauſſas texens ex cauſſis, cur non oporteret. Facile enim tergiuerſatur, qui potentia anteceilit. Idem capite XXX. Adolphus Comes de Schouwenburg Henrico Holſato mortuo quum in præſidium impuberũ Ducum cum alijs viris ſtrenuis vocaretur, collectis ex Ducatu Lunenburgi, e Diœceſi Bremenſi, ex VVeſtphalia octingentis militibus, aperto Marte fuſis fugatiſq; Danis, noctu Flenſburg opidum a mari ingreſſus, peruenit in conuentum fratrum, & inde reliquum opidum facile iuris ſui effecit. Et tum in Holſatiæ minorum Ducum poteſtatem redijt. Poſtea tamen ad Chriſtianum I Oldenburgicum Daniæ regem deuolutum eſt ius iſtius opidi, quod is ex ſorore Adolphi, qui ſine prole obierat, natus eſſet. Manet ita hodie adhuc Flenſburgum in regum poteſtate.


FRANCFURT am Mayn
Sachsenhausen
Rosmarkt
Main flu

Longit. Grad. XXX. *o. Latitud.* L. *30.*

FERTVR Garolus Magnus Francorum Rex quum Saxonas bello vrgeret, ſæpius rebelles, & Mœni fluminis alueo præſidentes, quod nullus adhuc pons ripas iungeret, ſubito occultis vadis Francos traduxiſſe, & Saxonas in aduerſa ripa nec opinanter deuiciſſe, inque eius rei memotiam loco nomen & prærogatiuas quaſdam dediſſe; Atque hoc voluit Ligurinus, quum de electione Friderici I Barbaroſſæ Francofurti facta ſic ſcribit.

Conueniunt proceres, totius viſcera regni,
Sede ſatis nota, rapido quæ proxima Mogo
Clara ſitu, populoque frequens, muriſque decora eſt,
Sed rude nomen habet: nam Teutonus incola dixit
Francofurt: nobis liceat ſermone Latino
Francorum dixiſſe vadum: quia Carolus illic
Saxonas indomita nimium feritate rebelles
Oppugnans, rapidi latiſſima flumina Mogi
Ignoto fregiſſe vado, mediumque per amnem
Tranſmiſiſſe ſuas neglecto ponte cohortes
Creditur: Inde locis manſurum nomen inhæſit.

Vocatur enim vrbs maior Francofurtum, minor Saxenhuſium, quaſi dicas Saxonum domum. Vtraque vero vno eodemque iure & Magiſtratu regitur. Inſignis autem eſt hæc vrbs iure Cæſarum Romanorum ibi deligendorum, quod inde vſque ab Arnulpho I vſurpatum, ac lege tandem imperij a Carolo IV lata (quam auream bullam vocant) confirmatum eſt. Adeo vt ſi forte in electione duo Cæſares nominentur, alter alterum cum exercitu in agro ſuburbano exſpectare teneatur, & vel prælio decernere, vel ſponte cedere. Ac tunc quidem victor in vrbem recipitur, & Rex Romanorum ſalutatur. Tale certamen fuit inter Henricum Lantgrauium Thuringiæ & Conradum Friderici II filium. Item inter Ludouicum Bauarum & Fridericum Auſtriacum: Et inter Guntherum Swartzenburgicum Comitem & Carolum IV. Habet præterea hæc vrbs ædificia ſacra & profana auguſta. Templũ S. Bartholomæi, opus Pipini Francorum regis: Domum Teutonicã in ſiniſtra ripa, Pontem ex ſaxo adfabre factum. Curiam, Forum, Carmelitarũ ædem, in qua Apellea tabula Dureri. Habet & nundinas quotannis binas, frequenti non Germanicæ tantum nationis, ſed Gallorum quoq;, Belgarum, Anglorum, Italorum, Sarmatarum panegyri celebratas, quarum alteræ vernæ ſunt, alteræ autumnales; quibus Emporium iſtud toto orbe famoſſimum inclaruit. Obſedere eam anno MDLII Albertus Marchio Brandeburgicus & Mauritius Saxoniæ Dux. De hac ſic olim Iulius Cæſar Scaliger.

Multa laboratis debet Francfordia ſulcis
Multa racemiferis vinea culta iugis.
Quid referam, quanta & quæ conuexere metalla?
Quæ Mars bellipotens, quæ petit alma Ceres?
Huc Italus patrijs miratur partibus orbem
Aduectum, ſtupet huc Gallia magna ſuum.
Hic Oriens, hic terra nouis comperta ſub aſtris
Agnoſcit genij ſemina plena ſui.
Nec tamen in brutis ſola hæc commercia rebus,
Hic animi æternæ ſed cumulantur opes,
Quod ſi res paucas operoſa eſt dicere merces,
Non magis eſt cunctas res operoſa dare?

Neſcio quid viris bonis in mente venerit vt putarint eam vnquam vocatam Helenopolim: & tamen in hac credulitate video etiam fuiſſe Henricum Stephanum.


FRANCKFURT an der Oder
Pfarkirch
Rathaus
S Niclas
Oder flu

Longit. XXXVII. *o. Latitud.* LII. *23.*

ODERAM Germani vocant fluuium qui Ptolemæo est Viadrus, Plinio Guttalus, alijs cum adctione litteræ Viadrus. Est autem flumen nobile, quod medio fere inter Albim & Vistulam spatio se in mare Balthicum exonerat, exceptum primum ingenti palude quam *Friſ-haff* vocant. Huius fluminis ripa siniſtra multis & egregijs vrbibus (quod & Rheno euenit) prætexitur: estque id argumentum, amnem illum limitis loco fuisse aduersus Slauos & Vandalos, & oppida illa præsidia fuisse Marchionum Imperij. Inter ea oppida claret FRANCOFVRTVM; quod a Francorum traiectu nomen traxit. Creditur creuisse primum ex vico anno Christi M CC LII per Gedinum ab Herzberg, auspicijs & iussu Ioannis I Marchionis Brandeburgensis, qui hoc studuit, vt merces quæ vel aduerso vel secundo flumine vel etiam curribus veherentur, eo loco tuto deponi possent. Itaque initio modicum fuit, constans ex horreis, cellis, apothecis, granarijs: sed statim ampliatum est & dilatatum sub eodem Ioanne Marchione Brandeburgico & fratre eius Ottone, anno M CC LIII prolatis pomœrijs a porta pontis vsque ad Gubenam portam, quæ quidem pars vrbis superior appellatur. Attributi sunt illi ab ijsdem Marchionibus mansus centum & viginti, cum pratis trans Viadum. Pons ligneus flumini impositus rari est & firmi operis: adhæretque viæ quæ Vratislauiam Silesiorum ducit. Alijs vijs itur Stetinum, Berlinum, Pragam. Amnis piscosus est. Eius ripa dextera colles habet & vineta: nam & vinum hic exprimitur, singulari naturæ indulgentia, quum multis Europæ locis magis Australibus, imo ad gradum quinquagesimum sitis illud denegatum sit. Vina hæc in Pomeraniam, Daniam, Borussiam, & vicina loca deuehuntur, magno ciuium quæstu. Voldemarus Marchio circa annum Christi M CCC XVIII Senatui huius Reip. concessit iurisdictionem superiorem, seu potestatem animaduertendi in latrones, homicidas, fures. Ludouicus senior Marchio Brandeburgicus priuilegium ciuibus indulsit, absque vllo vectigali negotiandi per omnem suam ditionem. Sic ergo iuuante hominum industriam loci Genio, Principumque liberalitate accendente, locupletata est ciuitas, & ad eam perfectionem promota, vt cum alijs quoque vrbibus possit & rerum copia, & mercaturæ fructibus, & ciuium frequentia, & ædificiorum splendore, & nominis celebritate contendere. Sed adflixit vehementer surgentem ciuitatem fulmen Pontificium: Nam quum ciues Francofurtenses vicinum quendam Episcopum Lebusiensem ob incommoda sibi illata cepissent, & per annum vnum in carcere detinuissent, furens ille & vindictæ cupiditate ardens hoc effecit apud Romanum Papam, vt ciuitas tota excommunicaretur. Mansitque adeo totos annos XXVIII eo in statu Respublica, donec tandem defuncto Episcopo in integrum restituta est, adnumerata insigni pecuniæ summa. Adflixit quoq; eandem non multo post ira Caroli IV Imperatoris, qui eam proscripsit, quod Ludouico Marchioni & fratri eius Ottoni parere recusasset: nec potuit ab interdicto liberari, nisi adnumeratis XII millibus marcarum Brandeburgensium. Anno M D VI die 27 Aprilis introducta est in vrbem Academia, auctoribus & fundatoribus Ioachimo I Marchione Electore & fratre eius Alberto, qui postea Episcopus Moguntinus factus est. Reformata est eadem ad normam Augustanam anno M D XXXVIII, a Ioachimo II Marchione & Electore Brandeburgico, ac stipendijs & professoribus aucta: Sequente anno etiam Ecclesiæ ad eandem formulam restitutæ sunt.


FREIBERG
in Meissen

Longit. Grad. XXXV. *28. Latit.* L. *53.*

SVDETI montes Ptolemæo dicuntur qui Boiohæmũ cingunt. Sunt autẽ montes illi metallorum faraces, quod veteribus Germanis ignoratum fuit. Tacitus, Argentum & aurum Germanis propitij an irati Dij negauerint, dubito. Nec tamẽ adfirmauerim, inquit, nullã Germaniæ venam argentum aurumue gignere: Quis enim scrutatus est? Argentum quoq; idem Germanos magis quã aurum sequutos dicit. At nunc in montibus illis Sudetis, magna eruitur argẽti vis. In valle Ioachimica, Annebergæ, Geiræ, Fribergæ, Sehnebergæ, & alibi. Vallis Ioachimica cœpit clarescere anno MDXXVI. Fribergenses fodinæ quomodo anno MCLXIX innotuerint, sic narrat Georgius Agricola, lib. de veteribus & nouis metallis. Ad Salam, inquit, flumen Straboni non ignotum est Hala, quæ quondã pagus fuit, hoc vero tẽpore vrbs est ampla. Locus certe iam inde a Romanorum tẽporibus illustris & clarus salis fontibus, de quibus Hermunduri cum Cattis certarunt. Hinc ergo quum quidã quadrigis salem, vt etiam nunc fit, recta per Misniam veherent in Bohemiã, eius cõdimenti inopẽ, viderunt in orbita galenam torrẽtibus detectam, quã quia similis esset Goslarianæ, in currũ conectã apportarũt Goslariam. Ex qua galena quum multo plus argenti quam ex Goslariana cõficeretur, aliquot metallici contulerunt se ad illum locum Misniç, in quo nunc est Fribergum oppidum. Hæc ille. Non multo vero post, opifices metallici qui Cellerfeldi fodiebant, offensi, quum aliter vindicare se in Principem non possent, diffractis scalis, machinisq; corruptis, vna cum præfecto suo Fribergam concesserunt, relicta Saxonia: atq; hæc caussa est, cur ciuitatis pars illa quæ ab opificibus incolitur, vocetur *Saxenhusa.* Hisce igitur initijs, accedente studio Ottonis Marchionis Misniæ, anno MC LXXIV vrbs protinus creuit. Ea nunc amplitudine reliquis Misniæ vrbibus antecellit: Habet templa quatuor, Vnum præcipuum B. virginis Mariæ, Alterum B. Nicolai, Tertiũ S. Petri. Quartum Mariæ Magdalenæ in cœnobio vestaliũ Virginum. Templum primarium conditum est ab Alberto Saxoniæ Duce ex prouentu fodinarum Schnebergicarum, consecratumq; est a Ioanne V Episcopo Misnensi anno M CCCC LXXX. In sacello eius templi primarij spectantur monumẽta Electorum Ducum Saxoniæ XXI, summo artificio exsculpta atque elaborata. Est autem, præter compendia metallorum, tanta in hac vrbe rerum ad victum cultumq; corporis necessariarum vbertas, tantaq; agri vicini amœnitas, vt in Misnia voluptuosi homines & lauti dicere soleant, *Si Lipsia mea esset, Fribergæ eam abligurirem.* Ita siluæ feras, ager segetẽ, prata greges & armenta, fluuij pisces, aẽr volucres suppeditat. Quid vrbs ista sub Adolpho Nassouio & Alberto Austriaco passa sit, quamque fideles eius ciues fuerint Friderico Admorso legitimo suo Domino, cognosci ex ijs potest, quæ libro II in stemmate Ducum Saxoniæ diximus. Erat autem tunc frequentia ciuium suis etiã hostibus formidabilis, Henricus enim Illustris XXXIII millia ciuiũ censuerat, ac præterea DCC&LXIII. Ediderunt & aliud fidei & constãtiæ in suos principes documentum ciues Fribergenses anno MDI, quũ inter se dissiderent Fridericus & Guilielmus fratres, conareturq; ille subdole primum, post etiam aperta vi fratrem, cui Friburgenses fidẽ dederant, bonis exuere. Experta est etiam ciuitas aliquõties Vulcani incommoda. Tota enim anno MCCC LXXV conflagrauit, ac decennio post iterum, omnibus etiã templis incendio absumptis. Tertium damnum experta est anno M CCCC LXXI, Vigilia B. Iacobi, quo tota in fauillas abijt excepto templo B. Virginis & vico Misnico. Quartum addi potest anni M CCCC LXXXIV, quum quadringentas ædes ignes hausit. De Henrici Illustris potentia adi librum secundum.

INTER


FREISINGEN

Longit. Grad. XXXIV. *o.* *Latit.* XLVIII. *17.*

INTER Danubiũ, Ænum, & Lycum coluere olim Vindelici: is nunc tractus Bauariæ vtriuſq; partem complectitur. Sed inter Lycum & Ænum decurrit Iſara, in cuius ripa ſiniſtra ad Moſacum amnem ſita eſt Friſinga, quam vetuſtiores Fruxinum vocauere. Eſt autẽ vrbs amœna, colli impoſita, agro ſatis fertili. Locum ſic deſcribit Otto eius vrbis Epiſcopus. Mons eſt in pulcherrimo & amœniſſimo loco poſitus, limpidiſſimarum aquarum, ac præcipue Iſaræ rapidiſſimi fluuij curſu conſpicuus, totam illius regionis faciem, & ex Auſtrali plaga latiſſimam campi planitiem tanquam e ſpecula longe lateq; contemplans. Hic ſuperioribus diebus ſiluis circumſeptus, quaſi venatorũ ſpecula fuiſſe traditur. Manẽt adhuc ſiluarum in plano inter arundineta veſtigia, ſcilicet antiqui trunci, ceruorum quoque vſque hodie ac capreolarum multitudo copioſa. Ex Septentrionali vero plaga adhuc ſylua non mediocris, quæ Foreſtus vulgo dicitur, ædibus ac igni plurimum ciuitati vtilis, ſuperſtes cernitur. Contigua quoque monti terra, ex Auſtro Iſara, ex Aquilone Ambra fluuius incluſa, in ſinum quendam fertiliſſimum ad quatuor Teutonica miliaria protenditur. In fine cuius, vbi prædicti amnes cõfluunt, locus qui Moſenburga dicitur, pulcher valde ac delectabilis in B. Caſtuli eccleſia congregationem clericorum habens, poſitus cognoſcitur. Hæc Otto. Porro Friſingæ B. Rhenanus in Bibliotheca B. Corbiniani inuenit codicem Euangeliorum rhythmis Francicis deſcriptum, ſicut ipſe id teſtatur. Frãcos, inquit, olim Germanica lingua vſos eſſe conuincit liber ille inſignis Euangeliorũ Francice, hoc eſt, Germanice ſcriptus, quem nos nuper dum Comitia celebraret Cæſar apud Auguſtã Rhætię ſuperioris, Fruxini in Vindelicis (quã hodie Friſingam appellant) in Bibliotheca D. Corbiniani obiter reperimus: nã Liuianarum Decadum gratia fueramus illuc profecti. Eius codicis hic eſt titulus. LIBER EVANGELIORVM IN THEODISCAM LINGVAM VERSVS. Conſtat autem ex rhythmis totus. Atq; vt antiquitatem eius tralationis non ignores, deprehendi librum exſcriptum abhinc annos ferme ſexcentos, vt tum compoſitum credam, quum Chriſto primum Franci nomen dedere. In fine enim adſcriptum erat, WALDO ME FIERI IVSSIT. SIGEFRIDVS PRÆSBYTER SCRIPSI. Numeratur autem inter Friſingẽſes Epiſcopos VValdo, ni fallor, decimus. Habet ipſum opus elegantiſſimam præfationem, cuius hoc eſt initium, nulla litera mutata,

Nu wil ich ſcriban vnſer heil
Euangeliono deil
So wir nu hiar bigunnen
In Frenkiſga zungun.

Qui Germanice callet, ſatis intelligit iſta verba, niſi quod hodie paullo aliter ſcribimus & proferimus, non addentes alicubi tot vocales, alicubi plures adijcientes. Nec *Bigunnen* verbum pro incipere familiare eſt omnibus Germanis. Item paulo poſt,

Hier hores io Zi guate
Was got imo gebiete,
Thaz wir imo hiar ſungun
In Frankiſga Zungun.
Nu frenues ſihes alle
So werſo wola wolle.
Ioh wer ſi hold in muate
Francono thuate.

Hæc Rhenanus. Codex manuſcriptus adhuc apud Principem Erneſtum adſeruari dicitur: ſed excuſus eſt typis Baſileæ, & vulgo proſtat.

SEQVITVR CATALOGVS EPISCOPORVM FRISINGENSIVM.

1 Anno Christi D CC XVI Corbinianus Romæ a Gregorio factus est Episcopus Frisingensis, sub Chilperico Francorum rege, Carolo Martello eius aduersario, & Grimoaldo Theodonis filio Duce Bauariæ, exstruxit Ecclesiam S. Benedicti, sedit an. 20.

2 Erimbertus frater Corbiniani gessit Episcopatum an. 28. Sub hoc Pipinus Caroli Magni pater habitauit Fruxini in arce Thermonis, & anno D CC XLVII exstruxit Ecclesiam B. Stephano consecratam, quæ adhuc vocatur *Weichensteffan*.

3 Ioseph electus est an. 758, præfuitque annis tribus.

4 Aribo, præfuit an. 23 : Hic scripsit vitam Corbiniani.

5 Otto electus an. 782, sedit an. 30.

6 Hitto qui codices Bibliorum deprauatos correxit, sedit an. 24.

7 Erchenbertus nepos Hittonis ex fratre, administrauit Episcopatum an. 18.

8 Arnulphus electus an. 854. Ab hoc amplificata est Ecclesia cathedralis : sedit an. 21.

9 VValthon, sedit an. 22. Sub hoc arsit Ecclesia anno D CCC LXXXIII, sed reparatum est damnum munificentia Arnulphi Imperatoris. Decretum quoque, ne quis in Episcopum eligeretur, qui non esset eius Ecclesiæ Canonicus.

10 Vtto sedit an. 1.

11 Drocolphus electus an. 898 : homo prodigus, & bonorum Ecclesiasticorum profligator, sedit an. 28.

12 VVolftamus præfuit an. 1.

13 Lampertus factus Episcopus an. 938. Huius tempore irrupuerunt Hungari in Austriam & Bauariã, Ecclesiasq; S. Stephani & S. Viti combusserunt: sedit an. 31.

14 Abraham præfuit Ecclesiæ an. 37.

15 Engilbertus Comes Mospurgensis præsedit an. 34. Hic Collegium Canonicorum in *Weichensteffan* commutauit in monasterium ordinis S. Benedicti.

16 Nicerus, Homo seuerus, obijt Rauennæ.

17 Ellenhardus electus an. 1053. Ab hoc fundatum est Collegium Canonicorum ad S. Andream in monte Frisingensi, haud procul ab Ecclesia Cathedrali. Interfuit Synodo VVormatiæ ab Henrico IV contra Hiltprandum Romanum Pontificem celebratæ anno 1076. Sedit an. 25.

18 Meginwardus electus an. 2078. Multa hic passus est a VVelfone, qui Brunonem Augustanum bello fatigabat. Abijt prædicatum in Bohemiam, mortuusque est Pragæ, postquam Ecclesiam rexisset an. 21.

19 Henricus ab Eberstein præfuit an. 39. Sub hoc vastata est Ecclesia Frisingensis a VVelfone. Ipse quoque adhæsit Henrico IV Imperatori contra Papam.

20 Otto filius Leopoldi Marchionis Austriæ factus Episcopus an. 1138. Historiæ conditor, Patruus Friderici Barbarossæ. Eius stemma posuimus libro II. Hic, nepotem Italiam petentem, quod esset infirmior, sequutus non est ; & non multo post obijt in Morimundensi cœnobio. Ligurinus lib. IX.

Ille Frisingus Oto maioris caussa doloris
Exstitit, ingenuo comperta morte nepoti.
Hic patruus Regis, studijs in vtrisque peritus
Regia signa sequi semper consueuerat ; At nunc
Credo equidem reuocante Deo languore grauatus
Manserat, vt medius fratrum clerique gementis
Inter luctificos psalmis modulantibus hymnos,
Non in castrorum strepitu, ferrique fragore
Exspirare sacram diuini numinis auram
Posset, & æthereo tandem sua reddere regi.

Sedit an. 20, obijt 10 Kal. Octobr.

21 Albe-

21 Albertus. Sub hoc ciuitas Frinſingenſis penitus & penitus, (ſic loquitur Radeuicus) incendio conflagrauit, paucis menſibus poſt obitum Ottonis, Nonis nempe Aprilis.

22 Otto III Canonicus Magdeburgenſis, præfuit an. 38.

23 Geroldus electus an. 1220, ſedit an. 11.

24 Conradus Toltzner. Hunc Fridericus Dux Auſtriæ diu in carcere detinuit Viennæ, vna cum Rudigero Epiſcopo Patauienſi. Præfuit an. 20.

25 Conradus II VVildgraſenſis, ſedit an. 20.

26 Fridericus Montalbanus, ſedit an. 29 mortuus Viennæ an. 1315.

27 Emicho, Comes a Moſburg, ſedit an. 20, ob. an. 2315.

28 Conradus III Monacenſis Doctor Canonum. Ab hoc inſtituta eſt Eccleſia B. Ioannis Baptiſtæ datique Canonici in ea ſex cum Præpoſito.

29 Gotfridus ex Decano Epiſcopus inſtituit ſacellum S. Trinitatis cum alio ſacello S. Catharinæ. Sedit annos 3.

30 Ioannes Doctor Canonum, ſedit hebdomadas 5.

31 Conradus IV a Clingenberg, ſub Ludouico IV, quo tempore Hungari Bauariam, & in ea Diœceſin Friſingenſem vaſtarunt.

32 Ioannes II factus Epiſcopus a Papa an. 1337.

33 Albertus, Comes Hohenbergenſis Doctor Decretorum ſedit annos 7. Fuit cum Alberto Auſtriaco in obſidione Tigurina.

34 Paulus electus an. 1359, præfuit Eccleſiæ annos 19.

35 Leopoldus, ſedit an. 3, ſubmerſus.

36 Bertholdus VVechſingenſis electus an. 1381, obijt an. 30 ſui muneris in Auſtria.

37 Degenhardus a VVeix electus an. 1410, interfectus a latronibus an. 3, ſui Epiſcopatus.

38 Hermannus, ſedit an. 9.

39 Ioannes III Grienenwalder factus Epiſcopus anno 1422, reſtitit Huſſo in Concilio Conſtantienſi. Excluſus eſt Epiſcopatu a Nicodemo de Scala, conſentiente Martino Papa; ac poſt viginti annos reſtitutus, defuncto Nicodemo præfuit tranquille annos 10.

40 Ioannes Tulbec factus Epiſcopus an. 1453, reſignauit in Cancellarium ſuum Sixtum.

41 Sixtus Taubergenſis ſucceſſit Ioanni an. 1473, obijt in Comitijs VVormatienſibus.

42 Rupertus Palatinus electus quidem, ſed ob ætatis vitium, erat enim iunior, non admiſſus a Papa, qui Epiſcopatum cõtulit in fratrem Ruperti adultiorem *Philippum*, anno 1499. At Rupertus ducta vxore ordinem Eccleſiaſticum deſeruit. Præfuit autem Philippus epiſcopatui diu admodum, ad annum ſcilicet Chriſti MDXL, factuſque eſt etiam in Miſnia Epiſcopus Naumburgenſis.

43 Henricus Comes Palatinus adminiſtrator Diœceſis VVormatienſis & Præpoſitus Elwangenſis poſt Philippi fratris mortem factus eſt Epiſcopus Friſingenſis.

44

45

46

47

48

49

50

51 Ernestus Bauariæ Dux.


FULDA
Pfarkirch
Das Stift

Longit. Grad. XXXI. *32. Latit.* L. *37.*

BVCHONIA ſilua a fagis nomen habet: id enim ſonant *Buchen.* Sunt qui eam idcirco vocent Fagoniam. Eſtque ſita inter Thuringiam, Franciam, VVederawiam, & Haſſiam, tametſi nunc exciſis ſiluis magna ſui parte exculta ſit. In Buchoniæ iſtius meditullio ad amnem Fuldam exſtruxit Bonifacius Epiſcopus Moguntiacenſis monaſterium, ſacrauitq; illud Saluatori, impetrato etiam a Zacharia Papa priuilegio, vt Eccleſia illa nullius alterius Eccleſiæ poteſtati eſſet ſubiecta, ſed immediate adnexa eſſet Romanæ, cuius immunitatis litteræ exſtãt, datæ anno XXXII Conſtantini Auguſti, indictione IV, qui fuit Chriſti DCCLI. Ferunt Bonifacium hiſce locis morari ſolitum, vicinis quoque locis nomina dediſſe, inq; monte oratorium exſtruxiſſe, cui nomẽ ex re *Biſchofesberg*, quod poſtea vocarunt B. Mariæ: Argumento quoque eſt nomen vicini loci, quem *Horam* vocant, quod illic certis horis iret precatum. Quercetum eius montis in vinetum verſum eſt. Eodem temporis tractu exſtructa eſt ædes S. Michaëlis, quã Ieroſolymitano templo reſpondere aiunt. Habet autem Baſilca Saluatoris inſtructam antiquis codicibus Bibliothecam, qua nec vetuſtiorem aliam nec locupletiorem habet Germania. Codices omnes ſunt manu exarati, & quidẽ in membrana, digeſti in claſſes XLVIII, ex qua libri optimi petiti & typis vulgari ſunt, atque adhuc petuntur ad conferendas editiones cum exemplaribus authenticis. Porro Abbas Fuldenſis principalem habet dignitatem, inque Comitijs imperialibus conſidet ad pedes Imperatoris: & eſt primas omnium Abbatum non ſolum Germaniæ ſed etiam Galliæ: denique eſt Imperatricis Cancellarius. Vidẽtur hoc ſtuduiſſe maiores, vt quæ eſt in Eccleſijs imperij dignitas Archiepiſcopi Moguntiacenſis, ea eſſet in monaſterijs Abbatis Fuldenſis. Eſtque notata Abbatis cuiuſdam ſub Friderico I ambitio, qui non contentus ſuo loco, inuaſit ſedem Archiepiſcopi Colonienſis, & ad ſiniſtrum Imperatoris latus locum cepit Moguntiaci, quum Henricus Imperatoris filius in regem electus coronaretur, duceretque vxorem Conſtantiam filiam vnicam regis Neapolitani. Ex Abbatibus autem iſtius monaſterij lecti ſunt nõ ſemel Epiſcopi, Moguntiaci, Friſingæ, Halberſtadij, Hildeſhemij. Adſeruantur etiam inter ſacra depoſita libri tres Bonifacij. Teſtamentum nouum integrum. Quatuor Euangelia quæ ipſe fertur ſuis manibus deſcripſiſſe, litteris noſtro ſeculo ignotis. Collectanea quædam fidei ipſius, & doctrinæ de S. Trinitate: qui liber læſus eſt, & trãsfixus ferro: quod eo vſus eſſet clypei loco ad auertẽdos ictus Friſiorum quum ab eis feriretur. Carolus Magnus adiecit Eccleſiæ clauſtrum *Holtzkirch*. Oppidum monaſterio eſt recentius. Eius ciues lana & lino victum quæritant, merceſque ſuas euehunt partim Herbipolim Franconiæ, partim Caſtellum Haſſiæ. Sermo ipſis medius inter idiotiſmum ſuperioris & inferioris Germaniæ.

CATALOGVS ABBATVM FVLDENSIVM.

1 Sturnus, inſtituit cœnobium monaſticum ad normam S. Benedicti, anno 744, præfuit ei annos 35.

2 Baugolfus, Adriani Papæ gratia litteriſque clarus; præfuit annos 22, ſuperfuitque honori annos 13: defunctus anno Chriſti 800.

3 Ratgarius nobili in Germania ſatu, cœpit anno 802, præfuit annos 15. Fertur hic in condendo templo Saluatoris cæmentarijs operas præſcripſiſſe.

4 Ægil, cœpit an. 818. Hic Baſilicam Bonifacij exſtruĩ fecit, quæ anno 819 ab Haiſthulpho Moguntiacenſi Archiepiſcopo dedicata eſt.

5 Rhabanus, cœpit an. 822, præfuit an. 20, reſignauit vltro, factuſq; eſt poſt Otgariũ Archiepiſc. Moguntiaci.

6 Hatto I cognomento Bonosus, qué Lambertus VValdonem vocat: excessit anno 856.

7 Thioto præfuit an. 13. depositus an. 669, ob factiones regum Ludouici & Caroli.

8 Siegardus, qui Ludouico Germaniæ regi adfuit in expeditione Slauica, an. 872.

9 Huoggi vel Hugo, cui Arnulphus Rex librum Euangeliorum S. Bonifacij manu descriptum dono dedit: obijt anno 900.

10 Helinfridus cœpit anno 913.

11 Haicho sub Ioanne X Papa & Rege Henrico.

12 Hildebertus qui & Heribertus.

13 Hadamarus cœpit an. 927, eopse anno quo Basilica Fuldensis deflagrauit: sed hæc magno animo mirisq; impensis ab eo restaurata est.

14 Hatto II Hadamari ex sorore nepos: euectus postea ad sedem Moguntiacensem, sub Ottone secundo.

15 VVernherus qui & VVerinharius & VVernerus filius materteræ S. Vdalrici, conditor Collegij ac monasterij in Borslaha Thuringiæ oppido, cœpit an. 969, desijt an. 982, cæsus in acie aduersus Saracenos, quum castra sequeretur Ottonis Imperatoris.

16 Erkanbaldus Saxo Bernwardi Episcopi Hildesheimẽsis propinquus, cœpit an. 983, factus est postea Archiepiscopus Moguntiaci, obijt an. 1021.

17 Brantohus I præpositus est suo gregi an. 1011.

18 Poppo cœnobij Lauriſſensis monachus. Et suo ordine secundum quosdam, VVolmarus, Bardo, alijque, multa enim hic confuse tradita.

19 Richardus, sub quo Fuldam venere Henricus Imperator, & Benedictus Papa: defunctus est an. 1039.

20 Sigewardus obijt an. 1043, quo Annunchadus Scotus innocentiæ fama claruit Fuldæ.

21 Rohingus, qui Henricum IV Imper. Romam vsque prosequutus est, anno 1047, obijt Romæ.

22 Egbertus qui & Eppo, cœpit an. 1048, obijt an. 1058.

23 Sigefridus: sub quo Marianus Scotus se totos annos decem Fuldæ inclusit. Anno 1359 euocatus est ad Cathedram matricem.

24 VViderandus claudus: cœpit præesse anno 1060, obijt anno 1075.

25 Ruthardus ex Heresfeldensi monacho Abbas factus ab Henrico IV Imperatore, præfuit annos XXI, excessit anno M XCVI.

26 Gotfridus præfuit an. 13. Hic sponte se abdicauit.

27 VVolfhelmus adijt dignitatem an. 1109, defunctus est an. 1114. Huius opus est Oratorium Alexandri, quod ad Septentrionem spectatur inter vallum & opidi murum.

28 Eheloffus Abbas Morbacensis, ab Henrico Imperatore promotus contra iura Abbatiæ: obijt an. 1122.

29 Vdalricus qui contra Lotharium stetit a Conrado Duce Franconiæ. Obijt VVirtzburgi an. 1134.

30 Henricus I, qui offensus ambitiosis Imperatorum obsequijs quibus Ecclesiastici primores aulam militiamque publicam stipabant, vltro sese abdicauit.

31 Berthous I præfuit annis 2, obijt an. 1134.

32 Conradus I Comnes Lotharij in expeditionibus Italicis, obijt an. 1140.

33 Aleholffus, qui Eugenij Papæ iussu exauctoratur, anno octauo præfecturæ suæ. Is erat Christi 1148.

34 Rutgerus I profectus ad Rhemense Concilium, ab Eugenio missionem impetrauit.

35 Henricus II Heresfeldensis Abbas cœpit regere anno 1148.

36 Marquardus Bamberga euocatus anno 1150, præfuit annis 14.

37 Hermannus rexit annos 3, tabe confectus obijt.

38 Burchar-

38 Burchardus præfuit annos 8, obijt in VVederauiæ cella paupertina.
39 Rutgerus II sedit an. 1, obijt asthmate & phthisi.
40 Conradus II Diaconus omnium suffragijs absens euocatus ex S. Solæ monasterio, præficitur huic cœnobio an. 1177, sedit annos 15.
41 Henricus III ex montis S. Ioannis Præposito, Henrici Regis fauore promotus an. 1192, præfuit annis 24, defunctus est an. 1216.
42 Hermannus eodem quo electus est anno obijt.
43 Cuno a Friderico II promotus anno 1217, præfuit annos 5. Sequutus est Imperatorem in Italiam.
44 Conradus III a Malkos rexit annos 25.
45 Henricus IV ex Decano factus Abbas anno 1249, obijt an. 1261.
46 Berthous II Leipoltz, præfuit decennium: & dum sacra facit, interficitur, an. 1271.
47 Berthous III præfuit annis 2, nec potuit Romæ confirmationem a Papa obtinere.
48 Berthous IV electus anno 1274, postea sese abdicauit cum bona venia Rudolphi regis anno 1286.
49 Marquardus II anno 1288, odore chirothecarum medicatarum interijt.
50 Henricus V, præfuit an. 25.
51 Eberandus a Rottensteyn, obijt an. 1314.
52 Henricus VI præfuit fere an. 40, obijt an. 1353.
53 Henricus VII obijt an. 1372.
54 Conradus Comes de Hanaw, obijt an. 1382.
55 Fridericus Romrodt: defunctus an. 1395.
56 Ioannes de Merlaw, qui Concilo Constantiensi interfuit: extinctus anno 1414.
57 Hermannus a Buchenaw obijt an. 1449.
58 Reinhardus a VVilinawe, præfuit an. 27.
59 Ioannes II præfuit an. 45, vixit 75, obijt 1513.
60 Hermannus Canonicus Moguntiacensis ob. an. 1529.
61 Ioannes III Hennebergicus obijt an. 1541.
62 Philippus Schenck a Paulo III ad Concilium Tridentinum euocatus, fractus ætate illuc non abijt: Obijt an. 1550.
63 VVolfgangus Theodoricus ab Eusigheim obijt anno 1558. Bis opibus exutus, semel a Comite Aldenburgico: semel a Brandenburgico Extinctus est an. 1558.
64 VVolfgangus II obijt an. 1557.
65 Georgius Schenck rexit menses 3.
67 Guilielmus Clantius præfuit an. 2. obijt an. 1571.
68 Balthasar a Dermberh a Maximiliano regalia accepit, a Pio V confirmationem. Hic anno 1571 admisit ordinem societatis Iesu. Anno 1606 rheumate extinctus est.
69 Ioannes Fridericus a Schwalbach ex primario Ecclesiæ Decano factus Abbas, locum suum ordinemque laudabiliter tenuit Francofurti quum Matthias Augustus Cæsar renunciaretur.

SVNT


GORLITS
Der Ratzs Torn
Fraeu Torn
S Petrus Kirch
Nerisse flu

Longit. Grad. XXXVII. *20. Latit.* LI. *12.*

SVNT in Lusatia superiore vrbes sex, Budissina, Gorlicium, Zittauia, Laubena, Camenzium, & Lobauia, quas simul vocant Hexapolim, suntque ita inter se fœdere coniunctæ, vt diuelli nequeant. In his post Budissinam eminet Gorlicium, quod a combustione nomen habet, Slauis enim *Ischraelitz* combustio est; quo fit vt eam Germani vocant *Brandstadt:* nam quum condita esset, a Sobieslao Boemiæ duce anno MCXXXI, ducentis post annis tota igni absumpta est, adeo vt ne domus quidem vna superfuerit. Sed protinus ciuium industria restituta est maiore etiam quam ante elegantia. Sita est ad ripam dexteram Nissæ fluuij, ex quo molitores, cereuisiarij, tinctores, insignes commoditates percipiunt. Eius ripa vtraque ponte ligneo & quidem cooperto nectitur. Vrbs ipsa ædificiorum nitore & frequetia claret, muris fossisque vbi flumen deest, munita. Primarium templum B. Petro sacrum est. Curiam venustat turris. Etsi autem Lusatia superior, mortuo Marchione VVoldemaro sine hærede masculo, in potestatem venerit Ioannis Lucelburgici Boemiæ regis, ac veluti feudum Boemiæ regno attributa sit a Ludouico Bauaro Imperatore, mansit tamen Gorlicium in potestate Ducum Silesiæ, vsque ad annum Christi MCCCXXX, quo Zittauia Henrico adsignata est, Gorlicium vero ad Boemiæ reges redijt, ea lege, vt in posterum nunquam ab eo alienaretur. Nihilominus tamen anno MCCCLII Carolus IV Imperator Gorlicium Ioanni natu minori iure feudi cum titulo Ducis possidendum dedit, voluitque vt in eius verba ciues iurarent. Sed Ioannem illum ciues Gorlicenses ob effrenatam libidinem & insolentiam excluserе, qui idcirco in inferiore Lusatia quod reliquum fuit vitæ inglorius consumpsit. Eo defuncto Iudocus Morauiæ & Brandeburgi Marchio, VVenceslai & Sigismundi regum patruelis, ducatum Gorlicensem sibi vendicauit, conniuente, imò & adnuente VVenceslao Boemiæ rege. At Gorlicenses missa legatione ad Sigismundum Hungariæ regem, impetrarunt, vt penes Boemum ditio maneret, neque a regno vrbs socia & fida auelleretur, cauſſati aspera Ioannis imperia, & vinculum antiquæ coniunctionis. Ab eo igitur tempore mansit perpetuo Gorlicium iunctum regno, neque inde diuulsum est. Cœnobium quod in ea est, anno MCCXXXIV conditum perhibetur. Schola hic est illustris, quæ aperta est anno Christi MDLXV, primo eius Rectore Petro Vincentio Vratislauiensi ex Academia VVitebergensi in illam vrbem accito. Huius egregia opera ad mitiorem cultum iuuentus formata est, instillatis Sapientiæ & veræ pietatis præceptis.

GOTHA



Longitud. Grad. XXXII. *43. Latitud.* LI. *0.*

EN tibi GOTHAM Lector nobilem & antiquam Thuringiæ vrbem, non qualis nunc est, sed qualis fuit ante annum MDLXVII, quo destructa est arx *Grimmensteyn*, murique subuersi. Nomen ipsi a Gothis, qui sexies Italiam ex penitissimis ad mare Germanicum oris profecti, ingressi sunt, relictis fere quacumque iter faciebant monumentis suæ profectionis. Ergo vt *Gothingam* habet Saxonia, sic *Gotham*, *Gotleben*, *Alten-Gothen*, habet Thuringia. Est autem Gotha ad Linam fluuium, qui olim eam alluit, nunc perlabitur. Oppidi faciem ex pago sumpsit circa annum CMLXIV, opera potissimum Guilielmi Archiepiscopi Moguntiacensis, cui a fratre Ottone Imperatore data est Thuringia cum Hassia. Templum B. Augustini fundatum est anno MCCXVI. Alterum B. Margaretæ ædificari cœptum est anno MCCCCXCIV. Linam amnem in vrbem admisit Balthasar Lantgrauius, purgandis vijs, & sordibus eluendis. Arcem *Grimmensteyn* muniuit validisque operibus firmauit Guilielmus Saxoniæ Dux, qui etiam anno MDXXX productis pomœrijs eam ampliauit, diruto etiam templo, & subuersis Canonicorum ædibus; Adhibiti sunt ad structuram octo vel nouem millia opificum, totos annos vndecim. Cæterum quum Carolus V capto Electore Ioanne Friderico videret munimentum illud receptaculum rebellibus esse posse, mandauit Lazaro Suendio vt arcem destrueret, quod etiam anno MDXLVII factum est. Postea tamen restitutus in pristinum statum Dux, impetrauit a Cæsare, vt arcem illam reparare suo arbitratu liceret. Nec mansit diu eo statu. Nam post receptos Imperij hostes a Maximiliano proscriptos, Ioannem Fridericum Ducem, eius quem dixi Ioannis filium, Guilielmum Grumbachium, Christianum Pontanum, Ioannem Guilielmum a Steyn, Dauidem Baumgartnerum Augustanum, cum Ioanne Beyero, obsessa est arcte, & tandem capta euersaque. Eius rei historiam quia memorabilis est, inserendam hoc loco duxi. Anno igitur a Christo nato MDLXVII Guilielmus Grumbachius collecta manu proscriptorum factionis Alberti Brandeburgici, postquam Melchiorem Zobelum Episcopum Herbipolensem nefarie occidisset, vrbemque ipsam pari audacia captam spoliasset, sollicitata contra imperij leges nobilitate hoc agebat, vt Rempublicã Germanorum turbaret. Quum autem speraret, fratres duos, Saxonię Duces, Ioannẽ Fridericum & Ioannẽ Guilielmum (Septemuiri illius filios qui a Carolo V captus bello, & in carcere diu detentus, postea spoliatus Electorati dignitate iam obierat) patris damnis, atq; vt ipse interpretabatur, iniurijs excitatos, vindictam molituros, adgressus ipsos blanditijs, promissis, rationibus, conatus est ad societatẽ sceleris inflammare. Sed dicentem multa ac plura pollicentem auersatus est Ioannes Guilielmus, testatus, se datam Imperio fidem seruaturum. Alter vero vana ambitione æstuans, accedente specioſa paternæ iniuriæ vindicatione, aures nimis faciles Grunbachio præbuit, qui tanto patrono fretus nõ tantum nutantẽ cõfirmauit, sed etiã scelarate ipsum aduersus fratrem, & Augustum patruelem Electorẽ Imperij accendit. Limites enim non habet improbitas, minimoquo negotio humanum pectus ab exiguo delicto ad ingentia flagitia propellit, nec ante sistitur, quam pœnam comitem attraxerit. Decretum autẽ fuerat vltimis comitijs sub Ferdinando Cæsare habitis VVormaciæ, stipendium alendis M & D equitibus, quorum M Augusto, reliqui Guilielmo Duci Cliuensi tributi sunt ad Germaniam a grassatoribus perpurgandam. Augustus consilio prius quam armis aduersus patruelem agendum ratus, sæpe ipsum per litteras & legatos orat, vt a se factiosos, quos Gothæ habebat, dimitteret, neu se illorum patronum aut susceptorem ostenderet:

deret: cautum esse Saxonicæ domus fœdere, hostes publicos ac priuatos, quique ab imperio proscripti essent, non esse a parte altera excipiēdos hospitio aut in clientelam recipiendos. Monuere idem per nuncios perq; epistolas Fridericus Palatinus, Philippus Hessus, alijque Principes Palatinus in Thuringiam profectus, Lipsiæ, fatres inter se, alterumq; etiā cum Augusto Electore conatus reconciliare, quum videret frustra se omnia tentasse, re desperata domum regressus est. Primis deinde Comitijs Augustæ Vindelicorum renouatur sententia proscriptionis, mandaturque Augusto eius exsecutio. Missa quoque legatione iubetur Ioannes Fridericus proscriptos in manus Cæsaris tradere, aut vinctos, vbi velit, sistere: propositā, ni pareat, comminatione, futurum vt debita receptatoribus pœna afficiatur. Quibus omnibus efferatus magis Grunbachius extrema apud principem tentare cœpit. Nec multo post patuere insidiæ in Augustum Electoré structæ, capto Ioanne Bemo, haud procul a Dresda, & Philippo Piesso insigni percussore facinus per tormenta confesso. Quibus omnibus prudenter dissimulatis Augustus nihilo secius patruelem ad sanam mentem reuocare conabatur. Quum vero nunciata Turcarum victoria & Zigethi ac Iulæ arcis deditione proscripti animos nobilium ad defectionem cōtra Imperium sollicitarent, per id ægre, & quidem merito, tulit Maximilianus. Hic nihilo secius Augustus, Hessus, Palatinus, Cliuensis Dux, Ioannem Fridericum conantur ad officium reducere. Sed nihil promotum est. Quum ergo Ioannes Fridericus omnes honestas & æquas conditiones recusaret, Augustus VI VIR accepto a Cæsare mandato, executionem decreti imperialis cum Comite Ottone Ebersteinio, Fabiano Schoeneichio, & Christophoro Carolo uitio aggreditur, &, vt inopinatos opprimeret, media & aspera hieme copias præmittit. Eæ prid. natal. Domini sese ostendere, proscriptis interea Gothæ ob cladē Pannonicam Hilaria agitantibus. Simul denunciatione per fœcialem facta, subditi Ioanni Friderico omnes a fide ipsi data liberantur, iubenturque iurare in verba Ioannis Guilielmi fratris, qui tunc apud Augustum agebat. Decimo quarto post die venit in castra Augustus, & exercitu omni in aciem producto deditionem fieri petit: qua negata, haud multorum dierū spatio vrbs fossis aggeribus castelliſq; circumdata ab ipso est. Mira quippe festinatione instabat operi, nocteſq; & dies vrgebat, nihil hiemis inclemētia deterritus. Interea patuere per transfugas proscriptorum consilia. Decretum ipsis erat, si euentus conatibus responderet, sub initium veris octo millia equitum cōscribere, cū quatuor legionibus: quarum duæ ad Rhenū in VVestphalia, duæ in Vandalicis regionibus excubarent. Mandaturi erant, illis quidē, vt per Episcoporum ditiones in Franconia, Thuringiaque late grassarentur, exacta vndiq; grandi pecunia: hisce, vt in Saxonis Septemuiri ditiones incumberēt, omniaq; ibi vi ac rapinis depopularentur. Postea statuerant, Ioan. Fridericum rescissis Caroli V, Ferdinandi, & Maximiliani decretis, paternis bonis atque honoribus restituere, ac tandem vbi exercitus vterque conuenisset, Imperatorem quoque creare, coactis in ordinem cæteris Principibus, & si recusarent, aut vim etiam ostentarent, de medio sublatis. Hæc omnia a transfugis vulgata, postea etiā confessionibus captiuorum, & scriptis in arce repertis confirmata sunt. In chartis hoc etiam amplius perscriptum erat, Maximilianum Cæsarem publicatione iteratæ proscriptionis fidem ac iurisiurandi religionem violasse, ac proinde maiestate & dignitate Cæsarea excidisse. Et ne quid ad cumulum infamiæ deesset, decretum quoque erat euocare Ericum Daniæ regem ad conturbandum imperium; Scriptæ etiam ad regem Gallorum litteræ, & facta Ioanni Friderico spes a Grunbachio matrimonij cum Elisabetha Angliæ regina; admotæ quoque artes necromanticæ, euocati genij mali,

Princeps

Princeps miſer tantum non infaſcinatus, paſtoribus Eccleſiæ qui contra aliquid vel apud ipſum vel in Rep. auderent graui interminatione a propoſito deterritis. Ita omnia rabies opplerat. Iamque eo Auguſtus cum Cæſarianis progreſſus fuerat, vt excitatis molibus interior vrbs tota ipſius conſpectui pateret, nec contra tormentorum vim vallo amplius ciuitas tegeretur, Præſidiarij quoque elapſo trimeſtri quo fidem Ioanni Friderico obſtrinxerant, circumſpectabant quis exitus belli futurus eſſet, de ſua ſecuritate ſolliciti; & ciues Gotthani deficiente commeatu, ægre ferebant ſe in eas anguſtias redactos: quum forte præſidiarij milites in arcem euocati ab Hieronymo Bredenſteynio militum tribuno, vrgebantur vt nouo iuramẽto ſeſe in futurum obſtringerent: Id quum omnes vno ore facturos ſe negarent, ortus eſt tumultus, cui ſe ciues iunxerunt. Ita capta arce depoſcuntur proſcripti, capitur Bredenſteynius; educitur e latibulo princeps factionis Grunbachius, tum Guilielmus Steinius omnium conſiliorum particeps, & Cancellarius Principis Chriſtianus Brukius, & Ioannes Beierus, vno elapſo Zobicio percuſſore Epiſcopi Herbipolenſis. Hi omnes ex arce in curiam vrbis ducti ſunt: Poſtea ex voluntate Ioannis Friderici petitur, vt dies condicatur, quo per delegatos de pace agatur, deque dedendis proſcriptis. Aberat autem tunc Elector Auguſtus, profectus Caſtellum Cattorum cum Ioanne Guilielmo ad exſequias Philippi Lantgrauij: qui ſimulatque rediit, haud inuitus conſenſit in hæc capita, Vt Ioannes Fridericus ſe, vrbem, & arcem cum apparatu omni bellico, commeatu, & fiſco reddat Cæſari. Vt proſcripti in manus Electoris tradãtur. Vt armati intra quatuor horarum ſpatiũ vrbe & arce exeant ſine tympanis, traditis in arce ſignis ſuis. Vt oppidanis vita fortunæ & immunitates omnes integræ ſeruentur, Vt ijdem iurent nunquam ſe contra Cæſarem, Imperium, aut Saxonem Electorem arma ſumpturos. Vt Ioanni Guilielmo obſequium promittãt, præſtentque, excluſo omni ſucceſſionis iure Friderico fratre & natis ex illo filijs: addito, Si contingat Ioan. Guilielmum ſine maſcula prole decedere, tunc ad Septemuirum Saxonem eiuſq; hæredes Ducatum deuolutum iri, atq; his deficientibus, ad Haſſiæ Lantgrauium. Ita XVII Kal. Maij ingreſſus vrbem Auguſtus victor, potitus eſt proſcriptis illis factioſis: de quibus poſt quæſtionem & tormenta ſumtum eſt ſupplicium XVI Kal. Maij. Grumbachius & Brukius viui diſcerpti & ſecti in quatuor partes. Steinius capite primum truncatus, poſt diſſectus eſt. Bredenſteinio idem factum. Beierus laqueo ex patibulo ſtrangulatus eſt. Machinæ bellicæ CLX diuiſæ inter Auguſtum & Ioannem Guilielmum. Inde ex decreto Comitiorum Ratiſponenſium itum ad demolitionem arcis Gothanæ, quæ iam aliquamdiu ſeditioſorum ac perduellium fuerat receptaculum. In conuentu Erfurdiæ celebrato deprehenſum eſt, ſumtum eius belli fuiſſe 953630 florenorum: arcis demolitionem conſtitiſſe 55549 florenis. Ioannes Fridericus Saxo captiuus triduo poſt deditam vrbem Viennam ad Cæſarem miſſus, inde Neuſtadium Auſtriæ in carcerem abductus eſt. Cuſi quoque memoriæ cauſſa numi argentei cum hac epigraphe, TANDEM BONA CAVSA TRIVMPHAT.


GROENINGHEN

Longit. Grad. XXVII. *44.* *Latitud.* LIII. *22.*

FRISIOS maiores minoresque, dixit Tacitus Rheno prætexi, & ambire immensos lacus, ac Romanis classibus nauigatos, nomenq; habere ex modo virium: Ex hac descriptione pertinebunt Gruningenses ad Frisios maiores, neq; dubiũ erit quin sint Germanorum populis accensendi. Nec fuit nobis in censu isto prętermittenda tam ampla, tam potens, tam elegans, tam libera ciuitas, suæque Prouinciæ caput. Abest vrbs sex milliatibus Leouardia. Sita est agro fertili, septa vndique pagis quamplurimis, habentibus Dominos suos, qui iuncti, Prouinciæ eius Ordinum partem alteram cõstituunt. Eos vocant *Ommelanden.* Sed vrbis Gruningæ præ cæteris summa est dignitas. Magistratus grauis & prudens: Ciues obsequiosi, comes, & ad omnem humanitatem exculti. Nobilitas vtrobique, in vrbe inquam, & in Ommelandia antiqua, diues, potens, nec minus Sapientiæ quam armis dedita. Huius exemplo etiam inferioris ordinis ciues eadem artes sectantur. Itaque nullo non seculo habuit Gruninga viros toga & bello claros Hæc Rudolphum Agricolam Orbi dedit, virum consummatæ eruditionis, & (quid enim possum similius?) alterum Boëtium, in quo linguarum, Græcæ, Latinæ, & Hebraïcæ excellens fuit peritia, & dicẽdi summa facultas, Philosophiæ exacta cognitio, & Musicæ artis vsus singularis, adeo vt Gruningæ in templo primario quod B. Martino sacrum est, tubi spectentur in organo pneumatico facti ipsius manu. Scripsit

De inuentione Dialectica libros III. quos tanti fecit Erasmus, vt in eos quoque decreuerit ante obitum scribere annotationes.

De vniuersalibus quæstiones singulares.

Propædeumatum Dialecticæ inuẽtionis librum vnum.

Scholia in orat. Cic. pro lege Manilia.

Vertit e Græco Aphthonij progymnasmata.

Parænesin Isocratis ad Demonicum.

Luciani libellum de non credendo delatoribus.

Axiochum Platonis de contemnenda morte.

Scripsit præterea Commentarios in aliquot Senecæ declarationes.

In Boëtium de consolatione Philosophiæ.

Edidit Orationem de Natiuitate Domini.

Alteram in laudem Matthiæ Richli Rectoris designati.

Tertiam de studiorum ad hiemem innouatione.

Vitam scripsit Francisci Petrarchæ, quam nominat Trithemius.

Vertit quoque Psalmos Dauidis ex Hebraïco sermone in Latinum.

Congessit vocabulorum Germanicorum siluam, quorum origo petita est e Græcis.

Obijt Heidelbergæ anno ætatis XI. Christi M CCCC LXXXV. Ei Hermolaus Barbarus Epitaphium hoc fecit,

Sepultus est in æde Franciscanorum, &, si id scire refert quod refert Erasmus, habitu Franciscano. Eadem Gruninga, & quidem eodem tempore habuit ciuem VVESSELVM, primum sui sæculi Theologum & Philosophum, cui hic elogium dedit consentiens doctorum vox, VT LVX MVNDI vocaretur. Obijt anno M CCCC LXXIX. Habuit & Reinerum Predinium virum Theologiæ exornandæ natum. Et adhuc nostro hoc sæculo tantus est eius Reip. in eruditionem, sapientiam, religionẽq; affectus, vt nuper magnis impendijs Scholam aperuerit omnium scientiarum atque artium, in qua iuuentus caste & sobrie educata, ad Reip. & Ecclesiæ gubernacula præparatur. Magnum ei lumen adfert VBBO EMMIVS, notus toto orbe Historiar. Frisicarũ voluminibus. Magnum quoque PANCRATIVS CASTRICOMIVS Batauus, eius vrbis Syndicus amicus noster, quem prudentia, eruditio, pietas, candor, æternitati pridẽ consecrarunt.

HADERSLEB.


HADERSLEBIA
Marct
Hansburga Arx

Longit. Grad. XXXI. *8. Latitud.* LVI. *4.*

IN Iutia Auſtrali vrbs eſt Epiſcopalis nobilis, ad ſinum maris. Eam vocant *Haderſleu*, eſtque Ducatus Sleſuicenſis, prima verſus Fioniam. Ferunt eam à VValdemaro Duce Iutiæ anno Chriſti MCCXCII ornatam iure & priuilegiis ciuitatis, quum antea pagus eſſet. Neque verò adhuc in modum aliarum vrbium, mœnia habet, foſſas, munimenta, ſed tota patet ingredientibus atque egredientibus interdiu & noctu, modo id nauibus fiat: nam aquis cingitur. Vicina ei fuit olim arx in colle poſita, ſatis pro tempore munita, ſed eam Ioannes Holſatiæ Dux ſolo æquauit, aliamque non procul ab oppido loco commodiore exſtruxit, fere in peninſula. Eam à ſe vocauit Hanſburgam, quaſi arcem vel purgum Ioannis. Addidit quoque ſacellum marmore & auro ſplendens. Hæc ille opera cœperat quidem immani ſumptu, ſed morte præuentus non abſoluit. Exceſſit ipſe anno MDLXXX. Fridericus verò ſecundus Rex Daniæ, ad quem ditio illa omnis ſucceſſionis iure deuoluta eſt, cœptum magnifice opus perfecit, extremamque ei manum impoſuit. Vrbis viæ omnes elegantes ſunt & ſpatioſæ. Forum amplum. In eo Templum eſt Cathedrale, in quo Rumboldus Dux Sileſiæ ſepultus iacet, monumẽto marmoreo. Nã quum a Sigiſmundo Imperatore miſſus eſſet in has terras ad componendas lites exortas inter Daniæ regem Ericum, & Holſatiæ Comites de ducatu Sleſuicenſi, nondũ confectis rebus in legatione ipſa peſte correptus interiit. Ei igitur Ericus Daniæ rex monumentum condidit, & ſe, & ipſo, & Imperatore à quo miſſus erat, dignum. In aditu ipſo opidi eſt Xenodochium ſatis ſplendidum. Habet & Scholam vrbs à Ioanne feliciter erectam, in qua iuuentus ad pietatem, & ſapientiam, eruditionemque formatur. Ager vicinus fertilis eſt: fontibus quoque & hortis excultus. Prata læta. Portus tutus, aptuſque recipiendis nauibus quamplurimis; Is vero ſinu ſatis amplo ſe in mare Balthicum exonerat. De Haderſlebia verſus leguntur Hérici Ranzouii, pleraque eorum quæ dixi continentes, quos ego etſi non optimos tamen autoris cauſſa inſeram,

A Duce VValdemaro primum Haderſlebia nomen
Iutia cui quondam paruit, vrbis habet.
Arx hic ſtructa fuit vicino in colle, Ioannes
Quam Dux illuſtris diruit Holſatiæ.
Diruit ac arcem, vicino in littore cœpit
Sumptibus haud paruis ædificare nouam.
Hanſburgum dicunt: ſimul vt cum nomine notum
Arcis quis fuerit conditor, eſſe queat.
Struxit in hoc templum ſpatioſum marmore & auro,
Sincero verbi motus amore Dei.
At nunc iure tenet Fridericus id omne ſecundus,
Rex hæres opibus perficit iſta ſuis.
Ædes præterea cathedralis in vrbe videtur,
In qua Rumboldi ſunt monumenta Ducis.
Gymnaſium quoque Dux magna cum laude Ioannes
Exſtruxit curam relligionis habens.
Attribuit reditus opulento principe dignos,
Nam ſtudia in pretio duxit habendo ſibi.
Inſuper & tutum maris Haderſlebia portum
Fœcundos agros, paſcua læta tenet.


KOPPENHAGEN

Longitud. Grad. XXXIV. *50. Latitud.* LVI. *25.*

SVB annum Domini MCLXV vixit Abſolon Huido Archiepiſcopus Lundéſis & Epiſcopus Roſchildenſis, vir nobilitate generis, animi virtutibus, prudentia, robore, patriæque amore præſtans. Is in ea Zelandiæ parte quæ orientem verſus mari obiecta eſt exſtruxit arcem, in inſula, aduerſus piratas, qui locum admittentis nauibus opportunum mirificè tunc infeſtabant, eamq; inſulam à ſuo nomine vocauit *Axel-Hues*. Eodem tempore condiderunt illic etiam piſcatores tuguriola, alius vero ad hoſpites excipiendos etiam diuerſorium: dictuſq; eſt locus *Kiopmans Haffen*, portus mercatorum, quod illic mercatores à piratis tuti eſſent, aptuſq; iudicaretur nauibus recipiendis ſinus. Hæc fuere tenuia vrbis nunc magnæ initia. Priuilegia ei primum à Iacobo Epiſcopo Roſchildenſi data ſunt, anno MCCLIV; poſtea ab Inguaro Epiſcopo confirmata. Eadem auxerunt partim, partim etiam corroborarũt reges Daniæ, Ericus Anno MCCCXIX. Voldemarus anno MCCCXLI, & Ericus Pomeranus anno MCCC. XXI. Ius municipale ad exemplum aliarũ Daniæ vrbium indulſit Chriſtophorus Bauarus, anno Chriſti MCCCCXLIII. Atque hæc omnia Chriſtiernus III, & Fridericus II diplomatibus ſuis confirmarunt. Ante vrbem orientem verſus inſula eſt *Amagger*, quæ obiectu ſuo tempeſtates Hafniam concuſſuras amolitur, fluctuſq, frangit, à prouida natura in id ibi poſita. Eius inſulæ beneficio ad quingentos vſque paſſus tuta conceditur nauibus ſtatio, adeò vt miro & iucundo ſpectaculo videre ſit in aqua naues ingentes admoueri ædificiis in terra poſitis, & cum illis quaſi de magnitudine & robore certare. Inſulam magna ex parte incolunt Hollandi & Friſii modicis immunitatibus illuc euocati à Chriſtiano II Daniæ rege. Horum opera terra excolitur, tanto rerum prouentu, vt vna hæc Hafniæ veluti penuarium quoddam eſſe videatur. Sed minorem illam inſulam nectunt vrbi pontes, ita conſtructi, vt per eos ingreſſus egreſſuſq; nauibus in vrbem commodus pateat. In ea inſula eſt Armamentarium regium, in quo tormenta in vſum belli & nauium adſeruantur: Eſt & domus Quæſtoris regii ampla & magnifica. Primarium vrbis templũ ſacrum eſt B. Mariæ virgini, inque eo ſacrantur & coronantur Reges Daniæ: habuit autem illud olim Collegium Canonicorum. Alterum templum ſacrum eſt Spiritui ſancto. Tertium quod mari vicinius eſt, S. Nicolao. Quartum, B. Petro in vſum nationis Germanicæ, opus Friderici I I. Quinctum eſt in arce: vrbẽ enim arx regia aduerſus ſubitos caſus munit. Naualia multa ſunt, portus multi. Sed præcipuum vrbis ac totius regni ornamentum eſt Academia, cuius inſtituendæ facultatem Rex Ericus I X Pomeranus à Martino V Papa impetrauit. Etſi verò ille ob diuturna bella quibus perpetuò diſtractus fuit (nam & Schleſuicenſe bellum geſſit, & aliud cum Anza Teutonica, & tertium cum Suecis) non potuerit extremam illi manum imponere, ita tamen eam inſtituit iactis laudabiliter fundamentis, vt Chriſtianus I. Oldenburgicus, qui in eam familiam primus regiam dignitatem feliciter inuexit, permiſſu Sixti Pontificis eam ad optatum finem perduxerit, anno MCCCLXXVIII, impetratis ab ipſo priuilegiis Academiæ Bononienſis. Erectionem confirmauit Ioannes, qui etiam noua fundatione Scholam ſtabiliuit, anno MCCCCXCVIII. Chriſtianus tertius eam Profeſſoribus auxit, additis etiam reditibus annuis quibus XX ſtudioſi alerentur. Tandem verò etiam Fridericus I I ad alumnos ſuperiores addidit alios LXXX, prouentuſque ſcholæ munifica largitione auxit, & ſalaria profeſſorum adiectis opimis reditibus vnctiora fecit: meritò vt illum tanquam Academiam parentem ament omnes ac celebrent.


HALL in Saxen
Der. Rote. Thurn
F. Pfarkirch
Das. Slos
Der. Thum

Longit. Grad. XXXVI. *18.* *Latit.* LI. *37.*

DE Salis fontibus certasse olim Cattos cum Hermundunis sub Nerone prodidit Tacitus. Eadem, inquit, æstate inter Hermunduros Cattosque certatum magno prœlio, dum flumen gignendo sale fœcundum & conterminum vi trahunt: religione insita, indulgentia numinum illo in amne illisq; siluis salem prouenire, non vt alias apud gentes eluuie maris arescente vnda, sed super ardentem arborum struem fusa, & cõtrarijs elementis, igne atque aquis concreta. Hæc Tacitus. Talem vero salem nigrum esse oportuit: Fatetur hoc, imo & tradit Plinius. Galliæ, inquit, Germaniæque ardentibus lignis aquam salsam infundunt. Quercus optima, vt quæ per se cinere sincero vim salis reddat. Alibi corylus laudatur. Ita infuso liquore salso carbo etiam in salem vertitur. Quicumque autẽ ligno confit sal, niger est. Ignorarunt enim veteres modum salis sartaginibus coquendi. Sed errauit in eo Tacitus, quod salem putaret ex flumine confici. Et habet quidem fluuius a sale nomen, vocatur enim *Hala*, Græciſque ἅλς ἁλὸς salem significat, vnde Hala vrbs. Non tamen ex vndis fluminis, sed ex fontibus amni vicinis sal & olim confectus est, & nunc adhuc conficitur. Fontes illi sunt numero quatuor, eminentes, ad S. Mauritium versus Septentrionem, quorum tamen primarius ille est, qui Teutonicus vocatur. Ex eo tã copiosa aqua erumpit, vt nisi exhauriatur, intra dies XXII exundet, seque in profluentem exoneret. Hi fontes flumini nomen, & occasionem communi opioni dederunt; quasi ex flumine sal gigneretur. Iidem caussa fuere primum vici aut pagi, postea vrbis. Pagum ferunt dictum initio *Doberſolo*, vel *Dobrebora*; qui postea sub Ottone II Imperatore in vrbẽ conuersus sit, anno D CCCC LXXXI. Interea hoc in Tacito notabimus, Salam fluuium, qui nunc Saxoniæ est, Cattos olim ab Hermunduris separasse. Anno M C XXX Halenses a Lothario Cæsare obsessi sunt, & ad deditionem compulsi, quod aulicos & legatos eius cum ministris contra ius gentium occidissent: sumptum quoq; ab ijs supplicium, qui eius facinoris autores fuerant. Anno M CC LXIV Rupertus Magdeburgensis Archiepiscopus adiutus a Comite Mansfeldico Halenses multis incõmodis affecit, & grandi pecunia mulctauit, quod autores fuissent Iudæis illic agentibus, ne Archiepiscopo censum soluerent. Anno Christi M CCCC XXXIII conspirarunt Halenses cum Magdeburgensibus aduersus suos Præsules, a quibus se premi iniquis exactionibus conquerebantur. At hi illos vibrato excommunicationis fulmine sperabant ad officium posse cogi. Quam spem quum irritam viderent, Electorem quoque Saxoniæ Fridericum promissa ingenti pecuniæ vi in suos ciues concitarunt. Is ergo adiutus a fratre Guilielmo Lantgrauio Thuringiæ, itemque a Lantgrauio Hassiæ, & Comitibus Swartzenburgicis, Mansfeldicis, Stolbergicis, & Honsteinijs Halam obsedit, ac tormentorum globis petijt. Halenses vero adiuti a Brunsuigijs sociisque fortiter se defenderunt. Tandem vero ita transactum est, vt Halenses & Magdeburgij capitulo omnia redderent quæ bello occuparant, cætera obliuione perpetuo inuoluerentur. Ita ex banno Pontificis & proscriptione Cæsaris in integrum restituti sunt. Anno M CCCC LXXVIII dissensio inter Senatum & salinarum dominos nata est, in qua per tumultum occisus est Schiltbachius honestius ciuis. Ob hanc dissensionem accersiti Halbestadienses, in consilium adhibiti sunt. Tandem ita conuentum, vt Halenses propter seditionem motam Archiepiscopo soluerent quartam partem salinarum suarum, quintam vero partem reliquorum bonorum suorum omnium, ac præterea D amplius florenos conferrent ad statuendum monumentum perpetuum Schiltbachio ei de quo iam diximus. Anno

M D XXXII iter hac fecit Georgius Sabinus Brandeburgicus Poëta, qui quia multa refert a se in ea vrbe conspecta memorabilia, quæ alioqui nostris verbis commemoranda fuissent, malui doctissimis ipsius versibus hic legi, Sic ergo ille,

Ortus mane nouo cum Sol dimouerat vmbras,
E stipulis surgens ingrediebar iter.
Mons procul ostentat, Galilæi nomine Petri
Dictus, in excelso condita fana iugo.
Hunc vbi transieram, fumantibus Halla salinis
Cernitur vrbs oculis facta propinqua meis:
Cuius amæna virent, vt Tempe, pascua, cuius
Seminibus multis fœtus abundat ager.
Huc vbi peruentum, consulti tecta subibam,
Hospitio cuius non semel vsus eram.
Dulcia securis hic ocia rebus agentem,
Continuos tenuit me mora quinque dies.
Interea templum memorabile, celsaque vidi
Principis egregium regia quicquid habet.
Scilicet ad zephyri flatus, solemque cadentem,
Qua Sala contiguis mœnia stringit aquis:
Erigitur miris lapidum compagibus ædes,
Condidit Albertus nobile præsul opus,
Mauritio diuæque sacrum, quæ vidit adorans
Prima, resurgentis numen & ora Dei,
Quando sub hortorum cultoris imagine Christus,
Ad tumulum flenti, quid lacrimaris? ait.
Vestibulum sculptis insignibus, area templi
Strata pauimento versicolore nitet.
Cingitur aulæis paries festisque tapetis,
Quæ gens artifici Belgica pinxit acu:
In quibus elucent fuluo radiante metallo,
Aurea solerti stamina ducta manu.
Organa marmoreo pendent sub fornicis arcu,
Æmula cantantes hæc imitantur aues,
Ac si vere nouo frondentibus abdita siluis,
Mille daret volucrum turba canora modos.
Hæc eadem raucis clangoribus æra tubarum,
Et referunt sonitu tergora tensa boum:
Tergora tensa, quibus violentos incitat hostes,
Bellicus insani Martis ad arma furor.
Quid loquar insignes, ad quas collata, tabellas,
Cedat Apellæo picta colore Venus?
Nulla sed effigies istic obscœna, nec vllum
Spurca locum turpis mater amoris habet.
Casta repræsentat tabulis pictura, luerunt
Quam graue supplicium turba professa fidem.
Vtque pia natus de virgine rector Olympi,
Nos docuit summi iussa verenda patris:
Vt datus ipse neci, genus hoc mortale redemit,
Quod voluit precium sanguinis esse sui.
Qualis & extremo venturus tempore mundi,
Ad nigra damnatos tartara Christus aget.
Nec quod imaginibus tantummodo lumina pascat,
Dives in hunc vsum talia præsul habet:
Inde sed vt discant exempla sequenda piorum,
Historiæ si qui cognitione carent.
Est locus in medio qua iactat ad æthera templo
Sedulus alterna carmina voce chorus,
Ferrea cancellis ignobile ianua vulgus
Arcet, ibi magnæ conspiciuntur opes.
Plenaque collucent rutilis altaria flammis,
Fulget vt astrorum lucidus igne polus.
Omne quod argentum fodit, omne quod eruit aurum
Tota metalliferis Pannonis ora iugis:
Quodque Tagus, diuesque vehit Pactolus, in vnum
Hoc ibi congestum dixeris esse locum.

Aurea

Aurea nam gazas & opes æquantia Crœsi
Stant super extructis hic simulacra tholis.
CAROLVS insigni spectandus imagine Cæsar,
Hic stat, & augustum fert diadema comis,
Quale gerit, summa cum maiestate verendus,
Regia principibus dicere iura solet.
Fulgentemque manu gladium, suspensaque collo
Aurea Phryxeæ vellera gestit ouis.
Astat & Albertus, qui talia sumtibus emit,
Hæc quibus est ædes condecorata, suis.
Grandibus hic duplicem gemmis auroque coronam
Fronte genit, dextra Pontificale pedum.
Talibus innumeris simulacris ara repletur,
Ara ter excelsos quatuor alta gradus.
At super effigies argenteus eminet omnes,
Qui patrio ritu stat cataphractus, eques.
Mauritijque refert procero corpore formam,
Cuius clausa pij militis ossa tenet.
Multus & extremo lapis hic oriente petitus
Est, in Erythræis lectaque gemma vadis.
Ictibus infragiles Adamantes, totque Smaragdi,
Quot vix Diue tuus Marce Senatus habet.
Albaque concharum preciosæ germina baccæ,
Est quibus ingentis forma rotunda globi.
Hæc ego defixis oculis dum singula lustro,
Miror & immensas obstupefactus opes:
Principe magnificam pompam ducente sacrorum,
Tympana cum lituis mota dedere sonos.
Festus agebatur, qui te paritura Tonantem,
Edidit in lucem, virgo beata, dies.
Longa sacerdotum qua templum turba subibat,
Lato pandebat limite vulgus iter.
Ipse sub insigni preciosis tegmine gemmis,
Ductus regali præses honore fuit,
Intertexta, genus patrium trahit vnde, nitebant
Inclyta Marchiacæ signa videnda domus:
Terribiles aquilæ, formidandique leones,
Et quos semiferos India Gryphas alit.
Magnanimos inter proceres, equitesque secutos,
Quorum turba frequens ac populosa fuit:
Principis orando qui summa negocia tractat,
Vir celebri dictus nomine Turcus erat:
Cuius ab ore, velut soluti nubibus imbres,
Verba Pericleo culta lepore fluunt.
Iste mihi vacuum monstrans ex ære sepulcrum,
Hæc ea sunt, dixit, quæ monimenta vides,
In quibus Antistes post vltima fata quiescet,
Tunc vbi ventura morte solutus erit.
Digna sacro tumbam sententia præsule signat,
Quæ, quod vita breuis sitque caduca, docet:
Morte nec intereat virtus, quæ sola perennis
Effugit extremi tristia fata rogi.
Talia iussit enim, VIVIT POST FVNERA VIRTVS,
Grandibus inscribi verba legenda notis.
Hæc vbi vidissem, culti sacraria templi
Ingrediot, docto me comitante viro:
Pharmaca quo nemo miscente peritius ægris,
Præonia medicas applicat arte manus.
Innumeros calices hic aurea vasaque vidi,
Apta ministerijs, vsibus apta pijs.
Ac plures chlamydes gemmis auroque rigentes,
Quam quot luciferos integer annus habet.
Mollia prætereo quæ Seres vellera quondam
Nere, sed Ausonides iam didicere nurus.
Nec refero tinctas concha Sidonide vestes,
Nemo sacerdotum quas numerare potest.
Ædituus decies centenis millibus auri
Æstimat hoc templum nobile quicquid habet.

At

At nihil in tantis opibus conſpectius ipſo
Præſule, rem ſacram dum faciebat, erat.
Is pia ſolenni ſeu carmina voce canebat,
Siue precabatur ſupplice voce Deum:
Omnes quotquot erant magnates, omne videres
Vulgus ad hunc oculos compoſuiſſe ſuos:
Nam quas principibus multis natura negauit,
Innumeras dotes corporis vnus habet.
Grandibus accedit facies Heroica membris,
Qua vetus Heroum ſe genus eſſe probat:
Et patrijs magnum virtutibus æquat Achillem,
Egregia cuius laude ſuperbit aui.
Elucet pietas vultu: certiſſimus index
Vultus enim taciti pectoris eſſe ſolet.
Nulla patent oculis metuendi ſigna tyranni,
Mitior hoc vnquam principe nemo fuit.
Ipſe ſuos populos ſine vi, ſine cæde gubernat,
Aſpera nec præfert laudibus arma togæ.
Huius adhuc ſemper ciuilia bella diremit
Cognitus in dubio tempore pacis amor.
Nec ſibi diuitias & auarus poſſidet aurum,
Largus habet promptas ad pia dona manus.
Felices ó ROMA tuos, omneſque futuros,
Auſonium quotquot nomen in orbe colunt:
Tempora triplicibus geſturus cincta coronis,
Si regat hic lacerum paſtor ouile Dei,
Quæ modo palantes ſine curatoribus errant,
Nullæ præda lupo deſtituentur oues.
Dura coërcebunt incluſum vincula Ianum,
Ne triſti referet condita bella manu.
Aurea reſtituet ſolidam concordia pacem,
Priſcaque falciferi ſecula regis erunt.
At prope delubrum foſſis munita profundis
Arx ſtat, & aërium tollit in aſtra caput.

Bucchemerus erat, qui me comitatus euntem,
Hanc quoque viſuri, nunquid eramus? ait.
Nec mora, feſtino me duxit in atria greſſu,
In foribus quorum picta tabella fuit,
Ambigua referens ipſius imagine vultus
Qui regit immenſi Carolus orbis opes.
Per teres inſpicias niſi luminis orbe foramen,
Hanc ſimilem curuæ dixeris eſſe rati.
Quinetiam noſtris ignotam vidimus oris
Exiguam pennæ verſicoloris auem.
Hæc allata procul, Nabathæis venit ab Indis,
A pedibus, quibus eſt orba, vocatur Apus.
Ipſe gerit ſimili raras ex alite pennas
Thracius in coni vertice Turca ſui.
In medijs aulæ penetralibus, ænea moles,
Pyramidis factum ſurgit adinſtar opus:
Id ſeptena mouet reuolutis ſidera ſphæris,
Quæ vagus ambiguis curſibus error agit.
Talis erat ſtellas imitataque machina cœlum,
Facta Syracuſij quæ fuit arte ſenis.
Quid memoranda tibi referam ſimulacra Deorum,
Quæ vetus artificum duxit in ære labor?
Et quibus exhibuit ſacrum rude vulgus honorem,
Mundus adhuc expers cum pietatis erat?
Extrahit hærentem mœrens e vulnere ſpinam,
Indoluit fixum qua Cytheræa pedem,
Tunc vbi purpureum roſa, quæ fuit alba, colorem
Duxit, Acidaliæ ſanguine tincta Deæ.
Prompta pharetratus iaculatur tela Cupido,
Ægida cælatam Gorgone Pallas habet.
Thyrſifero pendent Lenæo fronte corymbi,
Mercurius loculis condita lucra gerit:
Amplexique ligant ſpiris ingentibus angues,
Troia ſacerdotem Laocoonta tuum:

Iliacos

Iliacos intra muros arcemque locari,
Completum Danais qui prohibebat equum.
Aurea conſpicias nec non Idola neparum,
Quæ leuis aut formam papilionis habent:
Aut imitantur aues, dapibus quæ Phinea fraudant:
Hæc Anthropophagum gens ſimulacra colit.
Vidimus Arminij gladios enſeſque vetuſtos,
Quintilio Varo qui peperere necem.
Deque rudi ſaxo factas lothoque ſecures,
Dura quibus nudum prælia vulgus init.
Belliger extremo quod Iberus in orbe ſubegit,
Vltra gemmiferæ littora Taprobanes.
Ramus & Aſſyrij mihi monſtrabatur Amomi,
Longaque Niliaco canna reſecta lacu,
Dulcia producens quæ condimenta ciborum,
Intus natiui ſemina mellis habet.
Tum quibus vnguntur magnorum corpora regum,
Pinguia Iudæo Balſama nata ſolo.
Exuuiæque leues auium, quibus India veſtit,
Membraque feruenti ſole peruſta tegit.
Et quæ proueniunt hybernis poma diebus,
Tempore quo nullas educat hortus opes.
Scilicet extremo cum bruma Decembre reducit,
Annua natalis tempora Chriſte tui:
Nudaque frigoribus pomaria Caurus adurit,
Aruaque candenti ſub niue tecta latent:
Qua vicina iacet lato Moguntia Rheno,
Fructus inſolito creſcere more ſolent.
Præterea clypeum cælatum mille lapillis
Vidimus, ipſe quibus nomina Turca dedit.
Is fuit Eoi geſtamen nobile regis,
Diues vbi Phariam Nilus inundat humum.
Nautilon & rarum ſub nauis imagine piſcem,
Qui ſecat æquoreas more triremis aquas:
Quæque gerunt inſtar pictarum roſtra volucrum,
Nata procelloſo monſtra ſtupenda mari.
Regis Amynthiadæ quid priſca numiſmata dicam.
Ac tua, cornigero qui Ioue natus eras?
Quidue figuratam curuo delphine tabellam?
Cuius tale lapis carmen adeſus habet:
Dedicat æquoreis ereptus Lucius vndis
Scæuola, Neptuno munera, vota Deo.
Eſt quoque gemma, poteſt in qua depicta videri
Vrbs vetus, a Druſi coniuge dicta ducis.
Olim viſa fuit res mira, quod eſſet Homeri
Ilias exiguo tegmine clauſa nucis.
Tanta ſed ingenijs nunc eſt ſolertia noſtris,
Ampla quod anguſtum mœnia claudit opus.
Denique ne pergam deſcribere ſingula, vidi
Conſpicuum tota quicquid in arce fuit.


HAL in Swaben
S Michel
Kocher flu

Longit. Grad. XXXI. *35.* *Latit.* XLIX. *4.*

AD Cocherum amnẽ, qui ſe in Nicrum ex aduerſo VVimpfinæ exonerat, eſt in Sueuia ciuitas Imperialis HALA inter ſublimes & præruptos montes ſita, natura loci adeo munita, vt nuſquam circa ipſam in vicinijs caſtra defigi, nec machinæ vllæ ad quatiendos muros cõmode admoueri & collocari queant. Ea a ſalis lucunis initium & nomen adepta eſt. Heroldus putat hãc eſſe quæ Ptolemæo ἅλισον dicitur, in quo ipſum fugit ratio. Tacit. enim & Velleius Paterculus Aliſonem caſtellum ad Rhenum locãt. Conſtat autẽ hoc ipſo loco olim terram ſiluoſam fuiſſe, aſperam, incultam, nec ſatis tutam a latrocinijs. Vbi vero nunc ſalina eſt quã *Sulam* vocant, ibi ante ſexcentos annos vel haud multo amplius vallem fuiſſe vna cum lacuna aquæ ſalſæ, ad quã e vicinis ſiluis feræ currentes ſalſuginis lingendæ cauſſa, incolis poſtea ſalinas oſtenderunt. Nam vnus hic fons aquæ ſalſæ hodie cernitur perpetua ſcaturigine ebulliens, qui officinas ſalarias in quibus ſal coquitur, centum atq; vndecim exercet. Ad has ergo lacunas auſpicijs Comitum Schongiorum ſiue VVeſthemiorum aliquot caſæ poſitæ ſunt: quæ poſtea in vicum, hinc in pagum, ac tandem in opidum celebre creuerunt, ſedes ſuas ibi ponentibus nobilibus vicinis, qui præter domos ſeptem etiam illic caſtella ædificarunt, Sueuorum aduerſus Francos propugnacula, ob quæ opidum *Siebenburgum* dixere. Sed & Cæſares locum ludis equeſtribus cohoneſtarunt, & iure monomachiæ illic exercendæ, ſiquando nobiles duo de fama & capite inter ſe vellent cernere. Rupertus quoque Cæſar ciuitati libertatem dedit, viuæ ſepis toti territorio circumducendæ, quæ vocatur *die freyheyt vber Heg vnd Schleg.* Ea cauetur, ne quis ſepem diſrumpat ſub pœna L marcarum auri. Vicinum huic vrbi eſt Camburgum nobile quondam cœnobium. Martinus Cruſius de Hala ſic ſcribit. Hala ciuitas Imperij agrum ſeu ditionẽ habet permagni miliarij Germanici quoquo verſus. Ager etſi durior eſt, tamẽ exaratur & excolitur. Datq; quantum ſatis eſt frumenti & vini. Satis etiam aquæ ſuppeditant piſciculorum. Foſſa & viua ſepes (*ein Landgrab vnd Hegzeune*) Halenſe territorium ambit. Arces olim hoc tractu fuere ſupra XL: quarũ nonnullæ reſtãt: cæteræ aut belli aut dominorum ſuorum extinctione collapſæ ſunt. Fuit autẽ hæc regio ante ciuitatem conditam locus ſilueſter, vbi nobilium domicilia erãt in arcibus, antequã ſe imperio ſubieciſſent. Diuidit fluuius Cocherus Halam in duas partes: nimirũ in vrbem & ſuburbium; quæ ambæ ponte Carnificis ſic dicto coniunguntur. Vbi hoc pons attingit ſuburbium, ibi ædes eſt D. Ioannis: vbi vrbem, iuxta eſt ſcaturigo ſalis vtiliſſima, quæ *Sula* vocatur, & ortum ciuitati dedit. Ex eo puteo XV hauſtorijs aquæ ſalſæ hauriuntur. Ea canalibus in ſalarias ſartagines quæ in ſalarijs tabernaculis ſunt, defluit. Sunt autem CXI circiter tales ſartagines elixando ſali ſeruientes, vnde multis hominibus ciuitatis alimonia & victus ſuppetit. Partes vrbis tres ſunt. Prima eſt vetus Hala, vbi templum eſt S. Michaelis & cœnobium Iacobæum a Comitibus VVeſtenſibus ædificatum. Altera eſt trans Cocherum amnem, vbi templũ B. Ioannis & Commendatura, ac ædes D. Catharinæ. Tertia Gelbingera platea, vbi forum boarum & pecora. Signum ſiue vexillum in expeditionibus Imperij inter antecurſores & rararios duos habet colores, rubrum & flauum, ſymbola mortis & vitæ. Licet autem Halenſibus cudere monetam argenteam & auream, in qua eſt manus & crux aurea in aquila, Hæc Cruſius.


HALBERSTATT

Longit. XXXIII. *8. Latitud.* LII. *8.*

HALBERSTADIVM putat Irenicus eſſe Ptolemæi Φεύγαρον, ſed opinionis ſuæ cauſſam nullam adfert: Et tamen ſequitur ipſum Appianus vir doctiſſimus. Habet quidé Ptolemæus ſitum Φευγάρς Longit. Grad. 32. 40. Latitud. 52. 15. ſed hic poſitus *Oſterwyckio* magis conuenit. Illud conſtat, Carolum Magnum, qui ad debellandos domandoſque Saxonas vim ſimul externam, & pietatis ſtudia coniunxit, vt non tam ſibi populos, quam Chriſto Eccleſiam inter Paganos colligere crederetur, anno DCCLXXX Oſterwici magnificum templum B. Stephano ſacrum condidiſſe, & loco nomen boni ominis dediſſe *Selingenſtadij*, præfecto etiam Epiſcopo Hildegrino Catalonenſi Gallo. Sed quum locus ille minus placeret, tranſtuliſſe inde ſedem Epiſcopalem ad confluenteis amnium Albis & Oræ, atq; ex eo nomen vrbi inditum initio Alboreſtadium, quod poſtea tranſijt in Halberſtadium: Eſt autē ſitu admodum oportuno; nam præter aquarum commoditates tanta eſt agrorum vbertas, vt ſegetum culmi equitem ſuperent altitudine. Accedit ad hæc nitor & elegantia plateārum, ædificiorum ſplendor, amplitudo fori, & collegiatum Canonicorum ſodalitium. Fuit autem in hac Eccleſia diu admodum obſeruatus ritus quidam ſingularis peccatorem ab Eccleſia excludendi ſub Quadrageſimam, & reſipiſcentem admittendi circa feſtum Paſchatis, Eum verbis Raphaëlis Volaterrani deſcribere operæ pretium fuerit. Singulis annis, inquit, eligitur e plebe quidam, qui perſonam pœnitentis & confitentis agat. Is in capite ieiunij Quadrageſimalis ad templum adducitur, cultu lugubri, quique pœnitentem deceat, capite obuoluto. Idem poſt ſacrum deinde eijcitur, perque totos dies XL nudis pedibus vias vrbis terit, templorum moles circuit, nec cum quoquam ſermones miſcet. Canonici illi cibum præbent. Non indulget ſermoni niſi poſt mediam noctem, idque in plateis. At in die qui Dominicæ cœnæ dicatus eſt, reducitur ad templum, & a Sacerdote non abſque longis ceremonijs abſolutus, ſtipem a reliqua plebe accipit. Hunc, inquit, Adamum vocare ſolent. Hæc ille. Porro ritus iſte ex decreto quodam Concilij Agathenſis profectus eſt, planeque cum eo capite conſentit: Citatur autem is a Gratiano Diſtinctione L. Sic autem ſonat. In capite Quadrageſimæ omnes publice confitentes ante fores Eccleſiæ ſe repreſentent Epiſcopo ciuitatis, ſacco induti, nudis pedibus, vultu in terram proſtrato, reos ſe eſſe ipſo habitu & vultu proclamantes. Ibi adeſſe debent Decani, id eſt Archipreſbyteri, Preſbyteri parœciarum, Preſbyter pœnitentium, qui eorum conuerſationem diligenter inſpicere debent, vt ſecundum modum culpæ pœnitentiam per præfixos gradus iniungant. Poſt hæc Epiſcopus in Eccleſiam eos introducat, & cum omni clero ſeptem Pſalmos Pœnitentiales in terram proſtratus cum lachrymis pro eorum abſolutione decantet. Tunc reſurgens ab oratione, iuxta quod canones iubent, manus eis imponat, aquam ſuper eos benedictam ſpargat, cinerem prius mittat, deinde cilicio capita eorum cooperiat, & cum gemitu & crebris ſuſpirijs eis denunciet, quod ſicut Adam proiectus eſt de Paradiſo, ita & ipſi de Eccleſia pro peccatis ſuis abijciantur. Poſt hæc iubeat miniſtris, vt eos extra ianuas Eccleſiæ expellant: Clerus vero proſequatur eos cum reſponſorio, In ſudore vultus tui &c. vt videntes ſanctam Eccleſiam pro facinoribus ſuis tremefactam atque commotam, non parui pendant pœnitentiam. In ſacra autem Domini cœna rurſus ob eorum Decanis & Preſbyteris Eccleſiæ liminibus repræſententur. Ex hoc igitur decreto

Agathensis Concilij fluxit mos ille qui in Ecclesia Halberstadensi diu admodum obtinuit. Adseruantur autem Halberstadij diplomata Caroli Magni, data an. DCCCIV, quibus eius Episcopatus termini circumscribuntur.

SEQVITVR CATALOGVS EPISCOPORVM HALBERSTADENSIVM.

1 Hildegrinus Catalonensis patre Dietgrino, matre Lieburga editus ex Episcopo Catalonensi factus primum Episcopus Salingenstadianus, postea Halberstadensis, anno DCCLXXX. præfuit Ecclesiæ an. 47, obijt an. 827, sepultus in monasterio VVerdensi ad Ruram fluuium, quod ipse fundauit. Eius frater Luderus fuit primus Episcopus Mimigardeuordensis: sic vocabantur qui nunc Monasterienses dicuntur.

2 Thiagrinus vel Dietgrinus Hildegrini ex fratre nepos, constituitur ex Corbiensi Abbate Episcopus Halberstadensis ab Ludouico Pio anno 827. Obijt an. 841. Situs est in VVerdensi cœnobio.

3 Haymo, cuius exstant Commentarij in scripta Prophetica & Apostolica. Obijt an. 853. Situs est in summo templo eius vrbis. Fuerat monachus Fuldensis.

4 Hildegrinus II prioris ex sorore nepos: electus anno 853, obijt anno 887. Sepultus est in cœnobio VVerdensi apud suos consanguineos.

5 Euelpus præfuit an. 9, obijt an. 896. Eius monumentum est in Ecclesia cathedrali.

6 Sigismundus ex Hirsaugiensi monacho factus Episcopus ab Arnulpho Imp. anno 896, præfuit anno 30, obijt an. 926.

7 Bernhardus Burg-grauius Magdeburgensis electus in Episcopum anno 926, excessit an. 974. Hic in gratiam suæ sororis condidit cœnobium Hadmersheymense, cui Abbatissam præfecit sororem suam.

8 Hildewardus Comes VVatlouianus factus Episcopus an. 974, præfuit an. 22.

9 Arnoldus præfuit an. 27, obijt an. 1023.

10 Brantho ex Abbate Fuldensi factus Bambergæ ab Henrico Imperatore Episcopus Halberstadensis, præfuit an. 13, defunctus est an. 1036.

11 Burcardus Comes a Voburg electus an. 1036, præfuit an. 23: excessit an. 1059.

12 Bernardus Bucho ex Goslariensi præposito, electus in Episcopum an. 1059. Perijt in seditione ciuili sagittæ ictu, anno 1088. Sepultus est Ilsenburgi.

13 Dietmarus, electus an. 1088, præfuit tantum dies 16.

14 Harrandus quem alij Stephanum vocant, præfuit an. 13, obijt an. 1101.

15 Reinhardus postquam vacasset sedes annis sex, electus est an. 1107, præfuit annos 15, pugnauit contra Henricum V Imperatorem ad siluam VVelphonis, vbi exercitum Cæsaris fudit & profligauit. Obijt an. 1122. Sepultus est Halberstadij.

16 Otto, electus anno 1123, sed ob Simoniam ab Honorio depositus. Iterum ab Innocentio II restitutus, & ab eodem iterum exauctoratus anno 1133.

17 Rodolphus. Hic condidit templum B. Virginis ex aduerso templi B. Stephani: obijt an. 1149.

18 Vdalricus, electus an. 1149. Hic gessit bellum cum Henrico Leone Duce Brunsuicensi infeliciter: Vrbs enim capta atque incensa est: ciues cum clero quum se in templum Cathedrale recepissent, vt se illic ab hoste & igni tutos præstarent, omnes in fauillam redacti sunt, quum templum ipsum igni correptum fuisset.

19 Theodoricus præfuit an. 13, ac templum e cineribus excitauit.

20 Bertholdus elect. an. 1195, præfuit an. 7. ob. an. 1209.

21 Con-

21 Conradus, electus an. 1202, resignauit an 1209.
22 Fridericus Burg-grauius Kirchbergensis, electus an. 1209, præfuit an. 21. Extinctus est an. 1231.
23 Ludolphus Gomes a Schladem, electus an. 1232, præfuit an. 13. obijt an. 1245.
24 Meinhardus, electus an. 1245.
25 Ludolphus Comes a Schladem præfuit an. 2.
26 VVolradus Kransfelderus, electus an. 1261, præfuit anno 9.
27 Hermannus Comes a Blankenberg, obijt an. 1281.
28 Albertus Comes Anhaltinus, electus an. 1281, præfuit an. 44.
29 Albertus Dux Brunsuicensis, electus an. 1327, obijt an. 1358.
30 Ludouicus Lantgrauius Thuringiæ & Marchio Misniæ electus an. 1358, translatus ad Archiepisc. Bambergensem, an. 1366.
31 Albertus, egregius Philosophus, sed infœlix miles, victus a Gebhardo Episcopo Hildesheim, obijt anno 1390. De hoc vsurpatum Prouerbium, *Victa est Logica a Rhetorica.* Erat enim Gebhardus facundus Ecclesiastes.
32 Ernestus Comes ab Honsteyn, electus, an. 1390, abdicatus an. 1399.
33 Rudolphus Comes Anhaltinus, præfuit an. 7, obijt anno 1406.
34 Henricus Baro de VVerberge, præfuit an. 4, adijt episc. an. 1409, obijt an. 1411.
35 Albertus Comes de VVerningenrode, præfuit an. 7, defunctus an. 1418
36 Ioannes ab Hoym, electus an. 418, obijt an. 1435.
37 Burcardus Baro de VVerberge, præfuit an. 23, defunctus an. 1458.
38 Gebhardus de Hoym, electus an. 1458, præfuit anno 21, resignauit sponte anno 1479.
39 Ernestus Saxoniæ Dux Archiepiscopus Magdeburgensis factus administrator Halberstadensis: sedit an. 34, desijt viuere an. 1513.
50 Albertus Marchio Brandeburgicus Achiepiscopus Magdeburgensis Germaniæ primas, antea Ernesti adiutor; post eius excessum Episcopus Halberstadensis, electus anno 1548.
51 Ioannes Albertus Marchio Brand. Friderici Anspacensis filius.
52 Fridericus Marchio Brand. Ioachimi II Electoris filius, electus an. 1552. extinctus eopse anno.
53 Sigismundus Friderici frater natus annos XIV. extinctus anno 1566.
54 Henricus Iulius infans bimulus Iulii Brunsuicensis Ducis filius ea conditione lectus, vt gubernatio XII annos perpetuos esset penes capitulum, & designato Præsuli quotannis certa pecuniæ summa persolueretur, reliquum ad vsus necessarios collegii reponeretur.


HAMBURG
S Nicolaus
Der Thum
S Peter

Longitud. Grad. XXX. *o. Latitud.* LIV. *30.*

HAMBVRGVM Vandaliæ vrbs in Nordalbingijs nomen habet a silua quæ inter amnes Billen & Alsteram quondam fuit, quam possederunt Domini de Ham. Hi sub tempore Caroli Magni arcem eo loci condiderunt, quæ dicta est *Hammeburgus*, vel *Hammeburgum*, sic enim exserte scriptū legitur, nō Hamburgum, in litteris Ludouici I datis Aquisgrani, Statuimus, inquit, vnanimi consensu Ecclesiastico, vltima in regione Saxonica trans Albim in loco nuncupato Hammeburgck, cum vniuersa Nordalbingiorum Ecclesia proprij vigoris constituere sedem. Est ergo Burgus ad *Hamam* siluam, vel Dominorum de *Ham*. Vandalorum olim fuit, sed nunc ea vetere Vandalorum nomine amisso Saxoniæ maritimæ tribuitur, sicut etiam vicina omnia loca. In ea Carolus Magnus subuersis Paganorum delubris conuersurus ad Christum Saxones, Ecclesiam constructit, sacram B. Petro, quam voluit totius tractus Septentrionalis & Transalbinæ esse primariam. In arce præfectus a Carolo constitutus est Vtho. Veneti vicini hostes Christiani nominis surgentem vrbem ferro & igni deleuerunt, sed reparata est iactura, magno animo Caroli, & Ludouici Pij, & Ansigarij Episcopi, qui postea Bremensem Ecclesiam suæ iunxit, & vtramque Colonienſis Episcopi iurisdictione exemit. Postea eam vastarunt Veneti & Dani. Bezelinus Episcopus sub annum Christi MXLVI muro eam sepsit, firmauitq; XII turribus. Templum e saxo exstruxit Bauariæ Comes Albertus, Episcopus XIII. Bernhardus vero Comes arcem condidit ad Elystrum. Diu fuit sub potestate Bilingiorum: diu sub Comitum Schauwenburgicorum: quorum permulti in templo cathedrali siti sunt: spectantur enim illic monumenta Ioannis, qui obijt, an. 1266. Gerardi, qui 1281. VValdemari, qui 1306. Gebhardi, qui 1312. Ioannis II qui 1359. Adolphi, qui 1380. Sed ex quo Slesuicensis Dux VVoldemarus fratris Regis Daniæ ope adiutus Hamburgum in suam potestatem redegit, pulso Adolpho, cœpere Hamburgenses de libertate sua cogitare. Centum ergo & L marcis argentis numeratis Orlamundensi Comiti, gradum sibi ad eam fecerunt. Postea Adolphus IV libertatem illam & alia priuilegia confirmauit. Creuit autem præcipue circa annum Christi MDX, quo tempore Lubecenses cum Danis bellum gessere, tunc enim ad eam imprimis confluxere exteri mercatores. Sub Ottone Imperatore ductus est Hamburgū ex Italia Benedictus Papa, cuius defuncti talis legitur inscriptio, BENEDICTVS PAPA, QVI DE SEDE APOSTOLICA PER VIOLENTIAM REMOTVS, POSTEA CVM REVOCARETVR OBIIT HAMBVRGI V NON. IVLII, SEPVLTVS HIC EST. Vixit in ea vrbe Albertus Krantzius, cuius ego monumentum quum illic ageré descripsi: ANNO DOMINI MDXVII IN VIGILIA conceptionis matris virginis, celebris & reuerendus vir Albert. Cranſius S. Theol. & Decret. Doctor, Eccles. Hamburgensis Canonicus facundissimus, & olim Decanus, religiosæ pietatis, morum & virtutis exemplar viuum, patriæque ob prudentem pro Rep. in consilijs dexteritatem decus illustre, in Domino moritur, cœlestibus destinatus gaudijs. Cui a posteritate quod Vandaliæ, Norwegiæ, Sueciæ origines & res gestas antiquitatum tenebris omnino obrutas, vna cum Metropoli Ecclesiastica luci & posteris restituit, merito nominis immortalitas debetur. Præsens itaque monumentum officij ergo prædecessori clarissimo Decani F. F. Anno Domini MDLXIX. Adiuncta erat effigies viri, dignitatis plena.


HEYDELBERG
Der H Geist
Necar flu

Longit. XXVIII. *o. Latitud.* XLIX. *35.*

EXHIBEMVS hic tibi Lector HEIDELBERGAM Illustrissimorum Principum Palatinorum sedem ad Nicrum amnem, qua se montes in planitiem pandunt. Tabula ad eam expressa est, quam ad se olim ab Ottone Henrico Comite Palatino trãsmissam Sebastianus Munsterus operi suo inseruit. Vrbs autem aliquando sub Episcopo VVormaciensi fuit: sed ex quo eã Palatinus in feudum accepit, sedes Principis facta est, qui acquisitis longe lateq; vicinis ditionibus eam metropolim omnium illarũ esse voluit. Sunt qui eam Ptolemęi Budorim esse existiment, quam ipse locat gradu longit. 28. o. latitud. 51. o. qui tamen positus magis conuenit Manhemio, oppido ad Nicri & Rheni confluenteis sito, in quo Ioannes Papa tempore Concilij Constantiensis colonus carceris fuit. Nomen ipsi vel a Paganis & Gentilibus, qui *Heyden* Germanis dicuntur, vt sit quasi Paganorum mons, *Heydenberg*: vel a nobilitate, quasi *Edel-berg*, vel a vaccinijs, quasi *Heidel-beer*. Paulus Melissus Francus, amicus noster dũ vixit, a myrtis eam dictam existimauit, quasi myrtorum vrbem, itaq; illam idcirco solitus fui vocare Myrtilletum, & in Xenijs sic eam loquentem fingit,

Heidelberga vocor, myrtilli vescula dona
Monte sub arboso mi tribuere notam.

Ciuitas magnifica est, potens, elegans. Ager vicinus omnium rerum ad vitam necessariarum est ferax: Montes quippe vineis & castanetis, ager segetibus, siluæ feris, amnes piscibus, valles fontibus abundãt. Commendat ipsam imprimis arx monti imposita, Principum domicilio, structuræ splendore, situs amœnitate, firmitate operis nobilis. Ex ea in vrbem subiectam vicinamque omnem regionem patet prospectus. Fuit quondam & alia arx in vicino montis iugo cuius adhuc ostentantur parietinæ, sed ea fulmine tacta subito dissilijt: quum puluis bombardicus qui in ea adseruebatur accensus, tecta, muros, trabes disiecit ingenti cum fragore, nec paruo arcis infra positæ vrbisque incommodo. Pons ligneus flumini impositus haud exiguũ adfert vrbi ornamentum, est enim tam adfabre exstructus, vt peritissimorum etiam Architectorum curiositatẽ exerceat. Armamentarium instructissimum tormenta bellica & omnis generis instrumenta Martia in se habet. Templa quoque sunt illustria. In foro præcipuum sacrum est Spiritui sacto: habetque tum Principum aliquot sepulturas, tum Bibliothecam omni genere librorum instruam. cui post Melissum præfectus nunc est IANVS GRVTERVS v. cl. nobisque coniunctissimus. Vidi in ea Homeri volumina perantiqua, & in charta bombacina Nouum testamentum, quum eam ducente Marquardo Frehero lustrarem anno MDXCII, vna cum Friderico Sylpurgo, & Hieronymo Comelino. Magna ad eam accessio optimorum voluminum facta est per Fuggeros. Alterum B. Petri templum in suburbio minus quidem est, sed perquam elegãs. Anno MCCCXLVI condidit Heidelbergæ Rupertus Comes Palatinus Academiam ad exemplum scholæ Parisiensis: de qua vide quæ diximus capite secundo. In sacello Franciscanorum situs est Rudolphus Agricola, cuius monumento Viglius Zwichemus Frisius versus insculpi curauit factos ab Hermolao Barbaro

Inuida clauserunt hoc marmore fata Rudolphum
Agricolam, Phrisij spemque decusque soli.
Scilicet hoc viuo meruit Germania laudis
Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet.


WURTZBURCH

Longit. Grad. XXX. *10. Latitud.* XLIX.

HERBIPOLIS præclara Ostrofranciæ ciuitas ad Mœnum amnem sita, Germanicè *Würtzburg* ab herba dicitur, quod etiam notauit Ligurinus libro V quum ait,

---- vrbemq; petunt, cui nomen ab herbis
Esse putant linguæ vulgaris origine tractum.

vt omninò canoras nugas crepent qui putant dictam quasi Erebipolin. Sita autem est agro plano, collibus vndique leniter adsurgentibus, qui vini, & quidem suauis feraces sunt. Ad occasum est pons, firmi operis, quo itur in arcem monti impositam, in qua Gosbertus Francorum Dux nomine Theoderici regis vixit, circa annum Christi DC. LXXX, quo tempore illuc venere Cilianus, Colonatus & Theudomānus Scoti, & Gosbertum ad religionem fidemque Christi pertraxere, sed Gailana Ducis coniunx, eos cū marito Gosberto interfici iussit. Heramus filius, qui in religione patris pietatem sectabatur, exstruxit in arce templū B. Virgini sacrum. Nec multo post instituit illic Episcopatum Bonifacius Archiepiscopus Moguntiacensis, ope Pipini & Caroli Magni: qui Ecclesiæ iunxerunt Ducatum Franciæ. Eo fit, vt vtrumq; sit Præsul Herbipolensis, Episcopus inquam, & Dux ciuilis. Itaq; & in sigillo suo habet, HERBIPOLENSIS STOLA ENSE IVDICAT SOLA, & quotiescunq; Præsul infulatus sacra facit, strictum ensem ad aram prope se collocatum habet, quo significatur ius vitæ & necis. Xenodochium alendis pauperibus tam amplum in hac vrbe est tamq; splendidum, vt opida quædā æquare credatur. Vrbs ipsa amœna est, populosa, pluribus templis ac monasteriis ornata, Academiæ quoque nomine celebris. Anno M CLVII conuentus Imperii hic celebratus est, quo Fridericus I Imperator Fridericum Sueuum Conradi Cæsaris filium inspectantibus legatis Græcis in equitum auratorum numerum cooptauit: ipseque Beatricem vxorem duxit. Anno M CCIX Otto IV Comitiis in hac vrbe celebratis vxorem duxit. Rursum anno MCCXXI Fridericus Imperator II conuentum hic egit Principum Imperii, in quo questus est de Pontificum Romanorum iniuriis, ius eligendi Imperatorē sibi adscribentium. Anno CIↃ CCCLXXXIX defecerunt ciues ab Episcopo ad Imperatorem VVenceslaum, sed post acceptam cladē redierunt in gratiam cum Episcopo. Biennio post ciues ob varias extorsiones exactionesq; quibus grauabantur tumultuantes, Episcopum vrbe eiecerunt: qui se suosq; vindicaturus, muros diruit, turres disjecit, & ciuium ingentē numerum supplicio vltimo affecit. Anno M DLXIII Guiliel. Grunbachius nobilis Francus Alberti Marchionis Brandeburgici castra secutus multa damna intulit ditioni Herbipolēsi, eaq; de caussa ab Episcopo feudis suis exutus est. Quæ ille per vim recuperaturus parum abfuit quin totam Germaniam armis miscuerit. Collecto equitatu celeritate incredibili vrbem matutino tempore inuadit, & Canonicorum domos spoliat. Ipsum quoq; Episcopum per sicarium interficit. Proscriptus, Ioannem Georgium Saxonem aduersus Imperium concitat. Sed tandem iustas pœnas dedit, prout in Gothæ descriptione narratum est.

SEQVITVR CATALOGVS EPISCOPORVM HERBIPOLENSIVM.

1 Burcardus, natione Britānus a Bonifacio populari suo Episcopo Moguntino constituitur Episcopus: Præfuit Ecclesiæ ann. 40. Hic Cilianum cum sociis suis martyres inter sanctos retulit, templumq; iis exstruxit, quod nouum monasterium siue nouam Basilicam hodieq; vocant ipso eo loco quo interfecti sunt. In eius templi crypta posuit ipse hos versus,

Hi sunt Herbipolis qui te docuere magistri
Qua verum coleres relligione Deum,

Impia quos tandem iussit Gailana necari
Cælauitque sub hunc corpora cæsa locum.
Ne turpi sine laude situ defossa iacerent
Corpora, Burcardus sub monumenta locat.

Huic Episcopo dedit CarolusMagnus docédos duodecim obsides a deuictis Saxonibus missos. Obijt an. 791.

2 Maingudus Comes Rotenburgicus ad Tubarum monachus ordinis S. Benedicti in cœnobio Fridislarienſi Hassiæ, electus anno 791, præfuit an. 3. resignauit Episcatum.

3 Bernwolphus, electus an. 794, præfuit an. 6. obijt anno 800.

4 Ludericus, præfuit an. 3. ob. a. 804, sub CaroloMagno.

5 Aigelwardus, præfuit an. 3, extinctus an. 810.

6 VVolfgerus, electus an. 810, rexit an. 21. Hic interfuit Synodo Aquisgranensi, celebratæ sub Ludouico Pio: obijt an. 831.

7 Hunibertus, electus an. 832, obijt an. 841.

8 Godeboldus, electus an. 841, præest an. 11. Sub hoc deflagrauit templum Cathedrale.

9 Arno, præfuit anno 36, sub Carolo Caluo, Carolo Crasso, & Arnulpho, interfectus an. 891 a Normannis.

10 Radhulpus Thuringiæ Lantgrauius constitutus ab Arnulpho an. 892. Homo stolidus, obijt an. 908.

11 Dietho, electus an. 908, præfuit an. 24.

12 Burcardus ex Abbate Hirtsfeldensi factus Episcopus ab Henrico Aucupe, præfuit an. 9, extinctus an. 941.

13 Poppo I Burg-grauij Herbipolensis filius Ottonis Magni cognatus, præfuit anno 19, decessit anno 961 Ratisponæ.

14 Poppo II patruus Popponis I electus an. 961, sedit an. 23, interfuit Synodo Romæ coactæ ab Ottone Imp.

15 Hugo Ottonis II Imperatoris Cancellarius, electus an. 984, præfuit an. 5, obijt an. 989.

16 Bernwardus Comes a Rotenburg ad Tubarum, defunctus an. 995.

17 Henricus Comes a Rotenburg a breui corpore dictus Hetzelinus cognato suffectus est: fuit frater Heriberti Archiepiscopi Colonienſis. Instituit Episcopatum Bambergenſem, obijt an. 1018.

18 Meginardus, præfuit an. 15, sub Henrico II, a quo ius impetrauit cudendæ monetæ: extinctus est an. 1033.

19 Bruno Conradi II Imp. patruelis, filius Conradi du-Carinthiæ, præfuit an. 11, obijt in Pannonia, an. 145, ex lapsu cœnaculi, sepultus Herbipoli.

20 Adelbero, electus anno 1045, eiectus ab Henrico IV Imperatore, postea restitutus, iterum eijcitur.

21 Meginardus II constitutus Episc. ab Henrico IV an. 1084, eiectus, restituitur: obijt an. 1088.

22 Ainhardus ab Henrico V Imp. factus Episc. præfuit an. 15, sub hoc instituta est expeditio in Palæstinam a Godofredo Bullioneo, captaque Ierosolyma.

23 Rupertus, obijt an. 1106.

24 Ehrlongus sub Henrico IV&V Imperatoribus variam sortem expertus est, bis a patre eiectus, bis restitutus a filio, sedit an. 16: excommunicatus a Pontifice, ob. an. 1122. Hic primus ensem sibi præferri iussit.

25 Rugkerus: obijt an. 1130, contra quem datus est ab Henrico V Imperatore Gebhardus.

26 Hetzelinus, defunctus anno 1131.

27 Embricho, electus anno 1131, fuit apud Imperatores Lotharium Saxorem & Conradum Sueuum in flagranti gratia: ab hoc etiam missus Constantinopolim. Otto Frinsingensis autor est, Conradum in litteris ad Emanuelem datis vocauisse ipsum cor suum & animam suam. Obijt an. 1147.

28 Sigefridus, obijt an. 1153.

29 Gebhardus Comes ab Hennenberg, ob. an. 1161.

30 Henri-

30 Henricus II defunctus anno 1165, quum Fridericus Barbaroſſa Comitia agitaret Herbipoli.
31 Heroldus, præfuit an. 8, defunctus eſt an. 1171.
32 Reinhardus, defunctus an. 1182.
33 Godefridus Friderici Barbaroſſæ Cancellarius, electus anno 1182, ſuſcepta in Aſiam expeditione, obijt Antiochiæ an. 1186.
34 Henricus III profectus cum Friderico I in Aſiam, ſtatim a reditu extinctus eſt Herbipoli anno 1193.
35 Godefridus II Comes ab Hohenlohe, præfuit an. 5.
36 Conradns ex Epiſcopo Hildeshemenſi factus Epiſcopus Herbipolenſis anno 1198, cum Henrico VI Imperatore profectus eſt in Aſiam: poſtea reuerſus a duobus nobilibus nefariè occiſus eſt anno 1203. Situs eſt Herbipoli in ſumma Baſilica.
37 Henricus IV commendatus a rege Philippo eligitur anno 1203, obijt an. 1206.
38 Otto, præfuit an. 16, obijt an. 1223.
39 Theodoricus, præfuit an. 15, defunctus an. 1224.
40 Hermannus Baro a Lodenburg, obijt an. 1250.
41 Hiringus ſub Rudolpho Habſpurgio, ſedit an. 16. Vir immaniter crudelis.
42 Conradus Comes a Trymberg, electus an. 1267.
43 Bertoldus Dominus in Sternberg, electus an. 1268, defunctus an. 1287. Hic ciues Herbipolenſes factioſos prælio vicit.
44 Mangoldus, obijt an. 1302. Huic cum Herbipolenſibus perpetua fuit contentio, quæ ægre ſopita eſt a Rudolpho Habſpurgenſi.
45 Andreas Baro a Gundelſingen defunctus an. 1315. Herbipolenſes domuit, abrogatis ipſorum tribubus & ſodalitatibus.
46 Godefridus III, præfuit an. 7, obijt an. 1322.
47 VVolframus nobilis a Grunbach, obijt an. 1333.
48 Hermannus Baro a Liechtenberg ſub Ludouico Bauaro a Canonicis Cæſareis lectus contra Ottonem VVolffskelium Pontificium, ſedit an. 2, & reſignauit.
49 Otto VVolffskelius electus in ſchiſmate confirmatur a Ioanne XXII Papa & Benedicto XI, ſedit an. 10, defunctus eſt an. 1345.
50 Albertus Comes ab Hohenberg a Clemente VI deſignatus, renunciauit.
51 Albertus Comes ab Hohenlohe, electus a capitulo an. 1345, defunctus anno 1372.
52 Gerhardus Comes a Schwartzenburg, præfuit an. 28, Herbipolenſes rebelles domuit: obijt an. 1403.
53 Ioannes ab Egleffiteyn ex coadiutore Epiſcopus, ſedit an. 9, extinctus an. 1412.
54 Ioannes a Brun, præfuit an. 29, Herbipolenſes tumultuantes fregit: interfuit Concilio Baſileenſi: reſignauit Epiſcopatum an. 1435.
55 Sigiſmundus Saxoniæ Dux, præfuit an. 3.
56 Godefridus Baro a Lymburg, ſedit an. 12. Hic primus ſe Franconiæ Ducem ſcripſit, eo quod Albertus Brandeburgicus hunc titulum vſurpaſſet: defunctus eſt anno 1455.
57 Ioannes a Grumbach, præfuit an. 11, obijt an. 1466.
58 Rudolphus a Scherenberg, ſedit an. 29. Huius magnæ virtutes prædicantur.
59 Laurentius a Bibra, ſedit an. 24, obijt an. 1519.
60 Conradus a Thungen Oſtrofrancus, rexit anno 21, obijt an. Chriſti 1540.
61 Conradus a Bibra, defunctus an. 1544.
62 Melchior Zobelius Oſtrofrancus vir grauis & prudens nefarie interfectus iuſſu Grunbachij a Zobicio ſicario.


HILDESHEIM
S. Mich. Closter
S. And. Farkirch

Longit. Grad. XXXI. *50.* *Latitud.* LII. *28.*

CAROLVS Magnus, qui imperium in Germaniam, & cum imperio religionem Christianam intulit, diuersis locis fundauit Ecclesias & Episcopatus, vt ex ijs coloniæ postea alio pietatis ducerentur. Fecit id quoque ad conuertendos Saxones inferiores *Elzij* pago amœnissimo, ad confluenteis Sabæ & Lynij piſculentorũ amnium: qui locus a mansione Caroli Aula regia dictus est, vbi etiam Ecclesiam B. Petro consecrauit. Translatus est autem ab Imperatore Ludouico Pio Caroli Magni filio Aulicensis Episcopatus trans flumen Lynium in locum qui a cælitus demissa niue *Hilgenschne* vel *Hildeschne* olim vocatus fuit, nunc vero mutata paullum terminatione *Hildelsheym* appellatur. Hic conditum est ab Imperatore templum B. Virgini sacrum. Ciuitas initio duplex fuit, postea iunctis partibus facta est vna.

SERIES EPISCOPORVM HILDESHEMENSIVM.

1 Guntharus primus Episcopus a Ludouico Pio constitutus est, anno Domini DCCC XIV, quo obijt Carolus Magnus. Præfuit autem Ecclesiæ annos 21 Huius opus est templum illud Ceciliæ duabus turribus conspicuum proximum templo Cathedrali. Obijt Guntharus anno Domini 835, situs est in sacello arcis a se constructæ.

2 Remibertus paucis mensibus præfuit.

3 Ebo Gallus, deiectus Archiepiscopatu Rhemensi quum confugisset ad Ansgarium Archiepiscopum Hamburgensem, ab eo promotus est ad Episcopatum Hildesianum anno 835, præfuit an. 12.

4 Adelfridus monachus Corbeiensis, sedit an. 18.

5 Marquardus, præfuit an. 3, trucidatus a Normannis, qui Saxoniam, VVestphaliam, Belgicam vexarunt.

6 VVigebertus, electus an. 880, obijt an. 884.

7 VValdobertus, obijt an. 903.

8 Gebehardus, electus an. 903, præfuit a. 25, ob. a. 928.

9 Diedhardus, electus an. 928, obijt an. 936.

10 Ochwinus Abbas Pergensis, sedit an. 28.

11 Osdachus diuitis Augiæ Monach. sedit an. 40.

12 Gerardus, sedit an. 3, obijt an. 993.

13 Bernardus Comes de Sommerburch, sedit an. 31.

14 Dithmarus Conradi Salici Sacellanus.

15 Anselmus sub Henrico III Imp. obijt an. 1054.

16 Echilo Præpositus Goslarensis, obijt an. 1079.

17 Vdo, sedit an. 35.

18 Bertholdus, sedit an. 25, ob. an. 1174.

19 Bernardns Comes Rottenburgius, sedit an. 23.

20 Bruno, sedit an. 7.

21 Hermannus, sedit an. 16, ob. an. 1174.

22 Adelgadus Goslariensis, sedit an. 15.

23 Berno, an. 8, defunctus an. 1198.

24 Conradus, an. 1, resignauit.

25 Habordus, an. 9, obijt an. 1208.

26 Sifridus ex monacho Fuldensi, sedit an. 11.

27 Conradus II, sedit an. 24, obijt an. 1257.

28 Henricus, sedit an. 20, defunctus an. 1257.

29 Ioannes, an. 4.

30 Otto Dux Brunsuicensis, sedit an. 19, ob. an. 1279.

31 Sifridus, sedit an. 30.

32 Henricus, præfuit an. 8, obijt an. 1310.

33 Otto Comes de VVoldenberge, defunctus an. 1334.

34 Ericus Schouwenb. & Henricus Brunsw. inschismate.

35 Ioannes, sedit an. 2, & resig. an. 1363.

36 Gerardus de monte, sedit an. 33.

37 Ioannes Comes de Hoya, sedit an. 26, ob. an. 1424.

38 Magnus Dux Sax. infer. an. 28.

39 Bernardus Dux Brunſuic. ſedit an. 7. ob. 1459.
40 Erneſtus Schowenb. ſedit an. 11, ob. an. 1470.
41 Hermannus & Heuningus in ſchiſmate.
42 Bertholdus, ſedit an. 12, obijt an. 1503.
43 Ericus Dux inf. Sax. ſedit an. 1, & reſignauit.
44 Ioannes Erici Frater.
45 Valentinus a Totleben.
46 Balthaſar Merkel orator Caroli V Cæſaris.
47 Otto.
48 Valentinus a Totleben.
49 N. ab Obergen.
50 Erneſtus Dux Bauariæ Archiepiſc. Colonienſis.

VDO Epiſcopus XVII Comes fuit Aluenſlebius, eſtque conſtitutus ab Henrico IV Imperatore. Eius magna fertur in Cæſarem fides. Nam quum Cæſarem oppugnaret Ecbertus Marchio Miſniæ, intulit quoque Vdoni bellum, captumque per tormenta eo adegit, vt traditurum ſe Hildeshemium per tormenta promitteret. Quum vero id poſtea præſtare Epiſcopus neque poſſet, neque vellet, cingit Marchio vrbem obſidione, &, vt ad deditionem ciues adigat, obſidem vnũ palam obtruncat. Vbi nec hoc modo potiri vrbe poteſt, maiores copias comparat, certus extrema quæq; tentare. Forte dum rerum ita ſatagit, defeſſus ad molam ſuã Iſenbutelum non procul Brunſuiga cum paucis diuertit, & molitorem ad petendum ex vicino oppido potum emittit. Sed molitori in via occurrunt equites Cæſariani, qui re cognita protinus ſe ad pugnam accingunt. Concurritur. Finis certaminis is fuit, vt confoderetur a Cæſariatis Ecbertus. Ita Hildeshemium obſidione, Epiſcopus e carcere liberatus eſt.

Anno M CCC LXIV Epiſcopus fuit Gerardus Baro a Berg, qui cum Magno Brunſuicenſium Duce graues inimicitias geſſit. Ac iuuabant quidem Magnum ſocij potentes, Dietricus Archiepiſcopus Magdeburgenſis, Albertus Halberſtadienſis, tum Principes Anhaltini, Gebhardus Comes Mansfeldicus, Volradus Quernfurdiæ dynaſta, & Guntherus Comes Barbienſis. Hi pro ſe quiſque inuadunt Diœceſin, diripiunt omnia longe lateque, incendunt, vaſtant. Gerardus vero Epiſcopus magno animo ſuos in aciem producit; erat enim rei militaris gnarus. Pugnatum eſt acerrime. Gerhardus non ſolum Brunſuicenſem Ducem, ſed etiam Epiſcopum Halberſtadienſem alioſque ſupra centum viros primarios cepit, M D cecidit, reliquos in fugam coniecit. Vnus Diethricus Magdeburgicus ſexies mille marcis captiuos ſuos redimere coactus eſt. Hoc illud eſt prælium, ex quo natum fuit prouerbiũ, *Logica victa eſt a Rhetorica*: quo ſignificabatur, Albertum Halberſtadienſem Epiſcopum a Gerardo Hildeshemio ſuperatum eſſe. Erat enim ille diſputator ſubtilis, iſte Orator vehemens.

Anno M D XIX Ioan. Saxoniæ Dux ex familia Lauenpurgenſi XLIV Epiſcopus Hildeshemius bellum intulit Henrico Duci Brunſuici. Stetere ab Epiſcopo contra Brunſuicenſem Henricus Dux Luneburgẽſis, Comes Schonburgenſis, & alij. Ab Henrico Brunſuicenſi Franciſcus Epiſcopus Mindenſis. Erat autem tunc multo quam nunc eſt potentior Hildeshemius, vt qui ſeptẽ Comitatus ſub ſe haberet, VViezenbergam, Sladem, Poppenburgum, Peynam, Oldenburgum, Lewenſteinum, & Hunſruccum, tantumque valeret, vt ſpatio vnius diei quingentos equites armatos potuerit ex ſua ditione conſcribere. Epiſcopus collectis copijs ſuis inuadit Diœceſin Mindenſem, eamque incendijs & rapinis vaſtat. Tum opinione citius etiam in Erici prouinciam impreſſionem facit, obuia cuncta proſternens ac diruens. Obierat autem tunc Cæſar Maximilianus; etſi vero vicarius Imperij Fridericus Saxoniæ

Saxoniæ Dux atque Elector vtrique parti mandaret, vt positis armis a vi desisterent, tamen nihil profecit, Episcopo quod orsus fuerat bellum ad finem perducere cupiente. Ericus quum videret se Episcopi impetum solum sustinere non posse, auxilia a vicinis Principibus, Georgio Duce Saxoniæ, & Guilielmo Lantgrauio Hassiæ petijt & accepit. Cum his oppidum Dassel capit, & Episcopum Ioannem ab obsidione Calenburgi depellit. Sed orta inter Saxones & Hessos dissensio res ipsius conturbauit. Saxones enim Leonem quem in signis & scutis militaribus gestabant Hessi, per conuitium dicebant esse canem. Nec tulit conuitium animosa gens; quumque videret, fieri minimo negotio posse vt ipsi etiam in castris committerentur inter se, maluit redire domum, quam sociorum sanguine fœdare militares manus. Interea Brunsuicensis Peynam vrbem expugnat, arcemque, quod ea pertinacius resisteret, obsidet. Hildeshemius periculum veritus, mittit ad Brunsuicensem, petitque inducias, donec nouus Imperator creetur, qui sua autoritate res inter ipsos componat. Pactis inducijs Peynæ obsidionem soluunt Brunsuicenses, & in Ducatum Luneburgensem sese conferunt. Episcopus vafer, vbi eos securos videt, irruit cum ingentibus copijs, & aduersarium cum copijs auxiliaribus Saxonum, Thuringorum, Misnensium fundit. Capti sunt eo prœlio duo Duces Brunsuicenses, Ericus, qui Cellam asportatus est, & Guilielmus Erici frater, quem Episcopus secum Hildeshemium abduxit. Ac Ericus quidem numeratis ter mille aureis, & datis tribus arcibus liberatus est: Guilielmus vero vsque ad exitum belli detentus in custodia. Ceciderunt eo prœlio ter mille trecenti & triginta ex parte Brunsuicensium. Postquam vero ad fastigium supremi in Germania honoris peruenit Carolus V, protinus imperiali edicto mandatum est vtrisque, vt positis armis iure agerent, & controuersiam suam Cæsari dirimendam traderent. Et quia constabat Episcopum Hildeshemium violasse publicam pacem, proscriptus est cum omnibus sibi subditis: estque ea proscriptio paullo post iterata. Hildeshemenses proscriptionem illam eludebant, sarcasmis, & parum liberalibus conuitijs ipsum quoque Imperatorem petentes: Vnum fuit venustius; ortum ex hononymæ vocis ambiguitate: nam quum proscriptionē Germani vocent, *acht*, iteratam vero *ober acht*, quæ voces etiam significant octo, dicebāt vulgo, *Aeht vnd oberacht seind sechzehen.* Bis octona sunt sedecim. Sed male cessit ipsis hic nasus. Brunsuicensis quippe auctoritate fretus Cęsarea, pedestribus & equestribus copijs Diœcesin Episcopi inuasit, arcesque sex protinus expugnauit. Nobiles vero qui in alijs arcibus erant, territi seueritate Ducis, opem consiliumque ab Episcopo petunt. At is rebus suis desperans quum videret infensum sibi Cæsarem, audiretque Romam captam, nec præsidium sibi vllum esse a Pontifice, iam deserta diœcesi sua profugerat ad Luneburgicum. Quocirca nobiles cum Principibus transigunt, & tredecim arces sibi oppignoratas, principibus tradunt, ea lege, vt ipsi quidem in arcibus maneant, sed vt sese in fidem & clientelam dent Brunsuicensium, & præterea, appendant XXVIII millia florenorum. Postea electus est in Episcopū a Canonicis Balthasar Merckelius Caroli V orator, qui tamen vix semel propter molem aulicarum occupationum in Diœcesin Hildeshemensem venit.

Anno MDXLII Senatus ab Episcopo & Canonicis dissidens religionis reformationem instituit ad formulam Augustanam, accersitis Ioanne Bugenhagio Pomerano, Antonio Coruino, & Henrico VVinkelio.


IENA

Longit. Grad. XXXII. *43. Latit.* LI. *0.*

IENA ad Salam fluuium in Thuringia oppidum non admodum celebre fuit, priusquam a Ioanne Friderico, constituta illic bonarum artium & Sapientiæ Schola, euocatisque viris eruditis, nobilitari cœpit. Nomen vnde habeat, ignoratur. Sunt qui ex Hebræa voce IAIN, quæ vinum sonat, eius originem petant: Est enim ad illam ingens vini prouentus: cuius copiam aiunt VVimariam singulis septimanis euehi solitam, medio inter Erfurdiam & Ienam spatio, nomen quoque oppido illi ex mercatu vini dedisse. Quod si ita est, necesse est Iudæos sedem fortunarum suarum hisce locis ad Salam quondam fixisse, Synagogas habuisse, & vini vsum cultumque importasse. Eam sententiam Stigelius versibus istis expressit,

Hinc placet Hebræo nobis hanc nomine dici,
Vt vetus a Iain nomen Iena tenet.
Cur ita crediderim, nisi mentem vocula fallit,
Certa huius ratio nominis esse potest.
Quippe vocat Iain Solymæ pius incola terræ
Hoc quod nos Latio dicimus ore merum.
Quæ caput in medijs vrbs fertilis erigit vuis,
Hanc quisquam a vino nomen habere neget?

Sed Iudæorum mansionis nulla ibi exstant vestigia: quum alibi manifesta & duratura reliquerint monumenta suæ vbicumque vixerunt habitationis. Alij a Iano Ienam dici maluerunt. Sed hæc incerta, imo, si quid iudicare queo, vana. Præstat omnino ignorantiam fateri ingenuè, quam ita diuinando impudentiam prodere. Vrbs in valle sita est, muris & turribus munita: Pons lapideus fluminis ripas iungit. Creuisse vrbem per incrementa apparet ex murorum antiquorum ambitu. Monasterium prædicatorij ordinis a Dominis de Leuchtenburch fundatum est anno MCCLXXXVI, auctum vero & locupletatum liberali donatione potentiorum. Contulit quoque bonam partem Albertus Thuringiæ Lantgrauius, & Saxoniæ Palatinus. Confirmauit tandem Fridericus Lantgrauius Thuringiæ & Marchio Misniæ atque Ostlandiæ. Academia Ienensis solemniter introducta est anno MDLV, die 25 Ianuarij insigni munificentia Ducum Saxoniæ Ioannis Friderici & Ioannis Guilielmi, priusquam factione Grunbachica dissiderent inter se. Et creuit protinus mirifice, confluente eo ex omnibus Germaniæ partibus iuuentute discendi auida, ob egregiam virorum doctorum famam, & victus parabilem rationem. Ipsum quoque constat Iustum Lipsium in illa Academia aliquando docuisse, & funebri oratione Duci Saxoniæ parentasse. Non est quidem nunc eadem eius Scholæ quæ olim fuit celebritas, habet tamen & viros eruditos & copiam studiosorum satis frequentem.


RAAB

Longit. Grad. XL. *35.* *Latitud.* XLIVII. *50.*

IAVRINVM ad Arrabonis & Danubii confluenteis ſitum eſt, vetus Hunnorum aduerſus Francos propugnaculũ: Situm eius ſic deſcribit in Hercule Prodicio Steph. Pighius, qui vrbẽ luſtrauit quum Principẽ Carolũ Cliuorum Ducem in Italiam duceret. Iaueram verſus, inquit, ex Comario oppido proficiſcimur, Danubio ad ſiniſtram relicto. Nihil occurrit in eo itinere niſi viſu triſte atq; dolendũ homini Chriſtiano. Totus enim ille Pannonici limitis tractus Turcica rabie deuaſtatus eſt. Agri vbiq; cernuntur inculti, monaſteriorũ & ædium ſacrarum ruinæ frequentes. Iaueram appulit hora poſt meridiẽ tertia Princeps Carolus. Gratum eius aduentum teſtatur ea ciuitas e propugnaculis, ingenti æneorum tormentorum applauſu. Iacet in Barbarico, ad defluẽtis Danubij ripam, extenſa ad dexterum latus amnis ibi Danubium influentis, cui nomẽ a nigredine Coruus eſt, a quo etiam nunc vulgo idomate Germanico vrbẽ ipſam *Raab* vel *Raaff* nuncupant. Epiſcopatu eſt inſignis & mercatura, negotiationibuſq; pro temporum ſtatu non infrequens, ob ſitus opportunitatẽ. Natura enim loci vrbs valde firma eſt, paludibus Corua ac Danubio magna ex parte cincta. Caſtri reliquię antiquę & cippi ſepulchrales cum ſculpturis & imaginibus togatis, templi parietibus inſerti, demonſtrant vrbis vetuſtatem, & Romanorũ olim eo loci fuiſſe hiberna. Noſtro ſeculo tandem Diui Cæſares Auguſti, Ferdinandus & Maximilianus Imperatores, muris ingẽtibus, foſſis, ac propugnaculis ampliſſimis adeo muniuerunt, vt nunc videatur inexpugnabilis. Quapropter duo valida ſemper illã obtinent præſidia, Hungarorum videlicet equitũ, & Germanorum peditum, quę perpetuis eam excubijs ac ſtationibus aduerſus Turcarum inſultus inſidiaſq; tutantur. Stabant in ripa parati põtones, quibus Danubium Carolus Princeps cum ſuo comitatu atq; impedimentis traijceret, appellentiq; in ripã aduerſam, tormẽtorum æneorum cum magno tonitru more bellico fit applauſus. Erãt in armis ante portas præſidiarij milites, pręfecti vrbis atq; præſidij, nec non magiſtratus cũ præcipua nobilitate, qui obuiã venientes aduentum gratulãtur. Ipſe autẽ ne reliquum diei perderet, petijt vt mox ad opera viſenda circũduceretur. Prompte ſatisfactũ eius deſiderio, & cõfeſtim accitis equis, quibus vehi ipſe familiareſq; ſi videretur, poſſent, circumire cœpit muros & aggeres, perluſtrare foſſas, ac propugnacula ampliſſima ab architectis peritiſſimis elaborata: recognouit tormenta machinaſq; bellicas depulſorias, & per meatus concameratos ſub aggeribus, e quibus foſſæ defendi & propugnaculis laborantibus dari auxilia poſſent. Egreſſus deinde portas, cõſiderauit propugnaculorum atq; mœniorum ſtructuram, foſſarum latitudinem atq; profunditatẽ, cunctarum rerum cauſſas & rationes diligenter indagauit. Poſt occaſum itaq; Solis nocte iam ſubobſcura in Prætorium deductus eſt ad præparatum hoſpitium. Poſtridie mane vidit armamentarium & granaria: in turrim altam adſcendit, ex qua ſitum vrbis, Danubij curſum, circumiectæq; regionis tractum ac opida contemplaretur. Atque hæc quidem tunc Princeps Carolus narrãte Pighio: Ex eo capta eſt vrbs a Sinan Baſſa an. MDXCIV meſe 13 die Sept. dedente Comite de Hardeck, An. autẽ MDXCVII recupurata a Barone Schuartzẽburgico, qui propterea Comitis titulum ab Imperatore obtinuit. Defendebant vrbẽ MDC Turcæ, Ex his MCCC fortiter occubuerunt. Capti ſunt equi DCC: Commeatus ingens. Repererunt ſeptem cryptas plenas farinã. Auri ſignati magnam vim, quæ etiã ſummam exceſſit CCC mill. ducatorũ. Tormenta bellica ahenea maiora cẽtum, maxima XXIV. Pulueris nitrati, armorum, commeatus copiam ingentem. Nunc ergo ſummo ſtudio cuſtoditur, certum Hungariæ, Auſtriæ, Germaniæ, imo totius Chriſtiani imperij propugnaculum.

LANDSHV-


LANDTSHUT

Longit. XXXVI. *30. Latitud.* XLVIII. *22.*

FRANCISCVS Irenicus existimauit Ptolemæi Inutrium, ἰνύτριον, esse nostrum istud Landshutum, quum tamen positio longe diuersa sit: Inutrium enim locat Ptolemæus gradu longit. XXXII. 50. latitud. XLV. 30, quo loco Auentinus statuit *Mittenwaldt*. Est autem LANDSHVTVM in Bauaria inferiore ad fluuium rapidissimum Isaram, qui longe lapsus postquam Landauiam, Sindelfingium, Monacum, Frisingam, Mosburgum,& Mittenwaldium, vrbes satis celebres attigit, in Danubium tandem sese effundit. Conditum est anno salutis partæ M CC VIII a Ludouico Bauariæ Duce, quum antea arcis iacta fuissent fundamenta a Ludouico Ottonis filio, sub annum M C L XXVIII. Sedes est Principalis. Ager omnium rerum beata copia abundans, segete, vino, leguminibus, arboreis fructibus, quibus colles, agrique vestiuntur. Prata quoque habet & siluas: merito vt regio ista cum amœnissimis & vberrimis totius Europæ certare possit. Vrbs ipsa ædificijs admodum venustis & elegantibus nitet, inter quæ potissimum eminet Ecclesia, quæ artifici structura, ac præsertim stupendæ altitudinis turri spectantium ad se oculos atque animos rapit. In monte, qui vrbi imminet, ampla est arx, ex qua in vicina loca quaquauersum patet amœnissimus prospectus. Est quoque magnificum aliud in inferiore parte vrbis Palatium, opus Alberti Ducis, quod vulgo Nouum ædificium vocant. Eius structura elegans, ad Italicæ architecturæ symmetriam scite subtiliterque concinnata, magnum toti vrbi decus atque ornamentum adfert. Est ibi visendus hortus, quem Guilielmus Dux in gratiam coniugis suæ Lotharingicæ Gallorum hortulanorum opera conseuit. In eo pergulæ operis topiarij, sepimenta, labyrinthi, areolæ, artifici manu directæ, ingentem spectatoribus recreationem præbẽt, inter limpidissimorum fontium ductus. Ciues in vrbe ex mercatu vini, frumenti, lanæ, aliarumque rerum quas benigna illic natura indulgenter subministrat, ingentem quæstum faciunt. Ad hanc vrbem collegit Carolus V exercitum, quum bello Germanico a Saxone & Hesso pressus, Ratisponã deseruisset. Hic litteras accepit a confœderatis ad se scriptas, non Cæsaris titulo, sed eius qui se pro Cæsare gerebat. Ac debellatum tunc, deque Carolo V Imperatore triumphatum fuisset, si quantum lentis deliberationibus & consilijs inefficacibus impensum fuit a confœderatis, tantum actioni & maturæ executioni tributum fuisset. Castra enim Cæsaris inualida: rarus miles: auxilia perexigua: ipsius Bauariæ Ducis, cuius in solo tunc res gerebatur, animus vacillans. Sed dum otiose de minurijs quibusdam consultatur, corrupta est occasio: Cæsarque milite Pontificio & Italico confirmatus, Ratisponam vnde profectus ante fuerat, regressus est.


LAUGINGEN

Longit. Grad. XXXII. *30.* *Latitud.* XLVIII. *32.*

Hoc oppido natus est Albertus qui (quod rarum est in terris) merito suo Magni nomen ab insigni Sapientia retulit, haud aliter quam a factis militaribus & victorijs Alexãder, Carolus, Otto, Henricus. Familia ei fuit Solstertiorum: Domus natalis haud procul ab amne, vbi nunc honoris caussa erectum templum cum turri quæ ipsius statuam habet. Vixit anno MCCLIV. Tria vero tunc temporis fertur hoc oppidum habuisse notabilia, Virum sapientissimũ Albertum, mulierem pulcherrimam, equum maximum. Fuit autem Albertus iste præceptor Thomæ Aquinatis Coloniæ. Itaque illius Philosophiam sequuntur adhuc in Gymnasio Laurentiano, huius in Gymnasio Montano: illos vocant Albertistas, hos Thomistas. Quum autem ob singularem virtutem atque eruditionem ex monacho factus fuisset Episcopus Ratisponensis, maluit ipse sapientiæ studijs se dare quam regimini Ecclesiæ, quocirca abdicato Episcopatu abijt Coloniam, atque illic docuit. Memorabile est id quod libro secundo in GVILIELMO CÆSARE retuli, exceptum ab eo mediâ hyeme Coloniæ Principem cum aulicorum sequela instructo luculentissimo epulo, sub dio, inter flores subito prognatos, & arbores viridantes, & vites vuis grauidas, quæ omnia statim Principis Guilielmi abitu disparuerunt. Cuius quoque historiæ fidem facit Cuspinianus, & præter eum alij qui se vidisse ista & spectasse narrant.

Ex monumentis & inscriptionibus Romanis apparet, sedem hanc olim fuisse militum Romanorum, tametsi eius nulla exstet in historijs quas habemus mentio. Subijciam tres insignes,

Prima,

D. M.
PRENCIVS A. V. E. III. LEG.
CIVES BRIVINES
VIXIT ANNOS LXX.
MONIMENTVM FECIT.

Secunda,

DEO MERCVRIO SING.
EX VOTO IVL. GALLICVS
ET AVR. SIBVLLA P. L. I.

Tertia,

APOLLINI GRANNO
M. VLPIVS SECVNDVS
T. LEG. III. ITAL.
CVM SINGNO ARGENTEO
V. S. L. L. M.

Scholam in ea instituit VVolfgangus Comes Palatinus, fouit eius filius Philippus. Auxit vrbem ædificijs Ludouicus Bauarus, circa annum Christi MCCCC XIII. Postea tamen Fridericus IV Imperator eam donauit Abbati Fuldensi, an. MCCCCLVIII. qui haud multo post duci nuptialis muneris loco eã dedit Ducissæ Bauariæ, ea lege vt ne ciues maiore exactione grauarentur, quam ccc florenis annuis. Qua libertate illecti multi nobiles illuc concesserunt.


LINTZ
Thonau
flu

Longit. Grad. XXXVI. *40.* *Latitud.* XLVIII. *24.*

BILIBALDVS Pyrckhaimerus putauit Lintsium esse Ptolemai *Aredate*, videoque in eadem quoque sententia fuisse Pyramium. Atqui Ἀρεδάτη Ptolemæo ponitur gradu longit. XXXV. o. latit. XLVII. o. Quocirca, nisi vitium sit in topothesia, non poterunt hæc inter se aptari. Alijs placet, *Aredate* idē esse cum eo quod Notitia vocat *Arlape*, vulgus hodie *Erlach*. Est autē LINTSIVM amœnum Austriæ inferioris opidum, adsitum Danubio, qua se Drauus in maiorem amnem exonerat, sexto supra Arlapen miliari. Vix habet vniuersa Austria locum iucundiorem: itaque vicinæ ei sunt multæ arces nobilium, ob venationum, aucupiorum, & piscationum commoda passim illic exstructæ. Ager frumenti prouentu fœcundus est. Templum in vrbe amplum, cum turri satis firma. Curia augusta. Arx ad præsidium & tutelam in colle posita. Pons ligneus ripas Danubij iungit, quas vtrimque prætexunt ædificia nobilium & agricolarum, iucundo spectaculo, præsertim quum nauibus aut pontonibus amnis transmittitur, quod quidem illo loco frequens est. Porro Lincij instituta est anno MDLII inter Ferdinandum Austriacum Caroli V fratrem & Mauritium Electorem tractatio de liberandis ex captiuitate Ioanne Friderico Saxoniæ Duce, & Philippo Hassiæ Lantgrauio. Mauritius enim Lintsium quum venisset, Principibus confœderatis Augustæ, Carolo V Æniponti agentibus, pacis ineundæ rationes hasce proposuit: Vt si pacatam Cæsar vellet Rempublicam, Hessus socer libertati restitueretur: Dissidium de religione componeretur. Respubl. recte constitueretur: Paxque cum Galliæ rege fœderato & amico fieret, denique vt proscripti, ac nominatim Hedecus, in gratiam reciperentur. Ferdinandus re cum ijs quos iuxta se habebat (erant ij Maximilianus filius, & Albertus Bauariæ Dux ipsius gener, quos Cæsar legatos eo miserat) communicata, respondit, Non recusare Cæsarem, modo discedatur ab armis, quin protinus Hessus captiuus liberetur: Placere autem imprimis, vt proximis Germaniæ conuentibus de religione ac Republ. constituenda agatur. Nec abnuere Cæsarem, quo minus ex Mauritio cognoscat, quibus conditionibus paciscendum cum Galliarum rege putet. Quod ad proscriptos vero attinet, posse eos in gratiam recipi, dum legi quam Cæsar tulerit, obtemperaturos se recipiant. Ita discessum vtrimque est, & deserto Lintsio Mauritius Augustam ad confœderatos, Ferdinandus Æniponte ad Cæsarem concessit. Sed non multo post Mauritus cum socijs ad Zirlam, quæ duobus ab Æniponte milliaribus distat, exercitum duxit, tanta cum Cæsaris trepidatione, vt is etiam aduersa sua valetudine, & pluuioso ac nimboso cœlo, per noctem lectica cum Ferdinendo fratre aufugerit ad tædarum lumen; dimisso ex captiuitate Saxone.


LEYPSIG
Das Shlos
S Tomas
S Nicolas

Longitud. Grad. XXXIV. *40. Latitud.* LI. *15.*

LIPSIA ad trium amnium conflugem, Pliſnæ, Elyſtri, & Pardæ ſita, viâ quæ ab Hala Saxonica in Bohemiam ducit, emporium eſt haud admodũ grande, ſed peropportunum mercimonijs, & omnium ad vitam neceſſariarum rerum copia abundans. Commẽdant illud prata, horti, muri, foſſæ, turres, curia, caſtrum, templa duo, Scholæ particulares duæ, Academia, Iudiciũ prouinciale, Mercatus annui tres, Depoſitio mercium, atque imprimis optimorum ciuium humanitas & fides. Monaſterium Canonicorum regularium fundauit Theodoricus Marchio Miſniæ, anno M CC XVIII. B. Thomæ monaſterium confirmatum eſt ab Adolpho Imp. anno Chriſti M CC XCIV. Cœnobium veſtalium extra portam Peninam fuit: Bernardinum Ciſtericenſium in Prulio. Tria quoque caſtella quæ mœniorum ambitu incluſa fuerant, cõuerſa ſunt in ſacros vſus a Ludouico. Vnum ad portam Grimenſem ceſſit Dominicanis, qui templum illic B. Paulo condiderunt. Alterum illud eſt quod vocatur caſtrum Pliſſenburgicum; Tertium fuit in vico Franciſcanorum, qui & ipſi templum magnificum eo loco exſtruxere. Quumque hactenus triangularis fuiſſet vrbs, rectis lineis a porta Penina ad Ranſtetenſem, atque inde ad Grimenſem, facta eſt quadrata, incluſo Prulio vico. Anno M CC LXIII Theodoricus Marchio de Lanſbergo donauit ciues autonomia, vt a Præſide citati non teneantur comparere, ſed de ſuo iure poſſint apud Prætorem vrbanum contendere. Circa annum M CCCC XX cœpere Scabini Lipſienſes lites publice decidere; Collegium autem illud ab Auguſto Saxoniæ Duce & Electore ita ordinatum eſt, vt Præſes vnus ſit, Aſſeſſores ſex, e quibus tres ſint Iureconſulti, totidemque Senatores, cum vno Actuario. Anno M CCCC LXXXVIII inſtitutum eſt Lipſiæ ab Alberto Saxoniæ Duce iudicium Prouinciale, quod etiam ita ab Auguſto ordinatum eſt, vt in eo vnus ſit ex Equeſtri ordine iudex primarius ſiue Præſes, tres nobiles aſſeſſores, totidemque Iuriſconſulti. Tum ordinarij Aduocati quatuor ad cauſſas ordinandas, & ad cauſſas amicè componendas nobiles duo, cum totidem Iuriſconſultis. Nundinę Lipſienſes a Maximiliano I Imperatore anno M CCCC LXIX & M CCCC LXVII confirmatæ ſunt, & ita conſtitutæ, vt quotannis vere, autumno, & Kal. Iannuarij in omne tempus celebrari ac frequentari poſſint, nec fas ſit ſimiles in Halberſtadiana vel Miſnienſi, vel Merceburgenſi diœceſi ad XV milliaria indicere. Academia Lipſica ortum habuit ex Pragenſi, ſub Friderico Electore Saxoniæ anno M CCCC IX, conceſſis ei duobus Collegijs, vno maiore in equeſtri vico, altero minore in vico B. Petri. Diſtinctæ ſunt quoque nationes, in Miſnenſem, Bauaricam, Saxonicam, & Polonicam. Ioannes XXIII Papa Canonicatus ſex Academiæ dedit, duos ex Miſnenſi Epiſcopatu, duos ex Murſebergico, ſingulos ex Numburgenſi & Cicenſi. Principes quoq; pagos tres contulerunt, Cozſchinam, Mercouicium, & Hoheheidam. Sub Henrico Duce reſtauratio facta eſt Eccleſiæ. Sub Mauritio ingens ad Academiam bonorum acceſſio. Conceſſi pagi quinque, euocati profeſſores, Ioachimus Camerarius, Ioannes Rheticus, alijque. Anno M D XVII obſeſſa eſt per dies XIV. Lipſia a Ioanne Friderico, qui regionem ſuam, licet proſcriptus, conatus eſt Mauritio eripere, ſed ob gelu ſoluta eſt obſidio. Curia ſumptuoſe exſtructa eſt anno M D LVI, cum tabernis mercatorum, & libra, ſupra quam aula ingens ad honeſtiorum ciuium conuiuia. Caſtrum ad Pliſnam ædificare cœpit Mauritius, abſoluit Auguſtus. Anno M D XCV Rector Vniuerſitatis deſignatus eſt Vdalricus Sleſwici & Holſatiæ Dux. Anno M D CII Philippus Iulius Stetini & Pomeraniæ Dux. Biennio poſt, Adolphus Fridericus Dux Megapolenſis.

LVBECA


LUBECK
De Dom
S Peter
Radthus
Frawen karch
S Jacop
M Magdalena

Longit. Grad. XXXII. *45.* *Latit.* LIV. *48.*

LVBECA vrbs Saxoniæ ampliſſima, VVagriæ caput, ſitu, & mœnibus, & portu ornatiſſima, mercaturis quoque cunctiſque rebus neceſſarijs inſtructiſſima, & imprimis legibus honeſtis moribuſque exculta, ac tam publicis quam priuatis ædificijs ſplendens, & nauigationibus potens, merito ſuo omnium ad ſinum Balthicum ſitarum vrbium præcipua habetur: Vt de ea recte Lindebergius,

Gens humana, ſitus, commercia, littora, mores,
Mars, toga, diuitiæ, curia, relligio,
Arctoas inter claras virtutibus vrbes
Efficiunt tollat tanta LVBECA caput,
Et decus Europæ, & lumen ſit totius Anſæ,
Et ſit Vandalici pulcra corona ſoli.

Sonat enim *Lubeca* laudis angulum, quaſi dicas *Lob-eck*. Sita eſt ad *Suardæ* & *Drauennæ* confluenteis, hinc amne inde lacu *Wagniſſa*, qui & *Bractuſa* dicitur, irrigua. Ortum habuiſſe creditur partim a Cimbris, partim ab oppidulo *Swartow*, quod mari eſt vicinius, conditum circa annum Chriſti MXL a Godſchalco Principe Obotritorum. Nam quum Swartoum Rugij bellis perpetuo fatigarẽt, nec poſſent induſtrij ciues deſtituti opibus aduerſus tam potentem hoſtẽ ſe defendere, fertur ipſis autor fuiſſe Adolphus II Comes Schowenburgicus, qui a Lothario Imp. Comes Hoſatiæ factus fuit anno MCXL, vt mutatis ſedibus ſubducerent ſe longius a mari, in locum quem Cimbri olim vrbi deſtinarant, vbi collẽ ambiunt VVagniſſa & Drauenna, tutumq; eum reddunt ab hoſtiũ excurſionibus. Placuit conſilium; idque eo magis, quod inter effoſſiones deprehenderent fundamenta antiquarum molitionum. Sed creſcentem vrbem multa infeſtarunt: Nam & a Vandalis ſtatim ſpoliata, & ab igni fœdata eſt, anno MCLVIII, & Adolphum ſenſit imparem defenſioni ſuæ aduerſus Henricum Leonem Saxoniæ & Bauariæ Ducem potentiſſimum. Hic enim nouæ ciuitatis incrementis querebatur Bardouicenſium mercimonia decreſcere, & prouentum minui ſalinarum Luneburgẽſium exportatione ſalis Todeſloani. Quid faceret aduerſus tam potentem hoſtem Adolphus? Quum deprecationi locus non eſſet, videretque a Leone aditum Lubecæ intercluſum, & fontes ſalis corruptos, & maiora niſi cederet inſtare, ceſſit vrbe, quamque ipſe defendere non potuit, potentiori regendam dedit. Sic ergo Leo Lubecam fecit iuris ſui. Mutato domino creuit vrbs prudenti iam tum Magiſtratus conſilio, qui Ducis Saxoniæ interceſſione, facile a Daniæ rege VVoldemaro obtinuit, vt libera eſſent Lubecenſibus per Daniam commercia. Anno MCLXIII conſentiente Henrico Leone traſlatus eſt Epiſcopatus Oldenburgicus Lubecam, exſtructaq; eſt in arenis a Gerardo Epiſcopo Eccleſia cathedralis, ſacra B. Ioanni. Proſcripto Leone venit ciuitas in poteſtatem Imperij, obſeſſa & capta a Friderico I. Tunc Lubeca facta imperij vrbs, arcem Comitum VVagriæ ad Drauam vna cum libero fluminis vſu & immunitate vectigalium redemit. Poſt obitum Friderici reddita eſt Leoni. Eo defuncto ceſſit regi Daniæ, victa a Voldemaro Canuti regis fratre, duce Sleſuicenſi. Sed quum eam Dani durius premerent, dederunt ſe Lubecenſes in poteſtatem Friderici II, & ab illo impetrarunt priſtinam illam ſuam Imperij libertatem. Ita intra annos LX varios caſus experta Reſpublica, oſtendit, rebus aduerſis deſperandum non eſſe ei qui magnum aliquid moliri ſtudet, ſed enitendum prudenter quamdiu ſpes aliqua diuinitus adfulget. Ex eo igitur fuit Lubeca manſitq; ſemper in ditione Romani Imperij, fida, & conſtans; inſignia quoque virtutis ſuæ præmia a Cæſaribus experta. Anno MCCXXXVIII ingenti incendio deformata eſt, quæ res occaſionem dedit, cauendi, ne in poſterum

arundine aut ſtramine, aut paluſtri iunco domus illic tegerentur, ſed tegulis coctilibus. Anno MCCCVIII motus eſt in ciuitate inteſtinus aduerſus Senatum tumultus a ciuibus quibuſdam factioſis, quorum opera factum eſt, vt pulſis Conſulibus antiquis noui ſubrogarétur in ipſorum locum: ſed non multo poſt facile ſenſit Reſpublica, quantum interſit, nauem illam a perito nauclero non ab ignaro ventorum & fluctuum regi. Reſtitutus ergo prior Senatus ſeptennio poſt per Sigiſmundum Imperatorem, a fauentibus ciuibus ingenti deſiderio exceptus eſt. Magna vero eſt in ea vrbe Magiſtratus autoritas, magna amplitudo; Neque enim ad eam dignitatem euocantur, niſi ſelecti ob ſingularem atque eminentem prudentiam viri. Conſules ſunt duodecim: omnes patritij vel equeſtris dignitatis. Horum perpetua eſt in Rep. poteſtas, niſi quod extincto vno alter ex reliquo corpore delectus ſufficitur. Hi ſunt cuſtodes libertatis & ſalutis ciuium. Plebeij niſi vocentur, in Magiſtratum non veniunt, neq; vllum vel in cõſulendo vel in petendis honoribus ius habent. A Conſulibus non datur niſi ad Romanum Imperium prouocatio. Tali dedecachordo ornata ciuitas concentum edit longe ſuauiſſimum. Anno MD accuſati ſunt a rege Daniæ Lubecenſes, quod Suecis fauerent; fuitque ea non parui inter ipſos motus cauſſa: ſed compoſitum eſt negotium interuentu Raimundi Cardinalis, & Friderici Ducis Holſatiæ, & Magni Ducis Megapolenſis. Anno MDVI geſſere bellum Lubecenſes aduerſus Henricum Ducem Megapolenſem, totum biennium, ortum ex cauſſa leui, ruſtici cuiuſdam ebrij cum muliere rixoſa contendentis. Ac niſi hortatu Maximiliani I per amicam tranſactionem res fuiſſet compoſita, magna vtrimque damna experti fuiſſent. Anno MDIX bellum nouum cum rege Daniæ Ioanne ſuſceptũ eſt, ob naues detentas & bona direpta. Quod cum Reſp. contra pacis formulam Neucopij ſancitam factum iudicaret, ipſa ſibi viciſſim in regios eandem violentiam permiſit. Rex miſſis nauibus bellicis XXIV portum Lubecenſem obſidet, omnemque importationem & exportationem mercium prohibet. Lubecéſes contra Danos cum mercibus arreſto adſtrictas detinent. Danus Lubecenſes per regnum ſuum negotiantes omnibus bonis ſpoliat. Suecus a Danis læſus, iungit ſe Lubecenſibus in communis ſocietatem belli; Ita ſuis, imperij, Suecorum viribus freti Lubecenſes, octodecim grandiores naues ſale, pannis, & inſtrumentis ad belli apparatum onuſtas in Sueciam mittunt, ſimulque Daniæ regi per litteras bellum denunciant. Naues illæ omnes Stockholmiam delatæ ſunt, vna excepta, quæ in itinere tempeſtatibus agitata, fluctibus hauſta eſt. Felix hoc initium Suecis animos addidit, vt inito iterum cum Lubecenſium Republ. fœdere, Ioanni regi Daniæ penitus renunciarent. Sed ſub autumnum reuerſuræ naues diſiectæ ſunt tempeſtatibus, partimq; ſubmerſæ ſunt, partim in portu Dantiſcano hibernarunt. Interea Dani facta in agrum Lubecenſem exſcenſione viginti ipſorum pagos flammis iniectis combuſſerunt. Efferatus hac iniuria liber populus magno animo vltionem petijt, & non tantum Suecos aduerſus regem incitauit, ſed etiam inſulas quaſdam inuaſit, naues diripuit, incenditque, & quacumque potuit parte incumbuit in vindictam: Donec Friderici Holſatiæ Ducis interuentu (nam & illum flamma vicini belli attigerat) vtrimque obtentum eſt, vt libera ſaltem nauigatio permitteretur. Poſt obitum Ioannis Chriſtiernus Daniæ rex titulis ferocior, quam armis & conſilio potens, contra pacta non eſt veritus currus multos pannis, & ſale, & armis onuſtos, qui ad oſtium Drauennæ amnis (locum vulgo *Tramunde* vocant) ſubſtiterant, inuadere, & Hafniam abducere; quumq, admonitus promiſiſſet ſe cuncta redditurum, non fuit ipſi religio datam ſæpius fidem frangere.

Conatus

Conatus est quoq; alijs artibus cõmercia Lubecẽsia transferre Hafniam, exq; illorum incommodis sua augere commoda. Hinc itũ rursus ad arma, quibus a Rege Daniæ præfectus est Seuerinus. Lubecenses cum Suecis iterũ agunt; qui offensi Christierni tyrannide, & improba perfidia, ipsum regnõ suo eiecerunt. Nec fulciuere diu ruentem Dani: Ille autẽ se excluſum videns, cum coniuge sorore Caroli V profugit in Belgicam. Lubecenses interea Seuerinum belli Ducem Gothlandia expellunt, & Gustauum Erici filium, qui e Danico carcere ad ipsos rustico habitu profugerat, (monstratur adhuc eius vestis in summo templo Lubecæ) Stocholmiæ proceribus sistunt, & ad regnum promouent, an. MDXXIV. Sed sub Erico Suecorum rege Lubecenses anno MDLXII quum mitigationem quorundam statutorum postularent sibi ac toti societati Anzeaticæ intolerabilium, nec post iteratas sæpius expostulationes quicquam responsi ferrent, naues imo suas viderent cum mercibus in fiscum redigi, communicato cum societate Anzeatica consilio fœdus iniuerunt cum Friderico Daniæ Rege, bellumque commune aduersus Regem Ericum susceperunt. Durauit bellum illud annis octo, gestumque est vtrimque magna animorum exercabatione, & ingenti partium iactura. Tandem fessi damnis & molestijs, quum exitum nullum viderent, seque interponerent Imperator Maximilianus, Elector Saxoniæ, Rex Poloniæ, alijque arbitri, conuentu Stetini habito consensum est in certas conditiones pacis anno MDLXX. Nunc LVBECA fœdere cum Illustr. vnitarum Belgicæ Prouinciarum Ordinibus facto, missoq; in eam rem nomine totius Anzeæ Teutonicæ, legato Cl. Viro D. Ioanne Domanno, laudem refert prudentiæ, grauitatis, fidelitatis, fortitudinis. Religio in vtbe reformata est anno MDXXX euocatis in eam rem a Senatu M. Andrea Guilielmo, & M. Ioanne VValhoff. Vrbs situ & opere munitissima est, muri & propugnacula palis ac tignis in aquam depactis fusticato opere firmantur. Binæ sunt ciuitatis plateæ longis extensæ spatijs, quas reliquæ decussatim intersecant, cluoso descensu illinc in Drauennam hinc in Vageniſſam illuuiem omnem sordesque ciuitatis emittentes: quo fit, vt grata mundicie plateæ omnes niteant. Templa conspicua sunt, Cathedrale B. Ioannis; Collegiata, B. Virginis, S. Iacobi, S. Petri, aliaque. quæ celsis ornata turribus, laminisque æreis aut plumbo tectæ, apicibus aureis fulgent.


LUCERN

Longit. Grad. XXIX. *53.* *Latitud.* XLVI. *42.*

VRBS LVCERNA sita est ad Rusam amnem, qua is e lacu effluit, perque vrbem lapsus, postea in Arolam sese exonerat, eiusq; aquis mistus sese in Rhenum mittit. Lacus ab vrbe vocatur Lucernensis, ac per eum nauigatur ad tres pagos. Sita est ad pedem altissimi montis, quem quidam Fractum, quidam etiam montem Pilati vocant. Per vrbem necessarium est iter illac in Italiam tendentibus per Alpes Lepontias, quem hodie vocant montem S. Gothardi. Hinc merces Germanicæ & Gallicæ ad Alpes subuehuntur, atque inde in Italiam clitellarijs iumentis, in id semper paratis, descendunt: Sic vicissim Italicæ merces eodem itinere mutato cursu per lacum & Rusam in Arolam, inde in Rhenum ac porro in Oceanum deferuntur. Originem vrbs cepit ex monasterio, quod illic VVigardus presbyter frater Ruperti Ducis Allemanniæ tempore Ludouici Regis erexit sub annum D CCC XVI. Hoc monasterium postea fuit Abbatis Murbacensis: Proditum enim est historijs, regi Lothario Abbatem Murbacensem fuisse supplicem, ac petiuisse, vt ab ipso confirmarentur iura quædam monasterij *Luciariæ*, quæ habuit in villa Emmam, sita in Ergoia, iuxta fluuium Russ, quæ olim abauus eius rex Pipinus & pater Ludouicus monasterio donauerant Hæc vltima est, quod constet, huius oppidi vetustas. Monasterio iunctæ fuerunt domus rusticæ, & piscatorum casæ, tum diuersoria in vsum commeantium; & opificum domicilia. Ita paullatim creuit vrbs. Sic multæ aliæ in Germania, ex cœnobijs, præsertim Benedictinorum: Fulda, Sangallum, Campidona, Amerbachium, Seckinga, VViffenburgum. Nomen creditur accepisse a Lucerna, quæ forte illic initio in vsum naugātium suspensa fuit: Atq; huic rei credibile est inseruijsse turrim illam vetustam, quæ ad superiorem pontem hodie ab aquis nomen habet. Imperauit autem oppido Abbas Murbacensis vsque ad tempora Alberti Austriaci Imperatoris. Hic quum in Heluetia nouum principatum condere instituisset, Lucernam quoque emit, datis Abbati quatuor pagis in Alsatia, & certa quadam pecuniæ summa: Bis mille argenti marcas fuisse ferunt. Sed fuit semper ciuitas ipsa libera atque immunis ab Abbatum primum, postea etiam ab Austriacorum Principum mero imperio, qui idcirco etiam priuilegia ipsorum se inuiolata conseruaturos soliti sunt promittere, clementique ac legitimo imperio ipsos recturos. Quum autem postea apparuit cōiurationibus & factionibus clamdestinis structas ipsorum libertati insidias, iniuerunt fœdus aduersus Austriacos cū vicinis tribus pagis, Vrijs, Suitijs, & Vnderwaldijs, in quo adhuc cōstanter manent. Habent autem Lucernates complures præfecturas. Duæ præfectos suos extra vrbem habent: VVikensis & Sempachiana. Cæteræ administrantur a Senatoribus Lucernatibus. Porro apud Lucernates viget vetus lex Talionis: nam si quis ciuem occiderit, etiamsi iusta id de caussa fecerit, vt si prouocatus vim vi repulerit, nihilominus deprehensus capite pœnas luit: Si aufugerit, perpetuo exilio damnatur: Sed si absens interea cum liberis & propinquis cæsi transegerit, eosque sibi reconciliauerit, conceditur ei a Senatu in vrbem reditus. Soli ex Heluetijs Lucernates tubarum loco æreis cornibus incuruis vtuntur, quæ horrendum sonant: ipsi vocant *harsch-hoerner*. Aiunt hoc sibi iuris datum a Carolo Magno, & Rulandum Caroli ex sorore nepotem illis vsum esse. Ego ad Romanos id referre malim, motus versu,

Non tuba directi, non æris cornua flexi.


LUNENBURG
S Joannis
Radthaus
S Lambert
Springint
Kalckberch

Longit. Grad. XXXII. *18.* *Latitud.* LIII. *27.*

LVNEBVRGVM Hamburgo distat VII milliaribus, Lubeca X, Brunsuiga XVI, Vlcena V, Bergerdorffa totidem, VVinsena tribus: estque nobilis Saxoniæ inferioris ciuitas ad flumen *Emenaw*, quem Albanium quidem vocant, vno supra Bardouicum miliari, Veteri Chaucorum & Longobardorum sede: Condita est ab Hermãno *Stupkenshorn*, qui etiã templum ac cœnobium Benedictini ordinis in monte Calcis anno Christi CMLXXI exstruxit: estque verisimile ad montis illius pedem, præsertim vero propter Salis puteum pagum semper fuisse; meminit quippe *Luinbergæ* Ditmarus Merseburgensis, historiarum suarum libro VI. Sed simulatque exclusus a Bardouicensibus (qui opibus suis præfidebant) Henricus Leo ipsorum vrbẽ subuertit, cœpit istud protinus caput attollere inque vrbis formam sese componere. Adeo vt nunc cum præcipuis Germaniæ certare possit, tum benigna rerum copia, tum ædificiorum magnificentia, situs opportunitate, ciuium frequentia, humanitate, & fortitudine, tum deniq; nominis celebritate. Cœlum habet tersum & salubre: agrum fertilem. Vix vlli Anzeaticarum cedit. Tres sunt in ea Ecclesiæ primariæ, Vna B. Ioannis, Altera Lamberti vicina salinis, tertia S. Nicolai. Otto I ditionem istam erexit in Comitatum, adiunctis ei prœdijs ex agro Megapolensi. Fridericus II ex Comitatu Ducatum fecit. Henricus Leo exutus Bauaria & Saxonia proscriptusque ab Imperatore hanc vrbem cum Brunsuicensi adhuc retinuit. Salinæ duplices sunt, Veteres, contiguæ vrbis muro; & Nouæ, in ipso pene vrbis meditullio. In his aqua e puteo hausta, perque tubos in vicinas casas distributa, sartaginibus ex plumbo factis excoquitur, magnoque ciuium quæstu in vicina Germaniæ loca distrahitur, nunquã non expetita importatione illius mercis, & nunquam non sufficientibus aquam puteis, & siluis vicinis ligna. Tanta est eius soli vbertas. Ex salis prouentibus stipendia soluuntur omnibus qui vllo in munere publico Reipubl. Ecclesiarum & Scholarum viuunt: vt quæ alibi honoraria sunt, merito illic salaria ex re vocari possint. Religionis restauratio multis illic constitit certaminibus. Vix trigesimo anno post prima molimina, docere publice cepere in templo B. Nicolai Fridericus Henningius & Henricus Otto: paullo post etiam in alijs templis Ekenbergius & Ioannes Lampadius. Erat tunc in Senatu vir magnæ autoritatis Hieronymus VVitzendorfius, qui multum ad negotium illud contulit. Sed quum ciues ipsi fastidirent aniles monachorum ineptias, fraudesque quibus illæ defendebantur, non destiterunt in Senatu contendere, vt exemplo Lubecensium & Hamburgensium liberæ ipsis conciones permitterentur. Quod quum impetrari a se Senatus pateretur, accersitus est Hamburgo M. Stephanus Kempius, qui Ecclesias ad eam quæ nunc illic est formam restituit. Hunc secutus est Vrbanus Regius. & alij. Adscribam M. Thomæ Maweri pastoris ad S. Michaëlem versus de Luneburgo,

L	VNEBVRGA Dei	L	ætaberis ante tribuna L
V	nanimi retinens	V	erba sacrata stat V.
N	ec non iustitiæ	N	eruum, venerabile nume N
Æ	quali tribuens	Æ	qua cuique vic E.
B	arbarus hinc aberit	B	ona qui rapit vrbibus Achaß
V	sa ferens larga	V	i bona cuncta pen V.
R	upta tibi nunquam	R	apiet concordia robu R
G	og procul hinc aberit	G	randis & ense Mago G.

MADEBVR-


MEYDENBURG
Elb flu

Longit. XXXIII. *58. Latitud.* LII. *18.*

CAROLVS Magnus non minus religionis quam victoriarum gloria inclytus, postquam XXXIII annos impendisset in vincendis Saxonibus, tandem pace parta, decem constituit in Saxonia Episcopatus, 1 Osnaburgi, 2 Oosterwici, qui postea translatus est Halberstadium, 3 Mindæ ad Visurgim, 4 Bremæ, 5 Padelbornæ, 6 VVerdæ, 7 Monasterij, 8 Elzij, qui translatus est Hildeshemium, 9 Hamburgi, 10 Stydæ, in Comitatu Dominorum de Schwaleworch, qui nunc de Lippia appellãtur, ac postea traslatus est ad VValersleue, ac tandem per Ottonem I Imperatorem anno CMXXX Magdeburgum ad Albim, flagitãte id ita vxore Editha. Nomen habet a Virgine. Qui Venerem illic cultam a Romanis dicunt, atq; inde nomen Magdeburgo datum, nescio vnde Veneré didicerint esse virginem, aut Romanos hoc loco Veneri, aut omninò Deæ alicui delubrum posuisse; Certe Venus tantum abest vt virgo sit, vt potius omnis impudicitiæ & spurcitiei sit mater. Romani vero nunquam hisce locis sedes fixerunt: nec si voluissent, permisissent illud Germani. Non sunt origines interiorum Germaniæ locorum petendæ aliunde quam ab inuicta Germanorum gente. Ego ad Editham Ottonis I coniugem filiã Echtmundi Anglorum Regis hoc totum referre malim. Hæc enim locum istum, quod esset dotalitius, quodque ipsa amœnitate & commoditate eius delectaretur, dilexit. Precibus ergo contendit ab Imperatore marito vt sibi vrbem illic condere liceret: neque id difficulter impetrauit. Mulier ergo, in agro dotali, vrbẽ conditura, vnde potuit nomé commodius petere quã a suo sexu, & quidem sui sexus flore? Vocauit igitur Magdeburgũ, plane ac si dicas παρθενόπολιν & signum vrbi dedit, virginem in arce stantem cum serto virginali: Quam hæc diuersa sunt a fœdis Veneris Cotytijs? Eiusdem rogatu Cœnobium quoque institutum est illic ordinis Benedicti, eique præfectus Anno Abbas Treuiris accitus ex cœnobio S. Maximini, concessis ipsi multis immunitatibus cum latifundijs, ea lege, vt quotannis fundatrici mitteret equum album, cum puero, & lancea. Burg-grauiatum imperij eadé illic instituit. Vrbem quoq; ipsam impetratis ab Ottone priuilegijs ornauit, effecitque vt negotiatores in Albi flumine prærogatiuas multas habetent. Instituit quoque nundinas, & Episcopalem sedem transtulit de VValersleue, vbi eam pater ante collocarat, in nouam hanc vrbem, impetrauitque ei a Pontifice ius Archiepiscopatus, vt esset omnium Vandalicarum vrbium Metropolitana, haberetque sibi subiectas Ecclesias Mersburgensem, Misnensem, Citzensem, Hauelbergensem, & Brandeburgensem. Ipsa vero Imperatrix Editha post obitum (sic enim iusserat) condita est Magdeburgi in cœnobio Benedictinorum, anno DCCCXLVIII. De Ottone autem I Imperatore post multa sic scribit Frisingensis. Hic ille est Otto, qui post multas quas noui victorias, Græcos quoque in Apulia & Calabria superauit, ac imperium Romanum virtute sua ad Francos Orientales reduxit, primusque venas argenti & æris iuxta ciuitatem Goslariam in Saxonia inuenit. Metropolim etiam Magdeburgensem, vbi adhuc cultu regio humatus cernitur, pluribus ornamentis decorauit. Hæc ille. Cœperat quidem Carolus Magnus locum illum, quod commodus esset mansioni suæ, & figendæ sedi belli, ornare, itaq; & B. Stephani templum illic condidit, quod postea vna cum oppido ab Hunnis vastatum est; & arcem fecit, quam VVitikindo donauit: & Burg-grauiatum illic constituit, & Rulandi statuam erexit, quæ etiamnum in foro conspicitur; sed non potuit tam subito in vrbis formam excrescere. Hoc ergo factum est sub Ottone, qui aratro ambitum circumduxit murisque, & portis, & fossis nouam

vrbem exornauit. Habuit autem hoc in more Carolus, vt exstructis a se vrbibus Rulandi statuã imponeret. Fecit id Magdeburgi, Hamburgi, Halæ Saxonum, Halberstadij, & alibi: sed Hamburgensem Rulandum abstulit Holsatiæ Dux, qui hoc argumento vrbem illam sibi subitam contendit Spiræ in Comitijs anno M D L XX. Fuit autem Rulandus iste Caroli ex sorore nepos, vir magni roboris, cuius opera in debellandis Saxonibus fœliciter vsus est. Eum ferunt confecto bello Hispanico quum exercitum in Galliam victor reduceret, a Vasconibus cæsum interijsse. Huius ergo Rulandi statua ingens in foro est, cui opposita est ex aduerso altera ceruæ ab ipso confixæ. Est etiam in foro statua lapidea Ottonis I, quæ equitantem ipsum, & vtrimque stantes coniuges Editham & Adelheidem repræsentat. Eidem quoque Ottoni exstructum est in templo sacellum, in quo marmor ingens cum ipsius effigie, habente dextera tabellam rotundam, in qua notæ conspiciuntur, quibus significatur, nouendecim tonnas auri templo illi donatas esse. Cathedrale templum Mauricio dicatum, votiuum est. Otto enim ante conflictum cum Hungaris ad Lechum anno D CCCC L vouit, se, si victor domum rediret, splendidum templum S. Mauritio conditurum. Victor ergo animum ad structuram Ecclesiæ adiecit: Et licet initio vehementer illius conatibus obstaret Bernardus Episcopus Halberstadiensis, adeo vt de re conficienda pene desperaretur: tamen post obitum Bernardi perfecta res est: Templum cathedrale magnifice exstrui cœptum, Episcopatus mutatus in Archiepiscopatum. Cœnobium Benedictinum translatum extra muros in collem, dictumque ex eo Bergense: omnia denique prout vouerat Otto consummata.

ARCHIEPISCOPORVM MAGDEBVRGENSIVM SERIES.

1 Adelbertus Treuiris euocatus factus est primus Archiepiscopus Magdeburgensis anno C M LXVIII, vnctus a Præsule Moguntino.

2 Giselarius electus anno C M LXXXI sub Ottone II. Vir bellicosus 30754 Slauos Diœcesin Hauelbergensem Brandeburgensem, & Gizensem diripientes, fudit, adiutus a Principibus Saxonicis. Eum Otto III Simoniæ accusauit, quod præter Magdeburgensem Archiepiscopatum in se quoque transtulisset Episcopatum Merseburgensem.

3 Dago anno M IV magna accessione auxit Episcopatum. Templum Cathedrale absoluit. Cæsar Otto III summo frigore & niue alta solenni processione nudis pedibus reliquias Mauritij ex cœnobio Bergensi intulit in Ecclesiam, & in altari deposuit, simulque prouinciam Gebichensteyn quæ ad Halam est Archiepiscopo dedit.

4 Gualterus electus an. 1014, sedit hebdom. octo.

5 Gero constitutus ab Ottone III, anno 1016. Hic Marchionem Brandeburgicum excommunicauit, mœniaque ab Ottone I cœpta perfecit: mortuus est anno 1024.

6 Hunfridus Henrici Imp. Diaconus. Hic templa B. Petri, Pauli & Nicolai e fundo exstruit.

7 Engelhardus Henrici III Imp. Diaconus, electus anno 1052, obijt an. 1063.

8 VVernerus a Cæsare constitutus, perijt ad flumen Vnstrotum, quum fugeret ex prælio Henrici IV cum Rudolpho Sueuo, anno 1080.

9 Hardeuicus Francus.

10 Henri-

10 Henricus, anno Christi 1102.
11 Adelgotus Comes a Loe.
12 Rutgerus, electus a capitulo anno 1119.
13 Nortbertus. Hic Lotharium Imp. in Italiam sequutus, facundia sua admirabili & prudentia dissidentes inter se Pōtifices Innocentium II & Anacletum composuit. Ex quo titulum Primatis Germaniæ adeptus, eundem ad sequentes Archiepiscopos Magdeburgenses transmisit.
14 Conradus Comes Quernfurtensis.
15 Fridericus frater Timonis Comitis VVetini, an. 1143.
16 VVichmannus Comes a Seburg in Bauaria. Hic primus monetam maiorem cudisse fertur.
17 Ludolphus electus an. 1194 Philippum Imperatorem iuuit aduersus Ottonem Brunsuicensem, quem Pontifex Cæsarem salutarat.
18 Alberbertus Comes Kirbergensis. Hic Pontificis Romani iussu excommunicauit Ottonem Cæsarem, cum eo signa cōtulit, prælioq; inferior vix fuga elapsus est. Paullo post captus, & Gronbergā abductus, liberatus est a ciuibus Magdeburgēsibus & Burg-grauio Burckardo, nobili domino in Quernfurt.
19 Burckardus: defunctus anno 1237.
20 Hildebrandus, qui opida Crosig, Lebus & Biliz capitulo adiunxit. Bellum gessit aduersus Ottonem Marchionem Brandeburgicum, quem captum mulctauit M D C argenti marcis.
21 Rudolphus a Dingelstet Comitatum Aluensleben diœcesi adiecit.
22 Rupertus Comes Mansfeldensis a Pontifice inauguratus Iudæos festo Tabernaculorum oppressit, & L X millia marcarum argenti ipsis extorsit. Zorbecum capitulo subiecit.
23 Conradus Baro a Sternberg in Bohemia, an. 1268.
24 Guntherus Comes a Sualenberg, sedit an. 1.
25 Bernardus Comes a VVelpe.
26 Ericus Marchio Brandeburgicus anno 1283, oppugnauit Harlingpurgum, sed captus, vix tandem a Senatu ipso redemptus est D argenti marcis. Idem Lusatiæ Marchiam fratri suo vendidit. Sub hoc quoque tradidit Albertus III Elector Saxoniæ & Burg-grauius Magdeburgensis Burg-grauiatum ciuibus, marcis argenti 5000. Factum id anno 1294.
27 Burcardus a Blanckenburg, electus an. 1295.
28 Henricus Princeps Anhaltinus, electus an. 1304.
29 Burcardus a Schrapelau homo vanus, contentiosus, & inquies, Magdeburgum obsedit: postea relicta obsidione fœdifragus damna vrbi intulit: captus, dimissusque violata sacramenti religione ciuitatem excommunicauit. Tandem iterum captus dum conatur euadere, in fuga occisus est, an. 1326.
30 Heideccus ab Erpe anno 1327, dum Romam abit pallium petiturus in itinere mortuus est.
31 Otto Hassiæ Lantgrauius Episcopatum egregie auxit.
32 Theodoricus, qui bellum gessit aduersis Gerardum Episcopum Hildesheimensem, quo, quamuis vexillum S. Mauritij intulisset in prælium, succubuit. Nec defuit ingeniosis color, dicentibus, Vexillum Mauritij patrocinari non ad inuadendum, sed ad defendendū.
33 Albertus Comes a Sternberg anno 1368. Hic vendidit Lusatiam Cæsari sex millibus marcarum.
34 Petrus de Bruma.
35 Ludouicus Marchio Misniæ, anno 1381. Hic vt Archiepiscopatum Moguntinensem obtineret, voluit administrator Magdeburgensis vocari. Idem anno 1382, dum choreas agitat in curia orto subito incendio periit.
36 Fridericus ab Hoim, paucos menses præfuit.

37 Albertus Comes a Quernfurt; qui anno 1383 ciuium ope expugnauit Bircauium; quod quia multum nocebat Reipublicę, destructum penitusque exustum est. Sed absente Præsule inuasit diœcesin hostiliter Rudolphus Saxoniæ Dux: quocirca coniunctis viribus Ecclesiastici & Politici ditionem Saxoniæ Ducis depopulati sunt. Post pugnam desiderati sunt multi. Archiepiscopus domum reuersus suos redemit, nulla habita ciuium ratione. Male id habuit Senatum; qui persoluto pro suis lytro significauit capitulo, se tueri ipsum, si quid periculi nasceretur non posse. Orta est postea contentio de pascuis, & decimis. Excitata quoque seditio; sed interuentu Guntheri Comitis Swartzenburgici & Ioannis Comitis Quernfurtensis omnia tandem composita sunt.

38 Guntherus Swartzenburgicus anno 1403 bellum gessit aduersus Principes Anhaltinos, ad quod bellum ciuitas c armatos equites expediuit. Circumsedit quoque Koten, opidum Anhaldinæ ditionis, sed destitit, interponente autoritatem suam Saxoniæ Duce. Expugnauit & solo æquauit Harburgum; cepit arcem Plauensem & Hundelufftum. Anno 1431 ciuitas a Sigismundo Imperatore ius illud consecuta est, vt nemo ciuis cuiuscumque conditionis separatim vel coniunctim ad tribunal Cæsareum vel ad iudicium Cameræ citetur; neque ad aliud quam ad Episcopi iudicium ciuile, hoc est, ad Quæstorem & Scabinos veteris vrbis Magdeburgensis vocetur, nisi forte denegata cuiquam sit iustitia; quo solo casu ad Cæsarem prouocare licet. Per idem tempus grassantibus Hussitis cepere Senatores cõsilium muniendæ vrbis, significata primum reArchiepiscopo, rogantes, vt quum vnis ipsi quoq; mœnibus habitarent, suo sumptu partem illam quam tenebant, munirent. Displicuit ea res Præsuli, qui insidijs suis apertam atque expositam vrbem malebat. Ciues nihilominus quod cœperant, gnauiter vrgebant. Archiepiscopus vbi se nihil profeciſſe videt, serio mandat, vt munitionem eo præsertim loco factam quæ ipsorum iuris non erat, demoliantur. Ciues id recusant, parati alias in rebus honestis & æquis morem capitulo genere. Exasperari Capitulares collectis thesauris suis vrbem deserunt, & capitulum vacuum relinquunt. Respublica eos in ius vocat, causſamque totam Concilio Basileensi quod tunc agitabatur, diiudicandam relinquit. Interea Magdeburgenses contra aduersariorum iniurias quibus expositi erant, euocant Ioannem Marchionem Brandeburgicum, Henricum Brunsuigæ Ducem, & vicinas ciuitates, Halam, Brunsuigam, Quedliburgum, Aschersiebiam, Zeruestam, auctique viribus capiunt arcem Tucham, tum Calbam, Statfurtum, Saltzam, Otterlebiam. Præsul contra in Concilio Basileensi Anno 1434 obtinet edictum a Pontifice & Cæsare, quo iubebantur Magdeburgenses omnia quæ capitulo ademissent, restituere, munitionem protinus demoliri, & Archiepiscopo obedientiam ac reuerentiam præstare. At illi partis diuites, haud multum morabantur proscriptionis fulmen. Tandem tamen interponentibus autoritatem suam principibus compositum est certamen, solutumque vinculum excommunicationis.

39 Fridericus Comes Bichlingensis. Hic anno 1445 suscepit reformationem monachorum in cœnobio B. Pauli.

40 Ioannes Dux Bauariæ. Hic ciuitati locum illum dedit, in quo sunt fossæ, inter veterem & nouam vrbem, versus Albim, vsque ad portam quæ *Krockenthor* appellatur.

41 Ernestus Saxoniæ Dux anno 1476 electus, cum quatuor

tuor M equitum vrbẽ ingreſſus eſt. Poſtea etiam anno Chriſti M CCCC LXXIX adminiſtrator Halberſtadenſis factus eſt. Moriturus teſtatus eſt, ſe neque ſuis, neque aliorum meritis fidere, ſed ſoli Chriſti merito. Opera, inquit, Domini mei IESV Chriſti ſola ſufficiunt.

42 Albertus Marchio Brandeburgicus, qui vrbem deducentibus bis mille equitibus ingreſſus, anno MDXIII, a ſuffraganeis ſuis Merſeburgenſi, Brandeburgenſi & Lebuſienſi ſolemniter inauguratus eſt. Sub hoc, anno MDXXIV inſtituta eſt Eccleſiarum reformatio. Nicolaus Sturmius Conſul & alij viri primores euocarunt Lutherum, qui cõcione illic habita mentes multorum flexit. Poſtea miſſus a Luthero Nicolaus Amſdorfius paſtor ad S. Vlricum factus eſt, manſitque annos totos XVIII, donec Numburgum ad Epiſcopatum tranſlatus eſt. Anno vero MDXXXIX Archiepiſcopus ipſe Albertus ſubditis ciuitatibus & nobilitati in Diœceſi Magdeburgenſi & Halberſtadenſi liberam profeſſionem religionis permiſit.

43 Ioannes Albertus Marchio Brandeburgicus adijt dignitatem anno 1545, quo tantum diſſidium inter capitulum & ciuitatem ortum eſt, vt Canonici trepidi cum theſauris & mundo omni apparatuque Eccleſiaſtico aufugerint, & annos tres cum dimidio extra vrbẽ emanſerint, ſollicitantes interea Cæſarem vt ciuitatem proſcriberet; Principes vero, vt iunctis viribus eã oppugnarent. Proſcripta ergo eſt ciuitas An. 1547 Auguſtæ in Comitijs, iterũque biennio poſt, additis ad priorem cauſſis alijs, vna quod ſe Ioan. Friderico Electori iunxiſſent contra Cæſarem: Altera, quod repudiaſſent formulam *Interimiſticam*. Mauritius Saxo cui mandata fuit exſecutio decreti Imperialis, animum totum & ſex hebdomadas vrbem obſedit, a 4 die Octobris anni 1550, ad tertium vſque Nouembris anni 1551.

44 Fridericus Marchio Brãdeburgicus electus anno 1552 eopſe mortuus eſt.

45 Sigiſmundus Marchio Brandeburgicus electus anno 1553. Hic Auguſtanam Confeſſionẽ primus in templum Cathedrale inuexit.

46 Ioachimus Fridericus Marchio Brandeburgicus poſtulatus adminiſtrator anno 1566, templum Cathedrale quod iam annis pene 20 clauſum fuerat, aperuit. Anno 1577 ceſſit Auguſtus Dux Saxoniæ & Elector omni iure, quod in Diœceſin & vrbem Magdeburgenſem eouſque prætendebat. Exceptus eſt tantum titulus Burg-grauij Magdeburgenſis, cum poſſeſſionibus quibuſdam eo pertinentibus: quæ ſibi & hæredibus ſuis reſeruauit.

Anno MDLXXXV controuerſia inter Adminiſtratorem & ciuitatem de iuriſdictione Eccleſiaſtica & ciuili, quę ex emendatione religionis orta fuerat, duorum Electorum, Saxonis & Brandeburgici autoritate dirempta eſt.

Biennio poſt cœptæ ſunt haberi conciones ſecundum confeſſionem Auguſtanam in templo Cathedrali: Teſtatur id trabs cui ſic inſcriptum: ANNO DOMINI M D LXXXVII DOMINICA I ADVENTVS REPVRGATVM EST HOC TEMPLVM CATHEDRALE, ET INCHOATA PVRA EVANGELII PRÆDICATIO, ET LEGITIMA SACRAMENTORVM ADMINISTRATIO, EXPLOSO ANTICHRISTO. VENI, VIDE, AVDI.


MARPURG
Das. F. Schlos

Longitud. Grad. XXX. *32. Latitud.* L. *44.*

MARPVRGVM est idem cum Taciti Mattio, & Ptolemæi Mattiaco; vetus siue Cattorum siue Mattiacorum sedes ad Lanum amnem, qui haud procul oppido VVitgenstenio ortus in montibus, multis ambagibus sese in occasum sinuans, tandem in Rhenum exonerat ad Lonstenium. Est autem Marpurgum Hassiæ totius Metropolis, multis antiquissimorum ædificiorum structuris veneranda, prudentissimorum Senatorum incorrupto ordine conspicua. In ea forum elegans, & in foro Curia speciosa. Arx eminens in colle, inter quam & flumen interiecta est Ecclesia satis venusta, indicans, ad summi Honoris templum non dari aditum nisi per templum Virtutis. Fluuius ipse non tantum plurima delicatissimorum piscium genera educat, sed etiam occulta quadam vi medica clarus est, vt qui impetiginem sanare credatur. Itaque complures audias, qui quem glabræ cutis nitorem alibi thermis, fontibus, lauacris, potionibus non potuerunt procurare, eũ hic dicãt adeptos se simulatque aliquoties salubri sese fluuio mersassẽt. Arcẽ imprimis commendat structura visendi plane operis; vtpote quæ raras sibi similes habeat in eo Germaniæ tractu. Prospectus ex ea patet in vrbem, inque vicinos colles, & loca remotiora, iucundo & grato spectaculo. Exstruxit eam Ludouicus Episcopus Monasterienſis, Henrici III Lantgrauij Thuringiæ filius. Sunt & horti omni herbarum genere consiti, areolis, stirpibus, sepibus, arbusculis ornati. Sed ante omnia commendat arcem Principis sedes, cuius virtus non illic tantum sed etiam exteris locis nota est. Lano impositus est pons lapideus, ex quo gratus est in omnem partem obtutus. Est etiam in altera vrbis parte domus Teutonica Commendatoria, splendidi operis. Colles vicinos vestiunt vites, agros segetes, montes siluæ, prata oues, boues, capræ. Schola Margurgensis ex quo Lantgrauiorum Hassiæ singulari in Remp. & Ecclesiam munificentia erecta est, nunquam non habuit viros in omni doctrinæ genere excellenteis; quo factum est, vt ea quoque inter primas semper totius Germaniæ habita sit, ad eamque magnus numerus studiosorum etiam ex remotioribus locis confluxerit. Habuit hæc inter doctores Gerardum Nouiomagum, amicitia Erasmi satis ex scriptis notum: habuit post eum Andream Hyperium Theologum consummatæ eruditionis, cuius vnicus de ratione studij Theologici libellus sufficit ad perficiendum in eo genere doctorem, modo eius consilijs pareatur. Ei defuncto positum est hoc Epitaphium,

ANNO DOMINI MDLXIIII. KAL. FEBRVARII PIE IN CHRISTO OBIIT CLARISSIMVS VIR D. ANDREAS HYPERIVS, THEOLOGIÆ DOCTOR AC PROFESSOR IN HAC SCHOLA CELEBERRIMVS.

Habuit eadem in pædagogio quondam Iustum Vulteium. Habet adhuc excellentes in omni scientiæ genere viros, siue linguarum notitiam spectes, siue artium, & sapientiæ tum diuinæ tum humanæ. Collegia sunt Marpurgi satis venusta, in Pomœrio, & ad Lanum. Vici nobiliores duo, Alterum vocant *den Grien*, alterum *Bylgensteyn*. Plateæ duæ, vnam appellant *Steinweg*, alteram *Weidenhausen*. Ciues imprimis commendat frugalitas, cui a teneris adsuescunt; tum laborũ patientia, & fides in Principem; Videntur corpora regioni respondere. Terra cliuosa est, aspera, horrens: corpora vegeta, robusta, procera, facta ad tolerantiam: vt de Catus recte iudicauerit Tacitus, Eos Batauis esse similes, nisi quod ipso adhuc terræ solo & cœlo fortius animentur.

MISNA


MEISSEN
B. Virginis
S. Afrae
Dom. Episc.
Arx D. Sax
Marct
Elbis flu

Longit. Grad. XXXV. *30. Latit.* LI. *50.*

ALBIM in Hermunduris oriri ſcriptum eſt a Tacito: quod ego non de primis eius fontibus, ſed de patentiore ex ſaltu Hercynio eruptione capiendum puto: Naſcitur enim is in extrema Bohemia, in confinio Sileſiæ, gradu longit. XXXVII. 50. latitud. L. 40. ad montem quem vocant *Riſen-gebirge*, in valle *Teufels-grund*, haud procul ab oppido *Hoelb*, atque inde Auſtrum verſus diu lapſus tandem ad *Kuttenbergenſes* argentifodinas ſeſe in Septentrionem ſinuat, & admiſſo infra Pragam Molda amne extra Bohemiam magno impetu fertur. Ad læuam eius ſiue Occidentalem ripam ſita eſt MISNA, vrbs eius tractus præcipua; quæ Meridiem verſus habet Tubiſcum torrentem, a Septentrione riuulum Miſnam, a quo & vrbi & toti Marchiæ nomen datum non mirabitur, qui rebus maximis obſeruauerit ex minimis occaſionibus datas eſſe denominationes. Appianus & Pyrchaymerus exiſtimant eſſe Ptolemæi λάπφυρδον. Ac fuiſſe olim ad hanc vrbem traiectum indicant hodieque ſuburbij nomina, quorum alterum eſt *Ober-vhor*, quaſi ſuperior traiectus; alterum *Nidher-vhor*, quaſi inferior traiectus. Eſt & ad duos ſupra vrbem lapides vicus *Rotſchenbrode*, qui a tranſitu quoque nomen ſortitus eſt. *Broda* quippe Vandalorum lingua ſignificat tranſitum. *Lupf* autem & *Rotſch* videntur nobilium virorum nomina fuiſſe, ſicut de *Erffa* obſeruauimus in Erfurdia. Tres autem habet Miſna in vno monte arces, vnam Principis, alteram Epiſcopi, tertiam Burg-grauij. Pons ſaxeus altiſſimus montes duos inter ſe committit: eſtque is templis ac turribus ad Albim ſitis multo eminentior. Per eum itur ex mõte Aſtæ in arcem, Epiſcopi patetque proſpectus ex eo in vrbem ſubiectam, in colles circumfuſos, in hortos, in vineta. Arx Principalis inchoata eſt ab Erneſto, perfecta vero & abſoluta ex opulentia metallorum Annæbergenſium ab Alberto Saxoniæ Duce anno Chriſti MCCCC LXXI. Epiſcopatũ conſtituit ibi Otto Magnus, liberum, & a reliquorum Germaniæ Metropolitanorũ inſpectione immunem, ſoli ſubiectũ Pont. Romano. Vrbs ipſa ſparſa vario, alibi planitiem habet & valles, alibi in colles monteſq; adſurgit. Ad Occaſum ſunt excelſi montes, ad Septentrionem riuulus Miſena, qui ad Schloſburgum monte in maiorem amnem ſeſe exonerat. Ad Auſtrum eſt Tubiſcus, ad ortum Albis: qui ponte ſtefnitur ligneo, tam artifici, vt ſimilem neque Romanum habeat imperium, neque regiones exteræ. Extra vrbem ſunt metallifodinæ in montibus. Primo ab vrbe lapide occurrit Scharffenbergum, vnde argentum & plumbum effoditur. Fribergum verſus fuiſſe etiam fodinas teſtantur altiſſimi ſpecus. Multa vero paſſa eſt vrbs iſta ab hoſtium incurſionibus. Anno M XV obſeſſa eſt a Meſicone filio Boleſlai Polonorum Ducis, abſentibus Marchionibus Miſniæ Gunthero & Eccardo II, qui tunc in caſtris Imperatoris militabant. Tentata eſt tunc expugnatio ſummo labore, præſertim ad vicum VVaſſerburgicum: Ferunt iniectum igné in tabulata quum iam erupiſſet, & vicina loca depaſceret, a mulieribus reſtinctum, affuſo loco aquæ mulſo. Quum autem videret Meſico ſe nihil poſſe obtinere, ob ciuium in ſuos fidem, conſtantiam & fortitudinem, & militum ſuorum clades, quodq; Albis crebris tunc imbribus creſcẽs difficilẽ in caſtris mãſionem faceret, diſceſſit re infecta. Huius tam opportunæ liberationis memoria publico feſto celebrari ſolita eſt, mulieribus in domum Conſulis cõuenientibus & cum pompa inde in templum ad gratias Deo Liberatori ac Soſpitatori agendas, vrbiſque cuſtodiam ipſi commendandam procedentibus. Anno M LXVII venit vrbs in manus Henrici IV Imperatoris, traditaque eſt ab eo Vratiſlao Duci Bohemorum: ſed anno M LXXVI recuperauit eam Ecber-

tus II Thuringiæ Marchio, manſitque ex eo ſemper in poteſtate Marchionum Miſniæ.

SERIES EPISCOP. MISNENSIVM.

1 Anno D CCCC LVIII fundata eſt Miſnenſis Eccleſia ab Ottone Magno Imperatore, libera, nullique vel Patriarchæ vel Metropolitano obnoxia, ſed ſoli Pontifici Romano ſubiecta, cautumque, vt ſine vlla intermiſſione noctes atq; dies perpetuo hymni in Eccleſia decantarentur. Cõfirmata eſt ſedes a Ioanne Papa XIII, ſubſcribentibus XXXIX Epiſcopis, & conſecrante eam Alberto Epiſcopo Treuirenſi. Primus eius Præſul fuit Burcardus Ottonis Imperatoris ſacellanus. Hic eam rexit annos 20.

2 Volcoldus. Hic ordinem lectionum, orationum, canticorum, & Eccleſiaſticorum exercitiorum inſtituit, cuſtos pietatis, diſciplinæ, ſanctitatis, & pudicitiæ, rexit an. 23.

3 Aico, vel Eido, electus an. 995. Interfuit Synodo Tremonianæ. Defunctus eſt anno 1015. Adiunxit ad Eccleſiam opida Eſiconis Comitis, VVurzam, Bicham, Bucham, & Lubbenizam.

4 Eruardus Ditmari Marchionis Luſatiæ ſacellanus, cõſtitutus Epiſcopus ab Imperatore, an. 1023.

5 VVipertus, ab Hunefrido Archiepiſcopo Magdeburgenſi inauguratus anno 1024.

6 Theodoricus tempore Synodi Francofurtenſis, quam Aribo Archiepiſcopus euocauit ob controuerſiam de cœnobio Gandersheimenſi, inter Hunfridum Halberſtadenſem, & Gothardum Hildesheimenſem.

7 Reinerus an. 1046, conſtitutus ab Henrico III Imperatore in ſchiſmate. Hic fundauit cœnobium S. Afræ.

8 Crafto, de cuius obitu ſic ſcribit Lambertus Schafnaburgenſis Abbas. Venit non multo poſt ſuſceptum Epiſcopatum Goſlariam, vbi Præpoſitus erat, & theſauros ſuos quos impenſe amabat, occultarat. Hos viſurus, in cubiculum, quaſi quietem capturus, ſe incluſit. Sed quum diutius ibi in veſperam vſque remaneret, cubicularij oſtium pulſarunt, & quum nullam vocem audirent, effractis foribus irruperunt, inueneruntque Præſulem fractis ceruicibus, colore tetro exanimem theſauris ſuis miſerandum in modum incubantem.

9 Menwardus: obijt an. Chriſti 1066.

10 Benno adijt Epiſc. anno 1066. Slauorum magnam partem conuertit.

11 Henricus, obijt an. 1118.

12 Gramborus, obijt an. 1129.

13 Godebaldus, defunctus an. 1140.

14 Reinhardus.

15 Bertholdus.

16 Bruno I, electus an. 1219.

17 Gerungus: Hic Bibliothecam conſtituit.

18 Martinus.

19 Theodoricus anno 1190.

20 Bruno anno 1219, fundauit Eccleſiã Budiſſinenſem.

21 Henricus I, ſub Friderico II Imp.

22 Conradus I.

23 Albertus Doctor Theologiæ, obijt an. 1166.

24 VVitigo I, Baro de Camens.

25 Bernardus Dreſdam Marchioni Miſniæ vendidit.

26 Albertus II Comes Leiſnicenſis.

27 VVitigoll, extinctus anno 1347.

28 Ioannes de Iſenberg, obijt an. 1370.

29 Theodoricus III de Goch.

30 Conradus II de VValhuſen. Hic vineas quaſdam emit circa Kotzebrode, nonnullas ipſe circa Mogelam

lam plantari iussit, vt vini copia mensæ Episcopali sufficeret.

31 Ioannes de Gentzenstein. Fuit quoque idem Archiepiscopus Pragensis, & Misniæ vicariam fundauit S. VVenceslai, cuius collatio est penes Archiepiscopum Pragensem.

32 Nicolaus I, defunctus an. 1385.

33 Ioannes III Baro de Kitliz. Hic Episcopatum resignauit in cognatum suum Timonem de Coldiz, seruatis sibi CCC sexagenis Pragensibus annuis.

34 Timo I, Baro de Coldiz. Hic profectus ad Concilium Pisanum, a prædonibus spoliatus est. Defunctus anno 1410.

35 Rudolphus I de Pauniz Ecclesiam magno æræ alieno pressam liberauit.

36 Ioannes IV Hofmannus Suidicensis, Theologiæ Doctor, fuit Rector Pragæ, & cũ Ottone Monsterbergensi Academiam Lipsicam ex ruderibus Pragensibus collegit. Fuit in Concilio Constantiensi: atque illic magnum sibi nomen ex eruditione & prudentia parauit: obijt an. 1451.

37 Caspar I a Schonberg, electus an. 1451.

38 Theodoricus IV Schonbergius Casparis frater. Obijt an. 1486, reliquit in ærario Ecclesiæ octies mille & octingentos florenos.

39 Ioannes de VVissenbach, electus anno 1486, dilapidatis bonis Ecclesiasticis æs alienum reliquit 21400 florenorum Rhenensium.

40 Ioannes VI de Salhusen, electus an. 1488. Capitulum ære alieno liberauit. Sepultus est VVurcæ anno 1518. Gubernatio eius incidit in ea tempora quibus Tezelius nomine & authoritate Archiepiscopi Madeburgensis indulgentias venditabat. Qua rei indignitate commotus Ioannes prædixit, postremũ illum in Germania Indulgentiarum venditorem fore.

41 Ioannes VII, electus an. 1518. Hic Emserum, Cochlæum, Alueldium, Siluium aduersus Lutherum sequutus est. Bennonem decimum in serie Episcoporũ Misnensium a Papa Adriano VI sanctis adscriptum, summa cum ceremonia extulit, præsentibus Saxoniæ Ducibus Georgio & Henrico.

42 Ioannes VIII de Maltiz anno 1538. Hic reformationem ab Henrico Saxoniæ Duce anno 1539 susceptam per Misniam moderate tulit. Defunctus est anno Chr. 1549.

Primus in vrbe pastor ad formulam Augustanam fuit Ioannes Albinus Francus VViteberga eo missus, anno 1540. In Basilica vero concionati sunt Georgius Spalatinus, Nicolaus Amsdorfius, Iustus Ionas, & alij. Eodem anno conuersum est cœnobium nudipedum in Scholam. Anno 1547 capto Ioanne Friderico quum mandatum esset Misnensibus Canonicis a Carolo V vt gestientes canerent hymnum TE DEVM LAVDAMVS, tacta sunt fulmine duo templa. Ac in cathedrali quidem arsit tectum, turrisque absumpta est: in Vrbano vero fastigium templi læsum.

43 Nicolaus II Carlouitius, electus an. 1550. Sepultus est Stolpæ.

44 Ioannes IX ex gente Haubitiorum.

45 Augustus Saxoniæ Dux cedente Haubitio Ecclesiæ curam suscepit anno 1581.

46 Christianus Dux & Elector Saxoniæ an. 1586.

47 Christianus Dux & Elector Saxoniæ an. 1592.


MENTZ

Longit. Grad. XXIX. *45. Latitud.* XLIX. *57.*

MAGVNTIACVM vocant Tacitus & Ammianus per primam vocalem, quam Ptolemæus μοκοντίακον, Eutropius Maguntiam, Rhegino Moguntiam, Galli *Maience*, accolæ *Mentz* vocant. De ea sic canit Ligurinus libro I.

Hic Mogus tumido miscet sua flumina Rheno,
Qui licet ipse suum perdat cum gurgite nomen,
Dat tamen egregiæ primordia nominis vrbi,
Illaque maiori quum sit popularior amni,
Negligit, & fluuio dignatur ab hospite dici.
Namque premens Rhenum (si credimus omnia famæ)
Nomen ab infuso recipit Moguntia Mogo,
Hæc vrbs Francorum medijs in finibus, agris,
Vitibus, arbustis, populo generosa frequenti,
Hinc statione sua Rhenum contingit, at inde
Extendit rapidam fines procul vsque Mosellam,
Turribus hæc eadem quondam murisque superba,
Pene fuit toto sedes notissima regno,
Donec ob infandum detestandumque furorem
Strata luit meritas occiso Præsule pœnas,
Inde ruinosis deformis & horrida muris
Testatur iustas offensi Principis iras.

Quod de Mogo scribit Ligurinus posterioris ævi commentum est: nam Mœnum Plinius, Mela, Ammianus agnoscunt, nemo veterum Moganum, vel Mogum. Ipsum quoque Maguntiacum olim non vti nunc ad ripam situm fuit, sed remotius, quo loco nunc leprosorum est nosodochium, quod & ruinæ ipsæ indicant. Exstruxisse vrbem vel restaurasse creditur Drusus, memoriamque eius facti conseruari in mole quæ extra vrbem instar glandis spectatur in colle quem a forma vocant *Aichelstein*. Autor huius rei est Frisingensis lib. III, cap. 4. Hic Drusus, inquit, Moguntiam in Gallia & Augustam in Rhætia fundasse vel instauraſſe dicitur. Monstratur adhuc monumẽtum eius Moguntiæ in modum pyræ. Sub Valentiniano Gratiano & Valente cepit spoliauitque Moguntiacum Rando Allemannus ipso Christianorum die festo, sicut a nobis libro I, cap. 12, narratum est. Marcellinus eam rem sic prodidit. Sub idem fere tempus, inquit, Valentianiano ad expeditionem caute vt rebatur profecto, Allemãnus regalis Rando nomine, diu præstruens quod cogitabat, Maguntiacum præsidijs vacuum cum expeditis ad latrocinandum latenter irrepsit. Et quoniam casu Christiani ritus inuenit celebrari solennitatem, imprepedite huiusce modi fortuna & virilem & muliebrem sexum cum supellectile non partua indefensum abduxit. Hæc ille. Christianam religionem in vrbem intulisse creditur primus Crescens discipulus B. Pauli, a quo deinceps numerantur Episcopi, vsque ad Bonifacium, qui Archiepiscopatum primus hic constituit. Anno CCCC LIV vastarunt vrbem Hunni, sed a Dagoberto Francorum rege restituta est postea anno D XXV & Rheno propius admota. Carolus Magnus pontem Rheno iniecisse fertur quingentos passus longum, qui postea anno D CCC XII incendio absumptus est. Primarium templum sacrum est B. Martino. Sunt & alia collegiata, B. Ioannis, B. Stephani, B. Petri, B. Mariæ, B. Mauritij, S. Albani, S. Crucis. Nulla est in Germania vrbs quæ plura & certiora habeat vetustatis monumenta. Inter prima vrbis decora refertur a multis inuentio artis typographicæ: quam laudem nos alibi nostris Harlemensibus asseruimus. Et ostendit nobis nuper humanissimus & antiquitatum Hollandicarum peritissimus P. SCRIVERIVS citatum a nobis alibi Specultum Salutis, non Belgice sed Latine editum, primum magnę artis rudimentum, cuius paginæ glutine cõmissæ fuerant, vt videri possent opistographæ. Sed attentius consideranti facile

apparuit non collectas fuisse litteras singulas digestasque in vocem, voces in versum, versus plures in paginam, sed singulas paginas singulis tabellis ligneis expressas fuisse, imaginibus litterisque exstantibus atque prominentibus, sicut sigillis & ectypis solent imprimi notæ rerum materiæ molliori, & vt ex libris ad nos e Sina aduectis apparet Sinenses libros suos adornate, quæ res vt adfinitatem aliquam cum arte typographica hodierna habet, ita multum adhuc a perfectione artis remota est. Nec negabunt Moguntini quin ea saltem laus Harlemensibus nostris debeatur. Quis autem non videt, facilius fuisse ingeniosis hominibus & ad res præclaras inueniendas natis ex tali rudimento progredi vlterius, & ad conceptam animo perfectionem superatis impedimẽtis eniti, quam protinus consummata omnia reddere & primo actu absoluta? Nihil simul & cæptum & perfectum est: Per interualla creuerunt artes, & adiectione particularum incrementum acceperunt. Principijs autem recte inuentis, facile est aliquid adijcere, & quo quisque magis ingenio pollet, eo est ad perficiendum aptior. Sic factum in pictura; sic in sculptura, sic in ipsa Sapientia. Scitum est illud magni Philosophi, Τὰ ἐξ ἀπαρχῆς εὑρισκόμενα, μικρὰν τὸ πρῶτον ἐπίδοσιν λαμβάνειν εἴωθε. χρησιμώτερον μέντοι πολλῷ τῆς ὕστερον ἐκ τούτων αὐξήσεως. τῆς δὲ ἀρχῆς εὑρημένης, ῥᾷον τὸ προσθεῖναι καὶ συνάξειν τὸ λοιπὸν ἐστιν. ὅπερ σχεδὸν καὶ περὶ τὰς ἄλλας τέχνας συμβέβηκε. Non ergo mirum, si Harlemenses nostri, qui primi apud nos tabulas extypas inuenerunt & libros tabulis illis impressos suo commodo vendiderunt, ijdem quoq; inuitante lucro, impellente genio, ducente arte, inuenerint modum litteras singulares seorsim dispositas colligendi, easq; in syllabæ, vocabuli, sententiæ, versus, ac paginæ modulum compingendi, quum hoc illo multo fuerit facilius, & a maioribus ad nos transmissæ narrationes (quæ fraude & fuco carueruut) illud ab ijs factum testentur, resque omnino per se sit vero adfinis. Non negauerim tamen, quin statim Moguntiaci Ioannes Gutenbergerus maiore copia libros ea ratione impressos vulgauerit, adque idcirco apud exteros pro primo istius artis inuentore laudatus sit. Philippi Beroaldi de ea exstant versiculi,

O Germania, muneris repertrix
Quo nil vtilius dedit vetustas,
Libros scribere quæ doces premendo!

Vere Germanorum hæc laus est, siue Harlemensibus ea tribuatur, siue Moguntinis.

SERIES EPISCOPORVM MOGVNTINORVM.

1 S. Crescens B. Pauli auditor, in Germaniam missus, docuit Moguntiaci.
2 Bodardus siue Budibardus.
3 Sophronius.
4 S. Maximus: scripsit aduersus Arianos an Chr. 345.
5 Sidonius.
6 Marinus: interfuit Synodo Coloniensi in qua Euphrates Episcopus Photinianus, quem Gothi victores euexerant, deijcitur, anno 396. Obijt an. 403.
7 Sigismundus.
8 Lindegasius.
9 Auræus ab Hunnis trucidatus, anno Christi 454, quo Moguntia ab Attila funditus euersa & solo æquata est. Eo tempore Ariani & Photiniani Germaniam inferiorem sua opinione infecerant.
10 Rudelinus.
11 Landouoldus.
12 Haboaldus.
13 Sigebertus: vixit anno 498, sub rege Clodoueo. Hoc tempore cœpit exstrui vetus monasterium Virginum, libera-

liberalitate VViluildis Francorum Duciſſæ, quæ neptis erat Sigeberti ex ſorore Mechtilde, gubernatrice prouinciarum Rhenenſium.

14 Ruthardus, ſub Iuſtiniano Imperatore anno Chriſti 525. Circa hoc tempus cœpit Dagobertus Galliarum Rex Moguntiacum reſtaurare, ſedibus ad cc paſſus Rheno propius admotis.

15 Geroldus, ſub Pipino & Carolomanno Galliæ regibus, a quibus etiam factus eſt Archiepiſcopus VVormatienſis. Hic pro Pipino bella geſſit contra Saxones Thuringiam vaſtantes, ſed infelicite, reæſus eſt enim a Rege Saxoniæ.

16 Geruilio Geroldi filius, ſucceſſit patri in vtroque Epiſcopatu. Hic regem Saxonum a quo pater cæſus fuerat ſua manu interemit. Ea de cauſſa ipſe vtroque Epiſcopatu electus, in monaſterium detruſus eſt.

SEQVVNTVR ARCHIEPISCOPI.

17 S. Bonifacius Anglus primus Archiepiſcopus, dictus antea Vunefridus, tres Epiſcopatus in Germania inſtituit, Herbipolenſem, Ayſtetenſem, & Friſingenſem: Abbatiam quoque Fuldenſem: Sedit an. 35. Occiſus eſt in Friſia a Paganis an. 755: ſitus eſt Fuldæ.

18 Lullus ſub Pipino: ſedit an. 31. Interfuitque bellis a Carolo magno in Saxonia geſtis: Obijt anno 787.

19 Richolphus Caroli Magni Conſiliarius, electus anno 787. Sub hoc deflagrauit pons Moguntinus, an. 812. Ipſe etiam cœnobium S. Albani fundauit. Sedit an. 26. Defunctus an. 813.

20 Haiſthulphus electus a Carolo Magno: præfuit an. 12, obijt an. 825: Situs eſt ad S. Albanum.

21 Odogarius electus a Ludouico Pio: Hic Danorum regem Harioldum baptizauit cum coniuge anno Chr. 826. Obijt an. 847.

22 Rhabanus Maurus Bedæ Angli diſcipulus, vir eruditus, cuius multa exſtant ſcripta. Ex profeſſore Pariſienſi factus eſt Abbas Fuldenſis: ex Abbate Archiepiſcopus, anno 847. Sub hoc in Synodo Moguntiaci condemnatus eſt Godeſcalcus hæreticus, cuius aſſertiones fuere iſtæ,

1 Quod Deus ſingulares quaſdam perſonas ad mortem æternam prædeſtinauit.

2 Quod Deus non velit omnes homines ſaluos fieri, ſed duntaxat eos qui ſaluantur. Nam, inquiebat, Si hi omnes non ſaluantur quos Deus vult ſaluari, non omne fecit quod voluit: Quod ſi velit id quod non poteſt facere, non omnipotens eſt, ſed infirmus & impotens. Atqui omnipotens eſt, quia fecit omne quod voluit, teſtante Scriptura, Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo, in terra, in mari, & in omnibus abyſſis, Ergo.

3 Quod IESVS CHRISTVS Dominus noſter & Saluator non fuit crucifixus neque mortuus pro redemptione totius mundi, id eſt, pro redemptione & ſalute omnium hominum, ſed tantum pro his qui ſaluantur.

4 Quod ſoli Electi recte dicuntur pro quibus Dominus paſſus eſt.

5 Quod nemo illorum pro quibus Chriſtus ſatisfecit Patri, poſſit perire. Verba eius fuere hæc, Abſit velim, non ſolum dicam cogitare, verum etiam ſemel muſſitare, quod ſerpens antiquus ad ſe rapere poſſit vnum eorum pro cuius redemptione Deo Patri ſuo Dominus ſanguinem ſuum pretioſum effudit. Amen. Et alibi alloquens Chriſtum dixit, Quare manifeſtum eſt, nullum eorum perire, qui ſanguine tuæ crucis redemptus eſt.

Eadem

Eadem hodie docent, Franekeræ Sibrandus quidam Lubbertus, Herbornæ Ioannes Piscator, quorum ille etiam audet ad antiquitatem prouocare. Quid illi accidisset si eo seculo vixissent? Iugulassent eius errorem qui Godscalcum presbyterum condemnarunt,

Rhabanus Archiepiscopus Moguntinus.
Hatto Archiepiscopus Treuirensis.
Hildeboldus Archiepiscopus Colonienſis.
Altfridus Episcopus Hildesheimenſis.
Haymo Episcopus Halberstadenſis.
Ludericus Episcopus Bremenſis.
Lintbertus Abbas Hirsaugienſis.
VValdo Abbas Fuldenſis.
Einhardus Abbas Selgenstetenſis.
Brunnwart Abbas Hirsfeldenſis.
Bertholdus Episcopus Mediolacenſis.
Aduentitius Abbas Metenſis.
Radulphus Abbas S. Medardi Sueſſionenſis.

Et alij Episcopi, Abbates, Monachi.

23 Carolus Dux Aquitaniæ filius regis Francorum Pipini, sedit an. 7, obijt an. 863.

24 Ludibertus. Hic exstruxit Ecclesiam collegiatam S. Mauritij: ob. an. 889: sepultus est ad S. Albanum.

25 Suntheroldus promotus ab Arnulpho Imp. sedit an. 1, occubuit in expeditione contra Nortmannos ad Rhenum, anno 891.

26 Hatto Francorum Dux, constitutus Archiepiscopus ab Arnulpho an. 891, cuius filium Ludouicum in baptismo susceperat: sedit an. 21: ob. an. 913. Hunc alij vinum aDæmonibus aiunt in Ætnam asportatum.

27 Herigerus, præfuit an. 12. Vnxit Henricum Aucupem, resignauit sedem in Rupertum anno Chr. 924. Obijt sexennio post.

28 Rupertus, sedit an. 4, menses 6.

29 Hildebertus Franciæ Orientalis Dux, Abbas Fuldenſis, electus an. 928, præfuit an. 9. Coronauit Aquisgrani Ottonem I Aucupis filium. Obijt an. 938.

30 Fridericus Dux Lotharingiæ, sedit an. 18. Fundauit præposituram S. Petri: Obijt an. 954.

31 Guilielmus Dux Saxoniæ Ottonis Imperatoris ex Editha Angliæ regina filius, electus an. 954, præfuit an. 14. Deduxit Ottonem II fratrem suum Romam: defunctus est anno 968.

32 Hatto Abbas Fuldenſis constitutus Archiepiscopus ab Ottone Imperatore. Fertur a muribus deuoratus in Rheno anno Chr. 969.

33 Rupertus, præfuit an. 6.

34 VVilligisus Ottonis II consiliarius & sacellanus: Hic in conclaui habuit semper ante oculos depictam rotam cum inscriptione, VVilligise, memento quid fueris, quid sis, quid futurus sis. Natus est enim patre fabro rotario. Hoc insigne postea cessit Archiepiscopis omnibus Moguntinis, datum ipsis ab Henrico II Imperatore Claudo. Idem VVilligisus primus fuit è Moguntinis Imperij Elector. Post obitum Ottonis II docuit & educauit Ottonem III, eumque elegit: quo defuncto elegit quoque Henricum Claudum: præfuit an. 36. Exstruxit Basilicam S. Stephani. Mortuus est anno 1011.

35 Erbo Bauarus, Comes ab Hohenwart.

36 Herimboldus ex Abbate Fuldenſi, fundator Ecclesiæ S. Crucis: ob. an. 1020. Sepultus ad S. Ioannem.

37 Aribo Palatinus Rheni, præfuit an. 11. Elegit Conradum Saliquum. Excessit ex hac vita an. 1031.

38 Bardo Abbas Fuldenſis & Hirdsfeldenſis, sedit an. 20. Elegit Henricum III, eiusque vxorem Agnetem Comitissam Pictauiensem vnxit. Sub hoc celebrata est Moguntiæ Synodus ob pacandam Galliam, cui interfuit

fuit Leo IX Papa, cum XLII Episcopis Germaniæ. Ob.an.1051. Situs est in Cathedr. Ecclesia S. Martini.

39 Luitboldus, sedit an.9, defunctus est an. 1060.

40 Sigefrid. Baro ab Eppensteyn Abbas Fuldensis,electus anno 1061. Profectus est in Palæstinam anno 1063. Vnxit quem elegerat Rudolphum Sueuiæ Ducem, contra Henricum IV ab alijs electum. Obijt exsul in Hassia an. 1084, quum præfuisset annos 24.

41 VVesilo, præfuit an. 4, obijt an. 1089.

42 Ruthardus sub Henrico IV & Henrico V.

43 Adelbertus Lotharingiæ Dux,Henr.V Cancellarius ab Imperatore promotus ad Archiepiscopatū, præfuit ei an.28.Elegit Lotharium Saxonē. Sub hoc arsit Ecclesia Cathedralis cum magna vrbis parte. Ob.an. 1134.

44 Adelbertus II Comes Sarrapontanus promotus a Cōrado III Imp. præfuit an. 4.

45 Malcolfus, præfuit an. 2. Obijt an. 1142.

46 Henricus Fœlix, electus an 1142, sedit an. 10.

47 Arnoldus Friderici Barbarossæ Cancellarius promotus ab Imperatore an. 1153. Hunc ciues an. 1168 trucidarunt in cœnobio S. Iacobi,& vestibus exutum in sterquilinium abiecerunt. Fridericus eius facti indignitate motus muros vrbis euertit, cœnobiū S. Iacobi diruit, ciues omnibus priuilegijs spoliauit, sumpto supplicio de facinorosis. Sic mansit Moguntia totos annos 36.

48 Conradus Comes de VVittelspach frater Ottonis Palatini, qui Philippum Imperatorē Bambergæ interfecit, promotus a Friderico Barbarossa, quum nollet Octauianum Cardinalem agnoscere pro summo Pontifice, ab Imperatore iterum deturbatus est, suffecto in eius locum Christiano Comite ab Buche, quo defuncto, Conradus ex Italia reuersus est, seditq; adhuc an. 17.

49 Christianus Comes a Buche,sedit an.13,ob.an.1183.

50 Sigefridus II Baro ab Eppensteyn varia sorte vixit, obijt Erfurdiæ anno 1230.

51 Sigefridus III, electus an. 1230. obijt Bingæ an. 1248.

52 Christianus II, præfuit an. 2, resignauit an. 1251.

53 Gerardus Comes ab Falkenstein, præfuit an. 9.

54 VVernerus Comes a Falkensteyn, præfuit an.24, obijt an.1284. Sub hoc pulsi Moguntiaco Iudæi.

55 Henr. Gurtelknoff Franciscanus, confessor Rudolphi Habspurg. promotus ab Honorio IV Papa an. 1286.

56 Gerhard. II Baro ab Eppensteyn,elect.an.1288,præfuit an 16.Hic elegit Albert. Austriacum contra Adolphū.

57 Petrus Aichspaldius medicus, quod Clementē V Papā ægrotū sanasset, promotus ad cathedram. ob.a.1320.

58 Matthias Comes a Bucheck, præfuit an. 8.

59 Balduinus Comes Lucelburgicus frater Henrici VII Imperat. simul quoque Archiepiscopus Treuirensis.

60 Henr.Comes a Firnenburg. adijt Episcopat. an.1331.

61 Gerlac. Com.Nassou. Adolphi Imp.nep.ob.an. 1371.

62 Ioannes Dux Lucelburg. præfuit an. 2.

63 Adolphus Comes Nassouius Gerlaci ex fratre nepos.

64 Conradus Baro a VVeinsperg electus an.1388,ob.an. 1395. Sub hoc XXXVI ciues Moguntini Bingæ exusti, quod essent VValdensibus addicti.

65 Ioan.Comes Nassouius,sedit an.23,elegit Rupertum, ac postea Sigismundum,Imperatores, obijt an. 1419.

66 Conradus Comes Rhenensis, præfuit an. 8.

67 Theodor. Dom.in Erbach. sedit an.24,ob.an.1459.

68 Dietherus Eysemburgicus, defunctus an. 1482.

69 Adolph. II Com.Nassou.sedit a.13,cōtra Dietherum, in schismate,quod cōstitit XX centenis mill.aureorum.

70 Albertus Saxoniæ Dux, obijt an. 1484.

71 Bertholdus Hennebergensis Princeps, sedit an. 21.

72 Iacobus a Liebensteyn,sedit an. 4.

73 Vriel a Gemingen Sueuus, electus an. 1508.

74 Albertus II March.Brand.elect.an.1513,ob.an.1545.

75 Sebastianus ab Heusensteyn Hessus.

Ioannes Suichardus.


MYNDEN

Longit. Grad. XXXI. *30.* *Latitud.* LI. *28.*

MINDA ad trium amnium, Visurgis, Fuldæ, & VVerræ cõfluenteis in Saxonia sita, VVitekindi & Caroli Magni opus, ex eo appellationem sortita dicitur, quod quum VVitikindus Carolum victorem esset admissurus, & cum eo simul religionem Christianam, quærenti locum exstruendæ Ecclesiæ & sedi Episcopali, arcẽ suam amni vicinum obtulerit, addens lingua Saxonica, *Myn, Dyn,* Mea tua sunt. Placuisse Carolo hominis cardorem vsq; eo aiunt, vt ex illa voce nomẽ loco indiderit. Sitne autem VVitekindus Mindæ baptizatus, an Bardowici, an Bethlehemi prope Osnaburgũ, in medio relinquimus. Conuersionem eius referunt in an. DCCLXXXV.

SERIES EPISCOP. MINDENSIVM.

1 Herimbertus qui VVitikindum baptizauit.
2 Haduardus. 3 Meymelphus.
4 Theodoricus cæsus a Normannis in Ebbeckstorp.
5 Vulfarius. 6 Drogo an. Chr. 806.
7 Adelbertus. 8 Bernardus.
9 Lidarius sub Conrado Imp. 10 Euergisus.
11 Helinwardus a quo consecrata est Ecclesia, ob. an. 958.
12 Landowardus sub Otto I.
13 Milo sub Ottone III, anno 992. 14. . . . 15. . .
16 Sigebertus. Hic Mindæ Ecclesiam S. Martini fundauit.
17 Bruno sub Henrico III. Exstruxit Mindæ S. Mauritij monasterium.
18 Engelbertus. Sub hoc conflagrauit templum.
19 Reinwardus.
20 Volmarus ex Canonico Hildesiano factus Episcopus.
21 . . . . . 22 . . . . .
23 VVitilo, electus an. 1114, defunctus an. 1120.
24 Sigewardus, sedit an. 21, defunctus an. 1144.
25 Henricus, sub Friderico I.
26 VVernerus, sedit an. 17, obijt an. 1160.
27 Anno, obijt an. 1185.
28 Dietmarus sub Ottone & Philippo Imp. ob. an. 1206.
29 . . . . . .
30 Conradus Diepholdanus, sedit an. 27.
31 Guilielmus, defunctus an. 1244, sedit an. 6.
32 Ioannes, sedit an. 10, obijt an. 1252.
33 VVidekindus Comes Hoyensis, sedit an. 8.
34 Cono, sedit an. 5, defunctus an. 1265.
35 Otto I, sedit an. 7, obijt an. 1275.
36 Volquinus sub Rudolpho Imp. sedit an. 1282.
37 Conradus II, sedit an. 13, obijt an. 1300.
38 Ludolphus Roisterpe, abijt an. 1314.
39 Gothofridus Comes de VValdegge, ob. an. 1324.
40 Ludouicus Dux Luneburgensis, sedit an 22.
41 Gerardus Schauwenburgicus, sedit an. 7.
42 Theodoricus III Cagelmind, sedit an. 9.
43 Gerardus Comes Schawenb. abijt in Palæstinam.
44 Otto II, defunctus an. 1368.
45 VVidekindus de Monte, defunctus an. 1384.
46 Otto III, sedit an. 14, Situs est Mindæ.
47 Marquardus Sueuus translatus Constantiam.
48 Guilielmus de Busche.
49 Otto IV Comes de Ritberg.
50 VVillebrandus de Hailermundt.
51 Albertus Comes Hoyensis, sub VVenceslao Imp.
52 Henricus Comes Schawenb. electus an. 1478.
53 Franciscus Dux Brunsuic.
54 Franciscus Comes VValdecensis.
55 Georgius Dux Brunsuic. fuit idem quoq; Archiepisc. Bremensis & Episc. Verdensis: obijt an. 1562.
56 Hermannus Comes Schauwenburgicus.


MUNCHEN
F. Pfarkirch
S Jacop

Longit. Grad. XXXIII. *42. Latitud.* XLVIII. *0.*

AD Isaram flumen quod ex Alpibus Pœninis lapsum Septentrionem versus voluitur, inq; Danubium sese exonerat, situm est MONACHIVM, sedes Bauariæ Ducum, vrbs ampla, potens, elegans. Exstructa fertur ab Ottone Duce, anno Christi DCCCLXII. nomen autem habere ex eo, quod monachorum villa hoc loco fuerit Collegij Schefflarienſis: itaque insigne illi adhuc Monachus, qui passis vlnis dextera speciem iurantis præ se fert, læua librum tenet. Muris cincta dicitur anno MCLVII, opera Ottonis Bauariæ Ducis. Sita est loco amœnissimo: Occidentem versus respicit Lycum amnem & Augustam Vindelicorum: versus Orientem, Ænum & VVasserburgum, paribus interuallis decem milliarium. Septentrionem versus est Frisinga; ad Meridiem montes Tirolenses. Amplitudo eius interior continet passus quingentos. Templa in vrbe sunt varia; duo autem præcipua, quorum alterum B. Petro, alterum B. Virgini sacrum est, in quo monumenta spectantur Illustrium Bauariæ Ducum, & Ludouici IV Imperatoris. Turres huius templi binæ columnarum instar rectæ adsurgunt in altitudinem pedum CCC XXXIII. Organum musicum pneumaticum eius templi constat ex tubis buxeis, quibus nullæ in vniuersa Germania capaciores ex plumbo vel stanno fusiles esse creduntur. Monasteria plura sunt, Franciscanorum, Augustinianorum, Iacobitarum, aliorumq;. Castrum Principis nouum splendidum est, & plane regium. Hortus præter artificiosum fontem & domum pulcherrimis picturis ac statuis ornatam, pergulasque & antra ex opere topiario, hoc habet insigne, quod sub vesperã quotidie vergente ad noctem crepusculo magnus ceruorum grex fenestras arcis sua sponte subeat, quasi Dominum salutans, vt facile sit Principi vel sagitta vel sclopeto destinatum aliquem ex tam multis conficere. Bibliotheca Ducalis habet XI millia voluminum, quorum magna pars scripta est manu. Vicinum ei est theatrum. Infra theatrum locus, quo statuæ & monumenta ex Italia, Græciaque, & remotioribus locis immani sumptu petita adseruantur. In curia Ducali aluntur tygrides, lynces, vrsi, leones, etiam ad genituram. Ante Palatium exstructus est a Ferdinando Duce fons ad ornamentum & vsum ciuitatis, quem quatuor angulis statuæ elementorum; in medio, equitis galeati & cristati simulacrum exornat. Viæ vrbis latæ sunt, nitidæ, superbis ædificijs exornatæ; ad quarum mundiciem multum faciunt canales tres ex Isaræ alueo ducti. Opificia exercentur a ciuibus varia: Forum nobilitatur imprimis vini aduectitij, & salis, & frumenti mercatu. Ciuium frequentia tanta est, vt constet octodecim milla familiarum ante hos annos XII illic censa esse: vix vt sufficere videatur vrbs tantæ hominum frequẽtiæ recipiendæ & alendæ. Sed imprimis ad eam ex diuersis locis confluunt viri nobiles, artifices clari, quique vel eruditione, vel factis bellicis famam sibi pepererunt. Ius dicitur tribus tribunalibus: Prouinciali, Aulico, Ciuili. In Aulico iudicant Comites, Barones, Nobiles, Iureconsulti. In Ciuili Senatores e ciuibus delecti. Horum consilium interius constat ex Patritijs XII senioribus: exterius ex XXIV Senatoribus qui partim e iunioribus Patritijs, partim ex plebeis cooptãtur. Criminale ius administrat in Curia Prætor, qui vt plurimũ ex antiqua nobilitate adsciscitur. Nundinæ quotannis binæ celebrantur, Vnæ Dominica post Epiphaniam: alteræ ad festum B. Iacobi: Vtrasque celebriores reddit solemnis actio, has quidem, cursus in hippodromo; illas, patriotiorum cum liberis suis & coniugibus per vrbem circumuectio, quam postridie excipit epulum in Curia, cui & aulici & Principes ipsi interesse solent.


MUNSTER
S. Lambert
S. D. Pauli
D. Ludgeri. Par

Longit. Grad. XXIX. *10. Latitud.* LII. *0.*

CAROLVS Magnus domitor Saxonum,& Romanorum Imperator,in Saxoniæ parte inferiore quæ nunc audit VVeſtphalia, inſtituit Epiſcopatum, quem vocauit Mimingerodenſem,vel vt alij interdum vocant Mimingardefurdenſem. Is vero a monaſterio illic exſtructo appellationem mutauit, & abolito vetere nomine dictus eſt Monaſterienſis. Monaſterium illud condidit in honorem B. Mariæ virginis Hermannus Epiſcopus. Fueruntque eius tanta protinus incrementa, vt nomen etiam priſcum obfuſcarint. Vrbs qua natura qua arte eſt munitiſſima, præſertim poſt furores Anabaptiſticos: Sita eſt in planitie: Quinque habet ampliſſima Collegia. Scholam quoque litterarum & artium ſatis celebrem.

SERIES EPISCOPORVM MIMINGARDEFVRDENSIVM.

1 Ludgerus Friſius ſtater fuit Hildegrini Halberſtadenſis Epiſcopi, cum quo etiam exſtruxit cœnobium ordinis Benedicti in inſula Rhenana quæ VVerdena dicitur. Euocatus a Carolo Magno ad Mimingardefurdenſem Eccleſiam,ab Hildebaldo Colonienſi Præſule inauguratus eſt. Obijt anno 809, ſepultus eſt in monaſterio ſuo VVerdenſi.
2 Gerfridus Ludgeri nepos, ſucceſſit ipſi anno 810.
3 Alfridus ſub Ludouico Pio præfect. Eccleſiæ,an. 135.
4 Lubertus. Hic VVerdenſem Eccleſiã a ſua abalienauit.
5 Bertholdus, anno 895 ſub Arnulpho Imp.
6 Guilielmus initio plebanus in Catſenhuſen: Is quum Henricum Aucupẽ forte domi ſuæ a venatione languentem comiter excepiſſet, iuſſus rogare quod vellet, petijt zonam ex primi cerui quẽ cepiſſet corio, ratus eum eſſe venatorem. Sed retulit Epiſcopatum.
7 Richardus ſub Ottone I.
8 Rainoldus.
9 Hildebaldus.
10 Dodo.
11 Suederus ſub Ottone II.
12 Theodorus.
13 Sigefridus ſub Henrico II.
14 Hermannus I anno 1025. Hic Monaſterium virgini matri condidit trans aquas, a quo nomen oppido datum.

DEINCEPS SVNT EPISCOPI MONASTERIENSES.

15 Robertus.
16 Fridericus frater Marchionis Miſnenſis, an. 1070.
17 Erpo cum Godefrido Duce Bulionenſi profectus eſt in Palæſtinam: reuerſus obijt an. 1099.
18 Theodoricus a VVintzenberg defunctus an. 1127.
19 Henricus anno Chriſti 1125.
20 Egbertus magnæ apud Lotharium Imperatorem autoritatis.
21 VVernerus.
22 Henricus I promotus anno 1184. Huius tempore Dux Saxoniæ Henricus Leo ab Imperatore proſcriptus eſt, & VVeſtphalia Colonienſi Archiepiſcopo adſignata.
23 Ludouicus vixit anno 1190.
24 Godeſcalcus Saxo deſijt, viuere anno 1200.
25 Hermannus II Comes de Catzenelbogen, duas Eccleſias Collegiatas inſtituit Monaſterij,S.Martini & Ludgeri. Fundauit quoque monaſterium Campi S.Mariæ. Obtinuit ab Imperatore, vt ipſe & ſucceſſores eius Principes vocarentur. Defunctus eſt anno 1246.

26 Otto

26 Otto Comes a Bentheim, primus electus a clero: nam ante eum constituti sunt Episcopi ab Imperatore.

27 Theodoricus. Hic Ecclesiam B. Pauli condidit. Habuit fratrem Brunonem Episcopum Osnaburgensem, & alterum Fridericum, qui Engelbertum Archiepiscopum Colonienſem interfecit.

28 Ludolphus ab Holte, sub Rudolpho Imperatore.

29 Otto II Comes de Lippe synchronus Alberti Magni, anno 1266. 30 Guilielmus II Baro ab Holte.

31 Gerardus Comes de Marca.

32 Euerhardus de Deest, vixit anno 1306, quo Templarij omnes vno die deleti, ipsorumque magister viui comburio Parisijs penitus.

33 Otto III Comes de Retberge.

34 Conradus, sedit an. 4.

35 Ludouicus de Hassia, sedit an. 49.

36 Adolphus Comes de Marca anno 1365. Resignato Episcopatu contraxit matrimonium cum Margareta Cleuēsis Principis filia, sustulitq; ex ea filios 6, filias 9.

37 Ioannes de Virneburch, translatus Vltraiectum.

38 Florentius de VVeuelhof. trāslatus Vltraiect. ab Vrbano.

39 Paro Bohemus, translatus Suerinum.

40 Henricus VVulf. 41 Otro IV Comes de Hoya.

42 Henricus Comes Meursensis Theodorici II Archiepiscopi Colonienſis frater, electus an. 1415.

43 VValramus Comes Meursensis, prioris frater.

44 Ioannes Bauarus, translatus Magdeburgum.

45 Henricus Episcopus Bremensis, sedit an. 30, obijt anno Christi 1470, ætatis suæ 96.

46 Conradus Comes de Retberge Episc. Osnaburgensis.

47 Ericus Dux Sax. electus an. 1508, extinctus an. 1522.

48 Frideric. Com. de VVeda frater Hermanni Archiepisc. Colon. Resignauit Episcop. seruata sibi annua pensione trium mill. coronatorum. Ob. in VVeda, an. 1551.

49 Ericus de Grubenhagen Osnaburgensis, sexta post electionem hebdomadæ extinctus.

50 Franciscus Comes de VValdeck, electus an. 1532. Sub hoc ingens Monasterij ob religionem tumultus excitatus est, quem obsidio, & facinorosorum supplicium excepit. Primus eius autor fuit Bernardus Rotmannus, qui extra vrbem ad S. Mauritium quum doceret, Pontificios errores applaudente plebe refutabat. Eum populus rerum nouarum auidus in vrbem recepit. Nec priuata eius institutione cōtentus, petijt a Senatu templum. Interia loci venit in vrbem ex Hollandia sarcinator quidā Leidensis, IOANNES, homo vanus, ambitiosus, audax, quique in patria Anabaptistarum doctrinam sequutus, doctoris animum ac confidentiam sumpserat. Venit quoq; eodem Hermannus Stapreda, qui Rotmanni collega factus cœpit ab ipso dissentire, & in paruulorum baptismum inuehi. Hoc interdiu & publice, Ioanne priuatim & nocte plebis animos impellentibus, magna ad sectam facta est accessio: Senatus iam tunc imminentem nubem præuidens, quum crederet capitibus semotis cætera facilius cōponi posse, iubet autores ab vrbe proficisci. At illi porta vna egressi, alia regessi sunt, magno animo adferentes, sibi a Deo mandatum, vt causſam veritatis serio agerēt. Vbi hoc non succesſit, alia via Senatus rem tentat. Euocat in Curiam doctores Euangelicos & Anabaptisticos, ratus, penes illos, si committerentur fore, victoriam, qui Pontificios alias de gradu depulerant. Quum conueniſſent, Rotmannus desertis partibus, aperte Anabaptistis se iungit, & infantium lauacrum exsecratur, frustra eum increpante collega Buschio. Præter opinionē accidit hoc Senatui; rebus tamen pacandis fit senatusconsultum, quo iubentur Anabaptistarum doctores vrbe quāprimum excedere, dato illis commeatu, quo tuto possent per Episcopi fines proficisci. At illi abdidere se apud suæ doctrinæ sectatores, professi, Deo potius

potius parẽdum, quã hominibus. Crescebat interea numerus Anabaptistarum, & bacchantium more alij alios ad eandem sententiam protrahebant, nullo facto disputandi modo. Quod vt vidit Senatus, iubet omnia templa, vno excepto, claudi: erat enim periculum, ne pars altera quę tunc minor esse cœperat, ab Anabaptistis pelleretur. Horum ergo doctrinæ elidendæ, Senatus etiã ab Hassiæ Lantgrauio petijt, vt eruditi aliquot viri mitterẽtur. Missi sunt Theodor. Fabritius, & Ioan. Melsingerus: quorũ hic statim, siue quod desperatas iam res videret, siue quod sibi diffideret, sponte redijt: alter nõ ante cessit, quam ab aduersarijs suis vrbe eiectus est. Subornatus interea est ab Anabaptistis quidam, qui, quasi numine adflatus, per compita & vicos discurrit, exclamans, Pœnitentiam agite & rebaptizamini: sin minus, iam ira Dei vos obruet. Multi ergo, vel quod iram Dei metuerent, vel vt sibi bonisq; suis, crescente furentium turba consulerent, morem ijs gerebant. Sub exitum Decembris quũ iam prodijssent e latibulis suis occulti doctores, facto agmine Anabaptistæ forum occupant, machinas bellicas educunt, Curiam quoq; inuadunt, magno clamore vociferantes, vt qui rebaptisatus non esset, interficeretur. Alij contra, in locum quendã vrbis natura munitum sese conferunt, atq; ex eo in Anabaptistas forum tenentes armis rem agunt. Tandẽ conuentum est, cautumq; vt quisq; suam religionem sequeretur. Sed Anabaptistæ, vt in futurum suis rebus consulerent, atq; in posterum nõ pares, sed superiores essent, per Rotmannũ & Bernardum Knipperdollingũ in vicina opida mittunt litteras, quibus omnes eius sentẽtiæ consortes monent, vt relictis fortunis suis statim ad ipsos properẽt: ita oppleta vrbe peregrinis Anabaptistis, oppidani, quiq; in re lauta erant, subduxerunt sese ei quam præuidebãt tempestati. Hæc facta sub initium anni M D XXIV: Debilitatis autẽ alterius partis viribus, deligunt Anabaptistæ Senatum suæ factionis: creant Consules, & in his Knipperdolingum: tẽplum suburbanum Mauritij incendunt: vrbem spoliant: eos qui suæ sectæ non erant expellunt, bonaq; ipsorum occupant. Quum autẽ Episcopus iam vrbẽ cœpisset obsidione cingere, euenit multis qui vrbẽ deserebant, vt ab Episcopi copijs cederentur. Ita coacti etiã sunt in vrbe quidã furoribus Anabaptisticis applaudere. Quæ in vrbe a fanaticis tempore obsidionis gesta sunt, longum esset narrare, estq; res in omnium ore atq; oculis. Nihil fuit indignius, quam quod sceleribus flagitijsq; suis prophani homines diuinum quoq; nomen & religionem obtenderent. Semel meliorem partẽ cepit impetus vindicandi sui, & furiosum bacchantium gregẽ opprimendi, sed captis quinquaginta, & post multa tormenta occisis, desperatum est postea. Hoc tempore adsumpsit sibi Ioan. Leidensis titulum regis, & se pro rege, vt potuit, gessit, vxore etiam primaria (nam plures habebat) reginæ nomine habituq; ornata, quã tamen postea, quod minus probasse ipsius actiones visa esset, ipse obtruncauit. Tandẽ post multas calamitates atq; insanias Anno M D X X V die 27 Iunij noctu sub horam vndecimam copiæ Episcopi, cui se iunxerant Colonienses Præsul Hermannus, & Dux Cliuensis, cũm Lantgrauio Hassiæ, silentio ad vrbem accedunt, & ducente quodam perfuga per fossam ad vallum enitũtur. Inde patefactis portis admissoque exercitu capiunt vrbem. Rex vinctus cum socijs ad vicinos Principes circumducitur, ac tandem anno M D XXVI candentibus forcipibus discerpitur. Hic exitus fuit factionis Monasterienses. Episcopus defunctus est anno 1553.

51 Guilielmus Ketler, resignauit 1557.
52 Bernardus Rassfeldt, resignauit an. 1560.
53 Ioannes Comes de Hoya, defunctus an. 1574.
54 Ioan. Guiliel. Dux Cliuensis administrator resignauit.
55 Ernestus Bauariæ Dux Archiep. Colon.


Neus

Longit. Grad. XXVIII. *10. Latit.* LI. *10.*

SEXTO infra Coloniam miliari in ripa Gallica ad flumen Erpiam, ad quem ex Rheno iuſto interuallo diſſitum commoda eſt per euripum nauigatio, ſitũ eſt Noueſium. Ptolemęus illud trans Rhenum locat, in Germania magna, gradu longitud. xxx. o. latit. LI. 10. vocatque νεάσιον; manifeſto errore, quod quidem ipſi ſolemne eſt. Ammianus Niueſium vocat, Antoninus Noueſium, locatque ad eam legionis V ALAM. Tacitus crebram eius facit mentionem in libris Hiſtoriarum: narratque miſſa eo impedimẽta legionum Voculæ, ipſum quoque Voculam eo poſtea conceſſiſſe. Legionem tertiam decimam iuſſam inde in Coloniam Treuirorum tranſgredi, vt illic in Veſpaniani verba iuraret. Claſſicum præmiſſos Noueſium equites a Cereali fudiſſe, & quæ præterea ad eam rem faciunt. Poſteriores Nuſſiam vocant. Eam ſic deſcribit Monachus Cœnobij ſuburbij Noui montis. Ciuitatis Nuſienſis deſcriptio magis in longum protenditur quam in latum. Per eius longitudinem ad Orientalẽ portam amnis præterfluit Erpia, ibidemque a Rheno fluuio abſorbetur, vnde etiam ciuitas ab hac firmatur parte, nec habet foſſata. Diſtat tamen riuus ille itinere quaſi mediæ horæ a Rheno flumine, & per plures gradus ab iſto riuo fit adſcenſus ad ciuitatem, quæ in alto poſita eſt. Sed ex Rheno brachium procedit, in quod intrat Erpia iuxta ciuitatem: & iſtud brachium pariter cum Erpia conſtituunt fluuium, ita vt maiores naues ex Rheno ad ciuitatem cum mercibus deferat. Hocipſum brachium Erpia adauctum etiam duas vrbi vicinas ambit inſulas. A Septentrionali plaga in latum, & pro media parte Occidentalis plagæ in longum, duplici muro cingitur ciuitas, & in vtroque complures turres habet firmas. Sic ille. Templum vero Noueſij eſt Collegiatorũ Canonicorum B. Quirini, opus Euerhardi Comitis. Anno ML fertur Abbatiſſa Nuſſienſis Romam profecta a fratre ſuo Leone IX tunc temporis Põtifice Romano reliquias B. Quirini martyris impetraſſe: Incidit autem natalis eius in 30 Martij: Paſſus eſt ſub Hadriano. Anno DCCC LXXXI exuſtum eſt Noueſium a Normannis, ducentibus ipſos Godefrido & Sigefrido. Incubuit eadem tempeſtas Bonnæ, Coloniæ, Tolbiaco. Poſtea Philippus Romanorum Rex cæſo Ottone, cui impenſius fauerat Adolphus Præſul Colonienſis, hoſtiles copias induxit in agrum Agrippinenſem, & expugnatum Noueſium tradidit Adolpho. Annõ vero MCCCC LXXIV obſedit eam Carolus Burgundus ſpecie reſtituendi Archiepiſcopi Roberti, quem ſui eiecerant: quum vero liberare eum ſtatuiſſet Fridericus Imperator, ingentẽ & ipſe in Germania exercitum conſcripſit; Carolus ſoluris caſtris, Noueſio non expugnato, tandem diſceſſit. Hanc ciuium virtutem præmio cohoneſtaturus Imperator, varias ipſis prærogatiuas & priuilegia indulſit. Immunitatẽ dedit telonij in Rheno amne, Ius cudendæ monetæ, Aquilæ aureæ inſigne in clypro nigro; Facultatem obſignandi litteras publicas cera rubea. In eadem vrbe poſtea vxorem duxit Maximilianus Friderici F. Mariam Caroli Burgundi filiam. Anno 1496 conflagrauit Eccleſia maior, tacta fulmine. Anno 1573 platea ſuperior deformata eſt incendio. Anno 1585 occupauit eam Comes Newenarius noctu, 10 Maij. Anno 1586 poſt paucorum dierum obſidium capta eſt a Parmenſi principe Alexandro Farneſio, pauciſque poſt horis tota fere miſerabili incendio conſumpta eſt.


NURNBERG
S Sebalt
Diefesten
S Laurens
Lauffer dor
Frauwen Dor

Longit. Grad. XXXIII. *8. Latit.* XLIX. *24.*

NORICOS olim ad dexteram labentis Danubij ripã coluiſſe, Lyco amne a Vindelicis diſcretos, alibi diximus. Hi quãdo trãſmiſſo Danubio interiora Germ. petiuerint, Noricumq;, Tranſdanubianũ fecerint, omiſſo vetere, incertũ eſt. Hoc certum, Noribergã & omnem agrum vicinum non a Nerone ſed ab illis nomen traxiſſe. Nam qui in hæc vſque loca penetraſſe Druſum aut Tiberium, & in his locis Noricos deuiciſſe, arcemque condidiſſe putant, non ſunt veteris Geographiæ, aut hiſtoriarũ ſatis gnari. Norici ergo aduenæ lecta hic in ſaltu Hercynio manſionis ſede, quod ea eſſet ab Hunnorum incurſionibus tutiſſima, & propter amnium Pegneſi & Regneſi viciniam ad inhabitandum commoda, caſtellum primum in colle rudi opere condidere; ad amniſque ripas liquatorias & ferrarias elaborandi molliendique ferri officinas, (hac enim arte præ cæteris nationibus excellebant) exſtruxerunt, rotaſque poſuerunt impetu & rapiditate amnis circumagendas ad varios artium ſuarum vſus. Aucta dein ſobole, & in eandem ſocietatem ſe iungentibus Hercyniæ ſiluæ paſtoribus, alijſq;, qui vel hoſtium Germaniam reliquam vaſtantium immanitatem fugiebant, vel nouitate rei ducti ex ea hominum confluge lucrum ſibi & vitæ compendia quærebant, congeſtis ſaxis & roboribus, foſſaque educta oppidum cinctum eſt. Non defuere, qui ex hoc loco profecti, itinera Hercyniæ inſiderent, & Germaniam prædis actis infeſtarent. Atq; hæc cauſſa eſt, cur ab Imperatoribus Conradis & Henricis caſtellum cum arce ſua direptum aliquoties & expugnatum ſit. Neque vero a latrocinijs ante temperatum eſt, quam Imperator exercitum colli admouit, arceque potitus coloniam ipſe illuc deduxit veteranorum, qui communita arce ſurgenti vrbi præſiderent, & circumiectum nemus a latrocinijs purgarent, ſtudioſe id per Burg-grauium curans, vt neque Noricis vis inferretur, neque ipſi alijs vim inferrent. Durat hodieq; conſuetudo: & habet Reſpubl. in eam rem equites ſuos & pedites, qui publicis alti ſtipendijs omnia ſyluæ latibula, omneſque receſſus diligenti indagine perquirunt, tutamque & ſecuram negotiatoribus viam faciunt. Arcem Caroli Magni æuo hoc loco fuiſſe conſtat. Teſtantur enim hiſtoriæ, Carolum, quum Taſſilonem Bauariæ Ducẽ eſſet oppugnaturus, tripartito diuiſiſſe exercitum, vnum agmen ſedes fixiſſe iuxta Nurnbergam, alterum ad Danubium conſediſſe, tertium ad Alpeis Tridentinas. Vrbs ipſa in tantum creuit, vt nunc ſpatium octo millium paſſuum implere credatur, triplici muro & foſſa vna accurate cincta. Cernuntur intra eam veteris opidi muri foſſæque minore ambitu, cum veſtigijs priſcarum ſtructurarum. Verſus Meridiẽ, vbi ab amne recedit, latior eſt vrbs, ad Septentrionem adductior, neque omnino rotunda, ſed de induſtria anguloſa, vt oppugnatu eſſet difficilior. Lapidem ad muros, templa, & ædificia publica priuataque ſufficiunt vicini colles, & loca campeſtria: Ei nondum effoſſo ſingularis adeſt mollities, quæque facile ferro cedat: expoſitus idem vento & ſoli, ita paullatim excoquitur, vt duritie marmor æquet. Foſſa vrbis lata eſt cubitos xx, alta fere totidem, inter duos muros ad perpendiculum erectos, interlabente riuulo, cuius ceſpitem viridem cerui hinnulique depaſcunt. Turres in interioris muri, qui editior eſt, ambitu, quadrangulares, paribus interuallis diſpoſitæ, ſunt ducentæ, quibus vigiles ad exubias vrbis impoſiti diſcrimina dierum noctiumque horis diſtributa denunciant. In exteriore muro turres fere ſunt totidem, ſed minores, & vbi muri flexus id exigit, teretes ac rotundæ, ſingulæ machinis & tormentis bellicis inſtructæ. Mœnia pinnata coctili latere tecta ſunt. Portæ quæ diuerſos Germaniæ tractus ſpectant ſunt ſex maiores, ſingulæ arduis turribus &

propugna-

propugnaculis munitæ, instructæque insuper catenis, & vectibus ferreis, & pensilibus clathris, quæ demissæ ingressum hostium arcent. Amnis autem vbi ab ortu per patentes fornicato opere pontes, vallis vtrimque bene munitos, in vrbem infunditur, duas protinus insulas efficit: quarum vna angustior, altera a congesta terra nomen habens, linteis ad solem exponendis, ac præterlabétis amnis aspergine mundandis egregium ciuitati vsum præstat. Cingitur ea arboribus, quarum alta cacumina deambulantibus ad ripam gratam vmbram faciunt. Adiacent thermæ medendis corporibus salubres. Postquam vero se amnis per duodecim pontes, partim sublicios, partim ex secto lapide factos, quibus partes vrbis connectuntur, sese extra muros euoluit, alluit locum publicum, quo, vt Spartani ad Eurotam, ita iuuentus Norica festis diebus sese exercet, palæstra, lucta, saltu, disco, hastarum iaculatione, alijsque honestis recreationibus. Locus is D passus in longitudine patet: intus quaterna serie arborum iusto interuallo distantiũ consitus, sub quibus quatuor fontes, nõ magis naturæ, quam dædalæ artis opificio commendabiles, aquam tubis & siphunculis spargunt. Sic sita vrbs ad vtramque amnis ripam prona est, quæ res ad munditiem imprimis facit. Propter flumen infinitæ sunt officinæ cum molis machinisque frumentarijs, papyraceis, ferrarijs, ærarijs, quibus enses, loricæ, galeæ, tela, cultri, nouaculæ, forcipes, caldaria, pelues, sartagines cuduntur: fila quoque ferrea & ænea rotarum ope ex massa crassiore (Rudolphi cuiusdam inuentum id esse creditur) in ingentem longitudinẽ protrahuntur. Qui ad vrbem appropinquant, audiunt eminus malleorum & serrarum sonum, suspicientesque vident augustas & turribus tectisque alte exstantibus prominentes structuras. Ingressi, omnia supra fidem posita mirantur. Plateas amplas, mundas, ad solem apertas, saxo durissimo stratas ad plaustrorum & curruum onustorum vsus. Puteos publicos C XX. Canales & tubos aquarum XX. Fontes duos elangantissimo opere exornatos. Fora multa, varie ad vsum ciuium per vrbem dissita, Boarium, Olitorũ, Piscarium, Cupedinarium, Suarium, Vinarium, Frumentarium. Maximum vero & spatiosissimum est illud negotiatorum ad Ianum medium, habens fontem secto lapide, multoque auro, & vario genere sculpturæ ornatum, virorum fortium statuis ingentibus circumpositis. Forma eius pyramidis instar erigitur, opere pulcherrimo, & septo ferreo cancellato: Intus est labrum amplum, in quod sedecim cannis auratis profluens liquor se colligit. Adiacet illi foro templum B. Virginis, exstructum a Carolo IV. Ædificia ciuium spatiosa atque ampla sunt, supellectile pretiosa pro cuiusque facultatibus ornata, non ad vsum tantum, sed etiam ad pompam. Collem sensim adsurgentem lateribusque suis ab ortu in occasum circumductum, ornant infra domus splendidæ patritiorum, mercatorum, & potentiorum ciuium, intermixtis diuersorijs, quibus vel Cæsaris familia excipi posset. In collis vertice duæ sunt arces: Maior, in quam ex vrbe per excisam petram itur, regias aulas & cænationes laqueatas latè patentes habet. Hæc Romanorum regum si quando illic morari velint, domicilium est: In ea Fridericus Imperator hortos pensiles fieri fecit. Altera arx quæ huic Orientem versus adiacet, sedes fuit Burg-grauij: nunc est horreum publicum, habens propugnaculum ad vrbis excubias, per quod porta in pomœria Septentrionem versus ducit. In colle templa sunt tria, quorum duo publica sunt, in vsum ciuium, sacra B. Margaretæ & B. VValpurgi: Vnum in arce imperiali, quo Cæsares illic degentes rebus sacris operari solent. Habet & puteos duos collis, vnum montis radici & turri vicinum: alterum miræ profunditatis, in montis vertice excisum. Turres quatuor collem ambiunt. Duæ ad arcem Cæsaris, imminent vrbi, inque subiectas ciuium ædes gra-

tum

tum præbent ſpectaculum, duæ ad ortum ſolis ſitæ, Auſtrum & Boream verſus proſpectant; quarum ea quæ maior altiorq; eſt, ſpecula regionis circumiectæ vocatur, eſtque tempore Sigiſmundi Imperatoris exſtructa intra vnius menſis ſpatium. Huius arcis muros anno MDXXXVIII refecit Senatus, additis fortiſſimis propugnaculis. Ferunt in fundamento poſitos numos aureos, argenteos, æneos, cum hac inſcriptione, DEO OPT. MAX. S. P. Q. N. muros arcis non ſatis firmos ad ſuſtinendos hoſtiles impetus & iuſta ſpatiorum adiectione, & multis ſubinde egeſtis ruderibus a fundamentis magna cum laude erexit, ac nouos fecit, Imperatore CAROLO V Cæſare P.F. ſemper Aug. Rege Hiſp. Catholico, Archiduceque Auſtriæ, &c. Et FERDINANDO fratre eius, Rege item Rom. Hung. & Bohem. Romanique Imp. ſucceſſore &c. Patribus vero CHRISTOPHORO TECZELIO, LEONHARDO TVCHERO, & SEBALDO PFINTZINGO, Anno MDXXXVIII, Menſe Auguſto. Vrbs non in Germaniæ tantum ſed totius etiam Europæ meditullio ſita eſt: quippe quæ a Codano & Hadriatico ſinu paribus interuallis diſtet, ſimiliterque ab Oceano Atlantico & Tanais ripis. Ciues ob vicinorum conſuetudinem pro quatuor regionibus quatuor quoque diuerſis linguis vtuntur, Sueuica, Francica, Bauarica, montana. Corpora ipſis procera, firma, compacta, laborum & frigoris patientia: Statura elegans, vultus liberalis, frons grauis, artifex manus, diſciplina ſeuera, ingenium diſcendæ ſapientiæ aptum: ſed plerique ad mercaturam proniores, cuius hic vnicam in Germania ſedem Deus benignus eſſe voluit. Senatus prudens. Templa in vrbe auguſtiora ſunt duo: Vnum B. Petro ſacrum, in quo B. Sebaldi corpus quieſcit: alterum B. Laurentio. Vtrumque turribus excelſis, feneſtris patentibus, columnis elegantiſſimis; adhæc, fornicibus, campanis, organis, & reliquo apparatu conſpicuum eſt. Xenodochia & Noſodochia quatuor ſunt. Vnum inſigne, in cuius templo ſacræ Imperatorum reliquiæ adſeruantur, cum inſignibus Caroli Magni, & veteribus diadematibus, quibus Aquiſgrani Romani Cæſares ornari ſolent. Hæc Sigiſmundus Cæſar Praga Noribergam miſſa illic adſeruari voluit, quo tempore Huſſitarum motibus Bohemia cõcuſſa fuit: monſtrantur autẽ ea quotannis populo duodecimo poſt Paſcha die, in foro, magno populi concurſu. Sunt & horrea multa & granaria, quibus frumentum adſeruatur: etiam ab annis CCC ſepoſitum. Eſt & armamentarium inſtructiſſimum: Tametſi vix eo opus ſit, quum tota vrbs Martis officina dici poſſit: nullum enim eſt armorum genus quod non in ea ab artificibus cudatur, tanta quidem copia, vt vel vniuerſæ Germaniæ arma ſufficere poſſe exiſtimetur. Ciuitas omnis in plebem, mercatores, & patritios diuiſa eſt. Sunt autem patritiorum familiæ XXVIII honoratiores, ex quibus Ariſtocratica conſtat nobiliſſimæ Reip. gubernatio. Corpus Senatus conſtat XXVI viris. Ex quibus XIII iuri dicundo præſunt, Scabinorum titulo: cæteri de Rep. deliberant, ita vt duo ex ijs menſem vnum conſulari dignitate præ reliquis emineant. Deligũtur ex eodẽ corpore Duũmuiri, ærario, & pecunijs, rationibuſque publicis præfecti. Horum ſumma eſt in ciuitate dignitas, neque ad eum honorem admittuntur, niſi ſenes, qui varijs documentis fidem ſuam, prudentiam, probitatem Reip. perpetuo probarunt. Sunt præter hos ducenti fere ex tribus ordinibus viri Senatorij, qui ſemel in anno cõueniunt. Sunt & quinque viri criminales: qui tribus per hebdomadam diebus cauſſas & crimina audiunt. Eſt & Prætor arualis qui ruſticis ius dicit. Diſciplina vrbis exacta eſt. Leges in ea ſumptuariæ, veſtiariæ, menſariæ. Non permittuntur occulti ciuium plebeiorum conuentus, ne conuiuij quidem, aut religionis, aut exſequiarium titulo. Denique omnia in ea ad bonos mores compoſita ſunt.

propugnaculis munitæ, instructæque insuper catenis, & vectibus ferreis, & pensilibus clathris, quæ demissæ ingressum hostium arcent. Amnis autem vbi ab ortu per patentes fornicato opere pontes, vallis vtrimque bene munitos, in vrbem infunditur, duas protinus insulas efficit: quarum vna angustior, altera a congesta terra nomen habens, linteis ad solem exponendis, ac præterlabētis amnis aspergine mundandis egregium ciuitati vsum præstat. Cingitur ea arboribus, quarum alta cacumina deambulantibus ad ripam gratam vmbram faciunt. Adiacent thermæ medendis corporibus salubres. Postquam vero se amnis per duodecim pontes, partim sublicios, partim ex secto lapide factos, quibus partes vrbis connectuntur, sese extra muros euoluit, alluit locum publicum, quo, vt Spartani ad Eurotam, ita iuuentus Norica festis diebus sese exercet, palæstra, lucta, saltu, disco, hastarum iaculatione, alijsque honestis recreationibus. Locus is D passus in longitudine patet: intus quaterna serie arborum iusto interuallo distantiū consitus, sub quibus quatuor fontes, nō magis naturæ, quam dædalæ artis opificio commendabiles, aquam tubis & siphunculis spargunt. Sic sita vrbs ad vtramque amnis ripam prona est, quæ res ad munditiem imprimis facit. Propter flumen infinitæ sunt officinæ cum molis machinisque frumentarijs, papyraceis, ferrarijs, ærarijs, quibus enses, loricæ, galeæ, tela, cultri, nouaculæ, forcipes, caldaria, pelues, sartagines cuduntur: fila quoque ferrea & ænea rotarum ope ex massa crassiore (Rudolphi cuiusdam inuentum id esse creditur) in ingentem longitudinē protrahuntur. Qui ad vrbem appropinquant, audiunt eminus malleorum & ferrarum sonum, suspicientesque vident augustas & turribus tectisque alte exstantibus prominentes structuras. Ingressi, omnia supra fidem posita mirantur. Plateas amplas, mundas, ad solem apertas, saxo durissimo stratas ad plaustrorum & curruum onustorum vsus. Puteos publicos C XX. Canales & tubos aquarum XX. Fontes duos elangantissimo opere exornatos. Fora multa, varie ad vsum ciuium per vrbem dissita, Boarium, Olitorīū, Piscarium, Cupedinarium, Suarium, Vinarium, Frumentarium. Maximum vero & spatiosissimum est illud negotiatorum ad Ianum medium, habens fontem secto lapide, multoque auro, & vario genere sculpturæ ornatum, virorum fortium statuis ingentibus circumpositis. Forma eius pyramidis instar erigitur, opere pulcherrimo, & septo ferreo cancellato: Intus est labrum amplum, in quod sedecim cannis auratis profluens liquor se colligit. Adiacet illi foro templum B. Virginis, exstructum a Carolo IV. Ædificia ciuium spatiosa atque ampla sunt, supellectile pretiosa pro cuiusque facultatibus ornata, non ad vsum tantum, sed etiam ad pompam. Collem sensim adsurgentem lateribusque suis ab ortu in occasum circumductum, ornant infra domus splendidæ patritiorum, mercatorum, & potentiorum ciuium, intermixtis diuersorijs, quibus vel Cæsaris familia excipi posset. In collis vertice duæ sunt arces: Maior, in quam ex vrbe per excisam petram itur, regias aulas & cænationes laqueatas latè patentes habet. Hæc Romanorum regum si quando illic morari velint, domicilium est: In ea Fridericus Imperator hortos pensiles fieri fecit. Altera arx quæ huic Orientem versus adiacet, sedes fuit Burg-grauij: nunc est horreum publicum, habens propugnaculum ad vrbis excubias, per quod porta in pomœria Septentrionem versus ducit. In colle templa sunt tria, quorum duo publica sunt, in vsum ciuium, sacra B. Margaretæ & B. VValpurgi: Vnum in arce imperiali, quo Cæsares illic degentes rebus sacris operari solent. Habet & puteos duos collis, vnum montis radici & turri vicinum: alterum miræ profunditatis, in montis vertice excisum. Turres quatuor collem ambiunt. Duæ ad arcem Cæsaris, imminent vrbi, inque subiectas ciuium ædes gra-

tum

tum præbent ſpectaculum, duæ ad ortum ſolis ſitæ, Auſtrum & Boream verſus proſpectant; quarum ea quæ maior altiorq; eſt, ſpecula regionis circumiectæ vocatur, eſtque tempore Sigiſmundi Imperatoris exſtructa intra vnius menſis ſpatium. Huius arcis muros anno MDXXXVIII refecit Senatus, additis fortiſſimis propugnaculis. Ferunt in fundamento poſitos numos aureos, argenteos, æneos, cum hac inſcriptione, DEO OPT. MAX. S. P. Q. N. muros arcis non ſatis firmos ad ſuſtinendos hoſtiles impetus & iuſta ſpatiorum adiectione, & multis ſubinde egeſtis ruderibus a fundamentis magna cum laude erexit, ac nouos fecit, Imperatore CAROLO V Cæſare P.F. ſemper Aug. Rege Hiſp. Catholico, Archiduceque Auſtriæ, &c. Et FERDINANDO fratre eius, Rege item Rom. Hung. & Bohem. Romanique Imp. ſucceſſore &c. Patribus vero CHRISTOPHORO TECZELIO, LEONHARDO TVCHERO, & SEBALDO PFINTZINGO, Anno MDXXXVIII, Menſe Auguſto. Vrbs non in Germaniæ tantum ſed totius etiam Europæ meditullio ſita eſt: quippe quæ a Codano & Hadriatico ſinu paribus interuallis diſtet, ſimiliterque ab Oceano Atlantico & Tanais ripis. Ciues ob vicinorum conſuetudinem pro quatuor regionibus quatuor quoque diuerſis linguis vtuntur, Sueuica, Francica, Bauarica, montana. Corpora ipſis procera, firma, compacta, laborum & frigoris patientia: Statura elegans, vultus liberalis, frons grauis, artifex manus, diſciplina ſeuera, ingenium diſcendæ ſapientiæ aptum: ſed plerique ad mercaturam proniores, cuius hic vnicam in Germania ſedem Deus benignus eſſe voluit. Senatus prudens. Templa in vrbe auguſtiora ſunt duo: Vnum B. Petro ſacrum, in quo B. Sebaldi corpus quieſcit: alterum B. Laurentio. Vtrumque turribus excelſis, feneſtris patentibus, columnis elegantiſſimis; adhæc, fornicibus, campanis, organis, & reliquo apparatu conſpicuum eſt. Xenodochia & Noſodochia quatuor ſunt. Vnum inſigne, in cuius templo ſacræ Imperatorum reliquiæ adſeruantur, cum inſignibus Caroli Magni, & veteribus diadematibus, quibus Aquiſgrani Romani Cæſares ornari ſolent. Hæc Sigiſmundus Cæſar Praga Noribergam miſſa illic adſeruari voluit, quo tempore Huſſitarum motibus Bohemia cõcuſſa fuit: monſtrantur autẽ ea quotannis populo duodecimo poſt Paſcha die, in foro, magno populi concurſu. Sunt & horrea multa & granaria, quibus frumentum adſeruatur: etiam ab annis CCC ſepoſitum. Eſt & armamentarium inſtructiſſimum: Tametſi vix eo opus ſit, quum tota vrbs Martis officina dici poſſit: nullum enim eſt armorum genus quod non in ea ab artificibus cudatur, tanta quidem copia, vt vel vniuerſæ Germaniæ arma ſufficere poſſe exiſtimetur. Ciuitas omnis in plebem, mercatores, & patritios diuiſa eſt. Sunt autem patritiorum familiæ XXVIII honoratiores, ex quibus Ariſtocratica conſtat nobiliſſimæ Reip. gubernatio. Corpus Senatus conſtat XXVI viris. Ex quibus XIII iuri dicundo præſunt, Scabinorum titulo: cæteri de Rep. deliberant, ita vt duo ex ijs menſem vnum conſulari dignitate præ reliquis emineant. Deligũtur ex eodẽ corpore Duũmuiri, ærario, & pecunijs, rationibuſque publicis præfecti. Horum ſumma eſt in ciuitate dignitas, neque ad eum honorem admittuntur, niſi ſenes, qui varijs documentis fidem ſuam, prudentiam, probitatem Reip. perpetuo probarunt. Sunt præter hos ducenti fere ex tribus ordinibus viri Senatorij, qui ſemel in anno cõueniunt. Sunt & quinque viri criminales: qui tribus per hebdomadam diebus cauſſas & crimina audiunt. Eſt & Prætor arualis qui ruſticis ius dicit. Diſciplina vrbis exacta eſt. Leges in ea ſumptuariæ, veſtiariæ, menſariæ. Non permittuntur occulti ciuium plebeiorum conuentus, ne conuiuij quidem, aut religionis, aut exſequiarium titulo. Denique omnia in ea ad bonos mores compoſita ſunt.


NIMMEGEN

Longit. Grad. XXIX. *36. Latit.* LII. *25.*

MINDENSI Diœcesi ortum versus adiacet Episcopatus Osnaburgensis, in veteri Bructerorum regione, quæ nunc ad VVestphaliam pertinet. Et habet Bructerorum nominis terminatione vrbs, vt & aliæ in eo tractu complures. Tempore Caroli Magni insedit loca ista VVidekind. Saxonũ regulus: quo deuicto, Ecclesiam illic in honorem B. Petri, & sanctorum Crispini & Crispiniani excitauit Carolus: deditq; ei Episcopum VVisonem cum ingẽtibus latifundijs, & Schola Græca ac Latina: sicut ex instrumẽto donationis liquet, quod nos ad verbum descripsimus. IN NOMINE sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. KAROLVS Imp. Augustus Romanum gubernans imperium, Dominus & Rex Francorum & Longobardorum, nec nõ dominator & Saxonum. Notum sit omnibus sanctæ Ecclesiæ fidelibus, nostrisque præsentibus & futuris, quod nos ob nostræ mercedis augmentum, VVisoni Episcopo Osnaburgensi, suæ Ecclesiæ quã nos primam in omni Saxonia in honorem S. Petri principis Apostolorum & sanctorum Martyrum Crispini & Crispiniani construximus, quoddam nemus vel forestum intra hæc loca, *Farnewinchel*, *Rustenheym*, *Angaria*, *Osningsnethe*, *Dersshosset*, *Egesterfeldt*, innumera collaudatione illius regionis potentum, cum omni integritate in porcis siluestribus, ceruis, auibus, & piscibus, omniq; venatione quæ sub banno vsuali ad forestum deputatur, ad similitudinem foresti nostri Aquisgrani in silueta Osningi, in perpetuum pietatis vsum donauimus, ea videlicet ratione, quod si quispiam hoc idem nemus nostro banno mutatum sine prædictæ sedis Episcopi licentia studio venandi vel aliud agendi vnquam introierit, sciat, se tam diuinæ quam regiæ vltionis vindictam incursurum, nec non pro delicto sexaginta solidos nostri ponderis quos nobis pro banno violato debere statuimus, redditurum. Insuper vero eidem Episcopo eiusque successoribus perpetuam cõcedimus licentiam, libertatem, & ab omni regali imperio absolutionem; nisi forte contingat vt Imperator Romanorum & rex Grecorum, coniugalia fœdera inter filios eorũ contrahi disponant. Tunc Ecclesiæ illius Episcopus cum sumptu a rege vel ab Imperatore adhibito laborẽ simul & honorem illius legationis adsumet. Et ea de caussa statuimus, quod in eodem loco Græcas & Latinas Scholas in perpetuum manere ordinauimus: nec vnquam clericos vtriusque linguæ gnaros deesse confidimus, &c. Actum Aquisgrani in Palatio.

SERIES EPISCOPORVM OSNABVRG.

1 Wiso, ob. an. 804.
2 Mengardus, ob. an. 832.
3 Goswinus, præfuit an. 32.
4 Gosbertus, præfuit an. 10: occubuit in Dania.
5 Eggehardus, ob. an. 884.
6 Egelmarus, præfuit an. 33.
7 Dodo sub Ottone I, rexit an. 12.
8 Drogo, obijt an. 969.
9 Ludolphus, præfuit an. 14: obijt an. 983.
10 Dodo II sub Ottone III: præfuit an. 10.
11 Guntradus.
12 Warnodus.
13 Dietmarus.
14 Moncherus, sub Henrico V.
15 Gosmarus.
16 Eluericus, an. 1052: rexit an. 15.
17 Wernicherus, rexit an. 16: defunctus an. 1068.
18 Bernardus: præfuit an. 20.
19 Marquardus, sub Henrico III, cessit an. 1093.
20 Wido.
21 Ioannes: electus an. 1100.
22 Diepholdus: defunct. an. 1119.
23 Diethardus: sedit an. 8.
24 Vdo: sedit an. 4.
25 Philippus Cattimeliboe.
26 Aruoldus: sedit an. 22: ob. 1186.
27 Gerardus de Lippia.
28 Adolphus: sedit an. 21.
29 Bruno Com. Isenburg. sedit an. 8.
30 Widekindus: obijt an. 1262.
31 Baldewinus: sedit an. 10.
32 Conradus Comes Retberg.
33 Ludouicus Comes Rauensb.
34 Engelbertus: sedit an. 10.
35 Gotfridus Comes de Arnsberg.
36 Ioannes Hoed.
37 Melchior Dux Brunsw.
38 Theodor. de Marca.
39 Theod. de Horne.
40 Conradus III.
41 Otto Comes de Hoya.
42 Ioannes Comes Diephold.
43 Ericus Comes Hoyens.
44 Henricus Comes Meursensis.
45 Albertus Comes Hoyans.
46 Rudolphus Diephold.
47 Conradus IV.
48 Conradus V Comes Retberg.
49 Ericus Dux Brunsuic.
50 Franciscus Comes Waldeck.
51 Ioannes Comes de Hoya: obijt Monasterij an. 1574.
52 Henricus Dux Saxon.
53 Gnol Schelling.
54 Bernardus Comes Waldeck.
55 Philippus Dux Brunsuic.


PASSAW
Ihn flu

Longit. Grad. XXXV. *50. Latit.* XLVIII. *34.*

SVB Antonino habuit castra in Vindelicis ad læuam Æni ripam, qua is se in Danubium exonerat, Cohors Batauorum. Et vocauerunt locum illum eo tempore Castra Batauorum: & sine adiectione Batana. Itaq; in Notitia Imperij legitur, TRIBVNVS COHORTIS NOVÆ BATAVORVM, BATAVIS. Accolæ primum dixere locum *Battaw*, ex quo postea factum est *Passaw*. Neq; vero est idem cum Pœtouione Taciti: hoc enim est in Carnis ad Drauum amnem, dicitur q; hodie *Pettaw*: quum istud nostrum sit in Vindelicis. Sunt qui existiment esse Ptolemæi Βοιόδωρον Boiodurum, quod vitiose apud Ammianum legitur Boloderū, & in Tabula Peutingeriana Castellum Bolodurum, qua se Iuuauus amnis voluit in Danubium: Recte. licet hodie simulatq; alueo Æni receptus est infra oppidum *Burckhausen*, nomen deinceps amittat: nec suo sed Æni nomine vocetur. Exhibet autem tabula nostra plura simul opida: Situs enim opportunitas & trium amnium concursus effecerunt, vt plura hic oppida iungerentur. Primum ergo occurrit Ænistadium, *Inhstadt*: Inde ponte ligneo qui super Ænum fluuium sternitur, trāsmisso, offert sese ipsum Patauium *Passaw*, in promontorio peninsulæ. Sequitur postea Danubius, cui pons iniectus vrbem cum ripa aduersa nectit ædificijs turribusque egregie ornata. In monte quem B. Georgij dicunt, est Oberhusium arx & sedes Episcopi: Sub quo oppidum Ihlstadium, Ilsa fluuio discretum ab arce Episcopi inferiore. Tres ergo amnes Danubius, Ænus, & Ilsa hic concurrunt. Danubius medius est, & Germaniæ quondam terminus: Is dextera recipit fluentem e Vindelicis Ænum Iuuauo auctum: læua Ilsam siue Ilissum ex Germania aduersa se in Danubium præcipitantem ad pedem arcis Episcopalis. Porro Ænistadium quod dixi, est ipsissimum Ptolemæi, & Antonini Boiodurum. Suffragatur mihi antiquus auctor vitæ Seuerini, qui Boiodurum ad dexteram ponit Æni labentis ripam. Suffragatur quoque hodierna vicini amnis appellatio: fluuiolus enim inter portam & adiacēs Seuerini fanum decurrens, seque Æno permiscens, *Boietra* appellatur: Deniq; ædificia in Ænano oppido antiquiora etiam videntur, quā sint in Patauino. Porrò in Ænano oppido templum est S. Gertrudis. Patauij plura, vnum Cathedrale B. Stephani, cui vicina est Episcopi aula, cum aula Capituli. Est & templum B. Pauli, & S. Michaelis, & S. Crucis: est etiam Occasum versus extra vrbem Monasterium S. Nicolai. Est autem Patauium vrbs hodie Episcopalis. Ac Episcopi prima quidem sedes fuit Laureaci, vrbe Norica, ad confluenteis Danubij, & Anasis, qui nunc vocatur *Ens*, duodecimo a Patauio miliari. Hoc ordine.

ARCHIEPISCOPI LAVREACENSES.

1 Laurentius, missus ab Apostolo B. Petro.
2 Florianus.
3 Gerardus.
4 Eucharius.
5 Quirinus.
6 Maximilianus, qui imperante Numeriano martyrio affectus est, quod esset Christianus, nec vellet sacrificare Marti, Anno Christi 289.
7 Constantius.
8 Theodorus acerrimus aduersus Arianos Orthodoxæ sententiæ propugnatos.
9 Erchenfridus, qui factus est Episcopus Patauinus, Erchenfrido successit adhuc Laureaci Othecarus, huic Viphilo, ac postea Bruno circa annum Christi 634. Sub hoc autem coniunctus est Archiepiscopatus Laureacensis Episcopatui Patauino.

EPISCOPI PATAVINI.

Erchenfridus. Huic Theodoricus III Bauariæ Dux imperante Heraclio Patauium donauit. Fuerat autem Erchenfridus Decanus Laureaci.

Viphilo, sub quo Patauina Ecclesia reformata est, misso illuc Bonifacio, a Gregorio III, obijt an. 745.

Sidonius, qui de baptismo contendit cum Bonifacio.

VVisericus, qui anno 768 interfuit Synodo Prouinciali celebratæ in inferiori Bauaria Dingenfini, ad Isaram flumen.

VValdericus anno 775. Huic Carolus Magnus multa donauit.

Hatto, anno 807.

Runharius: qui Morauos ad Christum conuertit.

VVinechindus. Hic anno 894 ab Arnulpho Imperatore dono accepit Patauium cum omnibus prouentibus. Ex Cancellario Imperatoris factus est Episcopus. Intercessit huic cum Diethmaro Salispurgensi Episcopo contentio.

Anno Christi DCCCXCIX VViphilo deleto ab Hunnis & Auaris Laureaco, cum clericis suis concessit Patauium, atque illic fixit sedem Episcopalem. Hinc ergo Episcopi Patauienses etiam dicti sunt Archiepiscopi Laureacenses.

Adelbertus an. 945. Hic cum Salispurgensi Episcopo ita transegit, vt ad illum Austriæ, ad se Hungariæ Morauiæ, Slauoniæ & Mysiæ Ecclesiarum inspectio pertineret.

Pilgrinus, anno 971.

Altmannus Saxo anno Christi 1165 absens, quum esset in itinere Ierosolymitano, electus est. Quum autem Henricus IV Imperator acriter cum Papa Gregorio VII disceptaret de coniugio Sacerdotum, qui omnes ita viuentes excommunicauit, sequutus & hic partes Pontificis, eos qui in Patauina Diœcesi mariti essent, eiecit. Sed eiectos restituit Cæsar, omnesque contra sentientes proscripsit. Atque hæc somina fuerunt atrocis belli inter Henricum Cæsarem & Rudolphum Sueuum. Papa enim Cæsarem reiecit, & Episcopis auctor fuit, vt Rudolphum eligerent Imperatorem. Ille ergo armis aduersus Dominum suum sumptis Germaniam turbauit. Sed victus prælio, amissa dextera, deplorauit sero Pontificis & Episcoporum incitationem. Altmannus autem profugus Romam abijt, & illic in præsidio & tutela Papæ latuit. Tandem tamen reuersus, obijt Gotuici, anno Christi 1091, in monasterio a se condito.

Theobaldus, anno 1165.

VVolfgerus, anno 1189. Hic cum Friderico Barbarossa in Asiam profectus est, vastante interea ditionem Patauinam Comite ab Ortenberg.

Vlricus Comes a Dischein, anno 1216.

Rudingerus, anno 1233 a legato Papæ ad Episcopatum euectus, propter suspicionem conspirationis cum Friderico II Cæsare postea abdicatus est.

49 Bertholdus. Hic quum aduersos haberet ciues Ducemque Bauariæ, ope Regis Bohemorum in Bauariam, postea in vrbem ipsam penetrauit: Feudum Austriæ & Styriæ a Diœcesi Patauiensi transtulit in Othocarum Regem Bohemiæ, venditum quater M marcis argenti.

50 Otto a Lomsdorff, anno 1254. Hic dissidium inter clerum & Ducem Bauariæ composuit.

51 Petrus, electus anno 1266, postea etiam prouectus ad Archiepiscopatum Salisberiensem: Interfuit Concilio Viennensi annn 1267.

52 Bicar-

52 Bicardus a Polheym, an. 1280.

53 Godefridus, 1283.

54 Bernardus a Prombach, an. 1285: fundauit cœnobium Ciſtertienſe Angelocellam.

55 Albertus Saxoniæ Dux, an. Chr. 1322.

56 Gotfridus Baro a VViſeneck in Styria.

57 Albertus Baro a VVinkel in Auſtria anno Chr. 1362. Hic bellum geſſit cum ciuitate.

58 & 59 Georgius ab Hohenlohe anno 1388 contra quem electus fuit Rupertus Dux Bergenſis. Quum ergo bellum ob Epiſcopatum ortum eſſet, Pontifex partes diſſidentes ſic recouciliauit, vt Comes ab Hohenlohe Patauienſi, Rupertus Padebornenſi Eccleſiæ præeſſet. Fuit autem Georgius in magna gratia apud Cæſarem Sigiſmundum, a quo etiam factus eſt imperij Cancellarius.

60 Leonhardus a Layning Bauarus. Hic æmulum habuit Henricum Flokel iuris Canonici Doctorem. Quum autem arbiter ab vtroque electus eſſet Archiepiſcopus Salisberienſis, ceſſit tandē Henricus, Leonhardus vero non tam precibus quam muneribus Epiſcopatum retinuit. Certamen poſtea habuit cum Canonicis, qui etiam Viennam commigrarunt, & cenſus capituli omnes interceperunt, atque adeo ipſum Romæ apud Papam accuſarunt. Sed Archiepiſcopi Saliſberienſis autoritate res tandem compoſita eſt.

61 Vlricus a Nuſdorff, anno Chriſti 1451, a Ladiſlao Hungariæ & Bohemiæ Rege cum D equis & quatuor curribus deauratis ad Carolum Galliæ Regem miſſus eſt, petitum filiam eius Magdalenam ſponſam regiam. Sed dum Romæ de pactis dotalibus diſceptatur, deque delendis in Bohemia Huſſitis, moritur Pragæ Ladiſlaus. Vlricus vero re infecta domum redit.

62 Fridericus Comes ab Oetingen, electus an. 1486.

63 Chriſtophorus Schachnerus, electus anno 1490. Hic bona Epiſcopalia egregie auxit.

64 Vigilerus anno 1500, ſub Pontifice Alexandro VI.

65 Erneſtus Dux Bauariæ, electus an. 1517.

66 VVolfgangus Comes a Salen an. 1540. Latine & Græcæ inſigniter doctus. Bibliothecam auxit.

Vrbanus a Trenbach Bauarus. Hic primarium vrbis templum S. Stephano ſacrum faſtigio magnifico ſplendidoque inſtruxit. Idem quoque Palatium Epiſcopale reſtaurauit, auxit, & turri ex ſolo ſtructa ornauit. Ex hac turri, tanquam ex ſpecula, patet in Danubium, Ænum, Ilzam, vrbeſque ſubiectas, Boiodurum, Patauium, Iliſtadium, proſpectus.


PRESBURCH

Longit. Grad. XL. *0.* *Latitud.* XLVIII. *26.*

INFRA Danubium decimo a Vienna miliari ad læuam præterlabẽtis amnis ripam ſitum eſt Poſonium, Otto Friſingenſis vocat Boſan, Lazius Piſonium, a L. Piſone, vt ipſe vult, cuius opera Auguſtus & Tiberius vſi ſunt in ſuperandis Pannonijs, Noricis, & Dalmatis. Lacum quoque Peiſonem huc refert a Plinio commemoratum lib. III. hiſtor. cap. XXIV. quem in hunc diem exſtare conſtat, decimo a Vienna Hungariam verſus milliari, pari ſpacio ab eo oppido quo de agimus: Accolæ eum lacum vocant *Peiſofewrtew*. Profert quoq; inſcriptionem veterem,

VICTORIÆ AVG. NN. ET.
LEG. IAD. P. I ANTONINI
P. MARCVS D. SEXTILIANVS
EPHESO PP. DD.
DEDICANTE EGNATIO
VICTORE LEG. AVG. C.
PR. PR.
E. C. L. PISONE.

Ab hoc ergo Piſone ille Piſonium dici vult. Sed vereor ne vnus atque idem ſit Piſo iſte cum illo quem pro argumento adfert, quum illud AVG. NN. non poſſit ad Tiberij tempora referri.

Oppidum ipſum elegans eſt, ſitu appoſito, aere puro ac ſalubri. Montes habet qua Soli patent vineis amœniſſimis conſitos, cætera tectos ſyluis. Ad ripam, horti ſunt, prata, nemora, pomaria, ſegetes. Offendo oppidum arcemque Breſburgum in hiſtoria celebrari. Otto Friſingenſis de ea ſic ſcribit li. I. de rebus geſtis Friderici Barbaroſſæ cap. 20. Igitur eo tempore quo prædictus Henricus Noricorũ Dux cum prænominato Henrico Ratiſponenſium Epiſcopo ciuibuſque ſuis ac Stirenſe Marchione Odoacro grauiſſimã guerram agitabat, quidam milites de Orientali Marchia egreſſi, Pãnoniam latenter ingrediuntur, ac noctu caſtrum Boſan, quod & Breſburg, quod olim Imperator Henricus obſidione cinxerat, ex improuiſo aggreſſi, capiunt, quibuſdam comprehenſis, nonnullis occiſis, alijs per fugam elapſis. Quod audiens rex Hungariæ Geiza, Belæ regis filius, præmiſſis quibuſdam comitibus ſuis, qui quare vel qualiter hoc factum fuerat, inquirerent, ipſe eoſdem ſubſequutus, ad liberationem caſtri cum magna Hungarorum properat multitudine. Comites qui præceſſerant, ab oppidanis, cuius rei cauſſa tam grauem regi intulerint iniuriã, ſolerter percontantur. Qui reſponderunt, Se nec pro Romanorum Principe, nec pro Duce ſuo hoc feciſſe, ſed pro Domino ſuo Boritio. Erat autem Boritius Colomanni quondã regis Hungariæ filius, prædictum regnum Hungatiæ iure hæreditario repetens, ac ob hoc adipiſcendum vtroſq; principes Romanorum ſcilicet ac Græcorum frequenter ſollicitans, multoſque ex militibus noſtris ad fauorem ſuum pecunia inducens. Igitur rex Hungariæ ſuperueniens, caſtraque ponens, oppidum cinxit, diuerſis inſtrumentis tormentorumque generibus adhibitis, ac ſagittarijs oppido circumfuſis. Teutonici, eo quod Dux in ſuperioribus Baioariæ partibus moraretur, Princeps vero in remotis regni maneret locis quum nullum liberationis ſuæ ſolatium haberent, de facienda cum Hungaris pace pertractare incipiunt. Ita mutuo colloquentes, accepto a rege ſub iureiurando promiſſo, trium millium librarum in pondere, caſtrum ei reddunt, ipſique ad propria redeunt. Rex autem Hungarorum damnum ſibi a Teutonicis illatum grauiter ferens, ducem Noricum habens ſuſpectum, hoſtem denunciat.


PRAG

Longit. Grad. XXXVI. *40. Latitud.* L. *3.*

IN Germania ſitum fuiſſe Boiohæmum ex Tacito obſeruauimus alibi. Illud Hercynius ſaltus perpetuo ambitu cingit. Vrbes habet permultas, quarum aliæ Regi, aliæ Principibus eius regni ſubiectæ ſunt. Regina omnium eſt PRAGA, in ipſo veluti vmbilico poſita; ſedes & patria multorum Regum, Ducum, Imperatorum. Vrbs auguſta, ad vtramque interlabentis Muldauiæ fluminis ripam, in amœniſſima & patentiſſima valle, inter colles & vineta, cœlo ſalubri, tanta amplitudine mœniorum cum collibus, vallibuſq; adſurgentium aut recedentiũ, vt ob trium iuſtarum ciuitatũ quas ſuo veluti ſinu complectitur, nexum, triurbem merito appellare poſſimus. Eas ciuitates nominibus quoque diſtinguunt, vocant enim, Veterem, Nouam, & Paruam, quarum illæ duæ ſitæ ſunt ad dexteram, hæc ad læuã amnis ripam. Initia vrbis referuntur ad Lybuſſam quandã vatem, quæ circa annum DXXIII in monte *Viſſegrod* vel *Hetſchin* exciſis arboribus domum ligneam exſtruxit, a cuius limine nomen loco, poſtea vrbi datum: limen quippe Bohemi *Praha* vel *Prach* vocant. Creſcente vero conuenarum numero, cœpit ſub annum DCCXXIX muro cingi. Tandem vero anno M VIII a Duce Vdalrico amplificata eſt. Mihi tamen dubiũ non eſt, quin iam olim habitata hæc loca fuerint, quum non alio referri poſſit Bubiemum, Marobodui regia; cui etiam opinioni video ſuffragari Auentinũ. Habuit autem vnaquæque vrbs Senatum ſuum & iuriſdictionem peculiarem: donec ſub Ludouico rege anno M D X I dirutis mœnibus interſitis ex Vetere & Noua Praga vnam vrbem ciues ex duabus fecerunt, vno iure conſtituto, & Magiſtratu communi. Veterem vrbem cum parua iungit pons quadrato ſaxo exſtructus, inque ſedecim arcus porrectus, habens vtrimque in aditu inſignes turres. Longitudo pontis eſt D CC ſeptuaginta duũm cubitorũ Pragenſium: latitudo quæ quatuor curribus ſufficiat. Exſtruere eum cœpit Githa Vladiſlai I regis filia anno 1171, & intra quartum annum abſoluit. PRAGA VETVS in valle ſita eſt, habetque ſtructuras inſignes, ædificiorum publicorum & priuatorum. Curia imprimis ſuperba eſt, cum turri alta; in qua ſpectatur machina non minus arte quam ſumtu commendabilis. Continet quippe reuolutionem totius anni, cũm recto curſu Solis & Lunæ, numeroque certo menſium, dierum & horarum. Indicat idem quoq; ortus & occaſus ſiderum, Solis & Lunæ curſus, ſolſtitia, æquationes, quantitates dierum & noctium, oppoſitiones, ſituſque varios lunæ, cum diſcrimine horarum triplici. Eſt etiam in eadem vrbe Academia a Carolo IV conſtituta, cuius Collegia ampla ſunt & magnifica. Autor eſt Æneas Siluius, Imperatorẽ animi cauſſa Scholam hanc ſuã ingredi ſolitum fuiſſe, & per horas interdum quatuor diſputationes Magiſtrorum audiniſſe; Semel etiã interturbãtibus aulicis, & de cœnę tempore ſubmonẽtibus, reſpondiſſe. Has ſuas eſſe epulas, has dapes, quas omnibus præferret ferculis culinarijs. Sũt in eodem quoque tractu templa multa; Vnum vero etiam Huſſitarum, habens in ſummo frontiſpicij culmine calicem deauratum. Sunt & domus duæ regiæ, in quarũ vna nunc cuditur moneta. Xenodochium eſt vicinũ ponti, & Collegium Ieſuitarum. Parte vero ea quæ magis ad flumẽ vergit, Septentrionem verſus eſt manſio Iudæorum, tam ampla, vt iuſti etiam opidi magnitudinẽ exæquet. PRAGA NOVA a veteri olim diſtincta fuit foſſa & muris: poſtea muris partim collapſis vetuſtate, partim dirutis foſſaque oppleta, ceſſit ager in hortos & arua. Ciuitas ipſa ſatis ampla eſt, vt quæ colles aliquot in ſe contineat ædificijs ornatos. Colles ſunt quinque, Primum vocant S. Caroli: Secundum B. Catharinæ: Tertium S. Appollinaris: Quartus habet monaſterium Slauorum: Quintus vocatur Viſſe-

gradū, in quo ruinæ veteris illius arcis, de qua initio dixi, conſpiciuntur dirutæ ac diſiectæ. Vrbem muniuit primus ornauitq; Carolus IV Imper. Bohemiæ Rex, is qui quum in Baptiſmo vocatus fuiſſet VVenceſlaus, poſtea in Gallia apud regem Carolum educatus, nomen in confirmatione mutauit, dictuſq; eſt Carolus. Hic ergo illā nouis templis, nouiſq; ſacerdotijs inſtruxit. Primus ille Canonicos, qui regulates dicuntur, & Carmelitas, & Ambroſianos, & Auguſtinianos per ſingula contubernia diſtributos illuc inuexit. Primus quoq; monachos Slauos introduxit, Hieronymi inſtitutū quoddā, ſi ipſis eſt fides, ſequentes. Hieronymū quippe Carolus rex peculiariter veneratus eſt, quod fuiſſet Dalmata, a quibus Bohemos ortos ipſe credidit. Idē quoq; arcē Viſſegradenſem collapſam magna ex parte reſtituit: ſed illa interea bello Huſſitico rurſum diſiecta eſt. PARVA PRAGA ponte veteti Pragæ nectitur. Habet ſibi iunctum ex vna parte oppidum *Augezd*, ex altera collem, in quo præter oppidū *Hradezan* ſita eſt arx S. VVenceſlai, Imperatorum regumq; domicilium. Palatium longum eſt pedes CCXII, latum XXX. Ei contiguum eſt templum Cathedrale, S. Vito ſacrum. In eius aditu hæc legitur inſcriptio. Anno Ieſu Chr. ſalutis DCCCC XXIII Sanctus VVenceſlaus martyr & Dux patriæ, poſt martyrium auiæ ſuæ Ludmillæ, primum hic Beato Vito martyri templum ædificauit, quod S. VVolfgangus Epiſc. Ratiſponenſis conſecrauit, anno C M LXVIII. Boleſlaus Pius Epiſcopi ſedem fecit: cuius ſecundus Epiſcopus S. Albertus anno CMXCVI apud Prutenos martyrio coronatus, & ex Gneſna ciuitate huc tranſlatus peculiare ſacellum adeptus eſt. Atq; Spitigneus II Dux, Anno M LX, poſt S. Procopij obitum annis ſeptem, e templo S. Viti ac item S. Adelberti vnum idque auguſtum conſtruxit. Sed quum hæc omnia Anno MCLXII hoſtili arcis direptione corruiſſent, Rex Ioan. I Anno MCCC XLIV chori huius fundamenta iecit, atq; in metropolitanā Eccleſiam erexit. Filius autē Carolus IV Roman. Imper. etiam S. Sigiſmundi regis & martyris multorumq; aliorū Sanctorum reliquijs, anno M CCC LIII ditauit & muneribus auxit. Quibus rex VVenceſlaus eiuſdem Caroli filius Anno M CCC XCII poſteriorem huius templi partē adiecit. Deinde caſu publico, anno M D XLI exuſta eſt. Ferdinandus I Roman. Hungar. & Bohem. rex anno M D LV eadē hæc & inſtaurauit, & ornauit. Hæc in fronte leguntur. In templo ipſo cernere eſt nonumentum Ottocari regis, qui cum Rudolpho prælio decertans occubuit. Tum, Barbaræ coniugis Sigiſmundi Cæſaris. His vicinum eſt ſacellum ab Imperat. Carolo IV exſtructum, ex lapidibus viridibus & puniceis gemmarum inſtar relucētibus, auro intertexto, in quo S. VVenceſlai Ducis Bohemiæ & martyris corpus quieſcit. Super huius capite ſolita eſt adſeruari corona regum Bohemiæ, ſed tempore motuum ciuiliū quum Ziſca cuncta peruaderet, tranſlata eſt a proceribus regni in arcē *Karlſteyn* munitiſſimam, atque illic adhuc cuſtoditur. In eodem templo cathedrali conſpicitur monumentum regium ex lapide alabaſtrite, in quo Principum aliquot & Imperatorum corpora poſita ſunt; Eius nos quum illiç ageremus, inſcriptiones deſcripſimus.

AD ORTVM.

FERDINANDVS I ARCHID. AVST. ROM. IMPERATOR. HVNGARIÆ ET BOHEMIÆ REX. NATVS MEDINÆ, ANNO M D III, DIE X MARTII, CORONAT. PRAGÆ, ANNO M D XXVIII, DIE XXIII FEBRVARII, MORTVVS ANNO M D LXIIII, DIE XXV IVLII.

AD SEPTENTRIONEM.

ANNA filia. Vladiſl. regis Hung. & Bohemiæ. Imperat. vxor Ferdi. Imperat. vixit Annos XLV. Mort. Anno

M. D.

M.D.XLVII. die vlt. Ianuarij. *Ad latus.* VVENCESL. Rom. Imperat. Boh. Rex Nat. Anno M. CCCC. LXI. Coronat. An. M. CCC. LXIII. die XII. Iunij. ætat. LVIII. Mort. & sepult. An. M. CCCC. XVIII.

AD OCCASVM.

LADISL. nat. Anno M. CCCC. XXXVIII. Coronat. Anno M. CCCC. LII. die Simo. & Iudæ. mort. An. ætat. XVIII. sepult. An. M. CCCC. LVIII. die XXX. Nouemb. *Ad latus.* GEORG. Prodiebrad. Coronat. Rex Boh. An. M. CCCC. LVIIII. mort. & sepult. An. M. CCCC. LXXI. die XXII. Martij. *Amplius ad latus.* CAROL. IIII Rom. Imperat. Boh. Rex Nat. An. M. CCC. XVI. Coronat. An. M. CCC. XLVIII. mort. & sepult. An. M. CCC. LXVIII. *Amplius.* BLANCA. filia Philippi comitis Valesiæ. vxor. Carol. IIII Regina Boh. mort. & sepult. An. M. CCC. XLVIII. *Denique ad idem latus.* Anna filia Palatini ad Rhenum comit. Vxor. II Carol. IIII, Regina Boh. mort. & sepult. An. M. CCC. LII.

AD MERIDIEM.

MAXIMIL. II Archid. Aust. Rom. Imperat. Hung. & Boh. Natus An. M. D. XXVII. die I. August. mortuus Ratisponæ An. LXXVI. die XII. Octobr. circiter. hor. IX. antemeridianam. sepult. die XXII. Martij M. D. LXXVII. *Infra ad vnum latus.* ANNA filia Auleonis ducis Suidnicencis vxor III Caroli IIII Regina Boh. mortua & sepulta An. M. D. CCC. LXII. *Ad alterum.* ELISABETA filia ducis Stetinensis Bogsluai. Vxor IIII Carol. IIII Regina Boh. mortuæ & sepulta. Anno .....

Haud procul Cathedrali templo Orientem versus situm est monasterium Virginum vetustissimum, sacrum S. Georgio, conditum a Duce Vratislao, patre S. VVenceslai regis & martyris. Huius cœnobij Abbatissæ tanta est dignitas; vt in coronatione reginæ eius præsentia requiratur. Alibi extra hoc templum iuxta vrbis mœnia in arduo & abrupto colle *Petezin* dicto monasterium est quod vocāt Montem *Strahow*, vel montem Sionis, in quo situs est Vratislaus primus Bohemiæ rex. Conspicitur quoque illic hortus regius amœnissimus, cui iuncta est domus caueæ instar, habens leones cōclusos. Vidimus & pardum illic, & lyncen, & tygridem. Varios autem casus experta est Praga. Anno C M XXX circumsedit eam Henricus Auceps, & in illas angustias adegit, vt Dux Cæsari se dedere, ac tributum pendere coactus sit. Iterum capta est a Ioanne Lucelbulgio anno M CCC XVI. Sed in extremas angustias redacta est bello Hussitico, quo præter alia immanis crudelitatis exempla, factiosi curiam irrumpentes Senatores septem primarios de fenestris præcipites in confertam multitudinem proiecerunt, quos illa hastis exceptos misere interemit. Ea res ita VVenceslai regis animum consternauit, vt apoplexia correptus sit, ac non multo post extremum diē clauserit. VVenceslao succedurus Sigismundus Pragam obsedit: qui quum ipsi ciues repugnarent, occupata arce, ab Archiepiscopo coronam regni accepit anno M CCCC XX, abijtque in Hungariam: vnde post tumultum Ziscę pacatis rebus regressus est, vt narrat Æneas Syluius. Cæterum sub Carolo V, quum is aduersus Ioannē Fridericum Saxoniæ Ducem proscriptum arma sumpsisset, Pragenses a rege suo Ferdinando abalienati, de Gaspare Pflugio in regem adsciscendo consilia agitauerunt, missisque ad Saxonem legatis auxilia ipsi aduersus hostes suos polliciti sunt: Victo Saxone perstiterunt Bohemi in suo aduersus Ferdinandum odio. At is auxilijs frarris adiutus, ex arce, quæ semper in fide manserat, directis in subiectam vrbem tormentis facile ad deditionem ciues coëgit. Ex eo sub Maximiliano, Rudolpho, Matthia Imperatoribus tranquilla ciuitas opibus ac potentia floruit.


REGENSPURG
Thonau flu

Longit. Grad. XXIV. *26. Latitud.* XLVII. *58.*

IN Bauaria ad Danubium eſt Ratiſpona: de cuius ſitu & nomine Otto Friſingenſis ſic ſcribit lib. 2 de geſtis Friderici Barbaroſſæ. Hæc ciuitas, inquit, ſuper Danubium, qui vnus trium famoſiſſimorum fluminum in Europa a topographis dicitur, ex ea parte qua prædicto amni duo nauigabilia Regnus & Naba illabuntur flumina, poſita, eo quod ratibus opportuna bonaque ſit, Ratiſbona, vel a ponendo ibi rates Ratiſpona Baioariorū quondam Regum, nunc Ducum ſedes eſt. Guntherus vero Ligurinus ſic,

Inde Ratiſponæ (vetus ex hoc nomen habenti
Quod bona ſit ratibus, vel quod conſueuit in illa
Ponere nauta rates: hac Noricus vrbe Ducatus
Præcipua gaudet) ſolemnis curia certo
Tempore mandatur ----

Sunt qui putent eam ſub Auguſto fuiſſe Quartanorum Coloniam: poſtea vero a Tiberio dictam Auguſtam Coloniam Tiberiam: & citatur in hanc rem numus Goltzij COL. AVG. TIB. Leo III Papa in diplomate anno 798 perſcripto vocat eam Tiburniam. A Theodonis I Boiorū regis vxore Regina creditur Reginoburgi nomē ſumpſiſſe, vel potius ab amne Rego qui ſupra vrbē Danubio miſcetur. Germani vocauerunt Regenſpurgum: Tandem quoque Latine dicta eſt Ratiſpona. Sunt etiam qui putent dictam Rhætobonnam. Carolus Magnus in priuilegijs monaſterio S. Emerani datis vocat eam Reginoburgium. S. VVilboldus primus Epiſcopus Eichſtettenſis vocat Reginam. Vrbs eſt ampliſſima atque ornatiſſima; aggere, foſſa, mœnibus egregie ornata. Paruit olim regibus Boiorum, ſub Friderico autem I adſerta eſt in libertatem. Anno D CC XCI incendio pene tota conſumpta fuit, ſed Arnulphi induſtria reſtaurata eſt. Templa & ſacella tot habere dicitur quot ſunt in anno dies. Pars vrbis vltra Danubium ſita, eſt vetuſtior, habuitque a Regno amne nomen Reginopurgi, quod nomen poſtea adcreſcente parte Ciſdanubiana, ad nouam quoque vrbem deriuatum eſt. Pontes hic duo ſunt lapidei, vnus ad Regnum, alter ad Danubium: quorum ille antiquior eſt, hic magnificentior; omnium ad Rhenum & Danubium pontium maximus, ac Dreſdano duntaxat ad Albim minor, vt qui D CCC habeat paſſus in longitudine, quum hic tantum habeat CCCC LXX. Pontem illum condidiſſe dicitur Henricus Dux Bauariæ & Saxoniæ adiutus opibus ciuium Ratiſponēſium & Epiſcopi, anno M C XXXV. Religionem Chriſtianam primus in vrbē importauit Marcus B. Pauli comes. Poſtea ſub Zenone anno CCCC LXXXIV Paulinus & Iuſtus: A Paulino vſque ad Garibaldum numerantur Epiſcopi nouē. Prolapſam enim Eccleſiam reſtituere Carolus magnus & Bonifacius, dato Garibaldo Præſule. Inde longa ſerie cenſentur alij vſq; ad noſtra tempora; & inter eos Albertus Magnus, qui tamē vt ſtudiis vacare poſſet, conceſſit Coloniam deſertis Epiſcopatus moleſtijs. Frequentia in hac vrbe habita ſunt Comitia Imperialia. Memorabile eſt illud, quod celebratum eſt anno MDXLI iuſſu Caroli V in cauſſa religionis, quo præſidibus Friderico principe & Grauellano, diſputatum eſt a Melanchthone & Eccio. Ad pontem ſpectatur marmor c ū hac inſcriptione, D. ET PERPETVÆ SECVRITATI IVL. MVRSIÆ. *eius pient.* VX. *an.* XLVII. *Roafriti fœminæ reuerendiſs. & filij filiæ obitis, & Iuliæ Nonnæ matri pient. vix. an.* LXXX *Iul. & Victorinæ ſocrui, vix. an.* LX. *Item viuis Aureliæ & Aurel. militari fil. & amicis quorum in monumento Cineſia & Ribebeſca & amici eorum ſiti ſunt. Poſt horum obitum eorum oſſa recondi in eorum ſepulchro permiſit, Marcus Aurelius militaris omnibus hæredibus monumentum exſtruxit, & omnibus Legion.* IIII. *ita viuus viuis fecit.*

RIGA


RIGA
Der Thum
S Jacop
S. Peter
Schlos
Duna flu

Longit. Grad. XLVIII. *o. Latit.* LVII. *30.*

LIVONIA in vltimo maris Balthici receſſu, Ruſſis, Boruſſis, & Lithuanis adſita, ſero admodum ad Chriſti fidem perducta eſt, nec ante annum MCL, quo tempore Meinardus Zegebergēſis Canonicus, cum mercatoribus Lubecenſibus illuc profectus, exſtructa ad Duuinam fluuium caſa primum linguam popularem didicit, poſtea a Bremenſi Archiepiſcopo donatus infula primus eius Eccleſiæ Præſul factus eſt anno MCLXX. Poſt illum miſſus eſt Bremâ Bertholdus, Ciſtercienſis Abbas, qui vrbi condendæ, muniendæque operam nauauit, adiutus a fratribus enſiferis, ducibus Viano & Volguino aduerſus paganos pugnantibus. Sed quum vincerētur ſępius a Gentilibus Chriſtiani, nec viderent ſe pares eſſe poſſe, euocarunt ordinis Teutonici fratres Marianos in Boruſſia agentes, anno MCCXXVIII, & poſt necem Bertholdi Albertum fecerunt Epiſcopum impetrata a Bremēſi Antiſte confirmatione. Hic vrbem muro cinxit, & Eccleſiam in ea erexit. Creuit inde vrbs in eam potentiam vt etiam Archiepiſcopali cathedra donata ſit, conſtituto primo præſule Adolpho anno MCCLV. Is a dextris Curiēſem & Revalienſem, a læua Torpatenſem, a fronte Oſilienſem Epiſcopatum ſibi habens ſubiectos, ita ad ſe inſpectionem Eccleſiarum Liuoniæ & Boruſſiæ pertinere cōtendebat, vt ad magiſtrum Teutonicum in mōte Regio præſidentē omnis referebatur totius Ordinis per eaſdem regiones inſpectio. Hinc factum vt cum ordine Teutonico Epiſcopus ſæpe etiam armis contenderit. Anno MCCXCVIII cæſus eſt a Rigenſibus Teutonicorum magiſter Bruno cum LX fratribus eius ordinis. Nouo poſtea orto diſſidio Rigenſes Dunemundam, arcem Teutonicorum ad oſtium Duuinæ ſitam, quod ipſorum nauibus infeſta eſſet, cum vico euertēgunt. Ob eam rem ab Euerhardo de Monhem obſeſſi & ad deditionem compulſi, diſiectis muris portiſque, magna etiam pecuniæ vi mulctati ſunt. Haud multo poſt Stephanus Archiepiſcopus Teutonos victores vrbe pellit, Dunemundam ſolo æquat, & apud Sixtum IV Pontificem hoc efficit, vt Magiſter ordinis excommunicatus præfectura ſua inſuper deturbetur. Anno MCCCXCV Adolphus de Plettenberch collectis nouis viribus Rigenſes exercuit. Diſtat vero Riga a Reualia L, a Torpato XXX, a Vilna Lithuaniæ XL, a Monte Regio Boruſſiæ LX milliaribus Germanicis: Vicinora habet minuta quædam oppida, VVenden, Pernow, Vellin, VVolmar, Kokenhauſen, aliaque. Riga ipſa muro fortiſſimo propugnaculiſque & turribus denſis, vallo inſuperabili, ac tribus ordinibus tormentorum vndecumq; munita, foſſis duabus cincta, & ſtipitibus acutis ſepta eſt, inſtructa inſuper præſidio militari aduerſus incertos belli caſus. Arcem habet firmiſſimam, cuius tamen præfectus nihil in ciuitatem, libertatis ſuæ ſtudioſiſſimam, iuris habet. Emporium eſt totius illius tractus poſt Gedanum diuerſarum nationum frequentatione celeberrimum, ſitu plano, qualis eſt totius pene Liuoniæ. Duna vel Duuina fluuius eam præterlabitur, vt Hamburgum Albis. Oritur is in penitiore Ruſſia, & duobus infra Rigam miliaribus mari Balthico miſcetur. Magna in vrbe annonæ eſt vbertas, ob frumenti copiam, quod inde nauibus onerarijs petitum a mercatoribus Hollandis, Zelandis, Anglis, varie per reliquum orbem diſtrahitur. Bos pinguis tribus daleris venit: porcus ſaginatus dalero. Merces hinc præter frumentum petuntur, pix liquida, linum, cineres, coria, pelles vrſorum, alcium, vulpium, caſtorum, ſabellorum, martarum, hermelinorum, aſſeres, trabes, ligna cæſa & læuigata ad naues fabricandas, aliaque id genus.


KONINGSBERG
S. Niclas
Slos Thurn
Neue Pregel

Longit. Grad. XLIV. *o. Latitud.* LIV. *35.*

MONTEM Regium in Boruſſia condidit Primiſlaus II Bohemiæ rex, profectus eo cum Ottone Marchione Brandeburgico ad purgandam ab idolomania Gentili Boruſſiam, ſub annum Chriſti M CC LV. Eſt quidem & alia Koningſberga in Noua Marchia, opus Ottocari Bohemiæ regis; ſed nos nunc illam Boruſſiæ damus. Initio condita fuit vbi nunc templum eſt S. Nicolao ſacrum extra vrbem: ſed exuſto illo oppido anno MCCLX, exſtructū eſt aliud arci vicinius. Hæc ea eſt vrbs quā nunc veterē vocant. Inde aliam ei vicinam fecit Bertholdus Commendator anno M CCC, quæ *Lebenicht* dicitur. Tertiam nomine *Kniphoff* in inſula exſtruxit Magnus Magiſter VVinricus Knipenrode anno M CCC LXXX, loco vliginoſo & paluſtri, adeo vt palis in terram adactis firmandum ſit ſolum ad ædes exſtruendas. Hæc inſula duobus pontibus ſuburbio nectitur, habetque in ſe templum Cathedrale cum Collegio. Eadem veteri vrbi ponte iungitur: in qua Baſilica eſt parœcialis: & in ſuburbio Steindamum, cum templo B. Nicolai, ad quod cœmeterium eſt ciuium. In oppido Lebenicht templum eſt S. Barbaræ editiore loco exſtructum: tum Eccleſia noua in foro equino: Cœnobium quoque Virginum quod Kniperodius Heros condidit. Fuerunt & alia duo cœnobia, quæ nunc in granaria Ducis conuerſa ſunt. Arx quoque magnifica & elegans in ea ciuitate eſt, cum turri excelſa: Tum Palatium Epiſcopi, & aula publica conuiuijs ciuium epuliſque ſolemnibus deſtinata. Ciues præter artes mechanicas omnis generis, negotiationem quoque maritimam exercent, frumenti, cinerum, picis aridæ & liquidæ, ſalis, lini, canabis, lanæ, ceræ, ſebi, tignorum, mellis, pellium. Fluuius Chronus quem accolæ Pregelam vocant, vrbem non tantum adluit, ſed etiam diffindit, poſteaque in ſinum Venedicum maris Balthici ſeſe immittit. Iuxta arcem lacus ſunt bini, quos amnis *Kaſback* permeat, priuſquam ſeſe Pregelæ miſceat. Ager vrbi vicinus planus eſt, ſegetibus aptus. Academiam in vrbe inſtituit Albertus Marchio Brandeburgicus anno M D XLIV.

Sabini Epigramma inſcriptum parieti Gymnaſij Regiomontani hoc legitur,

Quando redemtoris poſt incunabula noſtri
Addita tercentum Luſtra duobus erant,
Phœbus & vndecies ternos compleuerat annos
Lucida qui cœli ſigna pererrat equis,
Hic erecta fuit doctis Academia Muſis
Quas fouet Alberti cura benigna Ducis.

Et hoc,

Qui regit indomito præſtantes Marte Boruſſos
Gymnaſio Princeps hæc dedit arma ſuo.
Nempe duas aquilas, inuictum Heroaque, cuius
Aonidas forti protegit enſe manus.


ROSTOCK

Longit. Grad. XXXIV. *18. Latit.* LIV. *20.*

ROSTOCHIVM vrbs eſt Vandalica, tractus Megapolitani, fœderis Anſeatici: nomen habet non a roſa, aut roſeto, neque vero a fuſte rubro, tametſi ad originationes iſtas videatur alludere Germanica appellatio; ſed a terra vliginoſa, quæ Sclauis dicitur *Roſtzock*, quod nomen totidem litteris aiunt ſigillo vrbis maiore exprimi: Polonica vero hiſtoria iſtam etymologiã confirmat: conſtat autem Slauos olim hæc loca inſediſſe. Origines vrbis primæ referuntur ad annum Chr. CCCXXIX, tunc enim aiunt ad Varnam piſcatores pauculos opportunitate loci allectos, vt fit, caſas ſuas & tuguriola illic condidiſſe. Sed oppidulum feciſſe dicitur Godſcalcus Obotritorum Dux. Hoc certum eſt, eam anno M C LX a Pribiſlao II Nicoliti filio, quadrageſimo & vltimo Herulorum rege, ex vicinæ atque a Principe ſuo Henrico Leone vaſtatæ diſiectæque Vrbis *Keſſin* (en rerum vices) ruderibus, muro cinctam, foſſa munitam, inque vrbis formam redactam eſſe. Longitudo vrbis eſt bis M, & C LXVI paſſuum: Latitudo D CCC XXV, ambitus 5500. Par eſt pene Lubecæ, cuius longitudo eſſe dicitur paſſuum 2150. latitudo 1300. Vrbis partes tres ſunt, Antiqua, Noua, Media. In antiqua ſunt templa tria, vnum B. Petri, alterum B. Nicolai, tertium B. Catharinæ cum Collegio Iuriſconſultorum. Media, quæ brachio Varnæ ab antiqua ſeparatur, habet templa B. Mariæ, Ioannis, & Curiam cum lectiſſimorum & ditiſſimorum ciuium ædificijs; Noua habet Eccleſiam Collegiatam B. Iacobi, cum templo Sp. Sancti, B. Michaelis, S. Crucis, & octo Collegijs Academiæ. Fora tria ſunt, Vetus, in quo ruſtici ligna, carbones, hordeum diuendunt. Medium in quo tabernæ ſunt inſtitorum. Lupuli, in quo lupulus proſtat venalis, quod etiam ab equis equarium, & & a collegijs vicinis Latinum vocatur. Plateæ ſunt CXL: quarum nonnullæ a portis nomen habent, vt Lapidea, Cygnea, Bramouienſis: quædã ab incolis, vt Piſcatorum, Fabrorum, Carnificum. Quædam a familijs, vt Cosfeldiorum, Lageſtratorum; VVokrendiorum, Eſelfotorum, Suickmanorum. Quædam a ſitu, vt longa, lata, aſpera, auguſta, vaccinea, ſanguinea, aquatica. Portæ vrbis maiores in vſum curruum olim ſeptem fuere, B. Petri, per quam itur in Pomeraniam: Molitorum, qua in Marchiã, Lapidea qua Cygneam. Kropelinenſis, qua VViſmariam & Lubecam. Bramouienſis qua Varnæmundam: Duæ reliquæ obſtructæ ſunt. Præter has ſunt XIV minores, quæ ex vrbe Varnam ducunt. Pontes ſeptem, ſed ex his vnus vetuſtate conſumptus eſt. De numero vero ſeptenario rerum hic memorabilium exſtat Rhythmus,

Söuen dören tho S. Marien karcke
Söuen ſtraten van den groten marckte,
Söuen dhöre ſo dar gahn tho lande,
Söuen kopmans bruggen by den ſtrande,
Söuen törne ſo vp den Radthuſz ſtann,
Söuen klocken de dae daalychen ſlaan,
Söuen linden op den Roſen gærden,
Dat ſijn die Roſtocker kennewarten.

Familiæ præcipuæ ſunt hæ, *de Moncken, de Cosfelder, de Wokrente, de Freſen, de Nachtrauen, de Lowen, de Wyſen, de Kruſen, de Roden, van Zelowen, van Ottbergen, van Zeynen, van Aa, Witwen, Krone, Kropeln, Kerckhouen, van Baggen, Buke, Katzow, Macken, Grentzen.* Habent autem Roſtochienſes ius cudendæ monetæ aureæ & argenteæ. Magiſtratus conſtat XXIV ſelectis viris; ex his ſumuntur Conſules quatuor, Camerarij item Præfecti opificum, ac deniq; Prætores & Iudices. Academia cum priuilegio admiſſa, tantum habet iuris quantum ipſi indultum eſt a Principe & Republica.


RUFACH
Isenburch

Longit. Grad. XXIV. *5.* *Latitud.* XLVII. *48.*

CONRADVS Pellicanus Rubeaquensis autor est, ciuitatem istam conditam esse a Romanis sub Antonino & L. Vero, anno Christi CLXIV, Iunio Rustico & Aquilino Consulibus: quod vnde ipse habeat, nescio. Rhenanus *Rufahum* vocat; Ortelius dubitat, an sit Ptolemæi ῥεφιάνα: nomen a ruffo aquæ colore inditum loco creditur: nam Ombachius amnis, aluei sui fundo tinctus, per vallem D. Georgij perq; hanc vrbem latus, nomen etiam ex re olim habuit Rotbachij. Dagobertus Francorum rex anno DCXXIII arcem Isenburgum ædificauit in colle ad Occidentalem vrbis plagam: idemque Amandum Traiecto inferiore accersitum præfecit Ecclesiæ Argentinensi, eiusque successori Arbogasto Aquitano dedit Rubeaquum cum omni vicino agro: quem *Mondat* hodieque vocant. Creuit oppidum ciuium frequentia ex solemni peregrinatione exterorum ad reliquias Valentini, quas illic religiose adseruari creditum est. In hac vrbe cõcitati aduersus Henricum IV ciues, anno MLXVIII, quod aulici ipsius militesque libidine & violẽtia omnia implessent, post dubiam pugnam, captis Imperij insignibus, (corona, vexillo, cum aquila, pomo, sceptroque aureo, & labaro rubeo croceoque colore distincto) leges Imperatori tulere, redditurosque se ipsi quæ accepissent, si ille obliuionẽ rerum a se commissarum promitteret, sponderetque, ipsis indemnitatem, & se Reip. illius patronum ac protectorem semper futurum. Facilis in præsens Imperator omnia promittit: mox collectis copijs suis vrbem expugnat, ferro incendioque cuncta vastat, suburbia in quibus magna opificum metallicorum turba morabatur, subuertit penitus, quæ ex eo nunquam potuerunt restitui. Post annos CXL rursum illa a Philippo Imperatore, quem offenderat Conradus II Argentoratensis Episcopus, expugnata est, incensa, vastata: arx etiam Isenburgensis magna parte diruta. Rursus eandẽ fortunã experta est sub Adolpho Nassouio anno Christi MCCXCVI. Quum vero Synagogam suam Iudæi in oppido haberent, offensi ciues ipsorum fraudibus anno MCCCIX mense Ianuario plerosque ipsorum exusserunt, cæteros postea trucidauerunt. Quanta vero annonæ caritas sequuta sit, testatur velum in templo summo pendens cum hac inscriptione, ANNO DOMINI M CCC XLVII DEPICTVM ET PERFECTVM EST HOC VELVM, ET EODEM ANNO ERAT CARISTIA MAGNA; ET DEFECTVS TERRÆ FRVCTVVM VNIVERSORVM. Excepit hæc mala duplex Anglorum depopulatio, prior facta anno MCCCLXIV, posterior anno MCCCXXIIII. Sed restaurauit eam Fridericus a Blanckensteyn Episcopus Argentinensis, anno MCCCLXXX. Restauratam vastauerunt Hungari anno MCCCLXVI. Erexit eam paullum Cunradus Baro Bussuag electus Episcopus Argentoratensis, tempore Concilij Basileensis, quum Ludouicus Delphinus Caroli regis Galliæ filius a patre missus aduersus Concilium, multa damna Heluetijs, multa Argentinensibus intulit, vsus opera militum qui Armeniaci tunc temporis dicebantur. Sed imprimis salutaris fuit Reip. Guilielmus Comes ab Honsteyn Episcopus Argentoratensis, qui arcem magnifice ornauit, & muros collapsos restituit anno MDXXXVI.


SALTZBURG
Das. F. Schlos

Longit. Grad. XXXV. *35. Latitud.* XLVII. *40.*

IVVAVVM, quod Antoninus & Tabula Peutingeriana aliquoties nominant, esse hodiernum Salzburgum, non negabit qui id ita proditum olim sciet ab Eginhardo in vita Caroli Magni & Sigeberto in Chronicis: Ille sic, *Vvuanum, quæ & Salzburgum*; Hic, *Iuuanum quæ & Salzburch.* Notitia Imperij vocat *Iuuense castellum*, haud dubie a iuuando formata militari appellatione: Amni idem nomen inditum a castro. Sed in Tabula Peutingeriana mendose legitur *Iuaro:* In inscriptionibus est COL. HADRIANA IVVAVIA. & DVVMVIRI IVVAVENSES. Otto quoque Frisingensis, *Iuuauia*, inquit, *quæ nunc Salsburga dicta, Baioariæ metropolitana sedes esse noscitur.* Creditur etiam dicta Hadriana. Atque huc faciunt versus, quos in vrbis templo legisse se testatur Pighius,

Tunc Hadriana vetus, quæ post Iuuauia dicta est,
Præsidialis erat Noricis, & Episcopo digna.

Auentinus autor est, Ptolemæi Πόϊδνον idem esse cum Saltzburgo, pagumque ostendi in vicinia eius nominis. Gaspar Bruschius initio vernaculo nomine *Helffenberg* dictam prodidit, atque ex eo fluxisse Romanum nomen Iuuauiæ, vel Iuuensis castelli. Salisburgum postea vel a salinis vocari cœpit, quarum copia non procul ab ea vrbe reperitur in oppidulo Halle, vel a fluuio *Saltzach.* Sita est autem in Norico Cisdanubiano, in medijs Alpibus, decenti murorum ambitu, turribus & propugnaculis, ac præterea ædificijs publicis priuatisque egregie exculta. Arcem habet in edito monte splendidam. Veteris arcis Iuuauensis ruinæ extra suburbium conspiciuntur in colle. Templa & sacella sunt varia. Abbatia S. Petri vetusta admodum est; ex eaque petiti sunt sæpius Episcopi. Ad S. Sebastianum conspicitur Theophrasti Paracelsi monumentum cum hac inscriptione, *Conditur hic Philippus Theophrastus insignis medicinæ Doctor, qui dira vulnera, lepram, podagram, hydropisin, aliaque insanabilia corporis contagia mirifica arte sustulit, ac bona sua in pauperes distribuenda collocandaque ordinauit, Anno* MDLI, *die Septemb. vitam cum morte commutauit.* Cathedrale templū præ cæteris eminet. Fuit enim hic perdiu sedes Archiepiscopalis, translata illuc Laureaco, sub Carolo Magno, anno Chr. DCCXCVIII, qui dignitatis illius eminentis titulum contulit in Arnonem Episcopum, suffragante Papa Leone, quum ante a temporibus inde Bonifacij tantum fuisse sedes Episcopalis. Bonifacius quippe ab Vtilone Baioariæ Duce inuitatus tractum illum omnem in quatuor parœcias distribuit, & singulis singulos Episcopos præfecit. Ex his, inquit VVilibaldus is qui Bonifacij vitam contexuit, primus fuit Ioannes, quem voluit Salisburgensis oppidi cathedram obtinere: Alter Erimbertus, qui Frisingensi Ecclesiæ præfectus est. Tertius Gunibaldus Ratisbonæ, quæ est Baioariæ metropolis, antistes institutus est. VVinilus vero a Præsule Apostolico iam ordinatus Potauiensi Ecclesiæ Episcopus datus est. Fuere autem Cathedræ isti ex quo ad Archiepiscopalem dignitatem euecta est, subiecti suffraganei, Tridentinus, Patauiensis, Viennensis, Gurcensis, Brixiensis, Frisingensis, Seccouiensis, Lauentinensis, & Chiemensis.

SERIES EPISCOPORVM SALTZBVRGENSIVM.

Anno CCCCLXXVI quo tempore Noricum Romanis parebat, fuit Iuuauensis Episcopus S. Maximus, quem Ostrogotthi & Heruli duce Vidomaro in Italiam proficiscentes ex patibulo suspenderunt, vrbe insuper vastata, & plurimis ciuibus in captiuitatem abductis. Et iacuit aliquamdiu ita ciuitas, donec Rupertus episcopus VVormaciensis iussu Theodeberti Francorum regis ad Boios profectus,

fectus, baptizatis Ratisbonæ Theodone III & Theudeberto eius filio, doctrinam Christi illis locis docuit Laureacum vsque. Inde reuersus per Noricum, Oetingæ baptizauit Theodonis fratres, Vtonem, & Theodewaldum, ac tandem Saltzburgi docuit. Defunctus est ibi anno 624.

ABBATES S. PETRI ante Episcopos.

2 Vitalis, monasterij S. Petri Abbas, sedit an. 23. mortuus est anno 646.
3 Ansologus, Abbas ad S. Petrum, sedit annos 20. sepultus est anno 666.
4 Sauolus, sedit an. 14. defunctus an. 703.
5 Ezius Abbas, sedit annos 23. obijt anno 680.
6 Florbargisus Abbas, vixit anno 37.

EPISCOPI.

7 Ioannes qui a Bonifacio factus est Episcopus, sicut ante diximus: sedit annos 14. obijt anno 754.
8 Virgilius Hibernus. sedit annos 30.
9 Bertricus Abbas, defunctus an. 885.

DEINCEPS ARCHIEPISCOPI.

10 Arno I, ex Episcopo factus Archiepiscopus per Leonem III, sedit an. 36, obijt an. 821. Fuit autem in flagrante gratia apud Thassilonem III Ducem Baioariæ, non tantum priusquam ille a Carolo Ducatu pelleretur, sed etiam post. Sub hoc celebrata sunt Salisburgi Comitia anno 803, quibus interfuere etiam legati Nicephori Imperatoris Constantinopolitani, decretumque, vt Carolus ipsiusq; successores, Imperatores Romani, Latini, & Occidentales dicerentur: Nicephorus vero cum suis, Constantinopolitani, Græci, & Orientales.
11 Ammilonius, obijt anno 821.
12 Adalramus, defunctus anno 836.
13 Leopramus, ob. anno 869.
14 Adalwinus, sedit an. 14. obiit anno 873.
15 Adelbertus, sedit an. 1. obijt an. 874.
16 Dietmarus I, sedit annos 23. Cæsus est ab Hungaris anno Christi 907.
17 Piligrinus I, sedit an. 16: ob. an. 923.
18 Olibertus sedit an. 12. ob. an. 975.
19 Egilolphus, sedit an. 4. ob. 939.
20 Heroldus Comes a Schyern, sedit an. 18: erutis oculis deiectus est de dignitate an. 958.
21 Fridericus I in Chiemgew, obijt an. 991.
22 Hartwicus Comes in Spanheym & Artemburg, sedit an. 32. defunctus est anno 102.
23 Guntherus Henrici Imp. qui sanctus dictus est Cancellarius, obijt an. 1025.
24 Dietmarus II, sedit an. 16, defunctus an. 1041.
25 Balduwinus, sedit an. 19, defunctus an. 1060.
26 Gebhardus Sueuus ab Helffensteyn, sedit annos 28. constituitque Ecclesiam Gurcensem. Hic pulsus aliquamdiu a Bertholdo a Mospurg, restitutus est: defunctusque an. 1088. Bertholdus postea sedit an. 2.
27 Thiemo ex Abbate S. Petri, sedit an. 11. captus inde a Turca apud Chorazin in Palæstina vitam martyrio finiuit.
28 Conradus I de Abensperg Henrici IV Capellanus, sedit an. 42. defunctus est anno 1147.
29 Eberhardus I Comes de Hiltpoltsteyn Abbas Biburgensis, sedit annos 17: defunctus anno 1164.
30 Conradus II S. Leopoldi Marchionis Austriæ filius

ex

ex Episcopo Patauiensi factus Archiep. Saltsb. sedit an. 4. obijt anno 1168.

31 Adelbertus filius Sobeslai regis Bohemiæ, sedit an. 6. expulsus est a Frider. I Barbarossa, an. 1174. Suffectus tunc administrator Henricus Præpositus Berchtesgradensis.

32 Conradus III Cardinalis Episcopus Sabinensis, sedit an. 6, postea factus Archiep. Mogũtinus deserta ea sede rediit, rexitque adhuc an. 17. ob. an. 1200.

33 Eberhardus II Episcopus Brixinensis, præfuit an. 46. erexitque Episcopatus tres, Chiemensem, Seconiensem & Laueminensem, defunct. est an. 1246.

34 Philippus Bernhardi Carinthiæ Ducis filius electus contra Burchardum, præfuit an. 10: sed quum nollet ordinari in sacerdotem, depositus est, an. 1256.

35 Vdalricus Episcop. Seconiensis, sedit an. 9. & resig.

36 Vladislaus Henrici Silesiæ Ducis filius, sedit annos 5. obijt an. 1270.

37 Fridericus II de VValhen, sedit an. 14. ob. an. 1284.

38 Rudolphus Rudolphi Imp. Cancellarius, sedit an. 5. obijt an. 1390.

39 Conradus IV, sedit an. 22: defunctus an. 1312.

40 VVichardus a Polheym, sedit an. 3. obijt an. 1315.

41 Frideticus III a Leibnitz, sed. an. 23. ob. an. 1333.

42 Henricus a Piernprun, sedit annos 5.

43 Ortulphus de VViseneck, sedit an. 22. mort. an. 1365.

44 Piligrinus II a Pucheym, sedit an. 32. ob. an. 1396.

45 Georgius Schneck, sedit an. 7. obijt an. 1403.

46 Eberhardus III, præfuit an. 24: obijt an. 1447.

47 Eberhardus IV de Starenberg, obijt an. 1429.

48 Ioannes II, sedit an. 12. obijt an. 1441.

49 Fridericus IV Truchsess de Emerberg, def. an. 1452.

50 Sigismundus I a Volkenstorff, præfuit annos 8. obijt an. 1461.

51 Burchardus a VVeisspriach Cardinalis, sedit an. 4.

52 Bernhardus a Ror, sedit an 15. resignauit an. 1482.

53 Ioannes III Strigonienſis, sedit an. 7 mort. an. 1489.

54 Fridericus V Comes a Schauwenberg, sedit an. 5.

55 Sigismundus II ab Holneck, sedit mens. 8. ob. a. 1495

56 Leonardus a Keutschach, sedit an. 24. ob. an. 1519.

57 Matthæus Langius a VVellenburg Augustanus, Cardinalis S. Angeli, Consiliarius Maximiliani I Imp. Francofurti Imperium Carolo V obtinuit. Interfuit quoque Comitijs Augustanis anno 1530: sedit an. 21. obijt an. 1540.

58 Ernestus Comes Palatinus Rheni, Bauariæ Dux, natus Alberto Bauaro & Kunegundi Friderici Imp. filia, discipulus fuit in patria Ioannis Auentini, Ticini Iasonis Mayni: ex Episcopo Patauino factus est Archiepiscopus Salisburgensis.

59 Michael a Nieuburg, electus anno 1554.

60 Ioannes Iacobus Tyrolensis nobilis, electus an. 1560.


S. Gal

Longit. Grad. XXXI. *20. Latit.* XLVII. *0.*

GALLVS, a quo monasterio ac postea oppido nomen datum est, Scotus fuit, claris parentibus natus, Columbani Abbatis discipulus. Is primum in Galliam posteaq; in Germaniam profectus ad Lindiniacum flumen, loco qui Tuconia vulgo *Tuggen* dicitur, ad caput Tigurini lacus Christi fidem docuit: inde Brigantij, & Arbore felici, ad lacum Acronum. Fertur tunc Gemzo Allemannorum Dux Gallum istum ad Episcopatum Constantiensem euocasse: sed quum is munus illud recusasset, atque e sodalibus suis Ioannem quendam designasset ei dignitati idoneum, promotus est Ioannes: ipse vero anno Domini DCXXX in vicinos montes secessit, cellamque exstruxit, operaturus in ea pietati, rebus diuinis, precibus. Fecitq; id aliquãdiu cum sodalibus suis. Post eius excessum perseuerarunt in eadem studiorum contentione ipsius discipuli; quo factum est, vt Reges Francorum & Duces Allemanniæ hac ipsorum pietate delectati, largis donationibus eos prosecuti sint, mutarintque cellã in cœnobium. Octogesimo post S. Galli obitum anno petierunt sibi cœnobitæ Abbatẽ: Datus est vero ipsis a Pipino Caroli Martelli filio Ottomarus presbyter Curiensis: ac tunc primum regulam S. Benedicti professi sunt. Ab eo tempore creuit cœnobium opibus, ac potentia, in tantum, vt iusti opidi formam confluentibus conuenis paullatim nactum sit, vtque Abbas eius inter Principes Imperij honestum etiam locum habuerit. Sed quum a potentioribus premerentur atque imprimis ab Abbatis cellanis, destituerenturq; ab Aduocatis siue Protectoribus, dedit se cum monasterio, & oppido, Caspar Landenbergius Abbas LII de consilio suorum fratrum in clientelam quatuor Heluetiæ pagorum, Tiguri, Lucernæ, Suitiæ, & Glaronæ: quam ipsius transactionem protinus alia quoque ipsius opidi sequuta est. Confirmatum est hoc fœdus anno MCCCCLIV pridie Ioannis Baptistæ, quo die Legati Heluetiorum publico epulo excepti sunt, cui creduntur interfuisse MD mortales. Paret autem Abbati Sangallensi oppidum VVila in Turgea, cum agro omni, cuius incolæ vocantur *die Gotthuß-lüt*, estque is in plures regiones tributus. Vrbs ipsa diuisa est in societatem nobilium & tribus sex, quarum primaria est ea quæ linificium exercet, cuius ingens illic negotiatio: telis Sangallensibus nusquam non experiris per Germaniam, Galliam, Italiam, Hispaniam, Bohemiam, Poloniam, Hungariam, Silesiam, siue illæ candidæ sint, siue tinctæ. Duo sunt ciuitatis consilia, vnum maius, alterum minus. Minori interfunt Senatores XXIV ex singulis tribubus æquali proportione delecti: in quibus sunt XII Magistri tribuũ, IX Senatores, tres Consules. Maius consilium constat capitibus LXVI, vndenis scilicet ex singulis tribubus delectis. Hi iuncti superioribus, constituunt Senatum, XC capitum. Ex his Tribunum quem ipsi *Vnder-burgermeister* vocant, constituunt Magistri tribuum, cum vndecemuiris. Consilium maius quotannis quinquies coit, Postridie Natalis Domini, Media quadragesima: Feria quincta quæ proxime præcedit diem 24 Augusti, Et ante nundinas, quarum aliæ post festum Adscensionis, aliæ post festum S. Galli celebrantur. Atque hæc summatim: plura distincte vide apud Simlerum lib. II de Rep. Heluetiorum.

SCHAFFHUYSEN



Longit. Grad. XXX. *22.* *Latit.* XLVII. *24.*

SCHEFHVSIA a nauibus nomen habet, quod illic naues quæ secũdo Rheno ex Acronio & Veneto lacu descenderent, exonerarentur, quum ob cataractas, Rhenique præcipitia, paullum infra eum locum sita, vlterius progredi non possent. Sed vulgus, quod noua veris præferre amat, vocat Schaf husium, quasi ab oue, cuius etiam e turri prosiliẽtis imaginem ciues in insignibus suis gestãt. Initium vrbi dedit monasterium, quod veteres Schiff hausen dixere, quodque postea verso nomine vocatum est monasterium S. Saluatoris. Sita est vrbs in ripa Rheni dextera, ponte ad Heluetios pertinente. Fundus vndique fœcundus est, ob excisas Hercyniæ siluæ arbores, consitasque earum loco vites: est autem vinum eius agri nobile, quod vineæ quæ Austrũ spectãt, expositę sint Soli. Colligitur autẽ eo loco ingẽs portorĩũ præsertim ex salis vectura, quod diu ante conditã vrbem fuit in potestate duarum nobilium familiarum, quas adhuc hodie vocant *im Turn & am Stadt.* Initia crescentis vrbis fuere sub Abbatis potestate, qui & magistratus mediam partem eligebat: postea vero exemerunt se paullatim ciues ex eius potestate, & Imperatorum beneficio multis immunitatibus donati sunt. Quum vero Ludouicus Bauarus longo bello exhaustus pecuniam Austriæ Duci debitam persoluere non posset, vendita est anno M CCC XX Schafhusia cum alijs quibusdam Imperij vrbibus, & oppignorata Austriæ Duci. Mansitque ab eo tempore sub Austriorum potestate per annos LXXXV, ad tempus vsque Concilij Constantiẽsis. Nã quum Fridericus Austrius Ioan. XXII. Papam ex Cõcilio abduxisset, proscriptus est ea caussa ab Imperat. Sigismundo. Ita bonis ipsius partim diuenditis, partim direptis, iuncta est rursum Schafhusia imperio, ciues vero amplis immunitatibus donati hoc inter alia impetrarũt, vt posthac non liceat Imperatori vrbem ab imperio alienare. Non multo post tamen, quũ Imperium ad Fridericum III gente Austriacum fuisset deuolutum, conatus est ille Schafhusiam rursum Austriacæ domui adnectere. Misso ergo Sigismundo Duce, mandauit ciuibus, vt in sua verba jurarent, vtq; efficacior esset petitio, minas verbis addidit. At Schafhusani dum legatos vrbe exclusos audiunt, ex altera vrbis parte admisere Heluetiorum legatos, Tigurinos, Bernates, Lucernenses, Suitios, Tuginos, Glaronenses, cũq; ijs protinus fœdus in annos complures sanciuere. Ita frustrati Austrij discessere. Continuatum est postea non semel idipsum fœdus. Semel anno M CCCC LXXIX, in annos XXVI, comprehensis eadem societate Vrijs & Vnderualdijs: postea anno M D I, in perpetuum, cum vndecim Heluetiorum pagis, quod ipsum hodieque durat: Cudunt autem Schafhusiani monetam argenteam vncialem eiusdẽ temperaturæ & pretij cum vsitata Imperij moneta, quod etiam faciunt Tigurini.

ABBATVM SERIES.

1 Sigfridus. an. 1064.
2 Gerhardus, an. 1084.
3 Hugo, an. 1099.
4 Adelbertus, 1102.
5 Conradus, 1154.
6 Eberhardus, 1167.
7 Adelbertus II. 1179.
8 Hugo II. 1192.
9 Conradus II. 1203.
10 Burckhardus, 1231.
11 Hugo III 1256.
12 Conradus, 1284.
13 Vlricus, 1295.
14 Conradus, 1300.
15 Conradus, 1313.
16 Ioannes, 1323.
17 Iacobus, 1353.
18 Ioannes, 1356.
19 Berchtoldus, 1361.
20 Gualterus, 1374.
21 Berchtholdus, 1396.
22 Ioannes, 1445.
23 Berchthoidus, 1450.
24 Conradus, 1466.
25 Henricus Wittenhan. 1500.
26 Michael Eggenstorff, qui anno 1524, cum socijs reformationem amplexus est.

SE DVNVM


SITTEN

Longit. Grad. XXIX. *o.* *Latit.* XLV. *32.*

RHODANVS in Vallesijs mõtibus quos Furcam vocant ortus, inde primum longo tractu in Occasum, postea Septentrionem versus volutus, Lemanno lacu recipitur: Idem Austrum & Boream versus prealtis munitur montibus: qui ad Agaunũ, quod nunc S. Mauritium vocant, concurrentes, anguſtis faucibus aditum viatori præbent, per pontem Rhodano iniectum. Diuiditur autem Vallesia in partes duas, superiorem scilicet, ab ortu Rhodani vsque ad Morsiam fluuium qui infra Sedunum Rhodano miscetur, quem tractum olim Viberi & Seduni coluere: & Vallesiam inferiorem, a Morsia ad Augaunum, quæ loca Veragri tenuerunt. Hi nunc omnes Sedunensi parent Episcopo, qui idcirco Comes & Præfectus Vallesiæ nuncupatur. Hunc suffragijs communibus deligunt Canonici Collegij Sedunensis, & legati septem Decumarum superioris Vallesiæ: veteri consuetudine, ex quo Carolus Magnus Theodulo comitatum & præfecturam illius tractus cum iure gladij alijsque immunitatibus concessit, quæ omnia ab alijs quoque Imperatoribus ac nominatim a Carolo IV & postea a Carolo V confirmata & aucta sunt: nam hic Matthæum Schinerum Episcopum & Cardinalem Sedunensem impense ob singularem fidem & facundiam dilexit, qua vsque eo valuit, vt Franciscus I dicere solitus fuerit, plus sibi vnius viri eloquentiam quam totius gentis licet fortissimæ exercitus amatos obfuisse. Solum autem in Vallesijs Sedunum munitum est: totam enim vallem inde ab Augauno vsque ad Furcam incolæ pro vna ciuitate habent, munita vtrimque præruptis montibus, nec putant opus sibi esse pluribus munimentis. Sedunũ ipsum in planitie situm est, inter altissimorum montiũ iuga, quibus vallis clauditur. Mons paullatim duobus verticibus attollitur, arduus & præruptus, quorũ is qui dexteræ obijcitur, *Valeria* vocatur, alluiturq; Rhodano: In eo nunc est Ecclesia Cathedralis cum mansionibus Canonicorum: nam vetus Ecclesia in vrbe est, vicina ædibus Episcopi. Qui vero mons læuæ obijcitur, multo quam Valeria sublimior, præruptus admodum & confragosus, eoque adscensu arduus, arce ornatur amœna & forti, quam *Tyrbile* vocant, quasi bellam turrim: In eam se recipit Princeps cum familia æstiuis caloribus, quod aer ibi sit quam in inferiore castro temperatior. Ager vicinus vrbi fertilis est, abundatque vino, frumento, croco, melle, pecore, piscibus, alijsque ad vsum vitæ necessarijs rebus. Anno MDXCV, die 24 Maij haud procul Seduno ingens cataclysmus magnam stragem edidit, multosque mortales absumpsit, parte montis in vicinum pagum deuoluto, & fluminis alueo obstructo. Locum vocant *Sant Brantschir*; Octodurũ, quod nunc Martinacht dicitur, maxima parte tunc aquis haustum est. Duæ & quadraginta molæ disiectæ. Magna hominum vis, quod tunc forte Octoduri ad mercatum equorum e vicinis locis mercatores multi, vt fit, conuenerant, eluuie aquarum mersi, inque Lemannum lacum abrepti sunt, vbi cadauera ipsorum postridie magno cum luctu spectata sunt.

SCHLESZWICK



Longit. Grad. XXXI. *20. Latitud.* LV. *15.*

SLESVICVM, vel a Slauis vel a Slea amne nomen habet, terminatione ea quæ in aliis quoque Germanicis ciuitatibus auditur, Brunſuico, Oſteruico, VVeſteruico, Dani veteres eam vocauerunt *Hedebui*, eſtque id nomen Phriſiis vicinis adhuc in vſu, manetque appellatio ſacelli ad ripam Sleæ fluuij. Fuit autem vrbs olim ingens & imprimis potens, ob ſitum, ſedemque Epiſcopalem, & mercatorum ex Britannia, Gallia, Hiſpania, Belgica, illuc commeantium frequẽtiam. Nam ad Egdoræ fluminis oſtium ex Oceano Germanico appellentes naues, per Threanam amnem merces ſuas Hollingſtadium vſque ſubuehebant, atq; inde Sleſuicum delatas, per vrbes maris Balthici varie in Dania, Noruegia, Suecia, Liuonia, Ruſſia, Boruſſia, ſitas diſtribuebant. Sed lapſu temporum bellique iniuriis eo vſque diminuta eſt vrbs, ut vix vllam auguſti illius ſplendoris faciem ſeruet. Templum primum condidit Ericus Rex Daniæ, frater Haraldi, quem S. Anſcharius ad Chriſti fidem convertit, anno D CCC XLVIII. Sed irruentes in loca iſta Slaui anno M LXIV vrbem expugnarunt, funditusque depopulati ſunt, reſtituto etiam in locum veræ religionis Paganiſmo, cuius monumenta adhuc exſtant in vicinis quibuſdam fanis, ac præcipue in eo quod nunc D. Michaeli Archangelo ſacrum extra vrbem conſpicitur, forma rotunda, in monte, ad viam qua itur Flenſburgum. Pulſis Slauis reſtitutus eſt paullatim Dei cultus: Templum Cathedrale reſtauratum: Angli quoque prope forum Eccleſiam S. Spiritus condidere, quod vicinũ habuit Xenodochium. Erat etiam Eccleſia B. Nicolai in Auſtrali Cathedralis Eccleſiæ latere, quæ adiunctum habuit monaſterium ordinis B. Auguſtini, orientem verſus. Sed hæc nunc ſolo æquata ſunt, vix vt veſtigium vllum ſuperſit. Remanſit tamen monaſteriũ nobilium virginum in peninſula Sleſuici quam vocant *Holm*. Epiſcopatum fundauit Otto I, anno Chriſti M CCCC XLVI. Vicinum Sleſuico eſt GOTTORPIVM arx, Holſatiæ Ducum habitatione, & ſtructura nobile. Telonium hic celebre boum, pro quibus ex Dania in peregrina loca ſubuehẽdis vel abigendis, illic ſoluunt vectigal. Conſtat autẽ vno anno L millia boum illae actæ eſſe. Ab hoc loco vſq; ad Hollingſtadium per tranſuerſam Cherſoneſum ductus eſt quondã agger a Danis contra Saxones, quorum frequẽtes in hos agros fuere excurſiones. Vocãt illud vulgo *Dennewerck*: præbetq; eundem Cherſoneſo vſum, quẽ in Britannia vallum Seueri, quod ipſi *Seuer-whal* appellant. Aymonius hoc opus refert ad Gothofredum Danorum Regem, libro IV hiſtoriæ Francicæ: Gothofredus, inquit, limitem regni ſui, qui Saxoniam reſpicit, vallo munire conſtituit, eo modo, vt ab Orientali maris ſinu quem illi *Oſterholde* appellant, vſque ad Occidentalẽ Oceanum, totam Eigdoræ fluminis Aquilonarem ripam munimentum valli prætexeret, vna tantum porta dimiſſa, per quã currus & equites emitti & recipi poſſent. Diuiſo itaque opere, inter duces copiarum domum reuerſus eſt. Atque hæc quidem Aymonius. Poſtea vero collapſum vetuſtate vel etiam magna parte attritum reparauit Thyra Haraldi regis mater.


SOLOTHURN

Longit. Grad. XXIX. *5. Latitud.* XLVI. *7.*

ANTONINVS in ſuo Iteneratio vocat Saloturum per primam vocalem; neq; aliter eam appellat Rhenanus: oſtenditur etiam in vrbe inſcriptio vetus lapidis diuæ Eponæ conſecrati, in quo diſerte legitur VICVS SALODVRI. Sed alij Solodurum dixere, vel a turri Solis, vel Germanica originatione a turri vectigalis, quod *tzoll* vocant. Eſt autem vrbs iſta intet antiquiſſimas Heluetiæ, diciturque idcirco Treuirorum ſoror. Sita eſt ad Arolæ profluentis ripam ſiniſtram. Exſtruxit autem in ea Eccleſiam Collegiatam VVerthrada Caroli Magni mater. Fuit enim ob martyrium Thebæorum militum LXVI, qui ſub Diocletiano ex Agauno venientes cum Vrſo duce illic obtruncati ſunt, ſemper veneranda eius loci memoria, Anno MDXIX quum exſtruendi maioris altaris cauſſa prius altare aperiretur, repertum eſt in eo monumentum marmoreum longum pedes quinq; latum duos, in quo duo corpora erant poſita, inque alterius capite lamina cum hac inſcriptione,

CONDITVR HOC TVMVLO SANCTVS THEBAIDOS VRSVS.

Fuit autem ſub Germanicis Imperatoribus vrbs iſta ſemper in numero vrbium imperij: ita tamen, vt Canonicorum Collegium immunitates ſuas ſeruaret. Quum vero Ludouicus Bauarus cum Friderico Auſtrio bellum gereret, ciuitas iſta Bauari partes ſequuta eſt, eaque de cauſſa a Papa excommunicata & ab Auſtrio obſeſſa eſt: ſed miſſis Berna cccc millibus fortiter ſeſe defendit. Bellū quoque geſſere ciues aduerſus Kyburgium Comitem, in quo proditione ciuis cuiuſdam nō exiguam cladem paſſi ſunt. Anno deinde M CCC LI cum Bernatibus perpetuum fœdus fecerunt. Et quia cæterorum quoque fœderatorum amicitiam magna ſemper fide coluerant, idcirco bello Auſtriaco quo Leopoldus cæſus eſt, finito, paribus conditionibus Saloturenſes pacem cum Auſtrijs fecere ac cæteri confœderati. Itaque in tabulis fœderis iuncti ſunt confœderatis, & cum ijſdem communi conſilio leges militares ſtatuerunt, & iureiurando eas ſanciuerunt. Demum vero finito bello Burgundico, in quo ſe Saloturij fortiter ſtrenueque omnium conſenſu geſſerant, vna cum Friburgenſibus in pagorum numerum adſcripti ſunt. De Eccleſia Saloturenſi hæc habent litteræ Abbatis Frienbergenſis, ſcriptæ anno MCCLI. *Inuenimus Eccleſiam Solothurenſem in ſua prima fundatione conſtructam, dotatam, priuilegijs & iuribus ſuffultam, haud aliter quam Eccleſia Tigurina fuit fundata, ibique a Regina Bertha, quæ conſtruxit Eccleſiam & caſtrum Solodurenſe, tradiditque Præpoſito & Collegio omnia iura huius caſtri, nempe iuriſdictionem Sculteti, hoc eſt, præſidentis inter iudices, monetam, vectigalia, & alia iura, præter maleficia quæ ſanguine puniuntur; ea enim reſeruantur præfecto & vicario Regis Arelatenſis, cui regno hic ſubijcitur vicus.* Ager vrbis planus eſt, & ſatis cultus: fert præter vinum omnia ad victum neceſſaria. Vinum haud procul inde *Biela* petitur. Creſcit etiam in vicinia taxus ingenti copia: cuius vſus eſt ad arcus: ob quem etiam ab Anglis expetitur.


SPEIER
Das Mumster
Swedenberg

Longit. Grad. XXX. *10. Latitud.* XLIX. *8.*

HABVISSE hoc loco Nemetes olim opidum cõstat, sed de nomine eius nihil certi est: nisi hoc vnum, Spiram illud vocatum non fuisse. Nemetum enim ciuitas regionem totam significauit. Et testantur fana Mercurij, Veneris, Dianæ, aliorumque Gentilium Deorum antiquam eius originem. Qui putant esse Ammiani *Ad Pyrum*, quos inter Heroldus, non obseruant, *Ad Pyrum* in Germania Transrhenana fuisse, solo Barbarico: quum Spira sit in Gallia Belgica. Vidit id Irenicus, qui propterea statuit *Ad Pyrum* esse Heidelbergam. Ego crediderim dictam fuisse *Augustam Nemetum*. Et occurrit apud Æthicum talis appellatio. Fuisse autem hic veterem Episcopatum apparet ex Actis Synodi Colonienſis, quibus anno CCC XLVIII interfuisse legitur aduersus Euphratem Arianum Iessius Nemetum Episcopus. Sed tunc quidem sæculo aureo Christianitatis præter pietatem & curã gregis nihil supererat pastoribus. Pipinus Rex primus dicitur Episcopatũ latifundijs & prouentibus auxisse, ac post eum Conradus secundus Saliquus, qui etiam opidum Bruchselam cum tota regione Brureinensi Episcopatui donauit. Cœpit quoq; idem templum illud Augustum exstruere, quod filius eius Henricus III ad finem opere consummato perduxit. Eopse vero quo Spirensis templi fundamentum iecit die, suis quoq; manibus Cunradus primum lapidem posuit Monasterij Benedictini, secundo extra vrbẽ miliari vbi antea fuerat arx Limpurg: Sub hæc tempora ferunt Rutgerum Episcopum ex vetere familia Hutzmannorum vrbem ampliasse, pagumque Spirensem extra muros ad amnẽ eiusdẽ nominis mœnibus inclusisse, atque ex eo nouæ vrbi nouum quoque nomen indidisse. Ita abolita veteri appellatione Spira dicta est. Anno M CCC XXXIII celebrant hic Comitia Imperij Ludouicus Bauarus. Anno MDXXVI conuenere eodem Imperij Proceres, & renouauerunt VVormatiense edictum; sed intercedẽtibus Saxoniæ Duce & Lantgrauio Hassiæ cum aliquot Germanię ciuitatibus, dilata est exsecutio in publicum nationale vel Oecumenicũ Concilium. Anno MDXXIX rursum fuit in hac vrbe conuentus Imperij, quo quum abrogato priore edicto Spirensi VVormatiense illud esset repetitum, protestati sunt contra proceres Euagelici, & ob factum illud vocati sunt *Protestantes*. Sed imprimis ingens vrbi decus accessit, quum tribunal forense, quod antea Imperatorem sequi consueuerat, quodq; postea Maximiliani I instituto Francofurti erectum, atque inde VVormatiam translatum fuerat, tandẽ Spiræ figi cœpit, anno MDXXX, vbi adhuc ingenti Reip. Germanicæ bono seruatur. *Præsidet* in eo semper vel Comes vel Episcopus: *Iudicant* Generosi duo cum delegatis a Moguntino, Treuirensi, Colonienſi, Palatino, Saxone, Brãdeburgico singulis, Cæsareis duobus, Austriaco vno, Burgundico vno, Francicis duobus, Bauaris duobus, Sueuicis duobus, Rhætiæ superioris duobus, inferioris totidem, Saxonicis duobus. *Ordinarij adiecti* sunt ab Electoribus Ecclesiasticis vnus, a Secularibus vnus, a Francico, Bauaro, Sueuico, Rhætiæ superioris, Rhætiæ inferioris, & Saxonico, singuli. Post hos sunt *Aduocati, Procuratores, Protonotarius, Notarij, Iugrossistæ, Magister nunciorum, Lectores, Nuntij, Famuli Cancellariæ*, alijque. Imprimis visendus est Spiræ mons Oliueti adfabre factus. Cæterum de vrbe sic

DAVID SIGEMVNDVS,

Qua Nemetum Rheno miscetur Lutarus vrbe,
Imperij surgit nobile Spira forum.
Quæ sex Cæsaribus tribuit commune sepulchrum,
Francorum summi quos genuere Duces.
Totius hæc regni communia iura tuetur
Hic sua Romanus fœdera Cæsar habet.

Gnosius

Gnosius hic Minos leges, hic Æacus vrnam,
Quas soluat lites hic Rhadamanthus habet.
Huc veniat prisco Gracchus reuocatus ab æuo,
Aut legum fulmen Scæuola, mutus erit.
Tanta ibi dicendi grauitas, & copia legum,
Tanta viget rerum gloria, tantus honos.

EPISCOPI SPIRENSES.

De Iessio qui anno Christi CCC XLVIII vixit, iam diximus. Quis vero post eum diu fuerit illis locis Ecclesiæ status, quodque regimen, ignoratur.

1 Athanasius a Dagoberto factus Ecclesiæ Nemetum Episcopus, anno DCX: sedit an. XL: obijt an. 652.
2 Principius sub Sigeberto Dagoberti Filio, sedit an. 25: defunctus est anno 678.
3 Tragebodus sub Childerico, sedit an. 8: obijt an. 686.
4 Basinus sub Carolo Martello: sedit an. 7.
5 Iatto, elect. an. 756: sub Pipino, sedit an. 11: ob. a. 767.
6 Dauid, electus an. 767: sedit an. 8: ob. an. 775.
7 Sigewinus, promotus a Carolo Magno: obijt an. 802.
8 Atho successit iussu Caroli: sedit an. 8: obijt an. 810.
9 Freydo, promotus a Car. Magno: ob. 814: quo & Carolus extinctus est, & pons Moguntiaci exustus.
10 Benedictus, promotus a Ludouico Pio: ob. an. 822.
11 Hertinus, præfuit an. 13: defunctus an. 841.
12 Gebhardus, promotus a Ludouico fratre Lotharij: sedit an. 15.
13 Godedaucus, electus an. 881: defunctus an. 884.
14 Aynhardus, defunctus an. 890.
15 Amelricus, defunctus an. 893.
16 Berhardus, sedit an. 18: trucidatus an. 913.
17 Amelricus II: sedit an. 31: sub Conrado, Henrico Aucupe, & Ottone Magno: obijt an. 943.
18 Reginobaldus, obijt an: 958.
19 Godefridus, sedit menses 15.
20 Ottocarus, euectus ab Octone Magno, dono ab ipso accepit pro se & successoribus omnem iurisdictionem Nemetum: obijt an. 969.
21 Baldericus, sedit an: 17: defunctus an: 987: Sub hoc cœpere Canonici seorsim habitare, qui antea fuerant cœnobitæ.
22 Rupertus sub Ottone III: defunctus an: 1005.
23 Gualterus, sedit an: 26: charus Henrico I, & Conrado II eiusque vxori Giselæ: defunctus est anno 1031.
24 Sigefridus, defunctus an: 1032: sedit mens: 11.
25 Regingerus, obijt an: 1032: sedit mens. 2.
26 Reginobaldus, obijt an. 1039: Sub hoc allatum est Spiram cadauer Conradi II Imperatoris, sepultumq; in templo regio cum hac Epigraphe,

Anno Domini M XXXIX CONRADVS *secundus Imperator secundo Nonas Iuly obyt,*

PROAVVS IACET ISTIC.

27 Sigebotho, sedit an: 11: sub Henrico III Nigro. Huius tempore absoluta sunt tria templa Spirensia: Defuncta quoque est Gisela, & sepulta cum hac inscriptione,

XV KL: *Martij* GISELA *Imperatrix obijt.*

HIC PROAVI CONIVNCX.

28 Arnoldus, electus an: 1051: obijt an. 1055.
29 Conradus, sedit an: 2: mens: 2: Sub hoc obijt Goslariæ Henricus III Imperator: supultusque est Spiræ,

Anno Dominicæ incarnationis M LVI HENRICVS III *Niger tertio Nonas Octobris obijt.*

AVVS HIC.

30 Einhardus II, sedit an. 9. obijt an. 1067.
31 Henricus Goslariensis Canonicus: obijt an. 1075.
32 Rutge-

32 Rutgerus sub Henrico IV: sedit an. 15. Hic vrbem ampliauit.

33 Ioannes, electus an. 1090: sedit an. 15. Sub hoc translatũ Moguntiaco corpus Berthæ Imperatricis, coniugis Henrici IV, & illatum sepulcro Giselæ cum hac inscriptione,

Sexto KL. *Ianuarij* BERTHA *Imperatrix obijt.*

HIC HENRICI SENIORIS.

34 Gebhardus imperante Henrico V sedit an. 4: menses 10. Sub hoc sepultus est demum Spiræ Henricus IV, cum hac monumenti Epigraphe,

Anno Dominicæ incarnationis M CVI HENRICVS QVARTVS *Senior Septimo Idus Augusti obijt.*

PATER HIC.

35 Bruno, electus an. 1110: defunctus an. 1123.

36 Arnulphus sub Henrico V: ob: an. 1127. Huius tempore obijt Traiecti Henricus V, delatusq; Spiram, sexto sepulcro conditus est, cum hac inscriptione,

Anno Domini M C XXV HENRICVS V *Iunior* XX *Kal. May obijt.*

FILIVS HIC.

37 Sigefridus II, electus an. 1127: sub quo Spira bis obsessa: obijt an. 1142.

38 Guntherus sub Cunrando II, & Friderico Barbarossa.

39 Vdalricus, electus an. 1156: obijt in Italia an. 1168.

40 Godefridus II, obijt an. 1178.

41 Conradus II, electus an. 1179: obijt an. 1184.

42 Rapothus, sedit an. 4: obijt an. 1188.

43 Vdalricus II. 44 Otto Comes Henneberg.

45 Conradus III, electus an. 1202: obijt an. 1224.

46 Berengarius, obijt an. 1232. Sub hoc iussu Friderici II allata sunt Bamberga Spiram ossa Philippi regis, monumento vero insculptum.

Anno Domini M C CVIII PHILIPPVS *Rex Babenbergæ occisus 10 Kal. Iuly obijt.*

47 Conradus IV, obijt an. 1237.

48 Conradus V, obijt 1237. 49 Henricus II.

50 Fridericus: Sub hoc positum hoc monumentum.

RVDOLPHVS *de Habspurg Romanorum Rex, anno regni sui* XVIII *obijt, anno Domini* M CC XCI, *in die diuisionis Apostolorum.*

51 Sibotho, obijt an. 1314. Sub hoc

Anno Domini M CC XCVIII, *obijt* ADOLPHVS DE NASSAV *Rex Romanorum,* VI *Nonas Iuly occisus, anno regni sui octauo.*

Inuenta est tunc capsula plumbea, cum hac inscriptione,

Octauo idus Octobris AGNES *filia Friderici Imperatoris obijt.*

Sepultus est quoque Albertus Austriacus cum hoc titulo,

Anno Domini MCCCVIII *Kalendis May* ALBERTVS *Romanorum Rex quondam Rodolphi Romanorum Regis filius occisus, anno sequente,* IV *Kalendarum Septembris hic sepultus.*

Effossa est tunc capsula cui ita inscriptum,

Anno IESV M CXC *decima septima Septẽbrium obijt* BEATRIX *Imperatrix.*

52 Emicho. 53 Bertholdus.

54 VValramus. 55 Balduinus.

56 Gerhardus. 57 Lambertus.

58 Adolphus Nass. 59 Nicolaus.

60 Rabanus. 61 Reinhardus.

62 Sigefridus. 63 Ioannes.

64 Matthias. 65 Ludouicus.

66 Philippus. 67 Georgius.

68 Philippus, electus an. 1529. 69 Marquardus.

70 N. a Dunheym.


STADEN
Lüh. flut

Longit. Grad. XXX. *46. Latitud.* LIV. *4.*

AB Oceano Septentrionali Albim flumen ingredientibus, sita est in dextra ripa ad *Zwingam* amnē STADA, omnium Saxoniæ vrbium antiquissima. quippe cuius natales quidam etiam referant ad annum CCC XX ante Christi Seruatoris nostri e Virgine natiuitatem. Sed euersam postea dirutamque a Danis & Nortmannis, restaurauere Marchiones & Comites Stadenses: quos inter præcipuus fuit Sigfridus Henrici cognomento Boni filius, qui vixit circa annum Christi millesimum, arcemque eo loco vbi nunc est Pancratij ædes exstruxit. Antiquissima vero Stadæ memoria est in historia Saxonis Grāmatici, qui narrat Roeum a quo Roschildis condita est, Danorum Regem, cum fratre Helgone maris domitore, Albim ingressos, nauibus in Hendingum Saxonum principem, qui tunc magnam Iutiæ partem armis ceperat incurrisse, prope Stadam, ac congressos inter se monomachia singulari spectante exercitu litem diremisse, victoremque Helgonem effecisse vt Iutia Saxones cederent. Vixit autem Helgo sexcentis ante natum Christum annis. Excutientibus vero omnia, videtur Ptolemæi σιατȣτάνδα Siatutanda non multum ab Stadæ nomine abludere, positioque eius loci cum Stadæ positione congruere, qui est, XXIX. O. LVI. 20. secundum Ptolemæum. Fuit autem ab omni hominum memoria hæc vrbs asylum perfugis. Donata est amplis admodum priuilegiis, ciuibus præter jus cudendæ monetæ, venandi immunitatem ciuibus concessum, aliaque ejus generis, hoc insuper indultum est, vt quæcumque naues per Albim Hamburgum vehuntur, cogantur ad Zuingæ ostium iactis anchoris consistere, atque illic victigal Archiepiscopo Bremensi & Senatui Stadensi pendere. Cautum quoq; est, ne quis vllum cuiuscumque vini dolium Hamburgum ex Oceano vehat, pro quo non ante soluerit telonium, præfectis cellæ vinariæ Stadensis in eam rem euocatis, ac ni id fiat, ius suum postea cum grauioris mulctæ exactione persecuturis. Forum spatiosum vrbs habet, cum basilica mercatorum. Templa plura, S. Nicolai, S. Cosmi, S. Ioannis, S. Georgij. Curiam amplam, cum adnexo ei publico oenopolio: Abbatiam admodum vetustam: Senatum prudentem & grauem: Ciues comes & hospitales; quorum in recipiendis Belgis, Anglisque patuere officia. Cætera sic vallo, fossis, muris, propugnaculis, turribus, armamentario, munita sunt, vt etiam ad belli impetum sustinendum sufficere posse videatur. Atque has quidem tam multas tamque egregias commoditates augent alia quoq;, Agrorum fertilitas & vbertas, Situs amœnitas, Aëris aperti & sereni puritas, Suburbiorum amplitudo. Habet etiam Stada ius in facinorosos meri mixtique imperij: itaque ad Zwingæ ostium in ipsa Albis ripa patibulum pro piratis, & ab altera vrbis parte extra portam Magnam pro alijs quoque sceleratis habet. Scholam quoque prudens Magistratus in vsum ciuium & exterorum aperuit, in qua non tantum litteræ Græcæ, Latinæ, Hebraicæ docentur, sed etiam artium humaniorum, & Sapientiæ diuinæ atque humanæ semina iuniorum animis exacte instillantur. Vixit in ea nuper Casmannus: viuit adhuc Seuerinus Sluterus, quorum ille pietatis aduersus profanos mores, hic veritatis aduersus noua Borbaritarum portentiloquia adsertor merito vocari potest.


STETTIN
Oder. flu
Neumarckt
Pfarkirech

Longit. Grad. XXXVII. *10. Latitud.* LII. *35.*

STETINVM, hic vides Lector, sedem Illustrium Pomeraniæ Ducum, ad amnem Viadrum, qui nunc Odera dicitur, situ amœnissimo. Tanti autem est spendoris & nominis, vt ab ea etiam Duces Stetinenses in Pomerania appellationem ducant. Nam qui Pomeraniæ tractus Orientem spectat, is Vandaliam, Cassubiamque in se complectitur, diciturque inferior: qui in occasum vergit, habet Ducatus Stetinensem & Batthiensem seu VVolgastensem, cum insula Rugiana, diciturque superior. Vandalos autem hæc quondam loca insedisse constat, populum ferocem, cuius reliquiæ adhuc sparsim in pagis cernuntur, præter nomen nihil habentes priscæ virtutis. Sunt qui Stetini nomen referunt ad Sidenos Germaniæ populos, quorum mentio est apud Ptolemæum. Christianam religionē admisere anno M C XV, opera Ottonis Episcopi Bambergensis, præeunte VVartislao I Duce, cum filiis duobus, a quibus etiam Iulini, quod VVolinum est, Episcopatus institutus est, & templum B. Iacobo consecratum Stetini. Est autem vrbs omnium rerum ad vitam necessariarum prouentu abundans, quum segetes agri, ligna ad focos & structuram nauium domorumque siluæ sufficiāt, flumina & lacus pisces: Viader non vno loco ponte stratus est: Vnus illorū in suburbium oppositum ducit, vbi granaria ingentia seruandis frumentis dispositā sunt, & officinæ exstruendis nauibus tum minoribus ad vsum fluminum, tum maioribus, quibus mare etiam tuto tentare possis. Pons maior Dantiscum ducit, via in id munita. Aduerso amni Francofurtum nauibus tenditur. Vrbs ipsa omni ex parte munita est, vallo, fossa, portis, turribus, forma pene quadrata. Templa præcipua sunt B. Mariæ, S. Nicolai, S. Iacobi. Fora plura, Nouum, Olitorium, Caballinum, Piscarium. Curia templo S. Nicolai vicina est, in nouo foro, ex quo in omnes vrbis partes viæ directæ sunt. Sed imprimis ornamento est vrbi Palatium Principale, tanta arte & sumptu exstructum, vt ne Italicis quidem præstantissimis cedat. Pedagogium illustre in eo aperuere Philippus & Barnimus Duces Pomeraniæ, collatis in eius usum reditibus Ecclesiæ S. Ottonis & B. Mariæ, constitutisque inspectoribus quatuor e Senatu, cum tribus Diaconis. Primus Stetinensium Dux fuit Bugslaus II, cuius obitus incidit in annum Christi M CC XXII. Hoc Duce domiti sunt Slaui & VVinti, linguaque eorum, mores, & iura, abolita, admissis in ipsorum locum Saxonibus. Circa annum M CCC XIII recuperauit VVartislaus IV Pomeraniæ Dux VVolgastensis Stetinum a Conrado I Electore Brandeburgico occupatum. Quomodo autem controuersia de Ducatu Stetinensi inter Bugslauum Ducem Pomeraniæ & Albertum Marchionem Brandeburgicum cōposita sit, quibusque legibus illi inter se coierint dictum est a nobis libro III. cap. XXI. Porro Stetinum inter Anzeaticas primū post Lubecam locum obtinet, neque officit ipsius libertati Princeps, etiam in vrbe habitās. Reformationem doctrinæ instituit Paulus a Roda, missus illuc a Martino Luthero sub duce Bugislao.


STOCKHOLM

Longit. Grad. XLII. *ó. Latit.* LX. *15.*

STOCK Germanis trabem vel crassius lignum significat, *Holm* vero insulam: valet ergo *Stockholm* insulam trabium. Quippe ex vicinis locis aduectę fluminibus in hanc insulam trabes, primam vrbi condendæ occasionem ex opportunitate rei & vecturæ cõmoditate fecerunt. Nam qui existimant Stockholmiam ex eo nomen habere, quod palis nixa sit, magnopere falluntur; Sita est enim in colle, neque opus habet vspiam fistucatione ad firmandum substructionibus solum, quum fundus natura stabilis sit & constans. Sinus qui ex mari Coddano Holmiam ducit trium milliarium longitudine, vocatur *Meller*, suntque in eo sparsim rupes quas *Scherch* vocant, & insulæ: Duæ vero imprimis nobiles, *Timolsœ & Suarteſœ*: sed Holmia omnium vicinarum insularum vrbiumque regina est, ad quam quasi corriuatione facta multi amnes cõcurrunt. Boream versus in Vplandia est *Vpsholm* quæ vulgo dicitur Vpsalia, sedes Archiepiscopi, in insula: post hanc paucis milliaribus est *Orosia*, Episcopalis ciuitas. Occidentem versus *Arboga*, tum arx *Torsylla*, & opidum *Stregnis*, cum arce *Gripsholmia*. Hæ omnes ciuitates arcesq; Mellero adiacent, ad easq; Stockholmia commode deferuntur merces ad incolarum vsum: rursumque ex ijsdem secundo amne Stockholmiam importantur ea quæ ad mercaturã requiruntur. Sita est enim Stockholmia Venetiarum instar medijs in paludibus, estq; emporium totius regni florentissimũ: in quo mercatores Germani, Galli, Britanni, Belgæ, ingenti cum lucro suo negotiantur, deferentes eo pannos, vina, salem, lintea, sericum, lupulum, libros, coria præparata, supellectilem auream, argenteamq; adfabre factam: reportant autem inde præter pecuniam, ferrũ, æs, chalybẽ, pisces, pelles, sebum, equos, cruda coria, & quæ præterea illis terris concessit natura, negata alijs. Ciues ex hac mercatura imprimis ditescunt. Imminet autem vrbi arx regia: opus vastum, & multorum regum cura munitum ornatumque, in quo præfectus regius vrbi excubat: Omnia in ea non ad vsum tantum sed etiam ad decus ornatumque instructa. Tormenta dicuntur esse ahenea quadraginta. Vrbem regunt Consules quatuor, selecti e ciuibus, nulla officij intermissione, nisi quot bini alternis præsideant. Hi iunctis sibi aliquot Senatoribus de Rep. deliberant. Habẽt nihilo minus distributa quoque singuli munera. Est enim qui in ædificia & plateas inspiciat, est qui iudicia curet, est qui Edictis publicandis præsit: quod tamen citra præfecti voluntatẽ, qui Regis loco in arce præsidet, vti diximus, non fit. Est autem Præfectus iste supra Consules: in causis vero grauioribus solent Consiliarij Regij rebus inspectis pronunciare quid iuris sit, & ab his datur ad ipsum regem prouocatio. Senatores qui Consulibus adsunt, sunt numero duodecim: estque ipsorum etiam munus perpetuum, nisi fœdi alicuius criminis deprehensi, abdicentur munere, aut ipsi probata caussa missionem impetrent. Leges regni antiquæ sunt, & ab Henrico inde ad hæc vsque tempora seruantur religiose, nulla habita ratione iuris Romani. Anno M CCCC VII tacta cœlesti fulmine ciuitas tota pene deflagrauit. Perierunt incẽdio multi admodum mortales: plures quum se nauibus abdidissent, hausti sunt aquis, quod ferendo oneri naues pares nõ essent. Sub Christierno II Sueciæ & Daniæ rege magnam experta est calamitatem a tyrannide; quam historiam nos libro II in regum Sueciæ enumeratione attigimus: sed qui totam volet cognoscere, autor sim legat Iacobi Ziegleri Landaui libellum Argentorati editum apud Rihelium hoc titulo, *Christierni secundi regis Danmarchiæ crudelitas, perpetrata in proceres Sueciæ & populum Holmensem.*

TIGVRVM

ZURICH



Longit. Grad. XXX. *20. Latitud.* XLVII. *0.*

TIGVRINVS pagus admodũ antiquus est, & in historia ob fortitudinis famã nobilis; constat enim temporibus belli Iugurthini L. Cassium Consulẽ in Gallia quum Tigurinos ad Oceanum vsque persequeretur, circumuentum & occisum fuisse, cum L. Pisone ipsius legato viro Consulari: quo tempore Q. Publius alter legatus ne residua portio quæ in castra confugerat deleretur, obsides, & dimidiam partem rerum Tigurinis icto fœdere dedit, ob eamque caussam vltro in exilium ipse profugit. Nec multo post Tigurini quum se Cimbris iunxissent C. Manlium Consulem & Q. Cepionem Proconsulem prælio vicerunt, castrisq; exuerunt, cæsis LXXX Romanorum sociorumque millibus. Hunc pagum hodie vocant *Zurich-gow* a primaria vrbe Tiguro, quam medium seculum Turegum nominat: sed Tiguri appellatio vetus & vera est. Mirum autem nullam eius apud Ptolem. fieri mentionem, quum tam clara sit in Græca & Romana historia. Stabo πυρλώνς vocat libro VII; & in antiqua inscriptione legitur, GENIO PAGI TIGVRINI. Pagum longe lateque incendit Iulius Cæsar. Sita est autem vrbs in extremo lacu, qua Limagus amnis mediam vrbem secat, cuius partes minor maiorque tribus pontibus iunguntur. Vrbis muniendæ initium refertur ad Allemannos, qui post Romanos his locis rerum potiti sunt: postea ad Francos, qui Allemannos vicere. Clodoueus enim Galliarum Rex domitis Allemannis arcẽ exstruxit: curauitq;, vt Christiana fide incolæ illic imbuerentur. Ab hoc creditur maior Ecclesia Canonicorum fundata. Auxit tamen eam Carolus Magnus circa annum Ð CC LX, vocauitq; Ecclesiam Præposituræ Felicis & Regulæ. Basilicam quoque insignem & amplam exstrui fecit in editiore colle trans amnem Limagum, vbi nunc Sapientiæ & bonarum literarum domicilium est. Ludovicus vero Caroli Magni nepos anno Ð CCC LIII fundauit Abbatiam Dominarum, quam *Frauwenmunster* vocant ex patrimonio Ruperti Ducis Allemanniæ, eique filiam suam præfecit Hildegardim. Et expedit eius donationis verba expẽdere. *Nostram*, inquit, *iurisdictionem & præfecturam in Turigo in ducem Sueuiæ seu Allemaniæ quæ in circuitu Thurgoia cum omnibus attinentiis & dominiis pertinentibus ad hanc præfecturam, præsertim cum Vri & Foresto quod Albes vocant, donauimus Dominarum monasterio, quod situm est in oppido Zurich, vbi deinceps religiosæ fœminæ suscipiantur & conserventur.* Sub Carolo Crasso demum dicitur ædificatio vrbis fuisse absoluta. Fuit autem præfectura vrbis vice Imperatoris penes Principes Leringenses vsq; ad annum Christi MCC XVIII qui idcirco se judices & Advocatos Turegi vocari voluerunt. Gubernata fuit initio a XII viris: quibus tandem anno MCCC XXXX potestas abrogata est ob insignem ipsorum insolentiam. Post eos designatæ sunt tribus XIII & vnus Consul. Ex tribubus vero deliguntur L viri qui Remp. administrant: sed arctis rebus quum res graviores tractandæ sunt, deliguntur CC viri. Anno MCCC LI fecerunt Tigurini primum fœdus cum Vrijs & Suitijs. Etsi vero ipsi quinto demum loco in fœdus recepti sint, tamen ipsorum fidei, potentiæ, & antiquitati, tributum hoc est a socijs, vt Principem ipsi locum occuparent. Post obitum Friderici Cõradinus eius nepos conatus est Tigurinos Ducum Sueuiæ imperio subijcere, quumque ipsi resisterẽt Tigurini, proscripta est eorũ ciuitas a Conrado Imperatore, sed exemit eos inde Richardus Anglus Romanorum Rex. Rudolphus vero Habspurgensis fideli Tigurinorum opera in bellis sæpius vsus, vrbem ipsorum multis priuilegijs ornauit: atque honoris caussa illud etiam concessit, vt Diademate Imperiali ipsorum insignia ornarentur: quod etiam postea Amsteldamensibus a Maximiliano I indultum est.


VTRECHT

Longit. Grad. LII. *10.* *Latit.* XXVII. *33.*

TRAIECTVS istius mentionem facit Antoninus: Tabula tamen Peutingeriana, quod mirum, eius nō meminit. Frequens est eius memoria in historia Marcellini: qui narrat, Anno DCXCI Radbodum Regem Frisiæ Trajecti habitasse, atque inde a Pipino, maiore domus Franciæ, pulsum, in Fostelandiam insulam concessisse, ibique S. VVigbertū iugulasse. Castrum Trajectense Frisiis tunc vocatū fuisse VViltenburg: Iuxta illud Castrum exstructum fuisse a Rege Dagoberto Ecclesiam in honorē Thomæ Apostoli, quam quum Frisones destruxissent, superædificatum fuisse a VVillebrordo prope ruinam illius Ecclesiæ, Oratorium, in honorem sanctæ Crucis anno DCXCV, vt Christiani sub præsidio Trajectensis Castellani haberent aditum ad petendā gratiam baptismi. Suuibertum dein cum Marcellino eius historiæ scriptore & VVerenfrido profectum duobus miliaribus a Traiecto Orientē versus, venisse in grandem vicum Duerstadt, inde per Frisiam, & Hollandiam & Teisterbandiam abijsse, & in Orientali parte principatus Hollandiæ, in qua erat villa distans a Traiecto Austrum versus per vnum miliare, dicta Hagensteyn, prædicasse. Inde missos in Angliam VVillebrordū & Suuibertum cōstitutos fuisse a VVilfrido Episcopos: illum quidem Vltrajecti, hunc vero prioris Coepiscopum, ac præterea præsulem Tiesterbandiæ, VVestphaliæ & Bructuariorum. Sed VVillebrordū constat præterea a Pipino Romam missum, & a Sergio Papa ordinatum esse. Sic enim scribit Beda lib. v. de gestis Anglorum cap. XII. qui hoc ipso tempore vixit. *Postquam per annos aliquot in Fresia qui advenerant decurrunt, misit Pipinus, favente omnium consensu, virum venerabilem Willebrordum Romam, cuius adhuc Pontificatum Sergius habebat, postulās, vt eidem Frisonum genti Archiepiscopus ordinaretur: quod ita vt petierat impletum est, anno ab incarnatione Domini* DCXCVI. *Ordinatus est autem in Ecclesia sanctæ Martyris Cæciliæ die natali eius, imposita sibi a Papa memorato nomine Clementis, ac mox remissus est ad sedem Episcopatus sui, post dies quatuordecim ex quo in vrbem venerat. Donauit autem ei Pipinus locum Cathedræ Episcopalis in castello suo illustri; quod antiquo gentiū illarum vocabulo Wiltenburg, id est oppidum Wiltorum, lingua autē Gallica Traiectum vocatur: in quo ædificata Ecclesia, reuerendissimus Pontifex longe lateque verbum fidei predicans, multosque ab errore reuocans, plures per illas regiones Ecclesias, & Monasteria nonnulla cōstruxit. Nam non multo post, alios quoq; illis in regionibus constituit ipse Antistites, ex eorum numero fratrum, qui vel secum, vel post se illuc ad predicandum venerant, ex quibus aliquanti iam dormierunt in Domino: ipse autē Willebrordus cognomento Clemens adhuc supereſt, longa iam venerabilis ætate, vtpote trigesimum & sextum in Episcopatu habens annum, & post multiplices militiæ cœlestis agones ad præmia remunerationis supernæ tota mente suspirans.* Dum vero VVillebrordus Romæ ageret, interea Suuibertus Episcopatum administrabat, eaque gessit quæ Marcellini verbis adjungam. *Suuibertus salutatis parentibus rediit in opus Euangelij & verbi Dei, peruenitque Wiltenburg, siue Traiectum, per annum & multo amplius antequam Sanctus Willebrordus Roma rediret, ibique cœptum Euangelij opus constanter explens, oppida, rura, casas, vicos, castella, propter Euangelizandum non equitādo sed Apostolorū more pedibus incedendo peragrans longe lateque Frisiam, Hollandiam, & præcipue Comitatum Teisterbandiæ, in quo construebantur Ecclesiæ multis in locis aut tēpla idolorū consecrabantur in Ecclesias Dei & sanctorū,*

vtpote Ecclesiam sancti Vincentij martyris in Zantwijck *prope* Tielam ; *in* Arkel , *in honorem sanctæ Dei genitricis, Virginis Mariæ ; in* Hoernaer, *in honorem sancti Dionysij Areopagitæ.* Narrat idem anno DCXCVI consecratam ab eo Ecclesiam in *Maelsen* comitatus Teisterbandiæ super amnen Lingen , & suscitatum ipsius precibus Splinterum quendam de Andengyn filium Primicerij grandis tunc vici Duerstadt , qui scapha vectus in Lecca mersus fuerat, quum tenderet Maelsenum. Eundem quoque sequenti anno audita fama reditus VVillebrordi, ei obuiam iuisse vsq; Embricam ; VVillebrordum vero cum ipso profectum, in fundo basilicæ S. Thomæ Apostoli prope castrum Traiectense Canonicorum Cœnobitarum exstruxisse collegiũ, in honorem sancti Martini Episcopi Turonensis, inque eo Frisonum Cathedralem Ecclesiam stabiliri iussisse , atque etiam consecrasse. Inde in Thuringiam & Daniam misisse, qui Euangelium docerent : & Synodum Traiecti coegisse in qua præsidentibus VVillebrordo & Cuniberto, considentibus S. VVinfrido Sacerdote , S. Vniro Episcopo Deirorum , S. Plechelmo Episcopo de Massa candida, S. Othgero Leuita alijsque sacerdotibus & prædicatoribus, decretum, vt omnes primi prædicatores in exteras prouincias irent prædicatum verbum Dei. Itaque S. Accam a VVilfrido consecratum esse Episcopum Augustaldensem , S. VVigbertum in Fostelandt martyrio coronatum. S. VVillibaldum in Orientali Francia Aureatensis siue Eistatensis Ecclesiæ factum Episcopum, S. VVinibaldum eius fratrem ordinatum Abbatem Heindelamensem, Lebuinum adeptum pontificatum Gandauensem, S. VVerenfridum versus Baduam missum in Elst & VVesterwoirt docuisse , Adelbertum in Egmonda Hollandiæ oratorium constituxisse: ac postea concludit, *Et ego Marcellinus presbyter inutilis a præfatis Pontificibus missus ad partes Transfolanas locum Aldensel, Trentam, & Twentam , & Coordiam ac Drentriam rego , & Dei prouidentia totum ferme populum Christo prædicando lucratus sum , & purgaui a cultu idololatriæ.* Atque hac quidem prolixius paullo a nobis narrata sunt , ad prodendas vrbis elegantissimæ origines. Non sum nescius, esse qui ANTONIAM initio dictam putent : sed non video vnde hoc habeant. Antonius certe C Cæsaris collega nunquam hucusque penetrauit, neque quisquam eorum quos ipse nouit. Et si tam antiquum illud nomen est , cur nulla eius exstat apud Tacitum aliosque mentio , qui Coloniæ, Bonnæ, Nouesij, Grinnium , Tolbiaci, Arenacij, Batauoduri meminere? cur nulla apud Antoninum, aut alios ? Quumque in solo Germanico Traiectus iste sit, nõ video, quomodo potuerit habere nomen Romanum adeo antiquum. Antunnacum quod nunc est *Andernach* ad Rhenum memorant veteres , Antoniam istam neque summi neque medij ævi scriptor quisquam nouit. Quocirca pro fabula illud habendum censeo. Romanorum tamen operis memoriam seruant hodieque aliquot loca. Regio ea vrbis in qua Paulinianorum sodalium cœnobium est , vocatur *Romenburg*, & pons vicinus *Romenburg brug*. Fuit autem in ea regione Arx olim , siue castrum Traiectense : quod ego ab illo VViltenburgico diuersum fuisse arbitror. De VViltorum gente a quibus VViltenburgum nomen traxit, nihil habeo dicere. Illud tamen verum credo , adiectionem syllabæ prioris *Vl* a VViltis fluxisse , ijsipsis a quibus arx VViltenburch nomen habuit , vt sit Vltraiectum, quod alij scribunt Vultraiectum, vel Viltraiectum vox, Latino-barbara. Sigeberti in Chronico verba hæc sunt *Wilibrordus a Sergio Papa Clemens agnominatus, & ad prædicandum genti Frisonum Episcopus consecratus , ex dono Pipini principis sedem Episcopalem statuit in loco Wultaburch, qui nunc Vltraiectum dicitur a nomine gentis Vultarum & Traiecto compositum, quasi Vultarum opidum; nam traiectum lingua*

Gallica

Gallica oppidum significat. Errat quidam Sigebertus, quod, Bedam haud dubie sequutus, putet, traiectum vocem esse Gallicam, & significare oppidum; quum vox sit mere Latina: sed in eo non errat, quod a traiectu Vultarum putat dictum Vltraiectum: Vnde enim alioqui hæc fluxerit adiectio vocis quæ etiã in Germanica appellatione *Vtricht* auditur? nam *Tricht* vel *trecht* traiectus est, vt in Maestricht, Traiectus Mosæ, Dort-drecht Traiectus Dortæ amnis, sicut capite primo huius libri ostendimus. In Frisiorum solo eam sitam fuisse, testantur multa. Primum Beda & Marcellinus, sicut iam intelleximus: postea Otto Frisingensis, qui Traiectum inferius non semel vocat Frisiæ vrbem: denique pagus ad elicem Rheni qui hodieque *Vriesswyck*, quasi Frisiorum vicus appellatur. Postea tamen abijt in propriam & sui iuris Diœcesin.

SERIES EPISCOCORVM TRAIECTENSIVM.

1 VVillebrordus Angloſaxo patre VVilligiſo natus anno ætatis trigeſimo cum duodecim ſocijs, Suuiberto, Acca, VVigberto, VVillibaldo, VVinibaldo, Lebuino, duobus Euualdis, VVerenfrido, Marcellino preſbyteris, & Adelberto Leuita, deſerta Anglia venit in Friſiam ad Rheni oſtia, vbi aduerſus Radbodum Pipinus de Herſtallo Francorum Dux bellum gerebat: Ibi illi ob Saxonicæ Friſicæque linguæ adfinitatem Euangelium non exiguo cum fructu Gentiles docuerunt. Ex his VVillebrordus anno DCXCIV a Pipino Romam miſſus eſt ad Sergium Papam, qui eum Epiſcopum fecit Friſiorum, indito nomine Clemẽtis. Reuerſus docuit Friſios, Saxones, Danos. Poſtea Carolus Martellus pulſo Radbodo ſedem ei dedit Traiecti: Ab hoc ædificatum eſt templum S. Martini, quod poſtea deſtructum eſt. Sedit annos 40. Sepultus eſt anno DCCXXXIX Epternaci, vbi Abbas fuerat. Vitam eius deſcripſit Marcellinus preſbyter, Flandri Bierfletani, Hulſtani, Axelaui, Haſnenſeſque ab eo quoque docti ſunt, atque idcirco ad ſedem Traiectenſem pertinuerunt.

2 Bonifacius Anglo-ſaxo Archiepiſcopus Moguntinus Traiectenſem quoque Eccleſiam rexiſſe dicitur totos annos XV, & condidiſſe templum S. Saluatoris. Occiſus eſt in pago Doccumenſi: ſepultus fuit primum Traiecti; inde tranſlatus eſt Moguntiam, ac tandem Fuldam.

3 Gregorius, ſedit annos 32, exceſſit an. 784: ſitus eſt ad Saluatoris.

4 Adelbertus Anglicus Suuiberti conſanguineus, ſedit annos 10.

5 Theodardus Friſius, ſedit an. 6: ſitus in æde Saluatoris an. 800.

6 Hermacarus Anglus, ſedit an. 27; ſepultus ad Saluat. an. 827.

7 Ritfridus Friſius, ſedit an. 9.

8 Fridericus hic in Zelandiæ inſula VValachria Chriſtũ prædicauit, & Iudithæ Ludouici Imperatoris coniugis ſuaſu a ſicarijs interfectus eſt in crypta templi, anno 838: quod inceſtuoſas eius nuptias non probaſſet, nec diuortium ab Irmgarde.

9 Alfridus Friderici frater, ſedit an. 7.

10 Ludgerus, ſedit an. 11: defunctus an. 856.

11 Hungerus qui a Normannis incenſa vrbe pulſus ad Lotharium, profectus eſt in monaſterium Prumienſe: obijt anno 866. Sub hoc dicitur medium Rheni oſtiũ arenis obſtipatum: Iero Nortuici cæſus.

12 Odibaldus. Hic interfuit Synodo Colonienſi coactæ a Carolo Craſſo, anno 887.

13 Egilbertus, ſedit menſis 10: defunctus an. 901.

14 Radbodus. Hic Danis Frisiam & Ecclesiam Traiectensem infestantibus Dauentriæ diu moratus est, sedit an. 15: obijt Otmarsiæ, sepultus est Dauentriæ.

15 Baldricus filius Comitis Cliuiæ Danos sua diœcesi expulit, & templum a VVillebrordo exstructum, quod hostes vastarant, restaurauit: sedit an. 59: ob. an. 977.

16 Volcmarus, sedit an. 15: sepultus in æde S. Saluatoris.

17 Balduinus Comitis Cliuensis Arnoldi nepos: sedit annos 4: defunctus an. 994.

18 Aufridus Comes Brabantinus ex stirpe Caroli Magni, post obitum vxoris ordines Ecclesiasticos sequutus, exstruxit monasterium B. Mariæ, & S. Benedicti prope Amersfordiam: defunctus est anno 1008.

19 Adrobaldus vel Adelbodus Frisius qui templum Martini ruinosum destruxit, nouumq; condidit. Interfuere eius dedicationi Henricus II Imperator, & Episcopi XII: sedit an. 19: obijt an. 1027, infeliciter cum Theodorico Hollandiæ Comite congressus est, captus enim est, & post triennalem carcerem tandem dimissus.

20 Bernulphus ab Imperatore Cõrado II promotus, Dauentriæ templum S. Lebuini exstruxit, & Traiecti ædes B. Petri & B. Ioannis: defunctus est anno 1054.

21 Guilielmus Gelder, VVitikindi filius. Hic Henrico IV Imp. carus fuit, ab eoque obtinuit, vt Hollãdia Diœcesi Traiectensi in Ecclesiasticis subiecta esset: Profectus est cum Sigefrido Moguntiacensi Præsule Ierosolymam, & ope Godefridi Gibbosi vicit Robertum Frisium prope Leidam: obijt an. 1075.

22 Conradus Sueuus promotus ab Henrico IV Imperatore, Helmondæ victus a Theodorico Comite Hollandiæ, coactus est reddere quæ in Hollandia ceperat. Interfectus est a quodam latomo Frisio anno 1099.

23 Burchardus, sedit an. 13: obijt anno 1112.

24 Godebaldus, præfuit an. 15: defunctus est an. 1138.

25 Andreas filius Comitis Kuickensis, præfuit an. 10: obijt an. 1138. Decem Canonicos Stauerenses ob flagitia dignitate priuauit, aliosque substituit.

26 Eribertus de Byrum qui Theodoricum Hollandiæ Comitem obsidentem Traiectum placauit: sedit an. 12. Hunc vocat Otto Frinsingensis Hartliebum lib. 1. de gestis Friderici Barbarossæ cap. LXII.

26 Hermannus Comes de Hoorn, confirmatur a Friderico Barbarossa, sedit an. 6. obiit an. 1156.

28 Godefridus Rhenanus condidit aduersus Geldros castrum Horstense, contra Hollandos Monfortense, & VVoerdense, contra Frisios Vollenhovense, sedit an. 22. obiit an. 1178.

29 Balduinus II filius Comitis Hollandiæ, def. an. 1196.

30 Arnoldus, Comes Isenburgius: sedit an. 3. sepultus Romæ.

31 Theodoricus de Hollandia ab Innocentio III promotus: obijt Ticini.

32 Theodoricus de Arck, sedit an. 15. obiit an. 1210.

33 Otto, filius Ottonis II Comitis Geldriæ, sed. an: 3.

34 Otto II, Comes Lippensis: sedit an. 13. periit in obsidione Couordiensi anno 1227. Fratrem habuit Gerardum Archiep. Bremensem.

35 VVillebrordus Comes Oldenb. ex Episcopo Padelbornensi, sed. an. 8. obiit an. 1233. exstruxit Monasterium S. Seruatij.

36 Otto III, filius Guilielmi Comitis Holl. sed. an. 16. Hic fertur baptizasse Hermanni Comitis Hennenbergici liberos CCC LXV ex Machtilde Florentij IV Comitis Hollandiæ filia natos.

27 Gosuinus de Aemstel, electus, abdicauit.

38 Henricus de Vianen cum D. de Aemstel congressus, ex spolijs eius condidit arcem Vrelandiam, Hic cœpit exstruere summum templum, sed reliquit opus pendẽs:

obijt

obiit an. 1267. sedit an. 17.

39 Ioannes Nassauius, gratus suis, inuisus Pontifici, sedit an. 20.

40 Ioannes de Zireck, contra Nassauium datus a Bonifacio VIII, translatus Tullū diœceseos Trevirensensis.

41 Guilielmus Mechlinienſis, occubuit cæsus ab Hollandis anno 1301.

42 Guido Hannonienſis, sedit an. 16, defunctus anno 1317.

43 Fridericus de Zireck, sedit an. 5: obijt an. 1322. Sub hoc exstructa est turris templi B. Martini.

44 Iacobus de Oosthoren, obijt an. 1323: contra Iacobum Sudenſem.

45 Ioannes de Broncкhorst, contra Ioannem de Diest, quem Auenioni ordinarat Ioannes XXII. Papa.

46 Ioannes Diestenſis instituit collegium Amersfordiæ.

47 Nicolaus Caputius nobilis Romanus a Benedicto XII constitutus, sponte cessit, factus Cardinalis.

48 Ioannes de Arkel constitutus a Clemente V: sedit an. 22, translatus est Leodicum ab Vrbano V: obijt anno 1378.

49 Ioan. de Vernenburg ex Episcopo Monasterienſi promotus ab Vrbano V: obijt anno 1372.

50 Arnoldus de Hoorn promotus ab Vrbano V: sedit annos 7, inde trāslatus Leodium bis soluit Papæ annatas.

51 Florentius de VVeuelickhofen ex Monasterienſi per Vrbanum V factus Episcopus Traiectinus, sedit annos 15.

52 Fridericus Baro de Blanckenheym Argentinenſem episcopatum commutauit cum Traiectenſi, sedit annos 30: obijt anno 1436.

53 Rudolpho Diepkoldio contra VValramum Meursanum dissidente, datus est a Pontifice Martino V Rabanus ab Helmstadt Episcopus Spirenſis, at is Suederum Culenburgicum commēdauit, qui pulsus, Dortdrechti sedit annos 5. Rudolphus tamen postea Philippi Burgundi opera a Papa confirmatur. Suederus in Concilio Basileenſi, ad quod prouocarat, moritur. Rudolphus, sedit an. 23: obijt an. 1455.

56 Gisbertus a Brederode, contra quem Philippus Burgundiæ Dux Dauidem filium suum promouit: qui sedit an. 40. obiit Batauoduri anno 1496.

57 Fridericus Marchio Badenſis, sedit an. 20. cessitque Philippo de Burgundia, obijt Lyræ Brabantiæ oppido.

58 Philippus de Burgundia, sed. an. 6. mens. 11. obijt an. 1524. magnus fuit Erasmi Roterodami Mæcenas.

59 Henricus Bauarus Henrici filius, factus quoque Episcopus Frisingenſis: sedit annos 5.

60 Guilielmus de Enckefort Cardinalis & Pontifex Dertusanus, promotus ab Adriano VI. Papa, sedit an. 7. Hic ditionem suam Carolo V. cessit, redijque in Germaniam primam. Ita redacta est Diœcesis in formam Prouinciæ.

61 Gregorius filius Comitis Egmondani promotus a Carolo V. sedit an. 25. obijt anno 1559.

62 Fridericus Tautenburgicus, sedit an. 20, obijt anno 1580: fuit Consilij Spirenſis Præses: sepultus est ad S. Martini.


DORTMUND

Longit. Grad. XXVIII. *18. Latitud.* LI. *30.*

TREMONIAM vulgo Latina appellatione dicunt, quam VVitikindus Trotmanniam vocauit, Rhegino corrupte Droomanniam. Et autem vetus hæc Saxoniæ Occidentalis, quam VVestfaliam vocant, ciuitas: ex numero Imperialium, sicut a nobis capite tertio huius libri dictum est. Fuitque iam olim juris Comitatensis. Initia vrbis referuntur ad Carolum cognomento Magnum, qui hic, dum VVitikindum & Saxones bello premeret, ductus loci fertilitate & amœnitate, consedisse dicitur, cuius rei memoria est in agris quos vocant *Königs hoffs-landt*, & *Reichs-hofen*. Fertur etiam Collegium illic instituisse Canonicorum, cum templo Pantaleoni consecrato, quod Hanno Archiepiscopus Colonienſis transtulit Agrippinam, inseruitque Ecclesiæ B. Virginis ad gradus, templi Pantaleonis titulo mutato in titulum S. Reinoldi. Exstructa sunt autem postea a Comitibus & Præfectis quos Borchmannos vocant etiam alia aliquot templa, inter quæ illud enimet quod B. Martini dicitur: additaque sunt etiam Cœnobia Franciscanorum & Dominicanorum, cum Xenodochiis & Nosocomijs ampliſſimis. Manſit autem vrbis istius, vt & totius VVestphaliæ ius in posteritate Caroli, ad Arnulphum vsq; Cæsarem: a quo ad genetum eius Ottonem Saxonem, atque inde ad Henricum Aucupem peruenit, quo imperante Hunni hæc loca depopulati sunt. Ac repressit quidē illos tunc Henricus ut potuit, sed facta manu postea reversi, deleti sunt anno D CCCC XXXVII, sub ipsis huius vrbis mœnibus: Exstat hodieque ad latus vrbis Septentrionale fons, quam ab Hunnis vocant Hunnorum aquationem, *Die Hunnen drenck*. Constat quoque Henricum II cum vxore sua Kunigunda celebres in hac vrbe Imperij Conuentus anno M X V agitasse, in quibus Padisbornensis Episcopus Meinwercus matrē suā accusauit quod filium suum, Meinwerci fratrem occidisset. Fredericum quoque Barbarossam aliquamdiu in eadem commoratum esse, testantur non tantū Annales Monasterienses, sed ipsæ quoq; locorū quorundam appellationes. Anno M CC XCVII magnam passa est vrbs ex incendio calamitatem: absumptis flamma omnibus privatis publicisque ædificiis. In cuius damni solarium Imperatores Consistorium dirimendis per Imperium litibus hic esse voluerunt, & nundinas indixerunt annales, & ipsi domos varias exstruxerunt. Etsi vero Comitatus Tremonienſis ex sola Imperatorum beneficentia antiquitus penderet, tamen ex quo a domo Saxonica imperij dignitas translata fuit, Cęsaresque rarius in VVestphalia versati sunt, hæreditatius esse cœpit, ea ratione, vt Comitū successores feudi nomine eum ab Imperat. acciperent. Sed mediam sui iuris partē Comites postea in Senatum huius vrbis transtulerunt, fuitq; diu admodum diuisa iurisdictio: donec Ioannes Steckius, ad quem Comitatus hæreditario iure delapsus fuerat, suam quoque partem cum plena gladij potestate in Senatum contulit. Eam translationem Maximilianus anno M D IV regio suo Diplomate confirmauit ratamque habuit. Fuit autem antiquis moribus receptum, vt Consules, feudum ab Imperatore postulātes, conplicatis manibus, flexo poplite, oscu-lum genæ Imperatoris figerent, qui mos obijt in desuetudinem. Itaque Carolus V. anno M D XX Hildebrando de Swartzen solita iuramenta præstanti Comitatum istum sine illa ceremonia tradidit. Ferdinandus quoque Dietmaro a Berswerde, Maximilianus II Lamberto Dietmari filio eundē Comitatum sub concepta verborum formula tradidere. Senatus igitur hac ratione per vrbem & Comitatū vniuersum absoluta potestate vtitur, Prætorē vrbanum dirimendis quotidianis litibus ipse cōstituit, cæteraq; disponit, quæ liberæ ciuitates optimo iure disponere solent.


TRIER
Onſer frauwen
Moſel Flu

Longit. Grad. XXVIII. 8. *Latit.* XLIX. 45.

ARmipotens dudum celebrari Gallia gestit
Treuiricæque vrbis solium, quæ proxima Rheno
Pacis vt in medio gremi secura quiescit,
Imperij vires quod alit, quod vestit, & armat.
Læta per extentum procurrunt mœnia collem,
Largus tranquillo prælabitur amne Mosella,
Longinqua omnigenæ vectans commercia tetræ

liceat nobis ita cum Ausonio loqui, adgressuris nobilissimæ & antiquissimæ vrbis descriptionem, cuius typus expressus est ad similitudinem eius quē Ioannes Archiepiscopus & Elector Sebastiano Munstero misit an. MDXLVIII. Porro Treueri populi nomen est, nō vrbis; vrbs ipsa Augusta olim vel Colonia Augusta dicta est. Itaque Ptolemæus Rhemis Treuiros subiecit, & in his vrbem posuit Augustam Treuirorū αὐγοῦσταν Τρηβιρῶν. In numo Vespasiani est COL. AVG. TREVIROR. Mela simpliciter & sine adiectione vocauit Augustam lib. III. cap. 2. *Belgarum*, inquit, *clarissimi sunt Treueri, vrbesq; opulentissimæ in Treueris, Augusta; in Heduis Augustodunum.* Tacitus *Coloniam* lib. IV Histor. Plinius eam liberam cognominatam dicit, Saluianus excellentissimam vocat, Zosimus Transulpinarum vrbium maximam. Marcellinus, clarum domicilium Principum; vulgus tempore Cōstantij, vt autor est Berengosius, Romā secundam, vel alterā Romam: Saluianus vrbē ipsam vocat Treuerim. Expugnata est, inquit, quater vrbs Gallorū Treueris opulentissima. Antiquitas certe vt summa est, ita in obscuro abdita: nam quod de Trebeta Semiramidis priuigno narrant, fabulosum est. Tale est istud

Nini Semiramis quæ tanto coniuge felix
Plurima possedit, sed plura prioribus addit,
Non contenta suis, nec totis finibus orbis,
Expulit e patrio priuignum Trebeta regno,
Insignem profugus nostram qui condidit vrbem.

Porro Treuirorum fines olim quoque ad Rhenum vsque pertigisse ex eo apparet, quod Cæsar illos dicit Rheno fuisse proximos. Idem quoque testatur, eorum ciuitatem plurimum totius Galliæ equitatu valuisse, magnasque habuisse copias peditum: Addit amplius, eos propter Germaniæ vicinitatem cotidianis exercitam bellis, cultu & feritate non multum Germanis absimilem fuisse, neque imperata vnquam nisi exercitu coactam fecisse. Tacitus ciues Germanicæ originis adfectatione ambitiosos fuisse scribit, tanquam per hanc gloriam sanguinis a similitudine & inertia Gallorum separarentur. Frequens est apud illum eius vrbis mentio, præsertim in Historiarū libris postetioribus, in quibus CL. Ciuilis bella narrantur. Posteriore æuo sedes fuit & domicilium Imperatorum aduersus Germanos ibi excubantium: itaque Præpositus thesaurorum illic habitabat, & Procurator Cynegij, & Præpositus Branbaricariorum. Erat præterea illic fabrica scutaria, & balistaria. Et spectantur adhuc ruinæ palatij quod Constantinus Imperator illic condidit. Vixit in ea Athanasius exsul. Hieronymus se illic Hilarij Commentarios descripsisse testatur. Priscillianus hæresiarcha iussu Maximi Imperatoris illic interfectus est. Valentinianus Augustus ibi hibernauit. Gratianus ibidem Valentinianum fratrē suum Augustum dixit. Omnia fere habuit communia cum Roma, Palatium, Arces, Theatra, Cāpum Martium, Capitolium, Circum. Gothi illam destruxerunt, euerteruntque. Euersionem illam Saluianus peccatis ciuium adscribit. Memorabilia sunt eius verba libro de vero iudicio & Prouidentia. *Vidi ego Treueros, viros etiam sublimes, calamitatibus suis factos peiores. Lugubre est referre quæ vidimus: Senes honoratos & Christianos imminente iam ciuitatis excidio gulæ ac lasciuiæ seruientes. Iacebant in conuiuijs obliti honoris, obliti ætatis, proffessionis & nominis sui.*

Principes ciuitatis cibo confecti, vinolentia dissoluti, clamoribus rabidi, bacchatione furiosi. Quater expugnata est vrbs Gallorum Treuiris opulentissima. Incredibile est quod loquor. Adsiduitas calamitatum augmentum illic fuit criminum. Vidi ego illic res lachrymabiles. Nihil scilicet differre inter pueros & senes. Vna erat scurrilitas, vna leuitas, simul omnia luxus, potationes, perditiones, impleuerãt: Omnes pariter agebant, ludebant, inebriabãtur. Et postea. *Circenses Treuiri desideratis? & hoc vastati atq; expugnati? post cladem, post sanguinem, post captiuitatẽ, post supplicia, post tot cuersæ vrbis excidia? Theatra igitur quæritis? Circum a Principibus postulatis? Cui quæso statui? cui populo? cui ciuitati? Vrbi exustæ ac perditæ, plebi captiuæ & interemptæ, quæ aut perijt, aut luget? Tantæ enim miseriæ sunt superstitum, vt infelicitatem vicerint mortuorum. Ludicra ergo publica Treuir petis? Vbi quæso exercenda? An super bustum & cineres? super ossa & sanguinem peremptorum? Iacent reliquiæ infelicissimæ plebis: super tumulos mortuorum suorum, & tu Circenses rogas? Nigra incẽdio est ciuitas, & tu vultum festiuitatis vsurpas? Lugent cuncta, tu lata es? Insuper etiam illæbris flagitiosis Deum prouocas, & pessimis superstitionibus iram* DEI *irritas. Non miror plane, non miror, euenisse tibi mala quæ consecuta sunt; nam quia tua te excidia non correxerunt, quarto perire meruisti.* Hæc & plura alia Saluianus. Ingenium Treuirensibus come, hilare, serenum: Ausonius de ipsis,

Quinetiam mores & latum fronte serena
Ingenium natura suis concessit alumnis.

SERIES EPISCOPORVM TREVIRENSIVM.

1 Eucharius patria Græcus, creditur fuisse ex LXXII Christi discipulis vnus: At ego illum non offendo in Synopsi Dorothei: neq; arbitror discipulos Christum alios quam Iudæos habuisse. Dicitur rexisse Ecclesiam annos 25. Conuersa est huius opera Albana, cuius domus abijt in Ecclesiam. In huius domus crypta sepultus est Eucharius & qui illum sequuti sunt vsque ad Valentinum, dictaque est ex eo cella Eucharij: Post illatum vero illuc corpus Matthiæ Apostoli cœpit vocari monasterium S. Matthiæ. Obijt Eucharius anno Chr. 66: eius natalis refertur in diem 8 Decembris.

2 Valerius, sedit annos 15: obijt an. Christi 93.

3 Maternus, qui Agrippinensem quoque & Tungrensem Ecclesias instituit; rexitque totos annos 40, Defunctus est anno 133 Agrippinæ.

4 Auspicius. 5 Celsus.

6 Felix I, vixit circa an. 142. 7 Mansuetus, circa a. 160.

8 Clemens, a. 175. 9 Moses, sub Eleutherio Papa, a. 189.

10 Martinus I martyr. 11 Anastasius, anno 226.

12 Andreas. 13 Rusticus I. 14 Auctor. 15 Fabricius.

16 Cassianus. 17 Marcus. 18 Mauritius.

19 Auitus anno 265, sub Sixto I. Dicitur fuisse vltimi Tungrorum regis fil.: & Episc. secundus Tungrorum.

20 Marcellinus, idem quoque Tungrorum Episcopus, sub Antonino Vero occisus 4. Sept.

21 Metropolus sub M. Aurelio Antonino, sedit an. 19.

22 Seuerinus, idem quoque Episcopus Tungrensis sub Gordiano, sedit an. 14.

23 Florentius sub Gallo & Volusiano, idem quoq; Tungrensis Episcopus: obijt 6. Kal. Nouemb.

24 Mauritius II, sedit an. 14. Hic Hasbanos conuertisse dicitur, & Tungrorum quoque fuisse Episcopus.

25 Maximinus I sub Probo Imp. sedit an. 12: fuitq; idem quoque Episcopus Tungrorum octauus.

26 Valentinus sub Diocletiano, sedit an. 28. Huius tempore ingens fuit persecutio. Post eius vero obitum separata est Tungrensis Ecclesia a Treuirensi: obijt an. 316, sub Constantino Magno Imp. & Papa Sylucstro.

DELINCEPS

DEINCEPS ARCHIEPISCOPI.

27 Agritius Antiochenus an. 350 missus a Siluestro, primus dicitur fuisse Archiepiscopus Treuirensis, Ecclesias multas instituisse, Palatium Helenæ conuertisse in templum B. Petri, Athanasium exsulé recepisse, Maximini cœnobium fundasse, quo nullum est in vniuersa Germania celebrius: defunctus est anno Chr. 345.

28 Maximinus II Aquitanus. Hic sub Iulio I Papa Romano Coloniam euocauit Synodum contra Euphratẽ Episc. Colonienſem Arianum, qui etiã damnatus est. Profectus est Romam cum S. Martino. Præfuit an. 15.

29 Paulinus a S. Martino consecratus, acerrimus fuit orthodoxæ veritatis aduersus Arianos propugnator, cuius etiam causſa a Constantio Imperatore in exsilium missus est in Phrygiam, atque ibidem passus, anno 363. Notus fuit Ambrosio.

30 Bonosus, præfuit Ecclesiæ suæ anno Christi 363: defunctus anno 368.

31 Bricto, charus Damaso Papæ. Sub hoc condemnatus est Treuiris Priscillianus hæreticus: interfuere actioni S. Martinus & S. Ambrosius: Maximus Imp. qui Gratiano succesſit, eum interfici iussit. Ob. Bricto an. 380.

32 Felix II. Hic Collegium B. Virginis condidit ad martyres, vbi olim Capitolium fuerat. Ædificauit quoque Basilicam Paulini. Obijt an. 392.

33 Mauritius II, coæuus Hieronymi & Augustini.

34 Leguntius, obijt an. 404: sepultus ad Martyres.

35 Auctor II ex Episcopo Metensi factus Archiepiscopus Treuirensis. Huius memoria est apud Brunsuicenses, ex quo Gertrudis socrus Ludeti Ducis Saxoniæ reliquias eius intulit cœnobio S. Ægidij.

36 Seuerus discipulus Lupi Episc. Treuerensis: defunctus an. 420: fuit in Britannia cum S. Germano Antisiodorensi Episc. & S. Lupo Trecasino. In huius tempus incidit Hunnorum in Germaniam Galliamq; irruptio.

37 Cyrillus electus anno 430, Cellam Euchatij, hoc est Basilicam S. Mathiæ euersam restauravit.

38 Iammerus. 39 Emerus

40 Marcus II Collegium S. Paulini vastatũ restituit. Circa hæc tépora Lucius Senator Treuirensis Francorum Regem Hildericum inuitauit, vt traiecto Rheno Romanos inuaderet. Et succesſit vtrique consilium feliciter. Concepit autem Lucius odium in Romanos ob vitiatam vxorem suam ab Auito Præside.

41 Volusianus ob. an. 468. 41 Miletus ob. an. 472.

43 Modestus, defunctus an. 486.

44 Maximianus excesſit an. 496: sedit an. 10.

45 Fibicius ex Abbate S. Maximini Archiepiscopus, obiit anno Christi 500.

46 Aprunculus ob. an. 515. sepult. ad S. Paulinum.

47 Rusticus II qui ob leuiter actam in Episcopatu vitam, pœnitentiam egit in Cœnobio B. Virginis ad martyres, ac post VII pœnitentiæ anno sub Clotario obijt.

48 Aponoculus.

49 Nicetius sub Theodorico, eiusque filiis, Theodorico & Clotario Francorũ regibus: præfuit an 17. mortuus est anno 551. valde laudatus a Gregorio Turonensi.

50 Magnericus. Hic ex sacello sanctæ Crucis, quod Martinus opibus Gerontij Consulis instituerat, fecit cœnobium S. Martini.

51 Gangericus Lutzenburgicus Episcopus etiam Cameracensis fuit, sedit Treuiri an. 33, obijt an. 594.

52 Subandus. 53 Seuerinus, defunctus Burdegalæ.

54 Modoaldus Aquitanicus, cuius soror Itta nupsit Pipino, fuitque mater S. Gertrudis, & Grimoaldi. Habuit & alteram sororem Seueram, quam ad S. Symphorianum præfecit sacris Virginibus. Sub hoc quoque mutatum est horreum Dagoberti regis in cœnobium

Virginum, Anno 645: cui prima præfuit Irmina Dagoberti filia, secunda Modesta VVillebrordi soror: VVillebrordus ipse cœnobium Epternacense cõdidit.

55 Numerianus, obiit an. 715.

56 Bassinus frater Ducis Lotharing. sub Greg. II Papa.

57 Luitwinus Bassini ex sorore nepos monasterium Mediolacense ad Sarram fluuium instituit ordinis Benedictini: obiit Rhemis in Concilio anno 721.

58 Clodolphus Arnulpho Episcopo Metensi natus, contra Milonẽ Luitwini filium, qui sedem inuasit sub Carolo Martello. Hic Rhemensem quoque Eccles. rexit.

59 Hilulphus ex Monacho factus Vicarius Milonis, post illius excessum Episcopus fuit; sed pertæsus molestiarũ rediit ad cœnobium, atque illic obiit, anno 754.

60 Eberhardus Episcopus Ratisponensis.

61 VVeomadus Abbas S. Maximini, electus anno 713. sedit annos 23: defunctus anno 805.

62 Reichboldus, electus anno 776: obiit an. 782.

63 VVatzo, defunctus anno 805.

64 Amalharius Fortunatus monachus Lexouiensis, vir Græcè & Latinè doctus, a Carolo Magno missus est Constantinopolim ad Imperatorem Græcorũ Michaelem. Postea missus quoque est a Ludouico Imperatore ad Gregorium IV Pontificem: scripsit lib. IV. de Ecclesiast. officiis, sedit an. 16. mortuus est anno gratiæ 822. & sepultus ad S. Paulinum.

65 Hetto Abbas cœnobij Epternacensis a VVillebrordo fundati. electus anno 822: sedit annos 31, obiit anno 838. situs est in æde Matthiæ.

66 Thietgardus monasterij Epternacensis Abb. sed. an. 38.

67 Bertoldus Abbas Mediolacensis, electus anno 867. In huius tempora incidit Nortmannorũ incursio in Galliam Belgicam. Sedit an. 17. mort. est an. 884.

68 Ralbodus ex Abbate Epternacensi factus Archiepisc. familiaris fuit Formoso Papæ: sed. ann. 21.

69 Rutgerus Henrico Imp. aduersus Nortmannos pugnanti adfuit an. 934. sed. an. 12. ob. an. 934.

70 Rupertus Saxo Ecclesiã Maximini vastatam restauravit, sedit an. 28. obiit peste anno 955.

71 Henricus. Hic Ottonem I, in Italiam duxit, interfuitque Synodo contra Ioannem XIII Papam celebratæ.

72 Theodor. ex Præpos. Mogunt. fact. Archiep. ob. 570.

73 Eckbertus frater Arnulphi Comitis Hollandiæ, & virginis Herlindæ, obiit an. 989.

DEINCEPS ELECTORES.

74 Ludolphus Saxo, præfuit annis 10, primusq; fuit Elector Imperij.

75 Adelbero anno 1003 inuasit dignitatem, quum ab Imperatore Henrico IV esset designatus Megingandus Præpositus Moguntinus, qui obiit Confluentibus anno 12 sui muneris.

76 Poppo, electus anno 1025, filius fuit Ludolphi Austriaci, profectus est in Palæstinam: templum Simeoni exstruxit, sedit an. 41, menses 5. defunctus an. 1037.

77 Eberhardus filius Comitis Palatini. Huius rogatu venit ex Italia Treviros Leo IX. Sedit an. 20. defunctus est an. 1067, pridie Paschatis.

78 Cono vel Conradus anno 1066, interemptus est.

79 Vdo Sueuus defunctus an. 1077. Huic a quibusdam subiungitur Ado, qui controuersiam inter Henricum IV Imperatorem & Rudolphum studuit componere autoritate Gregorij Papæ.

80 Egilbertus Bauarus, electus anno 1079, sedit annos 22. obiit anno 1101.

81 Bruno Francus, sub Paschali II. defun. est an. 1123.

82 Godefrid. caussatus clericor. dissolutã vitã, resignauit.

83 Meginherus misere & indigne confossus 1130.

84 Adelbertus, electus an. 1132. familiaris fuit S. Bernhardo: Eugenium ex Italia cum XVIII Cardinalibus secum Treuiros eduxit, ob. an. Chr. 1152. Præsulatus sui 19.

85 Helli-

85 Hellinus Treuir, electus anno 1152 arcem Erenbretsteyn exstruxit: sed. an. 18. ob. anno Christi 1170.

86 Arnoldus, electus promotusque a Friderico I: sedit annos 18. mortuus est anno 1188.

87 Ioannes Imperatoris Henrici IV Cãcellarius competitoribus suis a Pontifice Ioanne prælatus, gubernauit Ecclesiam annis 23: obiit anno 1213.

88 Theodoricus IV Comes de VVeda: sedit an. 30. defunctus anno 1242. Hic ædificauit & muniuit Kellenbergium, & Castellum in monte Thabor exstruxit.

89 Arnoldus II Comes Isenburgius cõtra Rudolphum electus an. 1243 pallium obtinuit ab Innocentio Papa. Hic Treuirensem vrbem muniuit: Muros patenti oppido Confluentiarũ circumduxit. Basilicã Maximini reparauit. Palatiolum castrũ firmauit: obiit anno Christi 1219 regiminis sui 21.

90 Henricus II, ab Vrbano IV factus Archiepisc. ornauit ditionem structuris. Defunct. est Bonnæ an. 1286: quũ præfuissẽt annos 26.

91 Boemundus de VVansberch an. 1288 a Nicolao VI cõsecratus est. Nouiomagum exstruxit, illatus est monasterio Heymerlort. anno 1299.

92 Dietherus Adolphi Nassouij Roma. reg. frat. ob. 1306.

93 Balduinus Com. Lutzenburgius Henr. VIII. Imper. frater, magni animi & iudicij vir, Diœcesin multis modis ornauit, Pontem Confluentium exstruxit. Sedit an. 46. vixit 68. defunctus est anno 1054.

94 Boemundus II Sarrapontanus: Hic quum esset debilior substituit sibi viuo Cononem, obiit anno 1342.

95 Cono de Falckensteyn. Hic Bopardiam & Vesaliam superiorem Treuirensi ditioni acquisiuit. obiit an. 1318. Confluentibus.

96 VVernerus a Koningstein Cononis nepos, sed. an. 30. sepultus est apud auunculum, anno 1418.

37 Otto, Comes a Zegenheym. sedit an. 2.

98 Rabanus ab Helmstadt Episcopus Spirensis: sedit annos 90: obiit anno 2432.

99 Iacobus Baro a Sirck, sed. an. 7. obiit an. 1436.

100 Ioannes Marchio Badensis, electus anno 1449. vixit vsque ad annum Christi 1505: sedit an. 53. mortuus est in castro Erentbretsteyn.

101 Iacobus II Marchio Badensis discipulus Philippi Beroaldi, sedit annos 8. defunct. est Coloniæ an. 1511.

102 Richardus Gryfenclaw, sub quo Maximilianus Imp. Treuiri Comitia imperij celebravit anno 1512: Interfuit coronationi Ferdinandi anno 1525: sedit an. 20.

103 Ioan. a Metzenhausem, præfuit Ecclesiæ an. 9. In Cõuentu Imperij Haganoæ cui præfuit Ferdinandus Rex ex immani æstu in morbũ incidit, delatusq; in arcem Dachsteyn, extinct. est 22 Iulij an. 1540, ætat. suæ 48.

103 Ioannes Ludouicus ab Hagen sedit an 7, vixit an. 55. obijt anno Christi 1547.

104 Ioan. IV Isenburgicus, elect. a. 1547, interfuit Cõcilio Trident. an. 1552: vnde Alberti March. Brandeb. qui in tractu Rhenano ditiones Episcopor. infestabat, iniurijs reuocatus, haud diu superfuit: extinctus est in castro Montaburensi, quarto ab inauguratione anno: Situs est Confluentibus.

106 Ioan. V, anno 1556 ex Archidiacono in Archiepiscopum electus pacis & literarum studia impense coluit. Interfuit electioni Maximil. II. Scholã Treuiris aperuit.

107 Iacobus III ab Els Treuir, electus an. 1567. Hic a ciuitate quum dissentiret, an. 1568 eam obsedit: sed procerum vicinorum & Cameræ imperialis intercessione effectum est, vt positis armis pacis studia sectati sint.

108 Ioannes Schouwebergius, electus anno 1511. Lotharius.


TUBINGEN

Longit. Grad. XXX. *30. Latitud.* XLVIII. *18.*

TVBINGA ad Neccarum sita in Sueuia, Orientem versus habet montem Austriacum, versus meridiem vallem Neccarinam: versus Septentrionem vallem Ameranam: estque vrbs admodum elegans, frumento, & vino, & reliquo rerum ad vitam necessariarum prouentu abundans, vsque adeo vt bona sua vicinis etiam Sueuis communicet. Initio fuit Comitatēsis: nam Anno CMXXXVIII mentio fit in ludis equestribus Magdeburgi celebratis Ludouici cuiusdam Com. Tubingensis. Vendita est hæc ciuitas Vlrico VVirtenbergico cum castro & omnibus ad eam pertinentibus anno Christi MCCCXLII. Facta est autem magna vrbis amplificatio circa annum MCCCCLXXXII, quum ad partem quæ *Pruel* vocatur, accessit forum, & locus qui versus Nicrum amnem situs est ad Meridiem, cum templo B. Gregorij. Eodem tempore quoque deductus est in Nicrum riuus Ameræ, & pons supra flumen constructus ex saxo. Anno vero MCCCCXCV in VVormatiensi conuentu a Maximiliano Augusto ex Comitatu in Ducatum euecta est, ob insignes & heroicas virtutes Eberardi VVirtenbergensis & Montispeligardensis Comitis, qui, vt illam redderet illustriorem, ac non suæ tantum ditioni sed vniuersæ quoque Germaniæ prodesset, Academiam in ea instituit, cauitque, vt *in S. Theologia* (sic sonant verba fundationis) *ordinarij Doctores quatuor, In iure Pontificio & Imperiali sex, In medicina Theorica practicaque duo: In Morali duo, In Poëtica Oratoriaque duo, In Philosophia Naturali ac rationali duobus in contubernijs magistri decem per singulos dies statis horis suas profiterentur lectiones, perpetuisq; fouerentur stipendijs.* Itaq; euocati illuc docuerunt Gabriel Byel Theologus, cuius multa exstant scripta. Ioannes a Lapide Carthusianus Theologus & Philosophus eo sæculo celeberrimus. Ioānes Stofflerus astronomus eruditissimus, cuius elegātem sphærā & multa alia Mathematica instrumēta Munsterus flammis consumpta deplorat. *Denique* (vt habet instrumentum fundationis) *ne ex orbe illo disciplinarum quicquam desiderari posset, linguis ediscendis, insignem eruditione cognitissima virum Ioannē Reuchlinum Phorcensem præfecerunt, qui Hebræas & Græcas litteras doceret fideliter.* Rector primus cōstitutus est Ioan. Nauclerus, qui & Præpositus & Cancel. Eccles. & Academiæ fuit, cuius opus historicum insigne Tubingæ Thomas Anselmus typographus edidit, cū præfatione Capnionis anno MD: Philippo Melanchthone curā gerente vt opusillud prodiret quā ornatissime, qui vt testatur in eius vita Camerarius, *partim disponendo, partim augendo, partim etiam retexendo id præstitit, vt lectio libri illius a quam plurimis expeteretur, & fructu voluptateque non careret.* Docuit in eadem Schola patrum memoria Leonhardus Fuchsius primus politioris medicinæ post veteres repurgator. Nostrā quoque ætate ornauit eam Martinus Crusius, eloquentiæ & linguarum professor eruditissimus. Porro ciuitatē Tubingensem moderantur præfecti duo, maior & minor: Post eos duo sunt Consules: tum Iudices, & Quæstores, & Curatores Decumani, qui Remp. administrant. Certis quoque temporibus iudicium Aulicum & Ecclesiasticum exercetur.


OBERWESEL
Rhin flu

Longit. Grad. XXIX. *8. Latitud.* L. *0.*

IN Diœceſi Treuirenſi ad læuam Rheni ripam Bingio ſecundo amni deſcendentibus inter Bacchi aram & vicum S. Geari medio ſpatio occurrit Veſalia ſuperior, quam Voſauiam veteribus vocatam diximus, libro I. in Tabula Peutingeriana. Video autem in ea opinione multos eſſe, vt putent, Iuliam Mammeam Alexandri Severi Imperatoris matrem, feminam bonis ſanctiſque moribus præditam, illic cum filio cæſam & ſepultam eſſe: quod quidem vnde illi habuerint, neſcio. Nos iſtud, quia alibi excuſſimus, hoc loco tantum voluimus attingere. Porro oppidum iſtud ſub Friderico II anno M CC XXXIII immediate imperio ſubiectum fuit, exemptum clientelæ Schonenburgicorum, qui ius aduocatiæ & Bruggrauiatus in ea obtinuerunt, inque eum vſum arcem condiderunt cuius adhuc extant turres & parietes extra vrbem in ſublimi colle. Vt autem in poſterum eius vrbis in hac parte immunitati ſecuritatique conſuleretur, certis ab Imperatore Guilielmo Hollando diplomatibus effetum eſt, anno Chriſti M CC LII. Poſtea tamen Henricus eius nominis VII filius Henrici Comitis Lutzenburgici electus Imperator Veſaliam & Bodobrigam quæ vulgo Boppart vocatur, Balduino fratri ſuo Archiepiſcopo Treuirenſi oppignorauit pro certa pecuniæ ſummâ, quum copias conſcriberet, quibus ad componendas in Italia Guelphorum & Guibbellinorum factiones vſurus eſſet. Ac de oppignoratione iſta deque Sturiæ jure dictum eſt a nobis in Bodobriga. Ita ergo factum vt Veſalia iſta nunc temporis pareat Archiepiſcopo Treuirenſi. Sita eſt autem vrbs iſta loco peramœno: Templum in ea eſt honori B. Virginis conſtructum, anno M CCC VIII, eſtque is annus in rei memoriam feneſtris ad Orientalem eius partē poſitis inſculptus, litteris cubitalibus, ſed quæ propter interuallum ſpectantibus minores videtur. Anno vero MCCCXXXI demum dedicatum eſt. A Balduino vero Archiepiſcopo Trevirenſi ex Parochiali mutatum eſt in Collegiatum. In altera vrbis parte eſt Eccleſia S. Martini, quam Dietherus Archiepiſcopus Collegiatam eſſe voluit anno M CCC III, iuſſitque vt in ea ſemper eſſet Præpoſitus vnus, Decanus vnus, & Canonici quinque. Inter hæc duo templa ſita eſt Abbatia Virginum veſtalium. Propter mœnia vero verſus Rhenū conſpicitur Xenodochium, in cuius ſacello ſupra ſummū altare columna eſt lignea, ad quam a Iudæis VVernerus puellus quondam alligatus fuit a Iudæis, quum in ignominiam Saluatoris noſtri odium in puerum exercerent, repetentes memoriam nefandi ſceleris a maioribus ſuis in Dominum noſtrum perpetrati. Hic partim Germanicis, partim Latinis vocibus litteriſque ſic ſcriptum legitur, ANNO M CC LXXXVII, *Hat Wernerich de Wammenroid den Tod gelitten,* XIII KAL. MAII. Beata anima, cui datum ad imitationem Chriſti Iudæorum manibus torqueri, & ex corpuſculo illo ad Saluatorem ſuum euolare!


WESEL

Longit. Grad. XXVIII. *o. Latitud.* LI. *38.*

HÆc ad differentiam prioris vocatur Vesalia inferior, siue Cliuorum: nam prior illa Treuirensis fuit. Sita est in ripa Rheni dextera, siue Germanica, ad confluentes Lupiæ & Rheni, qua se minor amnis in maiorẽ exonerat. Porro frequens eius est apud Tacitum mentio: qui narrat, inter Lupiam & Amisiam (oritur autem vterque in VVestphalia, sed diverso cursu, ille versus Occasum lapsus Rheno postea miscetur, hic in Septentrionem conuersus Oceano Germanico mergitur) in saltu Teutoburgensi cæsum fuisse Quintilium Varum cum legionibus Romanis ab Arminio, memorabili illa clade quam prolixè describit Paterculus. Ad huius igitur fluminis ostium sita Vesalia, opportuno admodum mercaturæ loco, ingenti ex vicinis agris rerum incremento, potens & diues facta est. Eberhardus Comes Cliuiæ & Teisterbandiæ nonus (fuit autem Teisterbandia ditio illa omnis quæ Mosa, Vahali & Rheno circumscribitur, in qua etiam hodie insignia sunt dominia) largus fuit in personas Ecclesiasticas religioni consecratas, itaq; multa illis donasse dicitur. Vnum extat adhuc monumentum quod ita sonat, ANNO INCARNATIONIS *Dominicæ* DCC XXV, EBERHARDVS *Comes &* BERTHA *vxor sua nobilis matrona de stirpe Caroli Magni, & Luitprandus Comes, Berengarius Episcopus Tullensis filij eorumdem, constituerunt duas congregationes Ecclesiarum, vnam in* VVISSEL, *ordinis Canonicorum, & aliam in* NVSSIA, *ordinis Canonicarum, sub Gunthero Episcopo Coloniensi.* Sub Arnoldo II Comite Cliuiæ decimo septimo exstruxerunt Godefridus & Otto Comites de Kappenberch Monasterium Virginum extra muros, vbi se Lupia in Rhenum exonerat. Theodorico VIII dedit Rudolphus Habspurgensis Vesaliam, cum Castro Rhynbergensi, Theodoricus IX qui filiam Alberti Austriaci Imperatoris vxorem duxit, ius habuit in Vesaliam & Rhynbergam, idemque conventum Prædicatorum Vesaliæ instituit. Adolphus Dux I Cliuiæ Curiam Vesaliæ exstruxit. Edidit & viros eruditos Vesalia; atque inter eos eximium Arnoldum, cui a patria cognomen Vesalienſis. Hic commentarium scripsit in Decalogum, editum Coloniæ anno 1542. Initio motuum Belgicorũ hospitium hic fuit perfugis Hollandis, Zelandis, Artesiis, Flandris, Brabantis; atque ex peregrinorum sollertia creuit opibus, mercatura, potentia. Sed postquam Hispanus nullam sibi inuadendi Batauos viam reliquam patere intellexit, quam per Cliuiam & Gelriam, exposita fuit semper inuasionibus & excursionibus potentiorum. Franciscus Mendoza Archithalassus Aragoniæ anno MDXCVIII extorta a Magistratu ingenti pecuniæ vi, eo adegit Senatũ, vt coactus sit anno sequenti etiam religionẽ mutare, admissis in templa omnia Pontificijs. Post obitum vero Ducis Cliuiæ, occupauit vrbem Ambrosius Spinola, eamque adhuc ingenti præsidio Hispanorum militum obsessam in sua potestate habet: intentus in omnes occasiones, quibus progredi vlterius, & Gelriam, Transisalaniam, cum Diœcesi Traiectensi possit partis adiungere. Ac nisi conatibus ipsius Illustres Ordines Vnitarum Belgicæ Prouinciarum iuissent restitum, iampridem rem confectam habuisset.


WIEN
S Steffan
Zun Schoten
Vnser Frawen
S Clara

Longit. Grad. XXXIX. *12. Latit.* XLVIII. *21.*

IN Austria, ad Danubij profluentis ripam dexteram, sita est VIENNA. Eam Lazius eandem putat esse cum Ptolemæi *Iuliobona*, & Strabonis *Vendo*, & Antonini *Vindebona*, quam Aurelius Victor *Vendobonam* vocat in vita M. Antonini Imperatoris, liber Notitiarum *Vindomanam*. Otto Frisingensis lib. 1. de gestis Friderici Imperatoris autor est, appellatam fuisse olim *Faunianas, Dux*, inquit, *in vicinum opidum Viennis, quod olim a Romanis inhabitatum, Faunianis dicebatur, declinauit.* Citatur & antiquum marmor effossum ad portam Scotensem, in quo legitur, MARCIANVS DECVRIO ÆDILIS ET DVVMVIR MVNICIPII VINDOBONÆ, ET PRÆFECTVS COHORTIS FABIANÆ. Et constat, Annium quendam Fabianum legioni x Germanicæ in Pannonia his locis præsidisse, cuius quidem non in historia, sed in monumentis Pannonicis tam frequens mentio est, vt ab isto Fabiano videri possit cohorti illi atque vrbi datum nomen. Sub annum Christi CCCC LXIV fertur Seuerinus Barbaros hoc loco docuisse, eoque perduxisse, vt intra Fabianam duas basilicas exstruxerint, quas postea disiecerunt Longobardi. Sub annum vero DCXL fertur Gisalaricus a Rudberto istuc missus, sacellum intra Fabiana magistro suo excitasse. Ab hoc inde tempore numerantur Episcopi Fabianenses, qui & Fauianenses, & Vigennenses dicuntur. Carolus Magnus postea Basilicam B. Petro hic ædificauit, quod etiam fecit in Sicambria, & Carnunti, quod tunc quidem Carnburgum, postea a templo *S. Peternell*, vocatum fuit. Sub Ludouico Arnulphi filio, Conrado item & Henrico Augustis, ab Hungaris & Anaribus dolendum in modum vastata est. Iacuitque ita aliquamdiu, donec circa annum MCLVIII ab Henrico Austriæ Duce Scotica Abbatia illic erecta est: prout id litteris fundationis probatur, quæ sic habent, *Ego Henricus Dei gratia Dux Austriæ Vniuersis Christi fidelibus salutem. Manifestum fieri volumus vniuersis, quod nos inter alias patrocinatus nostri Ecclesias, Abbatiam in honorem* DEI *& laudem suæ genitricis Mariæ, denique in commemorationem B. Gregorij, in predio nostro fundauimus, in territorio scilicet Fauianæ, quæ a modernis Vienna nuncupatur.* Postea anno MCC Richardus Rex Angliæ ex Asia, vbi militauerat, domũ reuertens, quum hac iter faceret, captus a Lupoldo Austriæ Duce suis impensis mœnia vrbis excitauit. Circa annum vero MCC XXXVI Fridericus II Imperator receptus est Viennæ a ciuibus summo honore, estque ibi cum filio suo Conrado Romanorum rege tres menses commoratus. Hoc tempore vrbs ista facta est Imperialis, accepitque insignia quæ adhuc seruat, aquilam auream bicipitem & coronatam in campo nigro. Eodem anno instituta est illic Academia, ad normam Scholæ Parisiensis. Mansit autem quadriennium duntaxat sub imperio, deuoluta postea ad potestatem Austriacorum. Anno MCC LXXVI hebdomadibus quinque obsessa est a Rudolpho Habspurgio, defendente Othocaro Bohemiæ Rege. Composita autem est controuersia hisce legibus. Imperator Othocaro Bohemiam & Moraviam, beneficij loco vt conferret, Austria, prouinciæque reliquæ Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, ad Imperium redirent. Anno MCCC XL cœpta est exstrui turris S. Stephani, estque sexagesimo post anno demum absoluta. Anno MCCC LXIII obsessus est Imperator Fridericus a ciuibus suis in arce Viennensi, ac per Georgium Podiebracium Bohemiæ Regem tandem liberatus. Eam tamen optimus Imperator iniuriarum priorum immemor ita

cuexit

euexit postea, operam quoque accommodante filio Maximiliano, vt nunc sex potentissimarum nationum videatur commune esse diuersoriam, Germanorum, Italorum, Hungarorum, Bohemorum, Polonorum, & Slavorum. Anno M D XXIX obsedit eam arctissime Solymannus Turcarum Imperator, adducto exercitu XXX millium militum. Oppugnauit eam vicies, omni adhibito tormentorum genere, Cuniculis quoque actis suffossos muros disrupit: Nihil intermisit artis, virium, industriæ, vt vrbe (certissimo Germaniæ totiusque Europæ propugnaculo) potiri posset. Sed defensa est singulari Dei benignitate & virtute ciuium a XXVI Septembris vsque ad XV Octobris, quo hostis amissa magna exercitus sui parte domum recedere coactus est.

CATALOGVS EPISCOPORVM VIENNENSIVM.

Seuerinus Norici ac superioris Pannoniæ Doctor fuit, post Attilæ Hunnorum Regis interitum anno 466, & Episcopos plures dedit.

Mamertinus, non ille qui de statu animæ scripsit, fuitque in Gallia Viennæ Episcopus, sed alius.

Marcianus ex monacho S. Seuerini iuxta mœnia factus Episcopus.

Lucillus. Hic Fabianensis primum cœnobij præfectus, dein Batauis castris ad Æni & Danubij confluenteis a B. Seuerino datus Episcopus, post Seuerini & Marciani obitum Fabianensem Cathedram iunctam Patauiensi rexit.

POST INTERVALLVM.

Gusalaricus & Cunaldus missi Laureaco a Rudperto Iuuauiensi Episcopo, Rudperto templum posuerunt Fabianis, anno 640.

POST INTERVALLVM.

Sodomus sub Pipino Francorum rege anno 740. ad Auares in Pannoniam missus a Ioanne Episcopo Iuuauiensi, Ecclesiam Fabianensem rexit.

Haymo a Virgilio Archiepiscopo Iuuauiensi missus ad Auares hic prædicauit.

ITERVM POST INTERVALLVM.

Theodoricus missus ab Arno metropolitano Iuuiauiensi ad conuertendos Auares.

Otto

Osualdus circa annum Christi 865.

Radfridus.

ITERVM POST INTERVALLVM PAROCHI.

1 Eberhardus anno 1140, constitutus a Reimberto Episcopo Patauiensi.

2 Burcardus, qui simul quoque Patauiensis fuit Episcopus, anno 1160.

3 Sigehardus, anno 1210.

4 Petrus, anno 1266.

5 Gerhardus, anno 1270.

6 Bernhardus Bramboek, anno 1280.

7 Gotofridus, anno 1310.

8 Pollio, anno 1350

INDE PRÆPOSITI.

1 VVernherus anno 1360.

2 Albertus a Garsio anno 1370.

3 Bertholdus

3 Bertholdus, anno 1382.
4 Antonius, anno 1400.
5 Guilielmus Trures, anno 1412.
6 Albertus Comes a Schauwenberg, anno 1440.
7 Iudocus Hausner, anno 1460.

POSTEA EPISCOPI.

Fridericus III Austriæ Archidux, quartusque eius nominis Imperator, præposituram Viennensem conuertit in Episcopatum. Fuere ex eo Episcopi,

1 Leo a Spaur Tirolensis impetrato a Paulo Pontifice priuilegio constitutus est Episcopus Viennensis, anno a Christo nato 1480,
2 Bernhardus initio Archiepiscopus Salisburgensis, & post Leonis excessum a Friderico Cæsare Episcopus quoque Viennensis constitutus, anno 1485.
3 Vrbanus Agriensis, Hungarus, Matthiæ Hungariæ regis quæstor & aulicus, simulatque Matthias expugnata Vienna rerum potiri cœpit, Episcopatum Viennensem adeptus est, viuo adhuc Bernhardo.
4 Ioannes Vesprunensis antea in Hungaria Episcopus, a Matthia Rege Hungariæ substitutus est Vrbano, mansitque eius Cathedræ doctor donec Maximilianus Austriam recepit.
5 Bernhardus Baro a Bolhaym: qui quum Viennam Imperator Maximilianus in fidem suam recepisset, Vesprunensi mortuo suffectus est. Hic quod sacris non esset initiatus, administratoris duntaxat titulũ habuit.
6 Georgius a Slauonia: Hic Maximiliano Cæsari a sacris concionibus fuit, vir eruditus & grauis.
7 Petrus Bononius Tergestinus Episcopus, qui quum mortuo Maximiliano scriniorum magistri munus per Austriam obiret, huius simul Episcopatus administrationem habuit.
8 Ioannes a Reuellis Burgundus, Ferdinando Archiduci Maximiliani Imperatoris ex Philippo filio nepoti ab eleemosynis, Bononio adhuc viuenti substitutus est, anno Domini 1522. Obijt anno 1530.
9 Ioannes cognomento Fabri ex Leukirch, Sueuus, Ferdinandi Regis Confessarius promotus ad Episcopatum anno 1531. Obijt anno 1541.
10 Fridericus Nausea vir egregia eruditionis laude, concionator Ferdinandi Imperatoris, scientiarum disciplinarumque orbem libris editis vulgauit. Scripsit in Grammatica, Rhetorica, Musica, Poesi, Oratoria, Historia, Astrologia, Physica, Iurisprudentia, Theologia, varia opuscula. Encomium vrbis Patauinæ. De tardiore suo ex Italia reditu: Topothesian Coloniæ Agrippinæ & Ratisponę. Librum Genethliacum in natiuitatem D. Maximiliani & D. Ferdinandi Ducum Austriæ. Epigrãmatum Centurias. Ad Fridericum Ducem Saxoniæ Electorem lib. I. Isagogen in libros 4 Institutionum. Pro ineunda Christiana concordia. De terræ motibus lib. 1. Concionum Pragensium libros plures. Consolationem ad Regem Ferdinandum. De Antichristo libros 3. & alia permulta.

ULM



Longit. grad. XXXII *g.* *Latitud.* XLVIII. *gr.*

VLMA Imperialis ciuitas Sueuiæ est, vna ex quatuor villis Imperij, sita ad confluenteis Ilari, & Blaui, quorum ille ex Algea, hic ex VVirtenbergensi ditione ortus se in Danubium exonerat. Nomen habet ab vlmis, quorum illic larga est vbertas solo ad eas edendas sua sponte luxuriante. Et fuit perdiu pagus, ad annum scilicet M CCC vsque, fossa tantum & sepibus munitus; Nnnc vrbs est valida, florés opibus, & copiis locuples, omnique rerum ad vitam necessariarum præsidio ornata. Templa habet multa: sed præ aliis vnum eximium quod magnificentia columnarum, structuræ artificio, maiestate & dignitate operis cætera totius Germaniæ, vno excepto Argentoratensi, provocat. Habet templum illud turrim præcelsam, quam olim, priusquam lorica & pinnis cincta esset, conscendit Maximilianus, vt ex ea locorum amterminorum situm amœnitatemque prospectaret. Fertur eo tempore Imperator in extremis turris lapidibus ita stetisse, vt alterum quidem pedem extulerit agitaritque, alterius vero pedis partem dimidiam extra solum in quo consistebat libraverit, media duntaxat (horresco referens) plantæ parte nixus. Ostenditur hodieque locus in quo stetit, cum adiecta nominis inscriptione. Sunt in eadem vrbe duo fora maxima, euripi pulcherrimi, armamentaria instructissima. Carolum Magnum ferunt ciuitatem totam cum omni eius iurisdictione donasse Cœnobio Augiæ maioris, quod est in lacu Podamico, vno duntaxat lapide a Constantia, extatque eius donationis instrumentum datum anno DCCC XIII apud Nauclerum Volum. II Generat. XXVIII. quod ita ad verbum sonat. IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIÆ TRINITATIS. KAROLVS diuina fauente gratia Augustus: Si sanctorum Monasteriorum loca, ne labantur, frequenter sustentamus, sustentando dicamus, non solum Deum per hoc nobis placamus, sed etiam nostri totius regni statum corroboramus. Quapropter omnium præsentium ac futurorum comperiet industria, qualiter Vlmam nostram regalem villam pro animæ nostræ ac parentum nostrorum remedio, ad Monasterium, quod constructum est in insula, quæ in Alemaniæ partbns sita, Sintleohesuna nuncupatur, vbi venerabilis Præsul Hetto spirituali turmæ præest, cum omnibus adpendiciis suis & locis adjacentibus tradimus atque transfundimus, vt fratres ibidem regulariter subsistentes, & diuino operi die nocteque iugiter insudantes, dum a nostris sumptibus alacriter procurantur, assiduis eorum precibus Deum nobis propicium facere dignentur: vtque prædictus Hetto cum fratrbus suis, monachis videlicet atque clericis in præfata Insula, exterioribus curis remotis, Deo seruire liberius atque securius insistere valeant cum ipsius Abbatis desiderio suorumque Monachorum rogatu, Adelbertum cognatum nostrum, in supradicta Vlma aduocatum ad defensorem constituimus, & eundé, quia quales futuri homines sint, ignoramus, ne statuta nostra vel ipse vel quisquam suorum successorum transgrediatur, in præsenti cum iuramento tenaciter obligamus. Hac de causa nostræ placuit prouidentiæ, eodem Adelberto defuncto, in præsentia Abbatis suorumque succesforú ac fratrum, videlicet monachorum, hoc perpetua ponere potestate, vt sapientum vsi consiliis, ex his quos inter potentes sæculi nouerint & inuenerint meliores & æquitatis amatores, eligant huic loco, sicut & in cæteris locis suis competenter aduocatos & defensores, eo tamen tenore, vt quandocumque sui commissi præuaricator aut in rebus vel hominibus, quod vulgo Balmundt dicitur, existat, statim sine mora, sine iudicio aduocatiam perdat.

Qui aduocatos ad omnes sui successores, quale seruitium in præfata villa Vlma, ab Augiensi Abbate eiusdemque ministris deinceps percepturi, vel qualem iustitiam ipsi Abbatibus sint facturi, breuiter hic determinauimus. Statuimus ergo & præcipimus, si præsens Adelbertus aduocatus, vel quisquam suorum successorum in prædicta villa placitare voluerit, quando vel qualiter aut quoties hoc fiat, in Abbatis arbitrio pendeat, & ab eo disponatur, vt non cum pluribus quam xxx equis ad placitandum veniat, & tale seruitium quale tunc reperitur, & quod prædictæ militum & equorum multitudini congruat & sufficiat eidem aduocato prælibato Abbas decenter & honeste exhibeat. Et vt hoc nunc & in futuro cunctis pateat, regali nostro imperio sancimus & confirmamus, vt nullus aduocatus in præfata villa maius seruitium ab Augiensi Abbate vel a suis ministris quasi ex debito exigat, aut ad libitum sibi statuat ipse, siue quasi ex iure vltra statutum quicquam vsurpare sibi vel vendicare audeat. Insuper statuimus atque iubemus, quicquid placitando ibidem acquirat, tertia parte sibi retenta, duas Abbati reddat, & nullum aduocatum vel exactorem præter se sine Abbatis permissione constituat. Addimus, quod nihil priuati muneris vel seruitij in eadem villa, vel a quolibet locorum illuc pertinentium, siue a cellarijs, quasi ex debito & statuto sibi iure exigat, ac mansiones vel pernoctationes vspiam frequentare audeat. Quod si præsens aduocatus vel quisquam suorum successorum hæc nostra statuta transgrediatur, sine iudicio & absque spe recuperationis iubemus vt aduocatia statim priuetur, & alter fidelior ac iustitiæ amantior, sano consilio in eius locum subrogetur. Et vt hoc scriptum nostrum atque decretum ab omnibus firmius obseruetur & obnixius, annuli nostri signo, sigillique impressione firmari iussimus. Datũ anno salutis 813. De hac vrbe sic inter alia scribit Martinus Crusius in Paralip. Annal. Sueu. cap. xvi. Vlmam non ab Amazonibus aut Asiatis, vt quibusdam videtur, sed ab Vlmis nomen accepisse, ex eo apparet, quod etiamnum ibi platea quædam sit, non multum a Blauo distans, hoc nomine dicta (*die Vlmergaßen*) quasi olim multæ in eo loco vlmi steterint, ritu salicum positæ. Verisimile est, hanc quoque vrbem eadem incommoda cum tota Sueuia passam esse, tempore Clodouei Magni (anno Christi 500.) Francorum Regis: & non modo vastatam, sed & in seruitutem redactam fuisse: e quibus malis vix longis temporibus respirare potuerit. Carolus Magnus Vlmam monasterio Diuitis Augiæ, ceu villam Regiam, & aliquid regiæ dignitatis habentem, donasse scribitur: utpote adhuc Francis subiectam, nec mœnibus cingi permissam, metu rebellionis. Post insecutis temporibus paulatim ea in libertatem, pecunijs prudenter datis, sese vindicauit, sub Ludouico Bauaro Cæsare: a quo potestate accepta ipsa vrbs sibi deinde Senatum, Consules, & Tribunos creauit, anno circiter 1346. cuius privilegia adhuc magis confirmarunt Carolus IV. & Fridericus III. Impp. Ex eo tempore iam magis ac magis emergere & incrementa capere cœpit: vsque eo, vt non facile aliis imperij ciuitatibus cedere videatur: siue vrbem ipsam spectes, & eius munitionem armamentariumque: siue ærarium & reditus; siue agri magnitudinem, gubernationis formam, atque vim. Itaque εὐδαίμων, ὡς αὐτάρκης, merito iudicari potest: felix, vtpote sibi sufficiens ipsa, tum pacis, tum belli temporibus. Loco porro peramœno sita est: formam non plane circularem referens: quippe paulo longior, quam latior: qualis oui propemodum figura est: vnde & ὠοειδὴς nominatur. Ambitus vrbis Felici Monacho cõtinet passus ambulatorios 6400. cum vetus vrbs ante Conradi Imp. tempora tantũ 2100. habuerit: quod spacium, si nouum propugnculum Danubij excipias, etiam nostræ

ætati

ætati satis congruit. Danubio alluitur, qui primum ibi nauigabilis, Ilaro & Blauo receptis, efficitur. Nullos circum se montes habet, excepto illo, qui ad Septentrionem est, qui vocatur S. Michaelis, mons fertilissimus, & a damno vrbi dando remotior. Muris ab omni parte clauditur firmissimis: extra quos fossæ sunt præaltæ: loco quarum Austrum versus Danubius est, nouam munitionem vtrinque includens. Portum quoque non habet contemnendum: ad quem naues onerariæ, per æstatem e Bauaria aduerso flumine subuectæ appelluntur, frumento, sale, ferro & id genus aliis onustæ. Sed & ratibus, quæ homines & merces vehunt, singulis prope septimanis, magno numero in Bauariam & Austriam decurritur. Ilaro amne ligna ex Almangoiâ ad ædificandum, magno ciuitatis commodo aduehuntur. Forma Reipublicæ Aristocratica est, & ab optimatibus administratur. Senatores habet LXII, qui ex ordinie patricio & plebeio constant: quorum prudentia vniuersæ res, tum in vrbe, tum in agro administrantur: dum singulis sua certa munera attributa sunt. Inter hos sũt Duumuir, ceu duo Prætores, ex Patritijs, Senatores καὶ ἐξοχὴν (*die Eltern Heern*) appellati. Ab his sunt Quinqueviri, rebus tantum grauibus & secretis iudicãdis præpositi (*die Gheime Herrn*) Deinde tres viri Consulares, omnes ex ordine Patricio: qui alternis annis præsident. Vnus militarium negotiorum Consiliarius & Legatus: duo prætetea Prouinciales (*Heerschafft Pfleger*) quibus cura rerum in agro: & tres Quæstores (*Statrechner*) quibus rerum in vrbe, censuumque, & redituum administratio commissa est: Curatores duo Hospitali *Spittalpfleger*) tres vero Pupillarium negociorum (*Pflegheren*) ac duo Censores (*Aininger*) mulctæ pecuniariæ præfecti. Hi omnes cum paucis adhuc aliis minutioribus officijs, vniuersum Senatum constituunt: a quibus plerisque quotannis administrationis peractæ rationes exiguntur. Sed & plerorumq; munerum, quæ perpetua non sunt, ante noui Consulis renunciationem, quæ fere in Idus Augusti incidit, curatio instituitur. Ecclesiastici consiliarij, qui religionis negotia tractant (*Hutten herrn*) sex sunt; qui etiam Ædiles vocari possunt: quoniam sacras ædes sartas tectas seruant. Templum primarium in vrbe est Diuæ Virgini matri sacrum: anno 464. fundari cœptum, & anno demum 1488 exædificatum atque absolutum: in quo nouies centena aureorum millia, vltrà ea quæ liberali manu ædificata sunt, consumpta fuisse scribuntur: quo nullum in tota Germania fanum est nec latius, nec altius: longitudo dumtaxat eius a choro vsque ad extremum est passuum CCCIV. de quo latius idem Crusius lib. 5. Annal. Suæu. parte III. cap. II.


WEIMAR

Longit. Grad. XXXIII. *26. Latit.* LI. *6.*

VVIMARIA Thuringiæ vrbs Principum Saxoniæ Lantgrauiorumque Thuringiæ domicilium, ad læuam Ilmi ripam medio inter Erffurdiam & Ienam itinere situm est, solo amœno & fœcundo. Nomen habet a vino, cuius copiam Iena huc mercatores aduehere soliti sunt. Atque hæc caussa est, cur eam Latinè quidam vocent Vinariam. Ea fuit initio Comitatensis; postea tamen cessit Ducibus Saxoniæ, quorum hodie Palatium magnificum ex saxo quadrato ad normam cæso in vrbe spectatur, interlabente amne discretum a pomario & horto elegantissimo. Insigne Comitatus VVimarienſis est Leo niger erectus in campo luteo cum corona rubra in capite & foliis rosæ rubris in clypeo circa leonem dispersis. Est autem operæ pretium scire, quomodo Hermannus VVimarienſis Comes vltimus a Friderico Thuringiæ Lantgrauio victus boniſque omnibus exutus sit. Anno M CCC XLII fertur Hermannus Comes epulum Erfurdiæ instituisse in aula VVimarienſi quæ tunc illic publico loco erat. Forte autem Fridericum Lantgravium Thuringiæ conspicatus e fenestra Hermannus prætereuntem, paucis stipatum, sine ornatu & pompa honoratiore, per ignominiam compellauit, dicens: Quorsum abis *Fritz*? Et postea, Abi *Fritz*, quæ quidem voces ad pueros & viliores seruos adhiberi solent. Non tulit cõtemtum istum generosus Principis animus, qui pro verbis & gestis repositurus vindictam graviorem, iurauit, Acerbam sibi vitam fore, nisi Comitem illium eo adduxisset, vt ipsum cogeretur superioré suum agnoscere, atque etiam Dominum compellare. Mox ergo Erffurdienſes sibi iunxit socios aduersus Hermannũ, qui iam Swartzenburgicum Comitem sibi socium adiunxerat. Post varios & ancipites casus hic tandem eius belli euentus fuit, vt capti Comites VVimarienſis & Swartzẽburgicus venirent in Lantgrauii potestatem: qui cum altero quidem egit benignius, Hermannum vero coegit deserto Comitatu VVimarienſi iura omnia resignare in Lantgravios, cum vrbibus, arcibus, & agris. Ex eo VVimaria semper fuit in victoris eiusque posterorum potestate. Anno M D CXIII, die 29 Maij ingens Thuringiæ incubuit tempestas, quæ tantam inter tonitrua & fulgura profudit pluuiarum grandinumque copiam, vt ad quindecim milliaria Erffordiam Mulhusiumque versus segetes omnes in agris perdiderit. Sed imprimis obfuit ea VVimariæ. Huius enim fluuius in tantũ subito excreuit, vt exundatione facta vicina omnia abripuerit, nitrati pulueris molam, ponte saxeum, viridarium Principis, balneum stanni cupro coopertum, carnarium, telonium, aliaq; ædificia publica, tum ornithotrophia, quibus gallinæ Indicæ ad Principis mensam saginabantur, cum mola gemmaria in qua Iaspis ad tumulum & Epitaphium defuncti Principis Ioannis poliebatur, & propugnaculum arcis, aliaque ædificia disiecerit ac disturbarit. Perierunt eo tempore hausti vndis Vimariæ Equi Principis XXV, Vaccæ vitulique LXXXIV, sues XL. In vrbe, homines LXV. In vicinis quoque pagis permulti. Erisdorffij disiectæ domus X, mersi homines XV. Difurti domus IX cum totidem hominibus. Crumsdorffium totum dissipatum, cum hominibus & pecore omni, sola excepta domo parochi, & ædificio nobilium. Sultzæ ædificia XXV, homines XX. Rossæ, ovile publicum cum ouibus mille. VVartstetti domus X, homines XXV. Oberssettæ domus XLIV, homines XXIII. Probernæ, Sottelstettæ, Matstettæ, Brumbachij, alijsque locis similiter. Atque hæc omnia inter horam vespertinam septimam & tertiam noctis.

VISBIA



Longit. Grad. XXXIX. *30. Latit.* LVII. *30.*

IN sinu Codano ex aduerso Gothiæ insula est haud ignobilis, quam *Gotlandt* vocant, in longum porrecta, vnicam habens vrbem in latere Occidentali nomine *Wisbuy*, veterem, & si quid historiæ credimus, ac ruinis superstitibus, emporio quondam celeberrimam. Exstant hodieque & ostenduntur septem templa & aliquot monasteria singulari artificio ex marmore exstructa. Templa sunt, extra vrbem B. Gregorij: in vrbe B. Clementis, B. Olai, conditum ab Erico quem Cyprium vocant. B. Mariæ, S. Trinitatis; S. Laurentij, B. Ioannis, S. Petri, S. Michaelis, & S. Spiritus. Cœnobia, S. Nicolai, B. Iacobi, B. Catharinæ. Priuatarum ciuium ædes pleræque ingenti fastu & sumptu conditæ sunt, quibus vix pares habet vel Colonia, vel Noriberga. Creduntur his olim locis leges nauticæ conditæ communi mercatorum consensu. Initia vrbis referuntur ad VVinetæ vrbis Vandalicæ exitium. Nã quum VVineta fluctibus demersa esset, dicuntur Sueones ex Gotlandia nauigiis suis illuc profecti esse, & quidquid ex operosissimis eius vrbis structuris marmoreis, ferreis, æneisque, aut ex instrumento stanneo, æreo, argenteo salvari potuit, abactis vento aquis eruisse, vel per vrinatores eduxisse, & in Gotlandiam transportasse; inter cætera vero æneas duas maximi ponderis portas eodem transtulisse. Hinc illæ VVisbiensibus diuitiæ. Donec tandé ipsa quoq; (vt est rerum humanarum vicissitudo) collapsa est, inque eum statum deuoluta, vt præter magnum nomen & memoriam prioris status, vastaque rudera, & structuras antiquas nihil reliquum habeat. Nostro tempore præsidet vrbi arcique Gubernator Regis Daniæ. Haud procul ab vrbe spectantur immanes quædam rupes, quibus Epitaphia insculpta sunt litteris Gothicis, quæ curiosorum hominum ingenia hactenus exercuerunt: Et audio esse nunc, qui & legere ea possint & explicare. Anno M CC LXXXVIII permissum ciuibus a Magno Daniæ Rege, vrbem suã munire, sed restitere accolæ: Ciues tamen, quod orsi opus fuerant, absoluerũt. Sequenti anno captus est immanis piscis, cuius ex aluo infans exsectus est. Anno M CCC LXI VVoldemarus Rex facta in Gothlandiã cum magno exercitu exscensione VVisbiam obsedit: Ciues ante portã Australem cum eo congressi, cæsi sunt. Rex cum victore exercitu præda grauis, aurum, argentum, spoliaque opima domum retulit. Periisse tunc dicuntur M D CCC ciues: Exstatque ad portam quam dixi cippus sepulcralis cum marmore, continente facti memoriam, Latinis litteris. ANTE PORTAS VISBII IN MANIBVS DANORVM CECIDERVNT HIC SEPVLTI. Postea anno M CCC XCVIII Dux Ericus filius Alberti Regis obijt in Gothlandiæ castro quod *Landescroone* vocant, sepultus autem est Visbiæ in Sacello B. Virginis. Anno M CCC XCVIII ipso Benedicti Abbatis festo venerunt milites domus Teutonicæ ex Borussia in Gothlandiam, omnique insula & oppido potiti sunt. Post quinquennium Dani Sueuiq; cunctis copiis quum res suas venirent repetitum, pulsi sunt & fugati a Teutonicis. Anno M CCCC VIII restituta est Danis Gothia pro IX millibus aureorum nobiliorum. Pro insigni habet vrbs agnum gestantem crucem cum vexillo: in cuius ambitu scriptum, AGNVS DEI QVI TOLLIS PECCATA MVNDI MISERERE NOBIS. ET DA ÆTERNAM PACEM TEMPORIBVS NOSTRIS.


WISMAR

Longit. Grad. XXXIII. *30. Latitud.* LIV. *14.*

BENE habet quod & VVismariæ typum nobis fida dederit pictoris manus. Significat autem *Wismar*, Saxonica siue Germanorum lingua certum mare: Estque id nomen propterea huic loco datum, quod maris sinus ibi fidam & tutam nauibus stationem concedat. Vt canoras nugas meritò sonare dicendi sint, qui contendunt, VVismarum quendam Regem Vandalorum huic vrbi appellationem de suo nomine dedisse. Est autem VVismaria clari nominis ciuitas, in Ducatu Mechlenburgico, quem cur quidam vocent Megapolensem, Græca vocis compositione, equidem me ignorare ingenue fateor. Certe Græcæ linguæ idiotismus a tali compositione abhorret. Initia vrbis referuntur ad annum Christi M CC XL, quo tempore ex ruinis antiquæ & magnæ vrbis Mechlenburch, quæ regni Vandalorum in hac regione caput fuisse perhibetur, condita fuit a Guncelino, qui post Henricum Leonem huic ditioni præfuit. Breui autem tempore magna incrementa sumpsit ex commerciis aliarum gentium, ob eam quam diximus portus commoditatē, & fertilitatē importationum & exportationum. Cincta est vndique minoribus oppidis, ex quibus ingens copia rerum ad vitam necessariarū aduehitur. Agrum suburbanum habet fertilissimum, ex quo fere quingentis ciuibus proprios lares habentibus, sorte aliquot jugera agrorum totum septennium colenda fruendaque conceduntur, recepta jam a multis annis consuetudine. Templa eximia tria habet, vnum B. Virginis in media vrbe, alterum Septentrionem versus B. Nicolao, tertium Austrum versus B. Georgio sacrum. Habet quoque Curiam magnificam, & Palatium Ducis. Distat Suerino milliaribus quatuor, Rostochio octo, Lubeca sex: atque intra has vrbes nomen suum & dignitatem egregie tuetur, ob singularem ciuium humanitatem, Magistratus prudentiā, legum æquitatem, ordinis recte constituti exactam obseruationem, & mercatorum industr am: quibus bonis effectum est vt ea inter Anzeaticas tractus Vandalici nequaquam sit vltima, possitque adeo videri ex re publica fuisse, Mechlenburgum minui, vt tam bona, tamque commoda, & humanis commerciis opportuna ciuitas conderetur. De ea sic narrat Krantzius in sua Vandalia. *Guncelinus patri cognominus Sueriñensem Comitatum tenet post patrem, quem ille ab Henrico Leone promeruit. Hic ergo filius quum Mechlenburg pro sui magnitudine oppidum cerneret immunitum, quod distensum in longū nullis vallis ac muris potuit firmari, vicino loco ad mare contiguam vrbem cœpit moliri, quam Wismariam, incertum vnde ducto nomine appellauit.* At nos veram nominis originationem dedimus. Postea subdit, *Si Latini rem gessissent, suspicarer, Cismariam vocitatā: nunc cum Saxones fundamenta iecerint, in obscuro manet vnde sit nomen deductum. Wismariam tamen nomē esse Vandalicum ex aliis meminimus.* Quibus vero? nemo enim vnquam id prodidit. Et cur magis Vandalica sit quā Saxonica? Audiamus cætera: lepide enim hoc totum concluditur. *Potuit ergo vir in ea gente nobilis ibi habitans loco relinquere nomen, vt ex Wismaro Wismaria, quomode ex Romulo Roma diceretur.* Quam facilis est in magnos errores lapsus, vbi semel a vero recessum est?


WITTENBERG

Longit. grad. XXXV 10. *Latitud.* L. 55.

PRIMARIA superioris Saxoniæ vrbs ad Albim est VViteberga, cui nomẽ non ab albis montibus, sita est enim in planitie, sed a VVitikindo dat, Saxonicæ domus capite. Planitiem habet vndique apertã, adeo vt vel eminus aduentãtes prospectari e vallo possint. Fossa vrbem ambit ampla admodum & profunda, cum vallo lato pedes sexaginta. Ad eius pedẽ murus est alter demissior in vsum tormentorum aduersus conscensionem dispositorum. Ambiunt vrbem munimẽta quinque præter arcem quæ in extrema vrbis parte loco elatiore sita, vrbem, muros, suburbia despicit. Septentrionem versus munitur aditus palude: Orientem versus Albi. Arcem veterem instituit Bernardus II Alberti Vrsi filius, ex nobili familia principum Anhaltinorum & Ascaniorum, cui Conradus II Imperator ditionem VVitebergicam confirmauit, eandemque contulit Electori Saxoniæ. Accessit postea eius collationis confirmatio per Fridericum VI Imperatorem. Ita factum est, vt diu admodum ciuitas ista Electoralis sedes habita fuerit. Sepulti in ea sunt.

Helena coniunx Alberti I, quæ anno Christi M CC LXXII defuncta est, & cœnobium illud in quo sepulta est, fundauit.

Ioannes Dux Saxoniæ, defunctus anno 1327.

Albertus II Elector Saxoniæ, qui obiit anno 1292.

Agnes Alberti II coniunx, mortua anno 1327.

Iutha Rudolphi I Electoris Saxoniæ vxor, quæ obiit anno 1327.

Albertus Saxoniæ Dux Rudolphi I filius, defunctus anno 1329.

Cunegundis Rudolphi I coniunx altera, defuncta est anno 1333.

Agnes Rudolphi I conjunx tertia defuncta anno 1343.

Otto Saxoniæ Dux, mortuus anno 1250.

Elisabeth Rudolphi iunioris filia, anno 1353.

Rudolphus I Elector Saxoniæ, anno 1356.

Rudolphus II Elector Saxoniæ, defunctus anno 1371. Hic inceptum a patre anno Christi 1353, templum summum absoluit anno 1361. partemque spineæ coronæ Christi ex Gallia allatam in ea deposuit.

Anna Rudolphi Ducis coniunx, anno Christi, 1395.

Wenceslaus Saxoniæ Elector. anno 1388.

Rudolphus II, anno 1419.

Albertus III, Elector Saxoniæ.

Cecilia VVenceslai Electoris vxor, anno 1429.

Barbara Rudolphi III vxor, anno 1435.

Porro templum illud in quo tot Principum cadauera recondita sunt, mutatum est nonnihil a Ioanne Friderico Electore, translatis defunctorum ossis in templum arcis: Huius enim industria potissimum efferre se cœpit ciuitas, modica hactenus & non pro tantorum Principum gloria. Hic pontem in Albi exstruxit: Arcem de integro ædificauit: summum templum, quod est Vrsulæ & vndecies mille Virginũ, fundauit. Condidit quoque Cœnobium Eremitarum Augustinianorum, quod postea Academiæ cessit, & habitationi Lutheri. Tempus conditi ad arcem templi indicat inscriptio quæ supra portam legitur, hoc modo.

D. FRIDERICI DVCIS SAXONIÆ SACRI ROMANI IMPERII ET EIVSDEM CÆSAREÆ MAIESTATIS ARCHIMARESCHALLI, ELECTORIS ET LOCVMTENENTIS GENERALIS, LANDGRAVII THVRINGIÆ ET MARCHIONIS MISNIAE M D XVIII.

Stuximus hæc Diuis & noſtræ cuncta ſaluti
Et pro Saxonicæ poſteritate domus.

De Academica illic erigenda deliberatum quidem eſt diu, ab anno ſcilicet M CCCC XCIX, ſed moram injicientibus rebus variis, dilata eſt renunciatio in annum vſque MDII. Impulerunt vacillantem Principem Staupitius Vicarius XI Cœnobiorum in Miſnia & Thuringia, & D. Martinus Pollichius Mellerſtadius trium primariarum diſciplinarum Doctor, quorum ille in Belgicam alias ablegatus fuerat ad cõquirendas reliquias quibus templum arcis cõſecrari poſſet, alter cum Friderico III Electore in Palæſtinam profectus fuerat, curamq; geſſerat in itinere ipſius valetudinis. Rector primus deſignatus eſt Mellerſtadius: Monachi vero cœnobij Auguſtiniani primos ſe eius Academiæ ſtudioſos profeſſi ſunt. Introductionis ſolẽnitas incidit in diem XVIII Octobris, cuius diei memoria quotannis repetitur in renunciatione Rectoris hiberni. In introductione concionem habuit ad ſtudioſos D. Fleck Steinlauſij ad Moldam Prior. Profeſſores primi fuerunt *D. Sebotus Poeta, M. Vach. M. Georgius Ebener, & Tilichius*: quos alij ſecuti ſunt, *M. Volckmarus Mathematicus, Ioannes Marcellus, M. Cruciger, M. Vitus Winſemius, Ioannes Veleurio, Eraſmus Reinholdus Mathematicus, M. Burchardus Vimarienſis, M. Anderbachius, M. Iacobus Milichius*, & alij complures. Iuris doctrinam explicarunt *Petrus Rauennas Italus. D. Henningus Goden, D. Hieronymus Schurff, D. Sebaldus Munſterus*. Theologiam ante Lutherum docuit *Staupitius*: cum *Luthero* autem quem protinus Erffurdia accerſitum *Staupitius* illic profiteri iuſſit, docuere *D. Iuſtus Ionas, D. Caſpar Cruciger, D. Ioannes Forſterus, Matthæus Aurogallus, Lucas Edenbergius*. Medicinam profeſſi ſunt, *Mellerſtadius, Simon Steyn, Auguſtinus Schurff, Georgius Curio, Melchior Feudius, Iacobus Mylichius*. Sigillum Academiæ datum hujuſmodi, Effigies Friderici Electoris & fundatoris trabeata, cum enſe, & cũ inſcriptione, ME AVSPICE COEPIT WITEBERGA DOCERE. Datus quoq; eſt a Pontifice Romano Iulio II Cancellarius more aliarum Academiarum Goſuinus de Orſoy: ſed ea dignitas poſtea a Principibus Saxoniæ ad Academiam tranſlata eſt. Quum autem anno MDXVII Tecelius Monachus Dominicanus miſſus ab Alberto Archiepiſcopo Magdeburgenſi Indulgentias Pontificias magna contentione & hiatu prædicaret, eaſque venales circumferet, vt adnumerato pretio quiuis gratiam delictorum omnium commiſſorum ac committendorum haberet, multaq; iuſuper ille de Papæ potentia, multa de pœnitentia, multa de remiſſione peccatorum, deque purgatorio igne prædicaret: viſa fuit Luthero, homini ſupra modum animoſo digna hæc res quæ publice diſputando exagitaretur: Quocirca capita XCV VViteberga adfixit foribus templi, quibus de Purgatorio, de officio charitatis, de vera Pœnitentia, de Indulgentijs diſſerebat, magis id adeo vt Tecelij impetum in exaggerendis ſuis illis mercibus retunderet, quam vt Pontificiam poteſtatem euerteret. Tecelius contra clamoribus illum obruere, & excitata monachorum turba vbique Lutherum exoſum reddere. Quocirca Lutheri quoque propoſitiones flammis exuſſit, ipſum hæreticum, ignique perdendum pro concione declamauit. Lutherus contra ſe purgare, & in Tecelij furioſas conciones omni vi ingenij inuehi. Atque hæc quodem tunc. Sequenti anno Lutherus datis ad Leonem X Pontificem litteris ſupplicibus, ſe ſuamque cauſſam eius cenſuræ ſubiecit. Eccius vero, Sylueſter Prieras, & Iacobus Hochſtratus Theologi publicis ſcriptis eum refutare aggreſſi ſunt. Sylueſtro reſpondit Lutherus, eſtque liber in omnium manibus. At Leo Papa veritus ne ſcintilla iſta Germaniam omnen accenderet, Lutherum Romam accerſit, pœnam etiam ni veniret denuncians. Datis

etiam

etiam ad Caietanum Cardinalem, qui tunc in Germania agebat litteris, mandauit, vt is Augustæ in Comitijs cum Luthero ageret, eumque ab errore ad consensum Ecclesiæ Romanæ reuocaret. Venit ergo Augustam Lutherus, commendatus ibi quibusdam amicis a Friderico Saxoniæ Duce Imperij Septemuiro. Lutherus blande compellanti, postea monenti, & minas etiam ostentanti Cardinali respondit, fieri non posse vt retractaret quæ scripsisset, nisi ex scriptura sacra conuinceretur erroris. Cardinalis, quum nihil a se promotum videret, monuit Fridericum Saxonem, vt Lutherum vel Romam mitteret, vel finibus suis expelleret. Eodem anno venit VVitebergam Thubinga Melanchthon ad docendum Græcas litteras vocatus.

Anno MD XIX Lutherus datis ad Ponrificem litteris promisit silentium, si aduersarij silerent.

Eodem disputauit Lipsiæ Eccius cum Luthero de primatu Papæ, deque Indulgentiis: cum Carolostadio de libertate abitrij.

Eodem accepit Fridericus Saxoniæ Dux rosam sibi a Leone X missam per Miltitium cubicularium suum, Tecelius a Miltitio obiurgatus contabuit.

Eodem Vlricus Zwinglius Tiguri indulgentias impugnauit, & religionis reformationem cœpit instituere, quæ sexto post anno ex ipsius mente absoluta est.

Anno MD XX Papa Leo edita Bulla excommunicat Lutherum. Friderico vero mandat, vt Lutherum, nisi intra dies LX reuocet, vel Ducatu eijciat, vel ipse supplicio adficiat, vel Romam mittat, libros autem ipsius comburit. Fridericus ad Comitia iturus, Coloniæ quum esset, euocat Erasmum, ex quo intelligit, moderationē in Luthero a prudentibus desiderari: Caussam eius inuisam idcirco esse, quod simul & coronam Papæ, & ventres monachorum attigisset.

Eodem Lutherus prouocauit a Papa ad Concilium: Papam vocauit Antichristum. Ius Canonicum VVitebergæ vna cum Bulla Pontificia publice cremauit.

Anno MDXXI Lutherus sub fide publica Cæsaris VVormatiam ad Comitia profectus, die 16 Aprilis eo venit: sequente die caussam suā egit, libros a se editos agnouit; errores non ante aguiturum dixit, quam essent ex scriptura sacra demonstrati: die 26 Aprilis dimissus deducente caduceatore Cæsareo domum redijt. 8 Maij a Cæsare proscriptus est. Pridie Paschatis iterum a Papa excommunicatus. Itaque VVartpurgum prope Isenacum abductus, delituit, & cum alia ibi scripsit, tum regi Angliæ Henrico VIII edito libro respondit. Interea mouit VVitebergæ maiores fluctus Carolostadius.

Anno MDXXII, die 6 Martij reuersus e Pathmo sua Lutherus fluctus motos tranquillauit. Sacerdotes varij vxores duxerunt. Anabaptistæ autoribus Nicolao Pelargo & Thoma Munzero caput efferre cœperunt.

Anno MD XXIII, Edita est in vulgus Noui Testamenti translatio Germanica. Disputationes institutæ, Tiguri inter Zwinglium & Ioannem Fabrum: Vratislauiæ inter Pontificios & Lutheranos.

Anno MD XXIV Pontifex Adrianus Noribergæ in Conuentu Imperij per legatum suum egit de reformanda Ecclesia & Curia Romana. Germani *Grauamina* nationis suæ ediderunt: Decretum quoque de Concilio Vniuersali in Germania indicendo.

Eodem combusti Bruxellis Kal. Iulij duo monachi Augustiniani, Ioannes & Henricus, In Ditmarsia Henricus Zutphanensis: Hos alij secuti sunt, Anno 1525 VVolfgangus Schucus in Lotharingia; Anno 1525 Leonardus Cæsar Rabæ in Hungaria. Georgius Carpentarius Monaci in Bauaria. Anno 1528 Petrus Flistedius: & Adolphus Clarebachius Coloniæ.

Eodem

Eodem noua Missa & communionis formula a Luthero præscripta est, abolito Missæ Canone. Publicati quoque Psalmi a Luthero conuersi.

Anno MDXXV erupit Anabaptistarum furor. Lutherus formulam ordinationis ministrorum edidit: ipse vxorem duxit Catharinam a Bora, Vestalem. De Sacramento Cœnæ dissensere, Carolostadius, Zwinglius, Oecolampadius, Lutherus.

Anno MDXXVII instituta est visitatio Ecclesiarum, editusque Cathechismus paruus.

Anno MDXXVIII Saxoniæ vrbes Lutheri partibus palam sese iuxere.

Anno MDXXIV Protestantes primum dici cœperunt: eo quod Spiræ aduersus actiones publicas protestati essẽt Saxo & Hessus.

Eodem in Hassia Martpurgi conuenere euocati a Philippo Lantgrauio Lutherus, Melanchthon, Iustus Ionas, Zwinglius, Oecolampadius, Bucerus, alijque: Hi post multos sermones convenere in omnibus doctrinæ capitibus, vno excepto de Cœna Domini. Et in hoc professi sunt cuncti, verũ corpus & verum sanguiné Christi in Cœna esse, licet de modo præsentiæ dissentirent.

Anno MDXXX exhibita est a Principibus & Ciuitatibus Carolo V. Imp. Augustæ in Comitiis Imperij 25 Iulij Cõfessio, quæ ex eo Augustana dicta est: Subscripsere: *Ioãnes Elector Saxoniæ, Georgius Marchio Brandeburgicus, Ernestus Dux Brunswicensis, Philippus Lantgrauius Hassiæ, Franciscus Dux Lunenburgensis, Wolfgangus Princeps Anhaltinus, & Legati Reip. Norinbergẽsis & Reutlingensis.* Prælecta est ea Cæsari palam, spacio duarum horarum. Mox in Italicã & Gallicam linguam ipso iubente translata. Sequuta est post aliquot dies eius refutatio; & refutationem Apologia scripta a Philippo Melanchthone, quæ 22 Septembris Imperatori quidem oblata est, sed non recepta ab eo.

Eodem exhibita est a quatuor ciuitatibus, Argẽtina, Constantia, Memminga, & Lindauia Confessio singularis, quæ tamen prælecta non est.

Anno MDXXXII effectum est opera Archiepiscopi Moguntini & Ludouici Palatini, vt pax inter Cæsarem & Protestantes esset, libereque secundum formam Augustanæ confessionis viueretur in Imperio.

Anno MDXXXVI prodijt Bibliorum interpretatio Germanica, facta a Luthero. Prodijt quoque infaustus & horridus ille Lutheri liber de SERVO ARBITRIO, oppositus Erasmi Diatribæ de libero arbitrio. Sed Luthero ita respondit Erasmus, vt ex eo modestior esse cæperit in hoc capite: Melanchthon vero publice sententiam priorem revocarit.

Eodem tentata VVitebergæ a Capitone & Martino Bucero concordia cum Luthero in articulo de Cœna Domini: Discessum est placide, cum ingenti spe sanciendi per vniuersam Germaniam consensus.

Anno MDXXXVII Smalcaldiæ concepti articuli exhibendi Concilio Mantuano, constantes Thesibus & Antithesibus, a Luthero, Melanchthone, Bucero, Osiandro, alijsque.

Anno MDXXXVIII prodijt noua secta Antinomorum autore potissimorum Ioanne Islebio Agricola.

Anno MDIXXIX admisere doctrinam Augustanam Missnia & Marchia.

Anno MDXL VVormaciæ congressi sunt Euangelici cum Pontificiis, delectis vtrimque XXII Theologis: inter quos tandem post multam disputationem conuenit, vt Eccius & Melanchthon soli loquerentur. Hi de peccato originali quod in nobis post baptismum remanet totum triduum inter se congressi, postea ob interdictum Cæsaris reiecere colloquium in eo conuentum

Ratis-

Ratisponensem. Ratisponæ igitur propositus est Collocutoribus liber, mandatumque, vt vtrimque sententiam suam de singulis capitibus dicerent. Ita quibusdam articulis conciliatis, quibusdam non conciliatis discessum est.

Anno M D XLVIII Mauritius Saxo certum ordinē in sui Ducatus Ecclesiis instituit.

Annus M XLVI multa habuit memorabilia. Concilium Tridentinum 7 Ianuarij celebrari cœpit. Defunctus est Lutherus Islebiæ 17 Februarij. Cæsar Saxonē 20 Iulij proscriptum armis insecutus est. Die 6 Nouembris significatum est VVitebergæ studiosis publico programmate, periculum obsidionis impendere, proinde dari potestatem cuique quo vellet se in tutum recipiendi. Et quia Ioannes Fridericus Septemvir Imperatori inuestituram feudi, misso in eam rem scripto, renunciarat, dedit Cæsar in mandatis Mauritio proximo agnato vt is eius terras inuaderet.

Anno M D XLVII Cæsar, Norlinga Noribergā profectus, Egrum venit ipso Paschatis die, atque illic Mauritij & Augusti Ducū Saxoniæ copias suis iunxit. Post etiam venere equites cccc Ioach. Brandeburgensi. Ingressus Saxoniam Cæsar omnia populatur. Saxo appropinquante Cæsare Albim transgressus, pontē sublicium, qui Misnæ est incendit, ne Cæsar exercitū suum posset traducere: Ipse VVitebergā contendens in itinere ad Mulpergam prope Albim cōsidet. Hispani Albim tranantes, primum pauciores. postea inuento vado plures Saxonem in Lochanam siluam fugientē insequuntur, captumque a nobili Germano ducunt ad Cæsarem, 14die post Pascha. Captus est quoque Ernestus Brunsuicensis Dux.

5 Die Maij obsessa est a Carolo V VViteberga, postridie quam denunciata esset Electori captiuo mortis sententia. Castra Cæsar posuit Bistritij, pago Academico, mansitque ibi dies 34 vsque ad septimam Iulij. Erat autem in vrbe præsidium ter mille virorum.

6 Maij venit in castra Elector Brandeburgicus, gratulatum Cæsari de victoria, & deprecatum pro Ioanne Friderico captiuo.

18 Maij Ioannes Fridericus conditiones sibi a Cæsare latas accepit.

19 Venere ex vrbe in castra ad Ducē captiuum, filij, Ioannes Fridericus, & Ioannes Guilielmus, accepto a Cæsare commeatu: atque illic audiuerunt conditiones dedendæ vrbis, nisi vellent vitam patri, iam capitis damnato protinus eripi.

21 Petijt VViteberga ab Electore suo absolutionem a fide quam ei dederat.

23 Dedita est vrbs a nobilibus quos vrbi præfecerat Elector, & quibus coniugem suam & liberos commendarat. Mox cohortes Cæsaris tres in eam receptæ sunt.

25 Venete in castra, Sibylla, vxor Ducis captiui, Ioannes Ernestus, alijque, cum quibus Carolus V victor vrbem ingressus, eodem die in castra redijt.

28 Elector captiuus in arcem ad coniugem & liberos deductus est, inde reversus, datus est Albano duci custodiendus.

29 Nec multo post Cæsar Halam profectus, supplicem habuit Lantgravium Philippum.

30 Octob. denuo susceptæ sunt operæ docentium & discentium, reversis ad studia qui belli metu dilapsi fuerant.


WORMBS
Thumstift
Frauwen Broeder
Porta S Martini
Onser Frauwen Stift
Rhinfl.

Longit. Grad. XXXIII. *26. Latit.* LI. *6.*

WORMATIAM sic describit Ligurinus libro 1, agens de Frederico Barbarossa,

Wormatiam petiit, medio quæ gurgite Rheni
Gallica Germanis opponit rura colonis,
Vtraque vinetis exuberat, vtraque pomis,
Piscibus, atque feris, & cunctis rebus edendis.

Otto Frisingensis eum tractum sic depingit, *Imperator proximum natale Domini Wormaciæ celebrauit. Ea namque regio, qua Rhenus nobilissimus fluuius, ex trium Europæ nobilissimorum fluuiorum vnus intersecat, ex vna ripa Galliæ, ea altera Germaniæ limes, frumento & vino opima est, venationibus & piscationibus copiosa. Habet enim ex parte Galliæ vicinum Vosagum & Ardennam, ex parte Germaniæ siluas non mediocres barbara adhuc nomina retinentes.* Nomen VVormatiæ videtur per contractionem formatum ex vetere Borbetomagi, quod Ptolemæo est Βορβετόμαγος, Antonino Bormitomagus: fuit autem Vangionum quondam ciuitas, dictaque est ipsorum specula: sed euersa primum a Vandalis duce Godegesilo, post ab Attila, non ante Clodouei Francorũ, regis tempora restaurata est. Euersionis illius a Vandalis factæ meminit quoque Hieronymus epistola vndecima. *Moguntiacum capta atq; subuersa est, & in Ecclesia multa hominum millia trucidata. Vangiones longa obsidione deleti.* Dagobertus etiam Palatiũ hic habuisse dicitur, quod postea Ducũ Vangionum Prætorium fuit. Sed quum lapsu temporum abijsset in receptaculum latronum, præsertim sub Ottone Duce, visum fuit Henrico II e republica, suadente Burchardo Episcopo, ciuitatem illam transferre Bruxellam, eoque oppido jus suum quod in vrbe habebat, permutare. Tunc ergo mutatum est Palatium Ducis in monasterium, ex quo postea facta est Ecclesia Collegiata, quæ dicitur S. Pauli. Exstat priuilegium Imperatoris Friderici Barbarossæ, quod Anno Christi MDLXXX VVormatientibus ciuibus dedit honorificum & amplum. Fuit autem hic initio sedes Archiepiscopalis, quæ postea translata est Moguntiacum. Anno CCCXLVIII legitur hic fuisse Episcopus Victor, qui Coloniam profectus, etiam interfuit Synodo illi quæ habita est mouendi Episcopatu Euphratis Ariani caussa. Nulla vero est Germaniæ ciuitas in qua frequentius de Republica & rebus Ecclesiasticis conuentus acti sunt. Antiquissima non commemorabo. Anno MDXXI Carolus V Comitia habuit VVormatiæ, ad quæ euocatus est Lutherus rationem fidei suæ redditurus, & librorum a se editorum. Anno MDIX Colloquium VVormatiæ institutum est inter Theologos vtriusque partis ad dirimendas controuersias in religione obortas. Anno Christi MDLVIII iterum inchoatum est colloquium de controversiis Ecclesiasticis, in quo præses fuit Iulius Pflugius Præsul Numburgensis, Collocutores

Ex parte Pontificiorum	*Ex parte Protestantium.*
Michael Sidon. Episcopus Mersburgensis.	Philippus Melanchthon.
	Erhardus Schnepfius.
Delphius Suffraganeus Argentinensis.	Ioannes Brentius.
	Iacobus Rungius.
Canisius.	Ioannes Pistorius.
Fr. Staphylus.	Georgius Cargius.

Disputatum est de norma controversiarũ, An ex scriptura sola iudicandæ illæ & definiendæ essent, An vero ex Ecclesiæ sententia?

EPISCOPI VVORMACIENSES.

* ..... Hic multa ignorantur.

1 Victor, anno Christi 348.

2 Arnoldus, familiaris Seruatij Tungrorũ Episcopi.

3 Carolus.

4 .... Huius tempore euersa est vrbs ab Attila. VVimpinæ sæuitum in fœminas.

5 .....

6 Croroldus, sedit an. 503.

7 , . , . .

8 Rupertus sub Hilderico Galliarũ Rege docuit Ecclesiam. Sed a Beringero Præfecto Regio indigne flagris exceptus profugit in Bauariam, ad Theodonẽ Ducem, quem an. 580 baptizauit. Ratispona venit Iuuauiam, atque illic monasterium S. Petri construxit, rexitque Ecclesiam annos XLIV. Obiit senex, anno 625, sub Papa Honorio I, Imperatore Heraclio, Francorum Rege Hlotario, patre Dagoberti.

9 . . , . .

10 Amandus II, sub Dagoberto, qui Neuhusij commorari solebat. Huius tempore dedit Dagobertus Francorum Rex Episcopatui VVormacienſi in præsentia Huniberti Episcopi Colonienſis & Arnulphi Metenſis, Comitatum Landenbergenſem, anno regni sui sexto. Et adseruatur illius donationis iustrumentum adhuc integrum in archiuis Episcopi VVormatienſis.

11 . . . . .

12 Geroldus, cõstitutus a Carolomanno & Pipino fratribus. Habebat autem tunc ARCHIEPISCOPATVS titulum hæc sedes: ipsa quoque Ecclesia Moguntina inter sedecim illas quæ huic erant suffraganeæ numeratur. Occubuit in Thuring. cœsus a regulo quodã Saxonico.

13 Gerulio Geroldi filius: Hic quod patris necem vltus esset cœso eius percussore, coactus est a Pipino & Gregorio III Papa abdicare Episcopatum anno 729. Ab hoc ergo tempore translata est sedes Archiepiscopalis Moguntiacum: VVormacienſis autem Episcopus sedi Moguntinæ subiectus est.

14 VVernharius primus Episcopus a Pipino: charus fuit Carolo Magno. Sub hoc arsit Palatium Imperatoris, VVormatiæ, anno 791.

15 Folcuitus promotus a Carolo Magno.

16 Ehrenbrechtus, sedit an. 798. quo donatio a Dagoberto facta Amando Episcopo, confirmata est per Carolum Magnum.

17 Samuel, ex Abbate Lauriſſenſi, sub Ludouico Pio: anno Christi 838. Huius tempore condidit Imperator cœnobium *puellarũ virginum* in suburbio VVormatienſi. Consecratum est quoque memoriæ Cypriani martyris Neuhusij templum, quod Dagobertus Rex Dionysio Areopagitæ exstruxerat.

18 Gunczo electus anno 856. sedit an. 16. ob. an. 872. Sub hoc duæ Synodi coactæ sunt VVormatiæ a Ludouico II, prior anno 858, posterior 868.

19 Adelhelmus electus an. 872. sed. an. 11. ob. an. 873.

20 Dietlacus, sed. an. 41. sub Arnulpho & Ludouico III. defunctus anno 914.

21 Rigowo, electus an. 914. ob. an. 950: sedit sub Conrado I Henrico Aucupe & Ottone Magno.

22 Anno, promotus ab Ottone Magno, ob. an. 974. Hic Conradum VVormatienſem Francorũ Ducem qui in pugna prope Augustã Vindelicorum contra Hunnos occubuerat, sepeliuit VVormatiæ in choro anno 958.

23 Hildeboldus Annonis frater, obiit anno 993.

24 Franco, obiit Romæ sub Ottone III, an. 996.

25 Erpho triduum rexit, extinctus Romæ.

26 Razo Romę lectus, Curiæ Rhætorum moritur, die 14 ab electione.

27 Burcardus frater Franconis electus an: 997. sedit an. 29. fuit pædagogus Conradi II Imp. Hic mœnia, fossas & turres vrbis restituit.

28 Hazego Com. Nassouius, electus an. 1025. sed. an. 19.

29 Adelgerus

29 Adelgerus, sedit menses 5 defunctus anno 1044. Sub hoc clerus VVormatiensis deserta vita monastica cœpit viuere liberius.

30 Arnoldus sedit anno 20 obijt an. 1065. Sub hoc Leo IX Papa fuit VVormatiæ.

31 Adelbertus frater Rudolphi Habspurgensis electus anno 1065, præfuit an. 5. defunctus anno 1070.

32 Adelbertus II Saxoniæ Dux promotus ab Henrico IV, postea ab eodem pulsus, restituitur ab Henrico V. obiit an. 1108.

33 Dietmarus, sedit an. 2. defunctus anno 1109.

34 Ebbo monachus, promotus ab Henrico V. an. 1110. defunctus anno 1115.

35 Beggo contra Arnoldum electus, an 1116 ob. anno 1151 Sub hoc obsessa est vrbs ab Henrico V.

36 Conradus a Steynbach, sed. an. 12. ob. an. 1163.

37 Conradus II, sed. an. 20. sub Friderico Barbarossa, a quo etiam missus est Constantinopolim. ob. an. 1187

38 Henricus I Traiectensis, sub Henrico VI. ob. an. 1196.

39 Leopoldus, electus anno 1197. defunctus anno 1217. vir inquies & bellicosus.

40 Henricus II, Comes Sarbrugensis præfuit an. 17. sub Friderico II. defunctus est anno 1234.

41 Landolphus electus anno 1234. præfuit an. 13. Sub hoc obsidione cincta est vrbs ab Henrico Rege, filio Friderici II. Imperatoris, anno 1235.

42 Conradus III. electus anno 1247 eodem sepultus.

43 Richardus a Thaun, sed. an. 10. defunct. an. 1257.

44 Eberhardus Hirsutus, sed. an. 20. defun. an. 1277.

45 Fridericus Hirsutus, frater Eberhardi, sed. an. 5. menses 4. obiit an. 1283.

46 Simon de Schoneck, sed. an. 8. mens. 3. dies 15. defunctus anno 1295. sepultus est Franckenthalij.

47 Eberhardus II a Statenberg, eodem quo electus est anno obiit.

48 Euricho electus an. 1293, defunctus 2299. quum anno ante conflagrasset ciuitas.

49 Eberwinus, sedit annos 3. obijt anno 1303.

50 Emericus a Schoneck, frater Simonis Episcopi XLVI. obiit anno 1318.

51 Henricus III a Thaun, sed. an. 1. defunct. an. 1319.

52 Cuno: præfuit an. 10. obiit an. 1329.

53 Gerlacus, sedit annos 3.

54 Salomon, promotus a Ioanne XXII Papa, confirmatus a Benedicto XII, contra Stephanum quendam electum a clero: obiit anno 1349.

55 Theodoricus a Bopparten electus a clero anno 1349 sub Carolo IV Imperatore. Hic factus Episcopus Metensis, resignauit.

56 Ioannes Schadlandius Colonienſis, obiit an. 1373.

57 Egkardus, electus anno 1377, sed. an. 28. ob. an. 1405

58 Matthæus Cracouius, defunct. an. 1410.

59 Ioannes II. sed. an. 16: obiit Ladenbergæ an. 1426.

60 Fridericus II electus an. 1427: obiit an. 1445.

61 Ludouicus ab Ast, electus, protinus resignauit.

62 Rienhardus a Sickingen electus an. 1446. ob. an. 1483.

63 Ioannes III electus an. 1483, discipulus Rudolphi Agricolæ, obiit anno 1503.

64 Reinhardus a Riepur, electus Ladenbergæ, an. 1503. rexit Eccles. an. 30. in maximis motibus; ob. an. 1533.

65 Henricus IV Palatinus, Episcopus primum Traiectensis, postea VVormatiensis & Frisingensis.


BRESLO

WRATISLAVIA Silesiæ, *Presław.*

Longit. Grad. XXIX. *20. Latitud.* LI. *20.*

VVRATISLAVIA Silesiæ Metropolis ad cófluenteis Oderæ & Olanæ amnium, a VVratislao Bohemo condita est, cuius etiam nominis primam litteram in suis insignibus honoris causſa gestat. Ante ipsum Quadi hæc loca coluere, quorú Duces in Australi Oderæ ripa habitasse creduntur, vbi adhuc tres aut quatuor spectantur domus turritæ eximiæ vetustatis. Creuit vrbs tractu temporis per res aduersas, non tantum structuræ dignitate, opibus, & commerciis, sed etiam legibus & prudentia Magistratus. Anno M LVII sedem Episcopalem, quæ antea fuerat Smogræ, exiguo nunc pago, postea Bitiuæ, transtulit in suburbanã insulam Casimirus Poloniæ Rex, eamque Episcopo & Sacerdotum collegio attribuit, addita etiam ad tutelam Ecclesiæ vrbisque præsidium arce, cuius hodieque supersunt vestigia, post templum S. Crucis, loco quem *Burg* vocant. A Polonis ad Boleslaum procerum devenit urbis iurisdictio, qui primus Vratislavienſium & Lignicensium Princeps factus est a Friderico Imperatore, anno M C LXIII. Boleslao succeſſit Henricus Barbatus; huic filius Henricus Pius, sub quo Tartarorum incursione adacti ciues, deserta vrbe, quod lignea esset, parumque munita, sese in insulam, ubi Principum arx erat, recepere, incensa vrbe. Sub Henrico III anno M CC LX Vratislauia nouis ædificiis ornari cœpit: murus quoque eius interior, qui adhuc multis locis exstat, jactus est. Tamque grata fuit Principi in ea amplificanda ciuium magnanimitas, vt is multis immunitatibus, & priuilegijs, crescentem ciuitatem ornarit, testatusque sit, se post Deum Opt. Max. fidelibus & chariſſimis ciuibus suis Vratislauiensibus Ducatum istum debere, quorum virtute factum esset, ne iterum in Polonorum potestatem veniret. Sub Henrico IV, qui probus dictus fuit, commissa est tota ciuilis gubernatio ciuibus, quos Princeps videbat libertatis suæ impense esse studioſos: nec potuit incendium duplex, quorum prius anno M C LXXII, posterius, triennio post accidit, ardorem istum ciuium restringuere, præsertim quũ ipse etiam Princeps animos ipsis adderet, vetaretq; ne quis nisi ex lapide cocto vel viuo ædificaret. Anno M CC LXXX exstructũ est Collegium S. Crucis. Henrico Probo succeſſit Henricus V Dux Lignicensis: huic Henricus VI, qui VVratislauiam constituit metropolim omnium suarũ vrbium. Sub hoc recepit se ciuitas in clientelam Bohemiæ Regis Ioannis: itaque eo defuncto Rex patronus eius factus, multas immunitates ciuibus concessit, eosque nouo iam incendio ad extrema redactos animauit consilioq: adiuuit, cunctaque in eam formã redegit quæ nunc cernitur, quaq; supra omnes fere Germaniæ vrbes caput extollit. Carolus IV Cæsar partem eam vrbi adiecit quæ in vlteriore eius ripa cernitur trans flumé Olam; in eaque templum B. Dorotheæ exstrui curauit, ac tandẽ anno M CCC XLVIII ipse Vratislauiam venit, eiusque vrbis Senatui prefecturam totius agri vicini concessit. VVenceslaus eius filius tanta in ciues quosdam liberalitate & indulgentia vsus dicitur, vt etiam tumultui qui anno M CCCC XVIII accidit, occasioné dederit. At frater eius Sigismundus biennio post vrbem ingressus, supplicium cepit de XXII seditionis auctoribus, & adhibito temperamento salutari cauit ne vel Aristocratia in Oligarchiam in posterum prolaberetur, vel plebs de optimatum potentia queri posset, adhibitis etiam in Senatum de plebe quibusdam viris prudentioribus. Hisce artibus prouecta est paullatim Vratislauia in eam prudentiæ, moderationis, ac pietatis famam, vt Sigismundi elogio dicta fuerit *Regula morum*, exemplar & speculum modestiæ, humanæque vitæ splendidum iubar.

CAPVT

CAP. VII.

PONTIFICVM *Romanorum e Germanis ortorum recensio.*

DECEM habuit Roma Pontifices ex Germanis ortos, Stephanum VIII, Gregorium V, Syluestrum II, Clementem II, Damasum II, Leonem IX, Victorem II, Calixtum VIII, Innocentium V, & Adrianum VI Florentium.

STEPHANVS VIII.

Simulatque ad HENRICVM Aucupem peruenit Imperium, habuit quoque Roma statim Pontificem Germanum: Vrgebat enim Imperator: iudicans ad securitatē suam, & ad Imperij tranquillitatem, & nationis Germanicæ decus illud pertinere Quum ergo Anno CM XXXIX Leonis VI obitu vacaret sedes, delectus est statim STEPHANVS, natione Germanus, qui tamen vsque adeo inuisus populo fuit, vt de Pontificatu etiam deserendo aliquando cogitarit. Turpiter etiam in populari seditione mutilatus est, neq; ausus est ob inhonesta vulnera (quemadmodum ex Martino id refert Platina) in publicum prodire. Tandem elapso Pontificatus anno tertio, mense IV defunctus est.

GREGORIVS V.

Anno Christi CM XCV imperante OTTONE III suffectus est Ioanni XV GREGORIVS V. Occuparat autem vrbem iam inde ab anno 986 Crescentius tyrannus, eamque aduersus Ottonem muniuerat, qui ex Germania magnis itineribus Romam aduentare dicebatur. Quum autem ipse etiam populus Romanus Crescentio esset quam Ottoni addictior, iamque hoc ageret, vt imperij quoque dignitas Crescentio deferretur, putauit Otto compositum iri omnia, si cognatum suum Brunonem Saxoniæ Ducem Papam creasset. Et fecit. Sed postquam ex Italia abiisset Imperator, rediere ad ingenium Crescentius & populus Romanus, nihil rati indignius, quam hominem Germanum sibi præesse. Hunc ergo de cathedra deturbatum vrbe expulerunt. At is in Hetruriam primū, post ad Ottonem in Germaniam profectus, Imperatoris animum ad vindictam capiendam exstimulauit. Suffectus est autem a Romanis in locum absentis Gregorij Ioannes XVI Placentinus, qui immani auri pretio eam dignitatem mercatus, sacra omnia venalia habebat, merito vt de illo scripserit Mantuanus

--- venalia Romæ
Templa, sacerdotes, altaria, sacra, coronæ,
Ignes, thura, preces, cœlum est venale, Deusque.

Crescentius interea trans Tyberim concedens, molem Adriani, quæ ex eo Crescentij arx dicebatur, quum ante vocata esset inter cœlos, ita communijt, vt iusti etiam exercitus viribus resistere posse crederetur: Otto consanguineum suum Gregorium secum ducens, simulatque ad vrbem venit cum exercitu, populum Romanum officij sui commonefecit: qui non diu moratus, Germanis portas aperuit. Crescentius & Ioannes consilij auxiliique expertes mole Hadriani aliquamdiu sese tuti, mox etiam in potestatem Imperatoris venerunt. At Crescentius quidem de propugnaculo deiectus, ac post terga boum religatus, rapratusque, tandem in conspectu ciuitatis in excelsa trabe suffixus est. Ioannes vero asello impositus vultu ad caudam conuerso, naso mutilato, auribus abscissis, vt spectaculo